13. c. 16.
Duplex

6
7 E
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

VACATIONES AVTVMNALES SIVE DE PERFECTA ORATORIS ACTIONE ET PRONVNCIATIONE LIBRI III.

In quibus è ſcriptorum elegantium monumentis, geſtuum & vocum rationes non indocta copia & varietate explicantur, & vitia in agendo notantur.

Opus omnibus eloquentiæ ſtudioſis, & qui vel ſacro, vel profano in loco publicè dicunt, vtiliſſimum.

Auctore LVDOVICO CRESOLLIO *Armorico, è Societate* IESV.



LVTETIÆ PARISIORVM,
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XX.
Cum Priuilegiis ſacræ Cæſareæ Maieſtatis, & Christianiſſimi Francorum Regis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

HENRICO BORBONIO

EPISCOPO METENSI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVOD opus à me elaboratum eſt nobiliſſimæ & honeſtiſſimæ iuuentuti, nolui prius in communem venire lucem, quàm Principi iuuentutis offerretur, PRINCEPS ILLVSTRISSIME. De geſtu Oratoris agitur, déque pronunciatione ad perſuadendum accommodata: quæ quantum in dicendo valeant, tum clariſſimi olim viri dixerunt, tum vſus & quotidiana docet experientia. Res omnino plus momenti habet, quàm hominum vulgus exiſtimet: quòd non ſcholis & theatris modò Muſarum definiatur, verùm etiam ad Templa, Fora, Curiam latè pertineat, vbi admirabilia fieri quotidie multa videmus ab iis, qui in curſu humanitatis, vtiliúmque ſtudiorum, probè inſtructi ad agendum, informatíque fuerunt. Sane in Gallia maiores noſtri imitati veterum ſapientiam, in educanda erudiendáque iuuentute nil fere prius & antiquius habuerunt; & in fundandis domiciliis literarum atque Academiis, in hoc videntur magnam partem curæ ſuæ diligentiæque poſuiſſe, vt qui ad ſpem ſummæ dignitatis alebantur,

Digitized by Google

motus haberent compoſitos & decoros, qui animum ingenuum ſignificarent, & eloquentiam ipſam ornarent. Alcuinus Caroli *Magni doctor, & fundator Pariſienſis Academiæ princeps, hanc choro iuuentutis elegantiam commendare ſolitus fuit, atque adeo conſilium illud ſapiens monumentis ſuis prodidit. Hos enim verſiculos memini,* PRINCEPS ILLVSTRISSIME, *fuiſſe ab illo ſcriptos, relictóſque poſteritati,*

Diſce tuas iuuenis vt agat facundia cauſas,
Vt ſis defenſor, cura, ſalúſque tuis.
Diſce precor iuuenis MOTVS moréſque VENVSTOS
Laudetur toto vt nomen in orbe tuum.

Rectè laudem iis pollicetur, qui ad facundiam motus venuſtos, & compoſitam actionem moréſque adiunxerint, quod ij ſoli bonam omnium gratiam mereantur, & in dicendo triumphent; cùm rudes, & in agendo vaſti, & decori minùs ſcientes, repudientur. Hoc igitur tantum bonum adoleſcentiæ, ornatúmque neceſſarium illuſtrare volui, tibíque PRINCEPS ILLVSTRISSIME *libens volens meritò dedicare. Neque opus me fuiſſet hunc honeſtiſsimum laborem ſuſcipere, ſi Academica omnis iuuentus eloquentiæ ſtudioſa coniicere in te oculos potuiſſet, in quo videret viuam & ſpirantem Suadelam, quæ monitiones omnes meas facilè exuperet, qui ita dicis, vt doctus à Molone M. Tullij præceptore, aut potius Gratiarum omnium manu fictus videaris. Nam ad præſtantem eximiámque naturam, cura etiam induſtriáque acceſsit, & quotidianus ſtudiorum labor, quem nobiliſsimi adoleſcentes, qui in eodem curriculo ſunt laudis & gloriæ, mirari facilius poſsint quàm imitari. Itaque non dubitem de te dicere, quod de B. Cypriano ſanctiſ-*

Digitized by Google

ſimus ornatiſsimúſque Gregorius Nazianzenus, quem vocauit τὸ τῆς φύσεως ἄγαλμα elaboratum naturæ opus, cui ad cumulatam perfectionem nihil magnoperè deeſſet. Vidi nuper te in ſchola eloquentiæ Collegij noſtri Claromontani in conuentu doctorum hominum, & complurium adoleſcentium explicantem Aenigma, ea dictionis elegantia, & ſuauitate eruditæ pronunciationis, vt omnes te ſuſpicerent, & incredibili animi lætitia perfunderentur: & tantùm non ea dicerent, quæ Vates ab Italia eximium in orando principem laudans canebat.

Atque hæc eſt dicas facundia Principe digna,
Eloquio tantum nobilitatis ineſt.

Mihi verò ſingulari animi voluptate gaudióque delibuto veniebat in mentem Auſonij hominis docti regium adoleſcentem Gratianum ab eloquentia & pronunciatione commendantis, Non enim, *inquit,* Sulpitius acrior in concionibus, nec maioris Gracchi commendabilior modeſtia fuit, nec patris tui grauior autoritas. Qui tenor vocis quum incitata pronuncias? quæ inflexio, quum remiſſa? quæ temperatio, quum vtraque diſpenſas? Quis Oratorum læta iucundius, facunda cultius, pugnantia denſius, denſata glomeratius, aut dixit, aut quod eſt liberum, cogitauit? *Tum admiratione obſtupefactus beatas fore tuas Metas aiebam, quibus iſta eloquentia & perfectio excoleretur: ſed profectò idem ipſe mecum ſtatuebam, nullas tuæ virtuti metas futuras, quo minus longè poſitas regiones illuſtrare queat. Nam ſi iam ex hoc tempore in capiendis diſciplinis tantum excellis, quantum olim te futurum putemus, cùm & ætas, & grauiorum ſtudiorum maturitas, cumulúſque acceſſerit? Sed à pudore tuo admonitus nolo ingredi in hunc ſermonem,*

in quo nullus reperiri exitus poſſit. Si lubet ad has noſtras Vacationes oculos adiicere, & cum eruditiſſimis adoleſcentibus, qui à nobis velut in theatrum inducuntur, iucundè ruſticari, bibliothecam inuenies ſtylo fabricatam, in qua de geſtu Oratoris *diſſeritur, tum etiam hortum amœniſſimum eodem pollice cultum & extructum, in quo de voce & pronunciatione copioſè diſputatur. Ibi tuam in agendo venuſtatem & elegantiam expreſſam videbis & commendatam. Sed ne te morer teneámque diutius, oro te quæſóque* PRINCEPS ILLVSTRISSIME, *vt hanc operis dedicationem, & obſeruantiæ erga te meæ monumentum, ea qua ſoles benignitate admittas.*

Illuſtriſſimæ A. T.

Deditiſſimus

LVDOVICVS CRESOLLIVS
Societatis IESV.

TOTIVS OPERIS FACIES ATQVE PARTITIO,

AD LECTOREM.

DISSERTATIONEM hic damus, Lector, iuuenilem potius, quàm vt multis videbitur ſeriam & ſpecioſam, atque doctis hominibus neceſſariam, quæ acuere tamen iuuentutem meo iudicio poſſit, & ad decorum vel quærendum ſtudioſius, vel tenendum excitare. Tres ſunt nobis lecti ad differendum, Rhetor, Philoſophus, & Iuriſperitus: adoleſcentes illi quidem, neque artium illarum doctores, ſed quos prope ſuo in genere perfectos, & de ſchola politos queas agnoſcere. Natu omnium minimus, quem nominamus IVVENTIVM, rationes profert ætati ſuæ congruentes & ingenioſo Rhetori: alter nomine VICTOR, vt Philoſophus, ſic maiorem quandam maturitatem intelligentiámque declarat. Tertius HONORATVS perfectis ſtudiis cùm in bibliothecam ſe abdidiſſet, vt in plurium ſcriptorum Commentariis volutatus loquitur. In extremo libro quarta etiam perſona inducitur vnius Theologi in concionando exercitati, & ingenio haud minima eruditione limato, qui non modò præceptorum cognitione, verùm etiam vſu præditus, de Voce & Pronunciatione diſputet, & ſubornatum atque neceſſariis rebus inſtructum Oratorem in pulpitum manu ducat: nominamus illum THEODORVM.

Et prima quidem animi noſtri cura & meditatio in Actionem & Pronunciationem intendebatur: ſed ad rerum exilium diſputationem condiendam, non ſat forte per ſe gratam & iucundam, vt in Dialogis fieri amat, quædam adiunguntur. Res fingitur Vacationum tempore fieri, igitur imprimis Va-

cationes ipſæ totius antiquitatis teſtimonio ſanciuntur. Ruſticantur ipſi adoleſcentes; de ipſa ruſticatione quæſitum, num iuuare animum queat, & an aëris cœlíque varietas ingeniorum varietatem poſſit efficere. Inuiſunt Bibliothecam, itaque nobilis Muſei ornamenta quædam explicantur: & è grandi ſpeculo, in Bibliotheca poſito ad poliendam actionem, petitur occaſio principis Diſputationis. Atque in iis velut in fabula Epiſodiis, primus Liber qui Παρασκευὴ eſt conſumitur. Alia quædam attexuntur forte non penitus aliena, vel ab ipſa re & diſputatione, vel ſaltem ab eloquentia, quæ ſubinde ἐν παρόδῳ illuſtratur. Cura fuit non tam à nobis monita expromere, quàm ſuper iis rebus exquirere antiquorum ſapientiam, quorum gemmis opus hoc teſſellatum fecimus, & laborioſe vermiculatum. Quidam forte inculcata nimium teſtimonia ad eandem rem illuſtrandam illuminandámque reprehendent: alij non æquo animo accipient ea diuerticula, quæ ad nonnullam delectationem ipſa varietate efficiendam aucupati ſumus: erunt & qui centones malè fartos & conciliatos nominabunt. Ego vero ſi quis de hac tota re meliora in medium attulerit, næ lubens feram hæc refelli penitus & repudiari. Neque tamen ſtylum & dictionem omni ex parte neglexímus, quæ vt in tanta frequentium teſtimoniorum appoſitione, tum Græcorum, tum Latinorum, copioſa eſſe non potuit, & æquabilem tenere curſum elegantiæ & ſuauitatis, ſic non plane inornata eſſe debuit. Sed hæc quidem hic ſatis, ne quod opus excuſare debuimus, iam commendare velle videamur.

DE

Digitized by Google

DE
ACTIONIS ORATORIAE
NECESSITATE ATQVE
PRÆSTANTIA

SCHOLASTICA PRÆLVSIO.

NONNVLLI forte in animum ſuum induxerint, inanem omnem & minimè neceſſariam de Oratoris Actione futuram diſputationem, quod nihil à Græcis eloquentiæ doctoribus, à Latinis pauca de illa ſcripta videant, cùm tamen excellenti homines ingenio, monitis ſuis omne dicendi artificium illuſtrarint. Ego imprimis multas cauſas adferre poſſum, cur ab illis antiquitatis luminibus, hac vna pars nobiliſsima ſcientiæ, non neglecta, ſed præterita & omiſſa videatur. Nam Græci quidem in ea regione nati, quæ propter aëris tenuitatem, non tam fruges terræque fœtus generaret, quàm ingenia vi naturæ polita: iam inde à teneris vnguiculis habebant & animi corporiſque motus, ad cogitationes & reconditos ſenſus incredibili facilitate explicandos: quo fiebat, vt præceptis ſapientum ad agendum & pronunciandum minimè indigerent. Eam promptæ faciliſque naturæ volubilitatem, ad omnia ſeſe mirificè accommodantis, Poëtæ magni ſuis carminibus adumbrant. Sic enim Iuuenalis de Græcis. Iuuenal. Sat 3.

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior: ede quid illum
Eſſe putes? quemuis hominem ſecum attulit ad nos:
Grammaticus, Rhetor, Geometres, pictor, aliptes,

ẽ

Augur, ſchœnobates, medicus, magus, omnia nouit.
Græculus eſuriens in cœlum iuſſeris, ibit.

Vbi omnino eleganter & ingenioſe Græculum ait eſſe quemuis hominem, *quod effingat omnes & exprimat, quod ſe ad omnium mores & voluntatem accommodet, quod ſit natus ad aſſentationem. Et de geſtu paulò etiam pòſt diſertius, ait totam* nationem eſſe comœdam, *quod in Scena & theatro, & moribus graphicè aſſimilandis imitandíſque affectionibus, pares haberent ex aliis nationibus paucos, ſuperiorem neminem. Et vt fuerunt ſtudio mirabili ad omne genus eruditionis atque doctrinæ, cùm ad eloquentiam animum ſuum appuliſſent, dici vix poteſt, quantum ipſius naturæ vi atque ductu in agendo excellerent. Quæ fortè cauſa* Ariſt. l.3. Rhet. *fuit, cur doctiſſimus Ariſtoteles* τὸ ὑποκριτικὸν *dixerit eſſe* τῆς φύσεως, *& quemlibet ſine vllius doctoris inſtitutione, ad efficiendos motus per ſe ſatis eruditum, & ab ingenio compoſitum videri. Romani verò non à Mineruæ conopeo, ſed à Martio taberhaculo prodeuntes ad dicendum, cùm non eſſent ingenio tam præcipiti, & limato, commodum eſſe putarunt & neceſſarium, præceptionibus imbuere adoleſcentiam ad motuum conformationem, ne quando in geſtu ad aliquam prauitatem ineptiáſque deflecterent. Itaque iam inde ab antiquiſſimis temporibus, commentarij multi prodiere in lucem, diligentiſſimè elucubrati inſignium hominum labore atque ſtudio, qui poliendo Rhetorum copia artificióque excolendo ab imperio orbis terræ magnam gratiam inierunt. Atque vtinam doctiſſima illa monumenta ad nos omnia perueniſſent, eſſent opinor hac tempeſtate paratiores multi, vt publicè ſine corona offenſione dicerent. Egregium enim de Actione volumen Plotius elegantiæ Doctor ſcripſerat, qua de re quoque libellum emiſit in lucem Nigidius pari venuſtate: multa grauiter copioſéque præcipit M. Tullius iis in libris, qui ſcripti ſunt de artificio dicendi: eandem oratorij muneris partem illuminauit auctor ad Herennium: aliquid docuit Plinius Secundus Orator ſummus: ſed Fabius Quintilianus longe vberiùs. Qui teſtimonio ſuo declarant, nullum eſſe putandum Oratorem perfectum, & ſuis numeris abſolutum, qui non ea veluti oracula de pronunciando perceperit.*

Et illi quidem conſuluiſſe poſteris, hoc eſt nobis, potius mihi videntur, quàm ſui temporis eloquentiæ cupidos ſuo conſilio &

Digitized by Google

Actionis oratoriæ adiumēta apud Veteres.

I. COMOEDVS. Fab. l. 1.

neceſſariis præceptis imbuere voluiſſe. Tot enim adiumentis circunfluebant ad Oratorum copioſè loquentem ſapientiam comparandam, vt ſi illi magni viri ſiluiſſent, poſſent tamen motiones omnes corporis ad eximiam quandam ſpeciem componere, & audientium voluptatem. Statim enim nobilium pueri ad Comœdum accedebant maturi conſilij virum, & in agendo exercitatum, à quo in infantiæ primis annis, pronunciandi rationem capiebant. Cuius rei mirificas vtilitates fuſè Quintilianus expoſuit lib. 1. Debet etiam, *inquit*, docere Comœdus, quomodo narrandum, qua autoritate ſuadendum, qua concitatione conſurgat ira, qui flexus deceat miſerationem. *Et alio in loco de Comœdi iſto officio ſic habet*, Obſeruandum erit etiam vt recta ſit facies dicentis, ne labra diſtorqueantur, *&c. Nec grauiſſimos etiam viros pudebat, cum eiuſmodi hominibus conferre, ab iis quædam ſumere, eorum ope & artificio corrigi, ſi quid impetus vel naturæ nondum edomitæ vel conſuetudinis attuliſſet, in quo decorum, & honeſtas animi ingenui violaretur. Sanè M. Tullium accepimus cum Roſcio Comœdo ſæpe agere conſueuiſſe, & Demoſthenem cum Satyro, à quo fuit incredibiliter adiutus, cùm eſſet rudis in agendo, atque admodum impolitus, ſic vt animum etiam abiiceret vir ad omnia ſumma natus, propter indoctam geſtuum conſuetudinem, niſi à Satyro fuiſſet animatus ſingulari venuſtate pronunciante. Iulius Capitolinus de M. Antonino Philoſopho*, Vſus, *inquit*, eſt magiſtris, ad prima elementa Euphorione literatore & Gemino Comœdo. *Ex eorum quoque inſtitutione & diſciplina prodiit tantus in dicendo Aeſchines, qui neſcio quo fato cùm Demoſtheni ſuccubuiſſet, Athenas Atticas Rhodum & in Aſiam importauit.*

Iul. Capitolin.

II. Adiumentum. PALÆSTRA.

Præterea aliud quoddam adiumentum habebant à Palæſtra, *vbi etiam decens motus geſtúſque docebatur. Negat hoc quidem vir ſuperioris æui doctiſſimus; aitque ſe non poſſe intelligere quonam modo paleſtra vtilis videri poſſet ad limandam & perficiendam actionem. Quod permirum ſanè videri queat, hominem in legendis autoribus volutatum, id negare, aut diſſimulare voluiſſe, quod diſertè à multis clariſſimis ſcriptoribus eſt traditum. Et ne quis fortè cùm paleſtram nomino, pugiles animo intueatur, & craſſos quoſdam obeſóſque luctatores nitentes oleo, in quibus non ingenium, & decori honeſtas, ſed vires dominentur; rem totam ſic aperit*

Fabius l. 1. c. 11. *Quintilianus, vt nullus dubitationi locus relinquatur. Verba eius hæc ſunt lib. 1. cum palæſtricis vacandum monet.* Non de his loquor quibus pars vitæ in oleo, pars in vino conſumitur, qui corporis cura mentem obruerunt, hos enim abeſſe ab eo quem inſtituimus quàm longiſſimè velim: ſed nomen eſt idem iis à quibus geſtus motúſque formantur, vt recta ſint brachia, ne indoctæ ruſticæve manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne caput oculive ab alia corporis inclinatione diſſideant. *Meminit eius diſciplinæ ſæpe idem Quintilianus, ſic enim lib. 9.* Quos palæſtritas eſſe nolumus, peritos tamen palæſtræ eſſe volumus non ἀπαλαίστρους. *Et lib. 12. ait palæſtricos doctores* numeros quoſdam diſcentibus tradere, *hoc eſt motus aptos & numeroſos quibus vterentur. Notat id quoque identidem M. Tullius in Rhetoricis, & primo quidem libro de Oratore* artificium Palæſtrę *nominat*, Vt qui pila, *inquit*, ludunt, non vtuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ, ſed indicat ipſe motus didicerint ne palæſtram, an neſciant. *Sic Fabius*, artificem motum *palæſtræ attribuit atque* pedes, *id eſt quoſdam veluti numeros, & quod Græci dicunt* εὐρυθμίαν. *Cuius artificij ducem & ſatorem volebant eſſe Mercurium, quem inanium Deorum elegantiſſimum & præſidem eloquentiæ aptam illam & decoram motionem corporis docuiſſe aiunt, & inconditos agreſtium hominum mores ad honeſtatem traduxiſſe. Hinc illa Horatij de Mercurio,*

Horat. l. 1. carm. Hygin. fab. vlt.

Qui feros cantus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ.

Vbi Poëta ſapiens ſcitè vocat decoram palęſtram, *hoc eſt decentem geſtuúmque elegantium effectricem; nam* decens *propriè vt nobiles Grammatici animaduertunt, de geſtu atque motu corporis dicitur. Et meo iudicio nihil eſt aliud quàm formoſitas quædam & pulchritudo. Sic apud diuinum Platonem ſuæ profeſſionis ait eſſe Pædotriba,* καλούς τε καὶ ἰσχυροὺς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ σώματα, corpora hominum formoſa robuſtáque reddere. *Hic autem palæſtræ motus latiſſimè olim patuit propter eximias vtilitates, & non modò à clariſſimis adoleſcentibus eloquentiæ cauſa fuit celebratus, ſed ad bellicam etiam diſciplinam armorúmque tractationem, ad ſaltandi peritiam, ad hiſtrionum actionem eru-*

Cornel. Front.

Plat. in Gorgia.

Digitized by Google

diendam, & veluti ſuo decore venuſtandam, vt Polybius, Lucianus, aliique multi meminerunt. Sed omnibus vtilitatibus longe antêpono, quod eadem paleſtra illum erudiant, qui ſit aliquando de maximis rebus, de bello, de pace, de iure, de legibus, de virtutibus, de omni officio, in hominum corona dicturus. Quam inſtitutionem Græci χειρονομίαν vocant, hoc eſt vt Fabius interpretatur geſtuum legem.

Duplex autem fuit χειρονομία, quædam armorum, quædam pacis, vt ita loquar, & humanitatis propria: nam palæſtra bellicæ diſciplinæ, campoque proludens, ad promptam animi vim atque impetum, decoros etiam motus & iucundos adhibebat, eóſque tamen ad martium illum ardorem accommodatos, quos Cicero in gladiatoribus quoque poſtulat in Oratore perfecto, Vt enim, *inquit,* Athletas nec multo ſecus gladiatores videmus, nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæſtram quandam, vt quidquid in his rebus fiat vtiliter ad pugnam, id ad aſpectum etiam ſit venuſtum. *Lucianus* ἐναγώνιον χειρονομίαν *appellat. Plato vnica voce* ἀγωνίαν. *Et magnus Baſilius genere omni ſcientiarum affluens, eleganter* ἐν τακτικοῖς *eandem reponit, ſic enim loquitur,* τοὺς ἐν τοῖς τακτικοῖς τὰς μελέτας ποιουμένους μιμούμενοι. οἵγε ἐν χειρονομίαις καὶ ὀρχήσεσι τὴν ἐμπειρίαν κτησάμενοι, *&c.* Eos imitantes qui in militaris diſciplinæ exercitationibus verſantur, & cùm in manuum geſticulationibus ac ſaltationibus peritiam ſuam experti fuerint; poſtmodum vtilitatem ex eo ludicro in legitimo certamine referunt. *Gregorius quoque Nyſſenus vir excellenti facundia ab illis ait, qui* ἐν τακτικοῖς *alios erudiunt, doceri* τὴν εὔρυθμόν τε καὶ ἐνόπλιον κίνησιν. *Huc ſpectat niſi me fallit animus, id Lampridij de Alexandro,* Palæſtes primus fuit in armis magnus.

Duplex Chironomia.

Plat. in Menon.
S Baſil. Homil. 24. πρὸς νέους.
Greg Nyſſ. or catech. c.35.
Lamprid.

Alterum genus χειρονομίας fuit hoc pacificum & ingenui animi proprium ad eloquentiam aſpirantis. Plutarchus de Lampria, χειρονομῶν ἐν ταῖς παλαίστραις ἐδόκει διαφέρειν τῶν παίδων. *Sic Charmides apud Xenophontem ait ſe didiciſſe* χειρονομεῖσθαι, *non autem ſaltare: quare ſolus domi cùm eſſet, exercitationis cauſa* ἐχειρονόμει *ſe manuum geſtu oblectabat. Vtrumque genus forte intelligebat Dio Pruſæus, cùm in paleſtris verſari conſueuiſſe ait* τοὺς χειρονομοῦντας καὶ παλαίοντας.

Plutarch. qq. Symp. 1.9.
Xenoph. in Conuiuio.
Dio. Or. 32.

Eadem ſæpius Latinæ elegantiæ parens coniungit: nam 3. de Oratore, Quemadmodum, *inquit*, qui vtuntur armis aut palæſtra, non ſolùm ſibi vitandi, aut feriendi rationem eſſe habendam putant, ſed etiam vt cum venuſtate moueantur, *&c. Et alio in loco*, Sit geſtus laterum inflexione hac forti & virili, non ab ſcena & hiſtrionibus, ſed ab armis aut etiam à palęſtra. *Fuiſſe autem in ea exercitatione magnam quandam vim & oblectationem intuentium, ex eo patet, quòd Dio Chryſoſtomus memoret accidere conſueuiſſe, vt ſi quis ruſticanus & ineptus in palæſtram fuiſſet ingreſſus, is deinde minus inconcinnè moueretur*, τοὺς ἀγροίκους ἰδεῖν ἔστιν, ὅταν εἰς παλαίστρας ἢ γυμνάσιον ἔλθωσιν, ἧττον ἀρρύθμως κινουμένους. *Itaque M. Tullius, florem ipſum venuſtatis in dicendo*, palæſtram *nonnunquam appellare ſolet, hæc eius eſt oratio in Oratore perfect.* Numerus ſerius aliquando notatus & cognitus, quaſi quandam palæſtram & extrema lineamenta orationi attulit, *&c. vbi quandam venuſtatis pulchritudiniſque perfectionem vocat palæſtram, quod ex ea diſciplina oriebatur illa motuum & membrorum apta & concinna moderatio & conformatio, quam Galli* bienſeance *nominant, & vt quidam volunt* contenance.

Cic. 3. de Orat.

Dio Pruſ. Orat. 31.

Mittebantur igitur in palæſtram ingenui adoleſcentes, vt hoc magnum eloquentiæ decus & ornamentum χειρονομίαν *perciperent. Hinc grauis illa Plutarchi monitio pueritiam inſtituentis, mittendos ad pædotribam eſſe pueros* σώματος εὐρυθμίας ἕνεκεν, ad concinnum corporis motum ediſcendum. *Quod ſimul cum ſtudio Grammaticæ fuiſſe factum, Sidonius Apollinaris æui ſui ferè omnium eruditiſsimus auctor eſt, qui Conſentium laudans qui more Gallorum facundiæ copiam cum inuicti animi fortitudine copularet, ita canit.*

Plut. περ. παιδ. ἀγ.

Quidquid Rhetoricę inſtitutionis,
Quidquid Grammaticalis aut palæſtræ eſt,
Sicut iam tener hauſeras, voraſti.

Sidon. Carm. 23.

Quæ forte cauſa fuit cur Polymniam quam Senator vir doctiſſimus hominum geſtus ad elegantiam inſtituiſſe memorat, eandem Græci docuiſſe Grammaticam literáſque profiteantur. Quin & domi palæſtram veluti quandam olim habebant ad liberûm ſuorum geſtus componendos. Sanè Cato maior filium ſuum non literas modò, verùm & decoras motiones palæſtrámque edocuit, αὐτὸς μὲν ἦν

Caſſiodor.

Plutar in Caton. maior.

Digitized by Google

γραμματιστής, αὐτὸς δὲ γυμναστής, *ait Plutarchus. Palæſtram quoque filios ſuos docuiſſe Periclem virum è Græcia tum grauiſsimum, tum eloquentiſsimum, liberos item ſuos Thucydidem, Plato in Menone ſcribit. Poeta meo iudicio maximus Papinius morem hunc expreſsit in Achille adhuc puero, inſit enim de illius parente.* Plat. in Men.

Inceſſum motúmque docet fandíque pudorem, *&c.* Cic. l. 2. de diuin.

Verè hoc M. Tullius, Quis non videt & mores, & pleroſque ſtatus ac motus effingere à parentibus liberos? *Et vates ille argutus,*

Et matris geſtus dicis habere tuæ. Martial. l. 2.

Sed fui longior quàm putaram in peruagata re explicanda: pergo ad alia Veterum præſidia, quibus geſtum, & dicentium actionem expoliebant.

III. Adiumentum. THEATRVM DOMESTICVM.

Græci à prima pueritia & Romani, in conuentum amicorum inducebantur, & theatra ſtudioſiſsimis hominibus referta, vt in ea luce dignitatis agerent, & exquiſito manuum artificio, & totius corporis motu pronunciarent. Themiſtius qui Philoſophiæ ſubtilitatem cum dicendi ſuauitate, vt cum auro purpuram immiſcuit, id diſertè animaduertit in quadam oratione ſua, cùm ita loquitur, Theatris etiam Græcis mirum in modum exultat Rhetorica, Themiſt. Orat. 7. καὶ τοὺς παῖδας ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας εἰς δημοσίας παρόδους ἐθίζει. *Romani hoc etiam excogitarunt, vt cœnæ tempore cùm ſecundæ menſæ inducerentur, docti Platonis Dialogos pueri parui cum perſonarum varietate agerent, in propinquorum & familiarium cœtu, qua fieri potuit actionis & pronunciationis venuſtate. Qua de re cùm Plutarchus meminit,* πρόσεστιν, *inquit,* ὑπόκρισις πρέπουσα τῷ ἤθει τῶν ὑποκειμένων προσώπων, καὶ φωνῆς πλάσμα, καὶ σχῆμα, καὶ διαθέσεις ἑπόμεναι τοῖς λεγομένοις. Plutarch. l. 7. qq. Sympoſ.

IV. Adiument. RHETORICI DOCTORES, ET SCHOLÆ.

Iam iidem grandiores effecti, cùm prætextam poſuiſſent, iam imbuti eruditione, & inexplicabili amore incenſi glorioſæ rerum Dominæ eloquentiæ, Doctores audiebant ex omni Græcia facilè primos & dicendo mirabiles, vt Molonem Rhodium M. Tullius, vt Pæonium Rhetorem filius, vt Brutus Pammenem, vt Auguſtus Apollodorum, vt alij alios, qui non modò vim ingenij acuerent ad vberem copiam orationis, verùm etiam geſtum vocémque limarent. Neque hoc contenti labore & ſtudio, Græciam omnem atque Aſiam, vt Suadæ inſtitores negotioſi, diligentiſsimè, ſtudioſiſsiméque luſtrabant: tum redibant ſaturi bonarum artium

Digitized by Google

cognitione, & in agendo perfecti; & ſemel viſi auditique, vt Phidiæ opera, laudabantur.

v. Adiument. DECLAMATIO. Philoſtrat. de vit. Soph.

Quid deinde? an fuit alia quadam ratio qua dicentium pronunciationem excolerent? fuit, eáque pollens, ſi quæ fides magnis auctoribus adhibenda eſt, nimirum, Declamatio, *quam ſuauis Rhetor Hippodromus ex Euripidis & Amphionis hymnis* κρεῖττον ὄλβου κτῆμα, Peculium melius opulentia *nuncupauit. Quam fuiſſe opinione omnium commendatam & tractatam video à lectiſſimo adoleſcentium grege, non priuatim modo, verùm etiam publicè. Nam in eo genere ſe apud Rhetorem exercebant definitis certíſque diebus, vt ille acer in vitio reprehendendo Poeta monet,*

Nil ſalit Arcadico iuueni, cuius mihi ſexta
Quaque die miſerum dirus caput Annibal implet.

Iuuen. Sat. Æl. Spart. in Seuer. Sueton. in Neron.

Iidem poſtea in lucem & communem audientium coronam prodibant Oratoriæ laudis ſpecimen edituri. Seuerus Imperator octauodecimo anno publicè declamauit, vt autor eſt Spartianus: Nero declamauit ſæpius publicè, ait Suetonius: quod etiam inſtitutum alij paſſim tenuere. Neque forte in adoleſcentia, id mirabile aut inuſitatum videatur: ſed tam flagrans támque eximium fuit ſtudium, & ad bene dicendi laudem contentio, vt ipſi viri clariſſimi, functi honoribus, inſigni quadam & inaudita animi magnitudine præditi ſæpe declamarent.

Cicer. in Brut. Idem. l. 16 ep. 21.

M. Tullius in foro diu Curiáque ſpectatus, cùm Rex quidam facundiæque antiſtes omnium confeſſione videretur, eam declamandi conſuetudinem nulla die omiſit: Cicero filius patria laude & exemplo commotus quotidianam ſuam declamationem prædicat. De Antonio Coryphæus ipſe eloquentium rem trahens ad contumeliam, quanquam tu quidem vini exhalandi, non acuendi ingenij cauſa declamitas. *Similium exemplorum magna eſt copia: in quibus hoc etiam mirabilius videri poteſt, quod ab ea meditatione nulla moles negotiorum & periculorum, nulla temporum acerbitas, nulla remiſſio, magnos principes auocare potuit.*

Plutarch. in Brut.

Sic enim Brutum accepimus in ipſo pugnæ Pharſalicæ diſcrimine, cùm pene gladiorum ſplendor oculos preſtingueret, ſuam tamen illam commentationem non reliquiſſe.

Suet. de Rhetorib. Fab. l. 10 c vlt.

Hiſtoriæ, *inquit Suetonius,* tradiderunt Auguſtum ne Mutinenſi quidem bello omiſiſſe declamandi conſuetudinem. *C. Carbo* etiam in tabernaculo ſolebat hac vti exercitatione

Digitized by Google

citatione dicendi, *ait Fabius. Infinitos commemorare hîc poſſem, in quibus hæc ad dicendum viguit induſtria, quæ non modò eloquendi celeritatem incitabat, verùm etiam vocis modum, corporiſque geſtum perfectione cumulabat. Quare cùm tanta vulgo habuerint, támque illuſtria pronunciationis adiumenta, quis miretur, è Rhetorum numero paucos de vocis atque geſtus conformatione ſcripta reliquiſſe?* Fab: l.10. c. vlt.

SED profectò alia noſtra ratio eſt, quos par eſſet in præceptionibus diligentiſſimè conſiderandis verſari, vt qui illis prope omnibus præſidiis ad dicendum, quæ hactenus oratione percenſui, neſcio quo fato caremus. Nam qui modò ſunt Comœdi, tantùm abeſt vt alios docere poſſint honeſtiſſimam actionem, & ingenuum modum pronunciandi, vt ne quidem ipſi vnquam didicerint. Iam enim vulgo illi greges ex ingenioſis forte multis, ſed perditis & flagitioſis adoleſcentibus conſtantur, qui cùm parentum bona decoxerint, & nihil minùs quàm eruditionem collegerint in iis ſtudiis, quorum cauſa in Academiarum ſplendore alebantur, dum ſuorum vel indignationem verentur vel infamiam, in illo bonorum naufragio, ad hoc vile & deſpicatum artificium, tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. Imo etiam multi inter ipſos verſantur, nec ingenio præditi, nec liberali inſtitutione, neque ſtudiis literarum exculti, ſed de lapide empti, è triuio collecti, in decipiendo exercitati, bene & gnauiter impudentes, ſine re, ſine fide, qui ad ſimilem impurorum hominum colluuionem cùm ſe adiunxerint pudorem omnem profundunt, & dum lucello inhiant, tandem aliquando miſerabiliter intereunt. Iam ſi puerilem inſtitutionem conſideremus, plurimi in ſcholis eloquentiæ adoleſcentes deſides ſunt, & inerti quodam otio abiecti, & publicam lucem fugitantes, ab omni dicendi meditatione refugiunt. Deinde ætate grandiores cùm Academias luſtrant ad ius ciuile perdiſcendum, illi videlicet futuri patroni cauſarum, & ſpecimina eloquentiæ triumphantis, in quibus viri ampliſſimi ſpem ſuæ dignitatis poſuerunt, (non de omnibus loquor, ſed de iis tantùm, quorum nota eſt leuitas, plena inconſideratiſſima temeritatis) quaſi parentum & præceptorum liberati cuſtodia, & in omnem voluptatem effuſi, aut in popinis hærent, aut nocturni graſſatores volitant, aut pudicis foribus inſidiantur, aut choreas ducunt, troſſuli & formoſuli amatores, vino & deliciis fracti, odoribus languidi, muliebribus nugis ſoluti,

Digitized by Google

vitio elumbes & inuerecundi, in forum deinde Curiámque veniunt, vt ſaltatriculæ tonſæ, vt dedecora legum, vt negotiorũ maculæ, vt reorum & amicorum pernicies, vt Licentiæ nexi, vt Themidis inimici, vt Eunomiæ perduelles. Quid verò dicam de glorianda illa conſuetudine declamandi, qua vel mediis in negotiis veteres vtebantur ad omnem quidem eloquentiæ partem, ſed præſertim ad geſtum & pronunciationem ſuis numeris abſoluendam, vllumne in moribus noſtris veſtigium relictum eſt? noſtris dico, non parentum atque maiorum, quos olim cùm Gallicanæ copiæ ſplendor, & humanitatis clariſſima gloria per remotas nationes fundebatur, conſtat in hac parte eximiè præſtitiſſe. Itaque M. Tullio cæteriſque eloquentiæ doctoribus grates habendæ ſunt maximæ, quod monita quædam pronunciandi & agendi reliquerunt, quæ tamen ſitim potius noſtram exacuunt, quàm ſatiant: eſſétque benè labor collocatus & doctorum hominum induſtria, qui iuuentutem excitarent, vel collecta veterum ſapientia, vel excogitatis etiam nouis rationibus atque viis, quibus elegantiæ candidati geſtus aptos & decoros effingerent, ſícque in dicendo verſarentur, vt qui eos dicentes videt, in ſcena eſſe Roſcium intelligat.

Ariſtotelis de Actione opinio.

Nam quod quidam ſecuti Ariſtotelem aiunt ſatis à natura perfici vniuſcuiúſque actionem atque geſtum, & vt ipſe aiebat δοκεῖν φορτικὸν non magni æſtimandam videri, omnino falluntur. Et mea quidem opinione Lycei doctor ille magnus de ſe potius, quàm de omnibus in commune loquebatur: qui cùm eſſet præſtantiſſimo ingenio, & natura omnibus ornamentis inſtructa, & Rhetores etiam contemneret, minimè ſibi opus eſſe videbat iis minutis ſcholarum cantilenis quæ ferebantur, ad motuum conformationem. Nam alioqui in oculis habebat Demoſthenem, hominem artificio compoſitum & tornatum quodammodo, cuius cùm eſſet, vt eruditiſſimi viri prodiderunt, φαυλοτάτη ἡ ὑπόκρισις, & natura vitioſitate à dicendo auocaretur, facilè docere potuit, non naſci Oratorem, ſed fieri, & ad bene & laudabiliter agendum ſtudio eſſe opus & contentione. Imo verò parens ille philoſophiæ qui Peripatum incredibili doctrinarum varietate exornauit, clarè monet, non ferè alios, quàm qui agendo & pronunciando excelluerint, ἆθλον ἐκ τῶν ἀγώνων λαμβάνειν, inſignia victoriæ ab eloquentiæ campo referre: *& eatenus tantum φορτικὸν videri actionem, ſi natura bene conſtituta & nuda ſpectetur, quam non externo vllo moueri ornatu*

Libanius.

Ariſtot. l. 3. rhet.

& elegantia, ſed vi tantum rationis oporteret.

Et ſane illam imperitorum hominum ſententiam, qui aiunt geſtus à natura ſatis eſſe perfectos, nec in eo poſitas eſſe fortunas patriæ huc an illuc manus moueatur, & vnumquemque ſine vllis monitis & animaduerſione placere poſſe, quotidiana exempla dicentium refutant. Multos enim videmus, tum ſacris, tum profanis in locis, tam præpoſterè, tam inſulsè tamque vitiosè orantes, vt ſit mirum ſilentio audiri poſſe: Sapientes quidem certè & expoliti humanitate luteos illos oratores non niſi cum faſtidio audiunt, & iuſtiſſimè in ea temeritate indignantur. Quod facturos etiam opinor omnes, qui vel tantùm cogitatione depinxerint putidos illos geſtus orantium, & ineptam actionem. Quidam rigidum caput & obſtipum non magis mouent, quàm ſi eſſent cornei: alij tam immaniter oculos aperiunt, vt terrere omnes velle videantur: nonnulli quaſi nucem perpetuò frangerent, os & mentum in dicendo contorquent: quidam inſtar perfidioſi Iuliani ὕβριν πνέουσι vultu contumeliam, impudentiámque ſignificant: alij vt in tragœdia fictam heroum perſonam acturi, vt cùm Luciano dicàm, παμμέγεθες χαίνουσι, vaſte hiant velut faucibus excepturi omnes, præſertim cùm irati boant, ſpumas agunt, ſtriata fronte & ſaturniis oculis minantur. Hi velut in ludo, continuò micant digitis, & incredibili manuum agitatione prope dicam omnes Mathematicorum figuras in aëre conantur effingere: illi contra tam ponderoſas habent manus & ſtupore defixas, vt celerius trabes mouerent: alij cubitos ita ventilant, facilè vt appareat, aut ſutores fuiſſe aliquando, aut cum cerdonibus aſſiduiſsimè fuiſſe verſatos: quidam ita vacillant toto corpore quaſi è lintre loquerentur, alij tam vaſti ſunt, & in motu corporis tam agreſtes, vt ſtuppeos ſaccos putares in hominis effigiem depictos. Vidi etiam qui exilirent in ſuggeſto, & prope ad numerum tripudiarent, qui fullonios ſaltus ederent, & vt vetus Poëta loquitur, pedibus argutarentur. Sed quis breuiter geſtus omnia vitia, & inepta pronunciationis, oratione percenſeat? an ſi motus à natura ſuppeteret ad animi ſenſus aperiendos idoneus, ad colligendam beneuolentiam accommodatus, ad incredibilem vim & affectionum varietatem opportunus, belli illi noſtri oratores, & Suadæ amaſii turpiter impingerent, & in cœno volutarentur? Operam credo ludere videatur, & abuti iam ocio ac tempore, qui voce & ſcripto adoleſcentiæ

Ineptorũ Oratorũ Actio.

autor ſit, maturè vt prouideat, ne quando in doctorum cœtum atque lucem, hanc indoctam agreſtémq; agendi conſuetudinem importet? Sed minimè quidem eſt opus conquiſitis vti rationibus, vt doceamus, non eſſe à natura perfectam actionem, nunc eodem curſu orationis patefaciendum, rem non eſſe φορτικὸν *minimíque momenti, ſed potius in oratorio munere quiddam palmarium, in quo exquiſitiſſimè inſtruendo elaborare debeamus.*

Quid ſapientes de excolẽdo corporis motu ſenſerint.

Quæ res nec obſcura futura eſt neque dubia, ſi veterum ſapientiam conſideremus, incredibilémque diligentiam in decori hac parte vel tuenda vel amplificanda. Diuinus Plato cùm educationem puerorum ſapienti oratione moderatur, vult imprimis ſaltationem adhiberi ad informandam pueritiam, non modò valetudinis & parandæ leuitatis cauſa, verùm etiam κάλλους ἕνεκα τῆς τοῦ σώματος μελῶν, καὶ μερῶν, ob totius corporis venuſtatem, & partium omnium ac membrorum aptam & honeſtam compoſitionem, *quod numeroſa, inquit, illa motio prudentium hominum voce erudita,* τὸ προσῆκον καμπῆς τε, καὶ ἐκτάσεως, ſtatum plenum dignitatis, decorámque inflexionem tribuat. *Zeno item parens Stoicorum id adoleſcentiæ ornamentum requirebat, qui, vt meminit Diogenes Laertius,* δεῖν τε ἔλεγε τοὺς νέους πάσῃ κοσμιότητι χρῆσθαι, καὶ πορείᾳ, καὶ σχήματι, pueros aiebat eſſe oportere maximè compoſitos, & inſigni modeſtia, tum inceſſu, tum in corporis motione, atque geſtu. *Itaque ſumma cura incubuere magiſtri apud doctam & honeſtam antiquitatem, vt adoleſcentes in Chironomia ſedulò inſtituti, haberent* κινήσεις καλὰς, καὶ ἐλευθερίους, decoros motus & maximè liberales, *vt ſcribit Athenæus. Sanè Pædagogos diligentiſſimè iſta inculcauiſſe,* Sic aut ſic ambulabis, illò magnum porrige, *& ſimilia, haud obſcurè è ſapienti viro Seneca didicimus. Qualem Doctorem & Pædagogum Octauius Auguſtus magnæ vir prudentiæ Claudio ſuo nepoti expetebat, qui deinde imperium orbis terræ conſequutus eſt: ſic enim de illo ſcribit ad Liuiam,* Vellem diligentius & minùs μετεώρως, deligeret ſibi aliquem, cuius motum, & habitum, & inceſſum imitaretur miſellus. *Atque in hanc rem pueri in muſica ſtudioſiſſimè erudiebantur, quæ cùm duplices numeros contineat, vocis nimirum & corporis, quòd in vtroque aptus & numeroſus quidam motus requiritur, hanc muſicæ partem quæ in concinno corporis motu poſita eſt, maximè conſectabantur, Quin-*

Plat. l. 7. de leg.

Athen. l. 14.

Senec. ep. 94.

Sueton. in Claud. c. 4.

Digitized by Google

tilianus vocat εὐρυθμίαν, *alij* Rythmum, *Rythmus enim, vt ait Marius Victorinus,* ad modulationem corporiſque motum pertinet. *Erat igitur antiquitatis vniuerſæ teſtimonio geſtus & actio quiddam magni ponderis & dignitatis, in quo formando præſtantiſſimorum hominum & ſapientum inuigilauit induſtria. Quam etiam in ſcholis Rhetorum artificioſe traditam, eximiéque excultam monet Lucianus, ait enim* τὴν ὑπόκρισιν τοῖς ῥήτορσιν ἐπιτηδευομένην, καὶ μάλιστα τοῖς τὰς καλουμένας μελέτας διεξιοῦσιν. Victorin. l.1. art. gram. Lucian. de Saltat.

Sed remota diſputandi ſubtilitate veterúmque exemplis, laudatáque conſuetudine ſepoſita, quæ tamen vim magnam habere debent ad perſuadendum: ex eo quod accidit ferè quotidie, quod ſubinde in oculos incurrit, quod pæne manu tangitur, quantum momentum ſit decori & venuſti motus licet intelligere. Hoc enim quotidiana experientia & ductu rationis percipimus, aptas & concinnas corporis motiones nimium quantum placere intuentibus, & in animos ſuauiter influere humaniſſima quadam voluptate: contra verò agreſtes homines atque vaſtos, & quos Græci Galliíque noſtri vocant λορδὴν *geſtu hebeti atque incompoſito, vix æquis oculis, & non ſine faſtidientis animi ſenſu videri. Placet mihi Poëta vetus atque ſapiens Demoxenus, qui hoc ipſum ſuo teſtimonio comprobabit. Is diuerterat cum amicis ad honeſtas iuuentutis exercitationes: & ecce tibi adoleſcens ferè annorum, vt quidem videbatur, ſeptemdecim pila ſe recreabat, qui quoties, inquit, aſſidentes nos conſpicaretur pilam vel ſumens vel emittens, continuò omnes præ ſtupore acclamabamus,* Quantum momenti in decora Actione.

——ἡ δ' εὐρυθμία
Τό, τ' ἦθος, ἥ τε τάξις ὅση
Εν τῷ τε λέγειν ἢ πράττειν ἐφαίνετο
Πέρας ἔπι κάλλους, &c.
——tanta erat concinnitas
Tantus ingenij lepos, tam venuſtus geſtus,
Siue quid loqueretur, ſiue quid etiam faceret.
Tam abſolutam pulchritudinem ego antea
Non videram, tantum gratiæ non audiueram.

Quare Homerus qui iis oculis quibus vniuerſitatem luſtrauit, vidit etiam vim venuſtatis in corporis motu atque geſtu, Heroas, atque illos bellatores inclytos, quorum famam immortalitati

Digitized by Google

commendauit, diſco voluit & iaculis vti in communi exercitatione μετά τινος συμμετρίας, concinno quodam motu corporis & honeſto, *vt Athenæus in conuiuio ſuo prodidit. Breui dicam: illa motuum elegantia & concinnitudo, & omnium artuum in agendo velut ſymphonia, in humanis rebus tantum poteſt, vt animis eruditione imbutis, & communi honeſtate, nihil penitus quod ſit ea deſtitutum placere poſſe videatur. Itaque nobiliſsimus & antiquiſsimus Hippocrates medici officium excellenti prudentia iu-*
Hippocr. de offic. med. ſect 6. *dicióque deſcribens, eum iubet* ἔργα πάντα ἀσκέειν εὐρύθμως, in opere omni verſari apta & concinna totius corporis motione. *Imo etiam deligationem ipſam membri debilitati & malè affecti, adhiberi cupit* εὐρύθμως, *cuius videtur paulò pòſt rationem reddere,* εὐρυθμίη ὁρῆσθαι ἡδέως, *quod iſtiuſmodi concinnitas incredibilem ſuauitudinis ſenſum intuenti pariat.*

Hoc igitur humani generis bonum & politæ humanitatis perfectio, ſi in homine eloquente reperiatur, cerno iam animo, quanto præſidio ſit munitus & comparatus ad omnium beneuolentiam
Cic. in Brut. *conciliandam. Sciè M. Tullius,* Et ſplendore, *inquit*, vocis, & dignitate motus, fit ſpecioſum & illuſtre quod dicitur. *Quare Sidonius Apollinaris Claudianum Mamertum ſingulari doctrina virum & præſtanti mentis excellentia præditum laudans, hanc iucundæ humanitatis partem non omittit, cùm illum ait*
Sidon. l. 4. ep. 11. non ſine ſchematis cuiuſpiam geſtu artificioſo, *doctrinæ ſuæ opes erogare & loqui ſolitum. Hinc ſæpe factum, vt qui temerè ad dicendum proſiliiſſent, ſine copia & ornatu orationes, & grauiorum rerum cognitione, tamen geſtuum elegantia & venuſtate, dictionis inopiam ieiunitatémque obtexerint. Non eſt profectò leuioris id momenti, & vt aiebat Lycei dominus* φορτικόν, *quod natura & tacita hominum vox prædicat in hominum commercio eſſe maximum, & in agendo expetendum.*

Actio mores prodit. *Quod etiam liquidiùs apparebit, ſi cogitemus motum & actionem abditos mores atque animi affectiones prodere, nihilque eſſe procliuius, quàm vt è geſtu vitioſo & deformi, aut imperitum aut flagitioſum animum iudicemus, quod ſanè minimè eſſe negligendum, niſi diuius à ratione nemo non videt. Eſt enim aureum il-*
Fab. l. 11. c. 3. *lud Quintiliani Oraculum propylæo Apollinis dignum*, Mores ex voce atque actione perlucere. *Quod longè prius qui omnes ingenio & ſubtilitate anteiuit Ariſtoteles ediderat, cùm in libris de*

Ariſt. l. 4. Ethic.

moribus ita ponit, τὰ ἤθη ἐκ τῶν κινήσεων κρίνεσθαι, mores hominum, corporis geſtu prodi & ſignificari. *Rex Sicyoniorum Cliſthenes vir ſapiens cùm de procis filiæ ſuæ Athenienſem vnum vidiſſet Hippoclidem, incondita & indecora motione corporis vtentem, argutè omninò dixit illum* ἀπορχήσασθαι τὸν γάμον, indecoro ſcilicet motu nuptiis excidiſſe, *cùm externo è geſtu animum etiam intemperantem, non concinnum, minus compoſitum fore iudicauiſſet: quippe vt ait in eius rei commemoratione Athenæus* ἐν ὀρχήσει καὶ πορείᾳ, καλὸν μὲν εὐσχημοσύνη καὶ κόσμιος, αἰσχρὸν δὲ ἀταξία καὶ φορτικόν, in ingreſſu motúque pulcher eſt ordinatus & honeſtus corporis habitus, vt contra inconditæ motiones odioſæ turpeſque ſunt & inuenuſtæ. *Sic D. Ambroſius ſanctiſſimi iudicij vir, atque acerrimi, qui momenta officiorum omnium æqua lance ponderabat, vix adduci vnquam potuit, vt quendam alioquin amicum & plurimis officiis commendatum in Clerum admitteret,* quod geſtus eius plurimum dedeceret, *hac enim verba illius ſunt de ſe memorantis. Itaque eruditiſſimus Hieronymus Eccleſiæ ſanctæ lumen non dubitauit aſſerere, verum Chriſtianum modeſtia ornatum & religione, geſtu cognoſci,* Licet, *inquit,* ſermone taceant, habitu loquuntur & geſtu. *Ita enim perſuaſum fuit omnibus* τοὺς ἀσχημονοῦντας, *vt plurimum eſſe vitioſos & ab officio abhorrentes, nec virtutem animíque conſtantiam, cum impudenti leuitate aut temeritate poſſe conſiſtere. Quæ cauſa fuit, cur Lacedæmonij, vt doctiſſimi viri notarunt, in bello ad tibiam procederent,* ἵνα τοὺς δειλοὺς ἀσχημονοῦντας γινώσκωσι, *quod nimirum vbi timor eſt aliáque animi perturbatio, vix decorum in motu retineri poſſit.*

Athen. l. 14.

S. Ambroſ. l. 1. offic. c. 18.

S Hieron. l. 2. in Iouin.

Ariſt. in Problem. Gellius l. 1.

Inuenuſti in agendo irriſi.

Quoties putamus propter vitioſam actionem atque motum, oratores fuiſſe ab æmulis irriſos, à corona illuſos, & cùm aurea dicerent, plumbeos ipſos fœneóſque exiſtimatos? Memini Demoſthenis, quem propter ſolutum geſtum & ſtuporis atque nequitiæ plenum nominauere Battalum; *itaque illum Aeſchines pro concione ſæpius, plurimorum approbatione illuſit, cùm eius* ῥήματα *&* σχήματα *contumelioſiſſimè imitaretur, vt eſt in oratione de Corona. Adrianus qui poſtea orbis terræ imperium moderatus eſt, cùm in Senatu Quæſtor Imperatoris Traiani orationem agreſtius pronunciaret, à grauiſſimo illo purpuratorum patrum conſeſſu irriſus fuit. Euenit ei feliciter ignominia: nam cùm deinde ad oratoriam*

Spartian. in Adrian.

dicendi laudem toto animo incubuiſſet, ita in vtriúſque linguæ facundia enituit, ita geſtu & pronunciatione fuit politus, vt cum magnis in dicendo Sophiſtis qui laude omnium prædicabantur, ſæpe victor & triumphans contenderet.

Non poſſunt non vt verè ſunt hæc videri maxima ad decori motus commendationem, qui eloquentes commendare ipſe poteſt, & gratia mirifica & autoritate ſuper locutuleios attollere. Quibus hoc addam ad extremum, probam & artificioſam actionem ita eſſe neceſſariam, vt abſque illa nomen oratoris atque munus ſuſtinere nemo queat. Eſt omnino ad fidem faciendam neceſſaria, & vt verè non fictè & ſimulatè agere videamur, quæ vna res in grauioribus maximè cauſis dominatur. Certè Plinius Traianum laudans, in eius Principis oratione nihil fucatum aut malitioſum fuiſſe, è pronunciandi modo probabat, cuius eloquentiſſimi hominis verba lubet hic apponere, Equidem hunc parentis publici ſenſum cum exhortatione eius, tum pronunciatione reſpexiſſe videor. Quam enim inaffectata veritas verborum? quæ aſſeueratio in voce? quæ affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, geſtu, toto denique corpore fides? *Quod ſi princeps in oratoris officio meritò iudicatur, incendere audientium animos, & ad quemcunque cauſa poſtulat motum adducere, quid potentius in ea re cogitare poteſt quàm vox, quàm geſtus, quàm totius corporis motus, quàm ardor ſpiritus & dicentis contentio? quoties erepta cauſa eſt de manibus, propter oratorum inſcientiam & præpoſteram agendi rationem, quibus eſt Muſica in luctu, in gaudio ſeueritas, tragœdia in nugis, & in pacatis rebus furioſa manuum iactatio? quos videre ſæpe eſt in iracundia ludentes, ſimulare grauitatem in mollitie & corporis effœminatione, qui ne quidem in importunitate immanium ſcelerum amplificanda, ſupplodere pedem queant, qui denique ſolœciſmum in geſtu admittant. Quis ignorat quanta ſit nonnunquam orationis varietas & diſſimilitudo, cùm modo ſint animi Iudicum à lenitate ad ſæuitiam traducendi, modò reuocandi ad miſericordiam, ſpes interdum, poſtea metus generandus: ſolandi audientium animi, aut lætitia & nimio gaudio triumphantes in gyrum modeſtiæ compellendi, animandi ad conſciſcenda fortia, deterrendi à temeritate: quæ omnia partim contraria, partim etiam diſſimilia, varios vultus & dicentis pronunciationem geſtúmque deſiderant. Hac igitur*

ſubito

Neceſſitas bonæ Actionis.

Pliu in Panegyr.

Digitized by Google

ſubitò fieri, hæc variè commutari, prout ingenioſi hominis cogitata ratio poſtulat, ſine ſummo & recondito artificio, ſine vſu prope quotidiano, ſine exercitatione poſſunt? Itaque iactent illi noſtri repentini & tumultuarij Oratores, quantum volent, naturæ vim & geſtuum facilitatem, quos ratio, & effata magnorum ſapientum, & experientia quotidiana refellit: ego pretium me operæ facturum putaui ſi adoleſcentiam excitarem, vt in id ſtudium diligentiſſimè incumberet, ſine quo pulcherrimæ alioquin & elegantiſſimæ orationes, vt ſpecioſum cadauer, in tenebris ſine vita & motu abiiciuntur. Sed ne diffluam hæc ſufficiant: nam de oratoriæ quidem actionis dignitate atque præſtantia, déque incredibili neceſſitate ad eloquentiæ decus obtinendum, in Dialogis qui ſequuntur, erit ſæpius & neceſſariò dicendum.

Digitized by Google

ELOQVENTIAE
STVDIOSO MONITVM.

STVDIOSE Adoleſcens, hoc te opus intuetur, quod fructuoſum atque vtile tibi iudicabam, ſi duo haberet, quæ in pleriſque de philoſophia libris déque eloquentia M. Tullius ſequi ſolet, *Præcepta* videlicet clara vſuique futura, & *Diſputationes* non ineruditas. Et præcepta quidem hic habes non tenuiter à me poſita, ſed doctorum hominum eruditione illuſtrata: habes & diſputationes aliquando longiores, quas ad dicendi quandam exercitationem eleganti varietate condire ſtuduimus. Sic feciſſe video magnos viros, qui velut in ſcholaſtica materia ingenio & dicendi vi volitantes, in quibuſdam artificioſè ornandis amplificandíſque rebus operam ſuam poſuerunt. Quod imprimis de ſe confitetur doctiſſimus idémque ſanctiſſimus Hieronymus, qui arrepta ad dicendum materia, eximias diſputationes *ſcholaſtico*, vt ipſe ait, *flore* depinxit, vt illa eſſent curricula mentis honeſtiſſimis ſtudiis imbutæ, & legentium ad decus & laudem inuitamenta. Huiuſmodi ſunt Diſputationes quædam noſtræ in hoc Opere, quæ ſi tibi lon-

Digitized by Google

giores videbuntur, & eo nomine ſubitò abiicien-das putabis, facies tu quidem quod multi: ſed ſi non prius eas damnaueris, quàm quales ſint intelligas, quòve conſilio explicatæ, facies quod prudentes & modeſti ſolent. Atque hoc te monitum paucis volebam.

FACVLTAS R. P. PROVINcialis Societatis IESV.

STEPHANVS CHARLETVS *Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco, facultatem concedo, vt* P. LVDOVICI CRESOLLII *è Societate* IESV *Sacerdotis* Vacationes Autumnales, ſiue de perfecta Oratoris Actione & Pronunciatione Libri, *eruditorum ex eadem Societate noſtra virorum iudicio probati, typis excudantur, cum adiunctis Orationibus. Datum Pariſiis 16. Iunij, anno M. DC. XIX.*

STEPHANVS CHARLETVS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII S. CAESAREAE Majeſtatis Vicarij.

FRIDERICI V. diuina fauente clementiâ Comitis Palatini Rheni, Sacri Rom. Imp. Electoris & Archidapiferi, in partibus Rheni, Sueuiæ & iuris Franconici Prouiſoris & Vicarij, Ducis Bauariæ, Comitis Veldentiæ & Sponheimenſis, diplomate cautum eſt, ne quis *Vacationes Autumnales, ſiue de perfecta Oratoris Actione & Pronunciatione Libri tres, adiunctis Orationibus*, &c. citra conſenſum ac voluntatem Sebaſtiani Cramoiſy Bibliopolæ Pariſienſis Iurati, intra Sacri Rom. Imperij fines, imprimat vel alibi impreſſum adducere & venundare audeat per integrum decennium, ſub pœna decem marcharum auri, prout in originali pleniùs exprimitur. Perſcriptum Heidelbergæ, vltima die Iunij, anno Domini 1619.

FRIDERICVS *Comes Palatinus Rheni*, &c. *ſacri Romani Imperij Vicarius.*

Ioannes Chriſtophorus de Grun Elect. Palatinatus Cancell.

Ad mandatum ſereniſſimi Domini Vicarij proprium.

SVMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi authoritate conceſſum eſt Sebaſtiano Cramoiſy Bibliopolæ Pariſienſi Iurato, typis mandare, & venalem habere librum qui inſcribitur, *Vacationes Autumnales, ſiue de perfecta Oratoris Actione & Pronunciatione Libri tres, adiunctis Orationibus*, &c. aliiſque cuiuſcumque conditionis interdictum eſt intra decennium, vt patet in diplomate Regio dato Turoni 6. Iulij 1619.

Subſignato, RENOVARD

VACA-

VACATIONVM AVTVMNALIVM

LIBER PRIMVS,

Qui παρασκευὴν principis Diſputationis, & honeſtam Philologorum ruſticationem continet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Προσωπογραφία. An vlla iuſta & legitima vacationes. Ἡσυχία καλόν. Ἀθλίων. Labos τῆς εὐδαιμονίας opifex.

CAPVT I.

DVo fuerunt lectiſſimi Adoleſcentes, quos in patriæ ſuæ Lyceo, clariſſimo domicilio literarum, Muſæ gremio ſuo aluerant. Ambo nobiles & honeſta familia nati, quique vigilias, curas, cogitationes in ſtudio ſapientiæ defigerent, vnáque virtutis gloria & dignitate caperentur. Nec parentes vlla ratione dubitabant, fore illos aliquando familiæ decora, patriæ lumina, quorum notus modeſtiæ ſplendor iam non dubia hominum cõmendatione effloruiſſet. Natu minor IVVENTIVS nominabatur, qui biennium iam in eloquentiæ ſchola poſuerat, ſanè ſplendido politóque ingenio, quod à curſu ſtudiorum & honeſtiſſima contentione, nullius vnquam moleſtia diffi-

Digitized by Google

cultatis auocabat. Alteri VICTOR nomen fuit: hic cùm ætate foret maturior, & iam è dumis ſpinetiſque Dialecticæ euolauiſſet, longéque fuſam naturæ immenſitatem, orbium cæleſtium globos, mundi varietatem animo comprehendiſſet, Philoſophiæ iam beatum colophonem imponebat. Ad hunc venit aliquando Iuuentius, cùm ſcholæ publicæ iam dies aliquot de more ſiluiſſent, triſtis vt videbatur, & paulò etiam quàm ante conſueuiſſet moroſior. Ecquando inquit, Victor, hæ Vacationes interminatæ finientur? Fateor enim tibi amiciſſimo ſocióque meorum conſiliorum, propè abfuit, quin Doctorum noſtrorum indiligentiam, laborúmque fugam reprehenderem, qui nos tam diu hoc inerti ocio planè cõfici debilitarique ſinant. *Otium ſine literis mors eſt, & viui hominis ſepultura*, ait verè ſapientérque Seneca: cur igitur in hoc flore iuuẽtutis efferimur? Cur vitali motione ſpoliamur? Nam me quidem longiſſimè abeſſe video ab ea monitione magni viri naturæ interpretis, qui ad res duas nos potiſſimùm eſſe natos aiebat, ad intelligendum & agendum, non mi Victor, ad otiandum & ſtertendum, in quibus tamen beati iam adoleſcentes conſeneſcunt. De quibus mecum ipſe cogitans videbam ea diuinitus fuiſſe dicta ab Oratore, quæ libris de Officiis poni meminiſti, *non ita nos à natura fuiſſe generatos, vt ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potius & ad quadam ſtudia grauiora atque maiora*. Verùm illæ aureæ ſententiæ præſtantiſſimorum virorum, non modo iam è moribus, ſed è muſeis quoque longiſſimè exterminantur.

Senec. ep. 82.

Cic. l. Offi.

AD hæc Victor, Nouimus tuum Iuuenti animum, nimium quantùm eruditionis auidum & doctrinæ: anni propè ſingulæ tibi ſunt horæ vacationum, & qui dies ad honeſtam recreationem cæteris tribuuntur, tu eoſdem ad laborem & exercitationem ſoles conuertere. Sed vt cum magno Tertulliano loquar, *Hæc & annona & ocia ab imperio nobis & à cælo*: nec profectò eos qui tua ſtudia moderantur ex eo potes arguere, quin ſimul Veterum omnium ſapientiam & conteſtatam opinionem repudies & conuellas. Tu ſcholam cogitas atque ſtylum, & laborioſi animi functiones: ergone tibi excidit, quod ſuauiſſimè dictum à Poëta Gallo memini?

Tertul. de Pall. c. 1.

Auſon. ad Paulin.

---grato Schola nomine dicta eſt

Iuſta laboriferis tribuantur vt ocia muſis.

Tuum ſæpe Demoſthenem manibus neque oſcitanter peruolutaſti, cuius ſanè diſerti hominis vocem, & oraculum veritatis licuit excipere, de hac ipſa re præclarè loquentis, nam eius illa verba ſunt atque ſententia, ἔςι γὰρ, ἔςιν ἡσυχία δικαία καὶ συμφέρουσα τῇ πόλει, *eſt enim, eſt otium Athenienſes; iuſtum & vtile reipublicæ*, adderem ego & neceſſarium, nam vt ait verè Poëta, *Quod caret alterna requie durabile non eſt:* nec omninò fieri poteſt vt animus tanquam arcus intentus in perpetui laboris contentione verſetur. Quare Amaſidis in Ægypto Regis prædicatur ab Herodoto ſapientia, qui cùm primam diei partem in grauiſſimis negotiis conficiendis poſuiſſet, pomeridianis deinde horis ad omnem animi remiſſionem ſolebat deſcendere. Cúmque illam Regis magnanimi conſuetudinem viri principes haud obſcuro conuitio peterent, tantùm non ea Romani Vatis obiiciebat,

Demoſth. de Coron.

Ouid. Ep. Phædr.

In Euterp.

Ouid. ibid.

Arcus & arma tua tibi ſunt imitanda Diana
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

Neque verò leuium duntaxat hominum fuit hæc opinio, ſed eorum qui apices quidam ſapientiæ, & maiorum gentium fuere Philoſophi, qui omnes vna voce & conſenſione mirabili, ἡσυχίαν hanc δικαίαν comprobauerunt. Occurrit mihi iam quidam phyſicus Anaxagoras, qui ab excellenti rerum cognitione *Mentis* cognomen tulit. Hic cùm propter ſingularem ſapientiam & exiſtimationem variis honoribus frui poſſet, qui ſumma omnium ciuium voluntate illi deferebantur, hoc vnum ſibi concedi voluit, vt quo die ab hac vita ad heroum conditionem migraret, pueri feriarentur, neque vllus eo die adoleſcens ſcholam & Gymnaſium peteret. Quo facto nobis quidem ſuſpiciendo & amando, quid de Vacatione ſentiret, in omnem conſequentis æui recordationem poſteritati reliquit. Ab eius S[illegible] prodiens lum[illegible] Græciæ magnus vir Pericles, maiorum [illegible] in eo plurimùm efferendam eſſe putat, quod ſubt[illegible]adóque iudicio excogitarint τῶν πόνων ἀναπαύλας [illegible] labores recreandi animi rationes, vt memini Thucydidem [illegible]memorauiſſe. Socratem ferunt eum quem Philoſophiæ [illegible] & ſapientiſſimum totius Græciæ, diuinæ & humanæ [illegible]teſtificationes prodiderunt, vacuum tempus arripe-

Plutarc. in præcept. polit. Laërt.

Thucyd. l. 2.

Xenoph. in Sympoſ. Laërt. l. i.

re ſolitum cùm diceret, *Ocium omnium poſſeſſionum eſſe optimam.* Etiam meus Ariſtoteles cuius pectus naturæ veluti armarium nominare iure poſſum, cùm eſſet laboris patiens officiique magiſter & honeſtatis, non dubitauit tamen in præceptis eius diſciplinæ, quæ eſt de moribus, hanc relinquere ſententiam,
4 Ethic. c. 14. δοκεῖ δὲ ἡ ἀνάπαυσις καὶ ἡ παιδιὰ ἐν τῷ βίῳ εἶναι ἀναγκαῖον, *Iocum & quietem, laborúmque remiſsionem in hominum vita per neceſſa-*
l. 7. polit. c. 14. *riam videri.* Et in mirabili illa politia quam diuino iudicio compoſuit, cùm humanam vitam diuiſiſſet εἰς ἀσχολίαν καὶ εἰς σχολὴν, negotium ad otium tanquam ad finem & præſtantiſſimum quiddam referendum eſſe aiebat. Et octauo libro conſe-
l. 8. polit. c. 3. quenti id tanquam in Sibyllæ folio ſcribi voluit, ὁ γὰρ πονῶν δεῖται τῆς ἀναπαύσεως. Familias denique excute hominum ſapientum, hunc omnes animorum ſenſum, hoc conſilium, hāc vnam mentem habuiſſe comperies. Stoici fortaſſe in hac re duriores videantur, qui fines officiorum omnium longiùs paulò quàm natura pateretur etiam proferebant: ſed eorum tibi
Epiſt. 15. ſententiam Romani Imperij ſplendor Seneca illuſtrabit, qui vnà te cum Lucilio ſuo ſic affatur: *Non ego te iubeo ſemper imminere libro aut pugillaribus, dandum & aliquod interuallum animo, ita tamen vt non reſoluatur, ſed vt remittatur.* Itaque Iuuenti, in illo tuo inerti ocio vt appellas, quod diuinam particulam auræ, & viuidum tuum ingenium ſolo affligit, cenſeo hæ doctorum hominum ἐπῳδαὶ, καὶ λόγοι θελκτήριοι, vt cum Euri-
in Hippol Act. 1. pide loquar, mœrorem tuum leniant: Et ſi quando te ſciendi illa innata & inſatiabilis cupiditas æſtu quodam ſuo corripue-
Laert. l. 1. rit, obuerſetur animo clariſſimum illud effatum, quod Spartanus olim Chilo vt κυρίας δόξας reliquit Ἡσυχία καλὸν, *Pulchrum & honeſtum eſt animi laxamentum.*

Non ego, inquit *Iuuentius*, omnem è vita & moribus ceſſationem eiiciendam exterminandámque aio. Scio multos aliorum imperio autoratos duriſſima conditione viuere, cùm ad nutum arbitriúmque ſeruiant, de die de nocte magnos labores excipiant, quotidiani muneris functione & aſſiduitate frangantur, quibus omninò tribuendam eſſe aliquam remiſſionem, ipſa communis hominum natura ſignificat. Alij etiam in moleſtiſſimis reip. negotiis, vt communi in piſtrino tenentur, qui ſemper excubant animo, nec partem vllam quietis ca-

Digitized by Google

piunt, dum vt Herculi nouæ in dies ærumnæ obiiciuntur. Illi ne dum maximis & operoſiſſimis curis premũtur, diuturnitate opprimantur, cenſeo vſuram vacui & liberi temporis aliquando capiant, & vnum diem aut alterum quieſcant. Nos autem qui in hoc liberali & honeſto curriculo ſtudiorum volitamus, quid eſt quod affligere poſſit vehementiùs, & animi contentionẽ infringere? quid potius non eſt in magna varietate gratum & iucundum? Imus in Collegium bis quotidie, aliquot ibi horas fructuosè ponimus, Doctores noſtros viros in dicendo perfectos, de rebus lætis & humaniſſima voluptate refertis copiosè diſſerentes audimus, inquirimus, reſpondemus, in vtramque partem diſputamus, commentamur, dicimus, pronunciamus. Domi in muſeis ſimilia penè facimus, ſtylum exercemus, memoriam excolimus, noſtris aut alienis ediſcendis: nunc aureo illo flumine præſtantium Oratorum liquida lætitia perfundimur, nunc ad ſcripta Poëtarum diuertimus vt honeſtæ voluptatis officinas, vbi non ſolùm mele ſed & mella: Nunc Perſarum magnificentiam inuiſimus, & purpuratorum eum gregem Medicea ſtola inſignem, & Immortalium apparatum: cum Græcis modò, modò cum Romanis agimus, vim, copias, arma, leges, politiam denique vniuerſam intelligimus. Hæc omnia, Victor, legi, hæc cogitari ſtudioſiùs, hæc ſcientia & cognitione comprehendi ſine ſumma lætitiæ voluptate poſſunt? Audi Syneſium in omni ſcientiæ genere ſummum, cui potiùs quàm mihi fidem habiturus es. Muſæ, inquit, vbi ſudore perfuſos animos viribus præ laſſitudine defectam naturam animaduerterint, benignè ſtatim reuocant: móxque Calliope ſqualidos, ac ſiticuloſos excipiens, *αἰέπαυσέ τε εἰς αἰθηρὰς ἀγαγοῦσα λειμῶνας*, *in florida prata perductos recreat, ne laboris ægritudine conficiamur, lautiſſimúmque & adiiciale conuiuiũ inſtruit Atticis veneribus ac poëticorum lenociniorum venuſtate refertum, quibus primum exhilarat, tum occultè ſtimulat & paulatim quodammodo animum conuertit, demum ad idem certamen accingit*. Quare ſapienter, mea quidem opinione Græci Ἀθρηνίον Muſarum locum appellant, id eſt ſine fletu, ſine dolore, incredibili voluptatis copia circunfluentem. Syneſ. in Dion p. 51.

Sed habeant ſanè pueri ſtatam & penè dicam legitimã ceſſationẽ; eſt vnus dies quot hebdomadis Diuæ Heſychiæ feliciſſi-

Digitized by Google

nis auſpiciis cõſecratus: demus lãguiori atque inertiæ noſtræ, vt nõ fruſtra, ſed neceſſariò illę inductæ feriæ videantur: Hanc verò pluriũ dierũ vacationem, quis eorum, quos tu paulò ante nominabas, Philoſophorũ induxit? qui ante hoc æuum clari & excellẽtes doctrina viri approbauerunt? quis potiùs non vt peſtẽ adoleſcentiæ, non vt certam communis rei perniciem, non denique vt teterrimum auſpicium ſtudioſorum eſt auerſatus? Nꝰ; Anaxagoras facultatem otioſi temporis dari adoleſcentulis voluit, ſed vnius diei tantùm: Seneca tribuendum cenſet aliquod interuallum animo, ita tamen, *vt non reſoluatur, ſed vt remittatur:* habuit credo ante oculos atque in memoria dictum Veterũ ſapientum

Ῥήγνυσθαι σοφίης τόξον ἀνιέμενον.

ſtudiorum & ſapientiæ rumpi arcum, ſi relaxetur. Nunc autem nouitium hoc inuentum continuæ vacationis, qua ingeniorum noſtrorum aciem hebeſcere videmus & languere, inertiſſimum & deſidioſiſſimum otium inuexit ſtudio inimicum & honeſtati. Incidi nuper in ſodalium meorũ turbam, quid dico nuper? quotidie & omnibus pænè horis incurrunt in oculos adoleſcentium greges, tenues reliquiæ communis naufragij ſtudiorum, quod ea malacia vacationum importauit: qui cùm antea ad omnem modeſtiam informati in officio continerentur ſuo, monitis obedientes, comes & benigni, amantéſque pietatis: nunc elati, vagi, & petulantes, ſic fu enter ſeſe in ludum, & voluptatem ingurgitant, vt conſtringendi videantur. Tum mihi in mentem venit M. Catonis quo viro neſcio an priſca ætas pręſtantiorem vllo in genere tulit, qui cùm eſſet conſilij ſpecimen, diuinæque moderationis, & naturæ humanæ vitia diuturno vſu cognouiſſet, id grauiſſimè aliquando pronuncia-
Agellius. uit, *Nihil agendo homines diſcere vt malè agant.* Cenſorem grauiſſimum hominem ferunt acris iudicij & ſummæ autoritatis, in eum ciuem animaduertere voluiſſe, qui ſtans in iure, vago & ſoluto animo clarè oſcitauiſſet, quod ſignum id eſſe videretur pigri & inertis, & ab officio alieni: iámque pœna grauis & acerba comparabatur, niſi homo non dubiis autoritatibus probauiſſet, eo ſe vitio, quod oſcedo nominatur, vrgeri moleſtiùs. Quid hîc dixiſſent viri illi ſapientes, aut quam virgulam cenſoriam adhibuiſſent, ad caſtigandam hanc iner-

Digitized by Google

tiam oſcitantis & ſolutæ Academiæ, vbi videas plures olim μουσομανοῦντας, nunc ſomno & ignauia gloriantes? Itaque mihi optandum eſſe videbatur in hac tanta nugarum licentia, mollitiéque iuuentutis, hic aliquis Piſiſtrato ſimilis exiſteret, cuius inuentum ſane vtile & gloriandum Ælianus monumentis ſuis mandauit. Is enim ſummo imperio fretus, cùm ciues benè multos videret in foro vacuis animis deambulantes, iuſſit omnes ad ſe venire, & his quidem frumenti copiam perbenignè de ſuo donauit, in quo ſerendo deinceps occuparentur, aliis equos, aliis alia diſtribuit, quibus in opus quotidiana functione incumberent, cùm timeret, ne leues animi & ſuo nutu ad ſeditionem imminentes, diuturna ceſſatione, ad fraudes, & nefaria conſilia, proditionéſque impellerentur. Quid aliud expectari ab iis poteſt, quorum feraciſſima ingenia in hilaritatem funduntur liberius, reiectis artibus, delectis inertiis, dum quiſque pro duce habet iuuenilem cupiditatem? dum vt verè Poëta canit. Var. hiſt. l. 9. c. 25.

---amant longa otia culpam? Auſon. ad Paulin.

Hanc arcem nequitiæ temerè geſtientis defendes Victor? ad eam tuendam clariſſimorum hominum præſidia aduocabis? Etiam me paulò antè cum Auſonio ludens Scholæ nomen iubebas excutere. Quàm tu mihi χολὴν narras? quam obtrudis? ſi futilem, vanam, laſciuientem, ſi denique noſtram hanc ἀργίαν; abiudico atque repudio, de qua velim quid Poëta Sophocles, inflammatione animi elatus protulerit, mecum recognoſcas. Eſt enim illius hoc effatum.

Τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν ἀργία χολή.

à languida remiſſione plena temeritatis & inaniſſimæ ignauię, nihil boni fieri vnquam, gignique potuiſſe. Imò verò cùm præpotens ille ſapiénſque rerum ædificator Deus hominum actiones moderari ſoleat, ait tamen eum τοῖς ἀργοῦσι *otio diffluentibus non adeſſe*. Quæ ſi tantùm à prophano dicerentur & tenebrione, qui nullam fidei lucem aut arcana cœleſtia nouiſſet, cuipiam fortè aut probabilia minus, aut ſuſpecta forent: ſed habemus diuinas paginas teſtimonia veritatis, in quibus hæc eadem perſpicuè continentur. Audi vnum, non de multis vnum, & τῶν τυχόντων, ſed Sapientem, *Multa*, inquit, *mala docuit otioſitas*. O ſuauiſſimum improbiſſimúmque doctorem!

Digitized by Google

à quo facilè & maxima voluptate leuiorum hominum animi peſtiferis conſiliis imbuuntur? Probáſne verò vt in huius diſciplinam magiſtri nos demus, à quo mala eaque benè multa doceri vides? quanquam neſcio an ianua patefacta, & conſuetudinis aperto introitu, nos inuitos in hoc infame auditorium inuites & coniicias. Video enim vos Philoſophos, qui tamen facem adlucere debetis, cæteróſque in curſu dirigere, plures habere dies ad otiãdum, quàm alios, qui manſuetiores colunt muſas, & ſtudiis humanitatis ſeruiunt. In quo neſcio plúſne dedecoris ſit quàm incommodorum. Mihi quidem longè æquius atque honeſtius fore videbatur ſapientiæ candidato, in ore animóque habere dictum illud ſapiens magni quondam

Capitolin. in Maxim.

Imperatoris, *Quo maior fuero tanto plus laborabo*: preſertim cùm ſcias diuinitus pronunciatum à Cyro ingenij laude gloriáque præſtanti, *labores atque exercitationes à diuina mente hominibus*

Xenoph. l. 7. κυρο.

conceſſas, *vt* τῆς ἐλευθερίας ὄργανα καὶ εὐδαιμονίας instrumenta liberæ felicitatis & feliciſſimæ libertatis.

Diluta ea quæ dicta in Vacationes. Omnis cognitio laborioſa. Feriæ vindemiales, ſtatæ anni induciæ. Aeſtiuarum ludus. Omnes olim Heſycho Deo & Vacunæ litarunt.

CAPVT II.

HÆc cùm dixiſſet, paulum hærebat Victorem aſpectans, & vt erat feruido ingenio & abundanti, in quo etiam iuuenilis quædam redundantia notaretur, multa erat additurus è penu ſapientum, è legibus nationum atque moribus, quibus damnatum & profligatum eſſe otium conſtabat, quod tamen in ea longa vacatione ſanciri videbatur. Sed occupans Victor, Video, inquit, te Iuuenti, huc paratum veniſſe, vt non modo Vacationi bellum, ſed mihi quoque Philoſophiæque indiceres, quam inertiæ fœdíque otij penè dicam inuentricem eſſe voluiſti. Laudo animi tui conſtantiam, & illam tuam in dicendo vbertatem multò antè cognitam: ſed mihi dabis hãc veniam & concedes, vt amicè hoc profitear & ingenuè, te

Rhetoricè

Digitized by Google

Rhetoricè & oratoriè quidem dixiſſe, hoc eſt veriſimiliter, ſed parum ſapienter. Duo enim triáve capita fuerunt diſputationis tuæ: nam ſeruis tribuendam eſſe aiebas iuſtam aliquam remiſſionem, qui opere conficerentur: præterea nullum eſſe grauiorem laborem adoleſcentium, qui ſtudio humanitatis ſe dedidiſſent varietate pleno & oblectatione: ad extremum nouitium hoc eſſe inuentum continuæ vacationis, prioribus ſæculis inauditum, à quo omnes vita illuſtres atque prudentia abhorruiſſent. Quid horum eſt, quod non ipſius Philoſophiæ voce quam laceſſis, non eruditorum omnium vſu & teſtimonio refellatur? Nam id de ſeruis meus quidem Ariſtoteles falſum eſſe conuincet, qui diſertè & è communi omnium ſenſu pronunciat, οὐ σχολὴ δούλοις, *nullam ſeruis iuſtam & quaſi legitimam eſſe quietem operiſque vacuitatem*. Eſt noſtrum, eſt animi inquam ingenui & liberalis, negotiorum fluctus ita moderari, ne mens obruatur & ſubſidat, ſed ad nouum ſemper curſum vt recentis auræ acceſſione feratur. Nam quod ais ſtudioſos literarum exiguum laborem aut nullum ſuſtinere, nos videlicet omnes tuo ingenio metiris, qui in grata hiſtoriæ varietate, in Poëtarum illis delitiis, in violis veneribúſque oratorum, nimia geſtis voluptate & triumphas: neque ſentis eam ipſam quam impensè colis Mineruam, minuere neruos ſenſímque elidere, ni opportuna intermiſſione augeantur. Imus in Scholam, audimus, lectitamus, ſcribimus. In his igitur nihil eſſe grauioris operis, nihil laboris putas? Lætor me poſſe Ariſtotelem in medium producere, qui te vultu ſuo terreat, ſapientia opprimat, & refellat autoritate. Audi igitur magnum virum id breuiter & rotundè ponentem in Politicis, οὐ γὰρ παίζουσι μανθάνοντες, μετὰ λύπης γὰρ ἡ μάθησις, *haud ſane qui in doctrina haurienda inſudant vberi voluptate recreantur, eſt enim cum dolore iuncta diſciplina eruditioniſque perceptio*. Sed in libris de moribus ita copioſius, Ἀεὶ γὰρ πονεῖ τὸ ζῶον ὥσπερ καὶ οἱ φυσικοὶ λόγοι μαρτυροῦσι, τὸ ὁρᾶν, τὸ ἀκούειν φάσκοντες εἶναι λυπηρόν, ἀλλ᾽ ἤδη συνήθεις ἐσμὲν ὥς φασι. *Perpetuo enim labore fatigatur animans, vt etiam libri de natura ſcripti teſtantur, in quibus ſcriptum, videre & audire laborioſum eſſe ac moleſtum, ſed quotidiana conſuetudine fieri vt minus ſentiamus*. Si videndo, vt hic ait, hominum mens au-

l. 7. polit. c. 15.

Studia laborioſa.

l. 1. Polit. c. 15.

l. 7. Eth. c. 15.

diendóque fatigatur: quid fiet in omnium virium contentione, cùm vigilamus, cùm in aliqua re multum operæ ſtudiíque ponimus, cùm toto quod aiunt pectore in cogitationem incumbimus, cùm ſtylum acuimus, cùm enixè commentamur? Nec te noſtrorum Præceptorum capit miſeratio, qui vix vllam diurnæ aut nocturnæ quietis partem capiunt, qui duro & continuo labore franguntur? Nam memini doctiſſimi Auguſtini, qui cùm eſſet in eloquentia docenda occupatus, hoc quod tibi è memoria mea reddam conquerebatur, *Ipſa æſtate literario labori nimio pulmo meus cedere cæperat, & difficulter trahere ſuſpiria, doloribúſque teſtari ſe ſaucium, vocémque clariorem productiorémque recuſare.*

l.9.Confeſ. c.2.

Antiquitas Vacationum.

At nouũ hoc Vacationis genus eſt, & à doctis hominibus repudiatum. Sed cui vnquam mediocriter erudito hoc probare queas, quod in Europa, quod in Africa, breui dicam vbíque terrarum, ante mille & trecentos annos, verius ab omni hominum memoria fuiſſe in vſu videmus? Non lubet oſtiatim huius rei teſtificationes petere ab omnibus gentibus & populis, apud quos artium liberalium ſtudia floruerunt: duobus eloquentiæ doctoribus contentus ero, vt te auditorem eloquentiæ tam aſſiduum, tam ſtrenuum & laborioſum, tam etiam in aſſerendo audacem conuincam. Ante annos quos paulò antè non dicis cauſa, ſed ſtudio veritatis adferebam, viguit Carthagine, opinor in Africa Iuuenti, Celius Cyprianus ſingularis eloquentiæ doctor, qui ludum habuit, è quo multi in dicendo principes atque artium diuite copia ornati prodierunt. Is ſub autumnum ferias vindemiales memorat, his noſtris plane geminas, non vt tu forte ſuſpicari velis nuper excogitatas, ſed vt ipſe appellat *ſtatas & ſolennes*, quibus eruditionis alumni ad honeſtam remiſſionem dimitterentur. Inde ſi lubet nauigare in Europam, Mediolani reperiemus vrbe Italiæ doctiſſimis hominibus affluente Aurelium Auguſtinum, eiuſdem artis profeſſorem eximium, qui vt ipſe memorat de ſeſe, *vindemialibus feriis*, conſuetis Scholæ muneribus ſolutus, rus petiit villámque ſuburbanam, vbi cum ſuis honeſtiſſimo laxamento, & quiete, orbis terræ iudicio conceſſa meritiſſimo frueretur. Sed quos ego viros tibi nomino Iuuenti? quas vt iidem ipſi loquuntur *Gymnaſio-*

Confeſ.l.9.

Digitized by Google

rum cedros? quæ lumina literarum? quos iuuentutis ἐπισκόποις? quæ religionis decora? qui nimirum polita eruditione & optimarum artium ſtudio exculti, cùm in dicendi hac copia & Regina eloquentia ornanda perdiu elaborauiſſent, deinde rudem vltro capientes, eam quam præſtantem habebant cognitionem, & in docendo dicendóque elegantiam pietati conſecrauerunt. Illi te facundiæ ſimul & piarum ceremoniarum antiſtites coryphæíque docebunt, neque nouum eſſe hoc genus Vacationum, neque ab vna hominum natione cultum & exceptum. Cur tu verò nutu ſignificas mihi eſſe tabulis obſignatis agendum, quaſi tibi aut imponere velim aut poſſim? Sed non procul, & penè in manibus ſancti viri monumenta. Accipe igitur purpurei Cypriani aureum teſtimonium, quod in Epiſtola inſeruit ad Donatum, ſuum olim in Rhetoricæ profeſſione Collegam, à quo erat pro amicitia inuitatus, vt in eo publico otio, & Scholarum veluti Alcedoniis quidpiam de religione ſcriberet. Ita ipſe reſpondet, *Promiſiſſe memini, & reddendi tempeſtiuum prorſus hoc tempus eſt, quo indultis vindemiis, ſolutus animus in quietem, ſolennes ac ſtatas anni fatigantis inducias ſortitur. Locus etiam cum die conuenit, & mulcendis ſenſibus ac fouendis ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna conſentit*, & cætera. Neque verò duabus illis tum Africæ tum Italiæ vrbibus definitum hunc morem & vacandi conſuetudinem putes. Nam Romæ vnde mihi orta grauitas & ſapientia migraſſe in has oras occidentis videtur, præter ſaturnalia, Minerualia, cæteróſque dies ad quietem ingenuam conceſſos, à Iulio menſe ad Octobrem Scholas fuiſſe omnes feriatas, & ſtatiua illa caſtra humanitatis, te Poëta Cocus tanto ante ſi bene meminiſti ſubmonuit: nam profectò Epigrammatum illum argutum euoluiſti politíſſimque artificem, ſed remota fœce purum & innocuum, iam limatum, iam illibatum, cuius illa eſt ad Ludi Magiſtrum indictio. Epiſt. 2.

Albæ Leone flammeo calent luces, Martial. l. 10. Epiſt. 2.
Toſtámque feruens Iulius coquit meſſem.

Deinde concludit pulcherrimo dicto, quod in omnium Gymnaſiorum propylæis aureo ſtylo exarandum videatur.

Aeſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.

Quare Sidonius vir eximiæ autoritatis ſapienter Domitium reprehendit, *Quod anni calore maximo cùm per lineas ſol altatus extremas in axem Scythicum radio peregrinante porrigitur, pertinacia & duritie quadam animi docere perſeueraret*, & pueros prope enectos retineret. *Tu*, inquit, *diſcipulis non æſtu minus quàm timore pallentibus, exponere oſcitabundus ordiris Samia mihi mater fuit. Quin tu mage raptim ſubduceris anhelantibus anguſtiis ciuitatis*, &c. Fecit omnino longe humaniùs & alendo ingenio accommodatiùs Antonius Iulianus eloquentiæ olim Magiſter, Romæ omnium opinione celebratus, qui digrediens à ciuitate, cum auditoribus ſuis loco peramœno & iucundo *æſtiuarum ludum atque iocum in voluptatibus pudicis honeſtiſque cogitabat*, vt Agellius prodidit. Vbi vir doctus & Latinæ linguæ ſcientiſſimus *æſtiuas* meo iudicio nominauit ἁπλῶς ſtudioſorum vacationes, & hoc iuſtum & legitimum ocium Camænarum. Atque hinc factum eſſe quoque video apud veteres, vt qui annuo fere curſu in iure dicundo, labores ſuſtinerent aſſiduos & moleſtos, vix humano generi patibiles, eiuſdem penè modi ferias vacationéſque depoſcerent, réſque proferrent. Teſtis erit luculentus Romani fori cauſſidicus Minutius Felix, qui ſibi ad vindemiam ferias ait iudiciariam curam relaxauiſſe, & vt dicam cum Poëta magno,

Agell. l. 18. c. 5.

Vacationes fori.

in Octau.

Stat. 4. ſylu.

> *Tum pacem piger annus habet, meſſéſque reuerſæ*
> *Dimiſere forum.*

Teſtis & Patronus alter in cognoſcendis cauſis exponendiſque diligentiſſimus Plinius, à quo docemur, Iulio menſe lites interquieuiſſe, quo menſe choros etiam delicatæ iuuentutis ceſſationem ſtudiorum habuiſſe paulò antè audiebamus. Ipſi præterea grauiſſimi Senatores, qui è Curia templo æquitatis & omnium gentium arce, conſilio atque prudentia orbis terræ imperium adminiſtrabant, certos quietis otiíque dies habuerunt, vigiliarum & quotidianæ penè curæ leuationem. Ita Lælium & Scipionem narrat M. Tullius exempla imperij veteris, imagines antiquitatis, columina reip. ſumma elegantia & virtute viros aliquando ruſticari, & incredibiliter repueraſcere ſolitos, cùm rus ex vrbe tanquam è vinculis euolauiſſent. Atque ea de re fuit poſtea lex Imperatoria lata, quàm in Codice ad æternum monumentum hiſce verbis collocarunt.

l. 8. Ep. 21.

Vacat. Curiæ.

l. 2. de Orat.

Cod de feriis l. 2.

Digitized by Google

A decimo Calend. Septembriũ vſque ad Idus Octobris vindemiales feriæ concedantur. Quem locum alicubi tangens Themidos ille Myſtes elegantiſſimus Cuiacius, parem ait fuiſſe eorum ceſſationem, qui cum muſis haberent commercium, & ingenuarum artium contentione ſudarent. Quo referam id Epicteti viri prȩſtãtis & moderatiſſimi acroama, qui dicebat vulgò amare pueros τὸν τρυγητὸν καὶ τὰς ἀργίας, *vindemiam & vacationes.* Quinetiam illi iidem orbis vniuerſi duces & moderatores, qui nobis iura poſuerunt, quibus etiamnum vtimur, ad componendas luſiones partem ſuæ prouidentiæ deriuarunt. Itaque ſapiens illud dictum ſemper mihi vſum fuit Iuſtiniani ſummi Imperatoris. *Non enim bella ſolummodo benè ordinamus, ſed & res ludicras.* Sentiens opinor, id eſſe veriſſimum, quod eleganter ſcriptum eſt à Rhetore Sardiano, τὸ παίγνιον τῆς ἀρετῆς ἄξιον εἶναι λόγου, *ludentem virtutem ſeque honeſtè recreantem plurimi quoque faciendam videri.* Quo minus mirum videri debet ſi Orientis Imperatores cum eorum ceruicibus, tot gentium, prouinciarúmque negotia incumberent, ſolemni more triginta vindemiarum haberent dies, quibus remoti ab vrbe, delicatiſſima in villa ſummo otio & lætitia perfruerentur: & ne me putes iſta cõminiſci, proferam Gregorij Turonenſis locum de Imperatore Tyberio loquentis: *Procedente*, inquit, *eo ad villam, vt iuxta ritum Imperialem triginta diebus ad vindemiam iocundaretur:* vbi diſertè *ritum imperialem* id nominat. Audebis igitur deinceps Iuuenti aſſerere, quod erat in oratione tua poſtremum, magnos viros atque ſapientes ab hac noſtra animorum remiſſione abhorruiſſe? Imò verò quando non ingenij principes, autoritate & inſigni moderatione conſpicui, eas ſibi docti Poëtæ monitiones audiendas exiſtimarunt?

(Margin notes: to. 1. lib. de diuer. tẽp. prȩſcript. — Cod. de relig. & ſũpt. lib. 15. — Eunap. in Procem. — *Imperatorũ vacat.*)

Sed tu dum nimio poſſeſſa Hyperione flagrat
Torua Cleonæi iuba ſyderis, exue curis
Pectus & aſſiduo temet furare labori:
Et fontes operit pharetras, arcúmque retendit
Parthus, & Eleis auriga laboribus actos
Alpheo permulcet equos. Et noſtra fatiſcit
Laxaturque Chelys, vires inſtigat alitque
Tempeſtiua quies. MAIOR POST OTIA VIRTVS:

Poëtam vnum profero, ſed grauem & à ſummo ſecundum, cu-

ius non leue debet eſſe teſtimonium, & apud te autoritas, cùm eiuſmodi homines Prophetæ ſint tui & oracula humanitatis: ſed profectò nihil hîc dixit, quod non eodem prope curſu orationis magnus ſapiens extulerit, Senecam intelligo, cuius illud eſt dignum Pœcile axioma. *Omnibus quidem prodeſt ſubinde animum relaxare: Excitatur enim otio vigor, & omnis triſtitia quæ continuatione pertinacis ſtudij abducitur, feriarum hilaritate diſcutitur.* Cuius rei clariſſimum exemplum in Porcio Latrone ponit, qui cùm ſe ab otio reuocauiſſet, *tantis*, inquit, *viribus incumbebat in ſtudium, vt non tantùm nihil perdidiſſe, ſed multùm acquiſiuiſſe deſidia videretur.* Quo mihi Statius collineare viſus ad Marcellum, cùm ad ea quæ ſuperiùs memoraui hæc adiungit,

In procem. Controu.

Te quoque flammabit tacitè repetita parumper
Deſidia, & ſolidos nouus exultabis in actus.

Hæc honeſtæ quietis bona, hæc animi reuiuiſcentis commoda, & ad officia conſueta reuireſcentis opinor effecerunt, vt communi omniũ gentiũ conſenſu diuino cultu & ceremoniis otium conſecraretur. Romani quidem publicè *Quieti* fanum & auguſtæ religionis choragium dedicauerunt. Apud veteres Athenienſes *Heſychum* Deum otij præſidem & vacationis, ara & delubro & frequenti hominum ſupplicatione celebratum ſcimus. Lycurgus parens conſtantiæ & ſeueritatis θεῷ Γέλωτι, *Ridiculo* ſtatum & ſolenne ſacrificium inſtituit, cui propitio & fauenti ab omni hominum genere litaretur. In Latio *Pauſum* non de Semonibus aut Patellariis vnum, ſed præſtantem pollentémque Genium ritu maximo & diuinitatis opinione ducti venerabantur. In Sabinis thure & victimis & proprio cœleſtium honore *Vacunam* coluerunt, quæ vacantibus & otioſis præeſſe credebatur, quam eandem indigitabant *Victoriam.* Hac Dea M. Varro doctiſſimis ſuis monumentis reliquit, eos gaudere maximè, qui ſapientia vincunt, hoc eſt, me quidem interprete, Vacunam ſuauiſſimam eſſe cõſueuiſſe iis hominibus, qui perdiu ſumma contentione ad quærendam ſapientiam elaborarunt: hunc eſſe otij fructum digniſſimum, vt qui multis perfuncti moleſtiis ſtrenuè cum inertia bellarunt, ij compreſſis edomitiſque cupiditatibus, & difficultatibus magno animo ſuperatis, non modò lauream dignitatis in Capitolium, ſed o-

Vacationes religiosè conſecratæ.

Plutarc.

Arnob.

l.1.rer.diu.

Digitized by Google

leam quoque pacis & quietis in Vacunæ delubrum inferant. illud Pindari apud ſe reputātes, ἀλλὰ γὰρ ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ, *opere in omni dulcem & iucundam eſſe quietem*. Hinc Orator Æſchines, cùm poſt longas & odioſiſſimas ciuilium negotiorum tractationes fortuna & voluntate Rhodum vt in quietis portum appuliſſet, ἔθυε ἡσυχίᾳ καὶ μούσαις, *dulce & quotidianum ſacrificium Diuæ Heſychia & muſis offerebat*, vt memoriæ prodidit Philoſtratus. Itaque non iam miror, ſi omnium ordinum homines, ſacri, prophani, ſapientiæ præceptores, Reges, Dynaſtæ, magnanimi heroes, , ab æſtu grauium negotiorum & procella, in huius ſe Diuæ gremium & portum contulerint. Herculem eum, qui vt ſcribit Iſocrates, adhuc inter homines agens, τῷ θεοῦ ῥώμην ἔχε, *diuino quodam robore animi corporiſque præditus fuit*, non tamen ſemper vſum claua & ſagittis ferunt, ſed haud rarò cum pueris paruis luſitare conſueuiſſe. Et ne quis fortè miraretur eum qui ſe Iouis nobilem eſſe filium gloriabatur, latos humeros atque illas manus quæ horribilia monſtra confecerant, ad ludos pueriles abiicere, id reſpondebat quod Euripides homini memoriæ prodidit, Παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ, *Ludo, nam me laborum grata viciſſitudo delectat*. Qui ſi vires omnes voluiſſet vnas in ærumnas laboréinque profundere, prius mole trium aut quatuor negotiorum fuiſſet oppreſſus, quàm ad duodecim glorioſiſſimos triumphos venire potuiſſet. Cæſar Octauius, qui felicitatis numeros omnes expleuit in ſummo dominatu, *nunc talis, modo ocellatis nucibúſque ludebat cum minutis pueris*, quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat. Idē Socrates, idem faciebat Tarentinus Architas, vt ſcribit Ælianus, qui poſt graues ſeriáſque diſputationes de diis immortalibus, de diſciplina iuuentutis, de iuſtitia, de fortitudine, de modo rerum omnium, de fide & officio, déque aliis, ſine quibus ciuitates aut eſſe, aut bene moratæ eſſe non poſſunt, vt Hercules, ſic μεταβολὰς τῶν πόνων appetebat. Sed exemplorum plena quidem ſunt omnia legitimæ & honeſtæ recreationis animorum. Quid Medici? quid illi Appollinis filij πολλῶν ἀντάξιοι: an non modò non repudiandam eſſe dicunt operum ceſſationem, ſed eam potiùs ad tuendam vitam & valetudinem neceſſariam? Sane Hippocrates laborem morbum eſſe quendam exiſtimat, &

Neme. od. 7. antiſt. γ.

in Panegy.

in vita Æſchin.

Ælian. in Var. hiſt.

Sueton. in Octau.

lib. de flatib.

eius medicinam eſſe ἀπονίαν, *laboris vacuitatem.* Sed non ingrediar in eorum adyta, neque diligentiùs Æſculapij oracula perquiram, non attingam præſtantium hominum ſapientiam, qui multis olim voluminibus perutiles præceptiones de tuenda ſanitate reliquerunt. Theologos audi, ne tibi aliorum omnium leuior eſſe videatur autoritas. Me quidem capit & retinet D. Thomas, piè ſanctéque ſapiens, quo viro neminem ego ſtatuo, nec prudentia, neque acumine & ſubtilitate in diſputando, nec eruditione & copia maiorem, nec verò in tanta gloria ingenij, efflorеſcentiſque doctrinæ ſanctiorem. Hic Ariſtotelis vehementer probat eam opinionem, quam paulò antè ex ore meo audiuiſti, & cum ipſo εὐτραπελίαν agnoſcit ludi moderatricem, & in iocis animique recreatione, vt in cæteris humanæ vitæ officiis reperiri virtutem. Quod ne tantùm à prophano ſapiente ſumpſiſſe videatur, affert grauiſſimum teſtimonium diui Auguſtini, cuius nomen cùm audimus, non poſſumus non de præſtantiſſimo quodam, atque haud ſcio an omnium Theologorum ſapientiſſimo & perfectiſſimo cogitare. Laudat & Apoſtolorum exemplum, de quo etiam Caſſianus, qui cùm eſſent diuinæ mentis conſcij atque interpretes, ſeminatores, & quaſi altores eius religionis, quam in mundū Chriſtus inuexit, oſtendere voluerunt, hanc ingenui animi vacationem, non modò non à cōmuni honeſtate, ſed ne quidem à religioſæ vitæ ſanctitate alienam exiſtimandam, adeò verum eſt, quod muſa cothurnata pronunciat,

Quid Theologi & ſancti viri de Vacat.

22. q. 168. ar. 2.

Caſſian. coll. 24. c. 21.

Poſt multa virtus opera laxari ſolet.

Senec. in Herc. fur.

Itaque non puduit Gregorium Nazianzenum Attica eloquentia & ſanctimonia vitæ clarum, in conuentu & incredibili frequentia profiteri, ſe redire ἐκ τῆς σωματικῆς ἀνέσεως *à corporis relaxatione & quiete ruſticana*, ad honores cœleſtium martyrum annua lætitia celebrandos. Et alio quodam in loco ſibi hoc conſuetum fuiſſe ait, vt in littore inambulando, purpuraſcentium vndarum aſpectu, fluctuum commutatione mollique appulſu ad ripam, lapillorum, algarum, buccinarum mirabili varietate, iiſque tot ac tantis Oceani miraculis, laborum ſuorum magnitudinem eleuaret. Et ſanè diuinos Antiſtites ſuas quoque à cōcionibus vacationes habuiſſe, is qui ab aurea fandi copia Chryſologi nomen inuenit, ſat declarat, ſermonē quendā

Or. 18. in laud. S. Cyprian.

Or. 28.

Concionatorum vacat.

ſuum

ſuũ ita exorſus, *Quia ſolito plus ſeſe terris æſtus infuderat, diu tacui, ne compreſſio, quæ ex deſiderio naſcitur audiendi, ipſa nobis cynocaumatum generaret incendium: nunc vbi aërem tẽperies mutauit autumni, dominicum iuuante Domino reuocamur ad verbum.* Serm. 51. Syneſius doctus Cyrenenſis Antiſtes duabus ſe rebus diſtinguere tempus conſueuiſſe, παιδιᾷ καὶ σπουδῇ, *ludo atque ſtudiis*, candidè vt ſolet ingenuéque profitetur. Epiſt. 105. Sanctus quoque Nyſſenus Gregorius quaſi oraculum fundens dominantis veritatis ἀναγκαίαν τῇ συστάσει τοῦ σώματος εὔκαιρον ἄνεσιν, *tempeſtiuam remiſſionem ait eſſe ad corporis incolumitatem neceſſariam.* de opific. hom. c. 13. Cauſa etiam adfert, quod tandem membra animantis, continua illa intentione diſſilirent, penitúſque frangerentur. Quod ſi otium atque ludus nec ab heroïbus, quos deorum immortalium cognatione teneri aiebant, repudiatus vnquam fuit, nec à Philoſophis, qui orbis terræ iudicio habiti ſunt ſapientes: ſi à Regibus cultus, commendatus à medicis, à Theologia probatus, vſurpatus etiam ab iis, qui vitæ duces, ſigniferi pietatis, gloriæ adminiſtri, & lumina religionis viam nobis præiuerunt quàm ſequeremur, audebis Iuuenti, teſtium hac nube circunfuſus caput attollere aut mutire?

Hîc Iuuentius, Quædam, inquit, mihi in mentem veniebant quæ obiicerem, etiam è tuo Ariſtotele, qui ſane illud ſapienter, ἀδύνατον γὰρ τὸν μηθὲν πράττοντα, πράττειν εὖ, *Fieri non poſſe vt qui nihil faciat, agat bene.* l. 7. poli. c. 3. Sed ea continere malo, quàm vt prouocem hominem iracundum; eloquentiæ armis inſtructum & Dialecticum, qui frequenti repetitione ſubtilium argumentationum, vt gladium, ſic mentem exacuit ſuam ad aliorum dicta opinionéſque refutandas. Enimuerò quoniam tu otij patrocinium ſuſcepiſti, moneo, Victor, tibi eſſe tua illa myſteria occulenda, quæ te Diua Philoſophia docuit: nam certum mihi eſt & conſtitutum, omnibus te horis inuiſere, atque adeo te fabellis & loquacitate mea laceſſere, in tuis denique ſuauiſſimis ſermonibus, animi nauſeantis ægritudinem hanc meam veternúmque de-

ponere. Scis Apuleio commodè ac breuiter & acutè dictum, *Deſuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit.* Tu veternum ne æternum hoc ſit efficies. Benè habet, inquit ille, quod mecum eſſe velis: nam mittor à parentibus ruſticatum, & ne ſolus eſſem aut incomitatus, te abſentem paulò ante intuebar. Igitur ni moleſtum eſt ſimul erimus. Quo me cunq; voles ducas licet, inquit Iuuentius, dummodo vrbanum hoc otium fugiã, quod faſtidio mihi eſt & languori, & vt verbum à Diogene mutuer, hæc χολὴ iam χολή. Efficiam, ait Victor, vt Bellerophonteas ſollicitudines in ſyluas dumóſque eiicias: nam te profectò halantes horti omni florum varietate pleni & redundantes, te prata verſicoloribus gemmis picturata, te veſtitus viridiſſimi montium, fontium perennes geliditates, fluminum lapſus & mçandri, riuulorum grato murmure ſonantium concentus, auicularum molliculæ vocis flexiones, aucupium, piſcatio, venatio, & ſi qua ſunt beati ruris otia exhilarabunt. Deinde quantam lætitiæ voluptatem capies ex *Honorati* noſtri conſpectu? quem non ita procul amplis in çdibus hac ipſa tempeſtate morari ſcito. Quid ais? inquit: Nónne eius parentem heſterna die in vrbe vidi, lumen illud curiæ, fori decus? Videre potuiſti, ait Victor, ſed eius filium Honoratum non vidiſti: iam aliquot dies in nobili prætorio agit prędióque ruſticano, & primam cauſam quam propediem eſt acturus, fori tyrocinium, ſpecimen ingenij ſtudioſè meditatur: idque opinor diligentius, quòd cùm ſit liberaliſſimis ſtudiis eruditus, & vt quidem ab amicis & familiariſſimis creditur, ſummo ingenio & ad vnguem expolito, magnam ſui expectationem commouit. Itaque illum perfectum iam oratorem deprehendemus. Hęc cùm dixiſſet, & fore opus maturato ſignificaſſet, vtérque ſe ad Muſeum componendum, & neceſſaria paranda contulit.

Digitized by Google

Ruſticatio ſalutaris. Varia climata & ἀέρων κράσεις varia homini ingenia moréſque diſtinguunt. Id in Galliæ prouinciis notatum. Armorici ab omni antiquitate ſtudioſi.

CAPVT III.

NIMIVM quantum ſunt ea ruſticatione tam opportuna tamque iucunda, ſumma ſua voluptate & vtilitate recreati. Nam & cœlum quod in vrbe caliginoſum pingue & concretum, ibi tenue, purum & ſerenum fuit, liquidus aër, ſplendida ſolis atque vt ita dicam aures effigies ſiue labentis ſeu ſe ad curſum nota via ſpatióque renouantis. Is erat loci ad quem diuerterant genius, ea gratia & pulchritudo, vt pomona luxuriantis anni vbertatem fudiſſe, & in inſulis degere fortunatis in omniũ rerum abũdantia viderentur. Itaque & valetudo paulò iam melior, animúſque vegetior exigua temporis intercapedine efflоruit, & ea nubes atque triſtitia quæ diuturno vehementique ſtudio vtriuſque lumen ingenij obſcurauerat, lætiſſima deambulatione diſſipata eſt & depulſa. Sentiebant iam veriſſimum id Plinij minoris effatum, *Mirum eſſe vt animus agitatione motúque corporis excitetur.* Summo manè cùm vicinum in collem abiiſſent, confectis iam aliquot ſpatiis, ad captandam lenioris auræ vſuram, delicato in ceſpite conſederunt, vnde liber in planitiem erat aſpectus, cùm alioqui molle ſtibadium patulis diffuſa ramis, iiſque viridibus, arbor opacaret. Hic *Iuuentius*, Me quidem nimio opere delectat, inquit, hæc ſoli facies, quæ læta florum & colorum varietate, vt Phrygionum Attalicis periſtromatis, & belluatis Babylonicis conueſtitur. Sed me res vna mirantem diutius iam tenet, quænam ſit illa vis locorũ & efficientia, quę corpora hominũque animos afficiat, vt exigua regionis commutatione vehementiſſimè nonnunquam mutentur. Ego planè alius ſum ab eo, qui ab vrbe & ſtudij contentione paulò ante egrediebar, & benigni aſpiratio aëris vim nouam inſinuauit in pectus, & inuſitatam animi geſtientis alacritatem. Ingenioſus quidem nunquam fui ad excogitandum, nec abundans &

Lib. 1. ep. 6.

promptus, ſed nunquam mihi ſum viſus quàm hodierna die vegetior, aut ad quærendum inueſtigandúmque paratior, ita me cœli hîc aſpectus languidum prius & hebetem excitauit. Quare iam verum mihi propemodum eſſe videtur, quod cùm dudum in eloquentiæ ſchola diceretur, vix probare poteram, cœli atque ſoli varietatem, varios efficere hominum mores atque naturam, ídque maximè eſſe bono & præſtanti oratori conſiderandum. Nam doctor meus homo vt ſcis copioſus in dicendo & ornatus, & rerum cognitione locuples, cum perſonarum adiūcta perſequeretur, locum aiebat & nationem mirabilem vim & copiam ad dicendum ſuppeditare, de quo proinde M. Tullius, Quintilianus, cæterique dicendi artifices ſtudioſiſſimè præcepiſſent; quod conſtaret, è vario cœli aſpectu & conditione, diuerſa hominum ingenia, vitia nonnunquã, etiam virtutes, genio patriæ, & ignota vi quadam exiſtere, vnde argumenta promerentur ad fidem faciendã, aut ad aliorum dicta refutanda. Id Ciceronem faciundæ orationis principem & coryphæum, identidem adhibere ſolitũ, quem videmus partem orationis non exiguam, imò aliquandò fere vniuerſam, in exagitanda natione poſuiſſe ad hominum teſtimonia debilitanda. Ad eam autem Rhetorum præceptionem illuſtrandam, multa cum memini diſputauiſſe, ex iure, ex hiſtoria, ex omni penu eruditionis, cùm oſtenderet fuiſſe communem opinionem ſapientum, è patria natalíque ſolo, poſſe de moribus & hominum ingenio iudicari. Id imprimis doctiſſimis hominib. comprobatum ait Vegetius, omnes nationes quæ vicinę ſunt ſoli, nimio calore ſiccatas amplius quidem ſapere; ſed minus habere ſanguinis, & in bello metu frangi & elangueſcere: contra verò ad Septentrionem populos à ſolis ardoribus remotos, minus quidem ingenioſos, ſed tamen largo ſanguine redundantes, ad bella eſſe promptiſſimos. Vnde id quaſi oraculum effatur, *plagam cœli, ad robur non tantùm corporum, ſed etiam animorum plurimum valere.* Id eo animo, quo vim honeſtatis cognouerat, Cyrus vidit, qui cùm à ſuis purpuratis inuitaretur, vt molliorem aliquam regionem pulcherrimi imperij domiciliũ eſſe vellet, quod Perſidem viderent eſſe montib. horridã, ſyluis impeditã, difficilem & laborioſam, in qua nulli poſſent equites

Pro Flacco, Pro Fonteio.

l 1.c.1:

Herod. in Calliop. Plutar. in Apophth.

Digitized by Google

pro animi ſui ſententia volitare, id conſilium repudiauit, cùm diceret, φιλεῖν ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων μαλακοὺς γίνεσθαι, *vt plurimum vſuuenire, vt mollibus in locis molles generentur.* Et ſanè verè Poëta canit, Lucan.

Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

Eam Cyri dignam magno Imperatore ſapientiam noſtrorum etiam Gallorum fortuna comprobauit, qui cùm victrices legiones in Orientem duce Brenno tranſportauiſſent, cùm arderent bellis omnia, & terrorem ſui nominis circunferrent, eã ponentes ferocientis animi audaciam, non regum armis aut potentia, ſed Aſiatica amœnitate molliti ſunt, vt Lucius Florus animaduertit, l.1.c.10. vt id illis contigiſſe videatur, quòd Hannibali in Italia, quem beatæ regionis delitiæ, ſoli vbertas, cœli benignitas, orbis terræ propè dicam imperio & triumphi gloria ſpoliauit. Quin & iuris peritiſſimos interpretes, quos iam omnes propter ingenij gloriam famámq; ſequerentur, Præceptor idẽ meus hoc ipſum in ſuis monumentis poſuiſſe aiebat. Nam Vlpianus Iuriſconſultorum antiſtes ait eos qui mancipia vendũt, nationem cuiúſq; in venditione pronunciare debere: præſumi enim quoſdã ſeruos frugi eſſe & modeſtos, quod nationis ſint, D de ædil. edic. l. quod ſi nol. §. qui mancipia. vt ipſe ait, nõ infamatę, quoſdã malos improbóſq; videri, quòd ab ea natione veniãt quę ſit infamis. Baldus etiã quẽ Themidis aureũ partum fuiſſe volunt, in iure interpretando pronũciauit, Ex. de appel in c. vt debit. *Ingenia hominum fieri deteriora, vel meliora ex aëris diſpoſitione.* Quod tametſi vir doctiſſimus non dixiſſet, id eſſe tamen longè veriſſimum, qui cupidius cum muſis habuiſſet commercium intelligeret. Athenis tenue cœlũ ſcribit fuiſſe M. Tullius, ex quo inquit acutiores etiam putantur Attici: craſſum Thebis, Cic. l. de fato. itaque pingues Thebani & valentes. Hinc *craſſo aëre nati* Bœoti apud Horatium, & *auris Bœotia* hebes & obtuſa ad percipiendum & comprehendendum inepta. Nec iniuria Plato Plato in Sympoſ. aſſeruit in Bœotia neminem eloquentia clarum & ſtudiis humanitatis excultum viguiſſe. Hinc ingenioſus poëta Martialis *tenues Athenas* vocat, ob aëris illam ſubtilitatem, quę aciem ingeniorum acuerat,

——Tibi cor limante Minerua

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.

In eam cœli aëriſque bonitatem, veterum monumenta referũt cultum quendam humanitatis, & excellentis ſapientiæ, quæ Athenis tabernaculum ſuum collocarant, vt notat Plutarchus
Plutar. de ciuil. inſt. in iis admonitis, quibus laudatam politiam inſtruit: vt non ſit mirum, ſi is Philoſophus, cuius virtus nunquam intermoritu-
Thales. Laert. li. 1. ra eſt, gratias fortunæ egerit ſummas & immortales, quòd cum
Socrates. Græcum potius & Athenienſem, quàm barbarum naſci vo-
Dio or. 64 luiſſet. Hãc autem morum & ingeniorum varietatem è diuer-
Plato. Lactan diuin. inſtit. l. 3 c. 18. ſis regionibus pullulantem, quam ἐθνικὰς διαφορὰς nuncupauit Athenæus, quidam in cœlum ſyderúmque influxum, alij in ſolem, alij in aërem, quidam in ſoli affluentem opulentiam retulerunt. Quæ & ſimilia cùm in ſcholis dicerentur multò ornatius & vberius, quàm meminiſſe queam, ego qui ſæpius in doctrina puerili dici audieram omnem ingenij noſtri bonitatem, in opificem omnium rerum Deum eſſe referendam, vix in animum inducebam, id eſſe verum, quod dici à veterib. audiebam, cœlum, ſolem, aëréſq; differentes conditiones, mores nobis ingeniúmque fingere & mutare. Nunc verò cum vt tibi, Victor, iam dicebam, hoc tam ſudo & ridenti cœlo, videã me factum longè quàm antea lætiorem, & etiam opinione mea promptiorem ad omne genus ſtudiorum capeſſendũ, non ſatis apud me cogitans paulò antè poterã ſtatuere, quid eſſet haud imperito, nec eorũ quæ in natura fiunt ignaro ſentiẽdũ. Quare ex te Victor ſcire velim, quid Philoſophia tua, quid tu ipſe, quid alij quos audire aut legere potuiſti, in hac re præcipiãt.

Hîc *Victor,* Nihil, inquit, tuus ille magiſter adferebat, quod ſit à communi ſapientum iudicio alienum & abhorrens, quantum ego quidem intelligendo aſſequi poſſum. Sanè Plato omnium Philoſophorum elegantiſſimus in Timæo ſcribit, κατὰ τοὺς οὐρανοῦ τόπους, κρᾶσιν ἠθῶν γενέσθαι, *è cœli regionibus morum temperationem modúmque exiſtere.* Quòd grauiſſimi viri teſtimo-
Dionyſ. ἐν τέχν. nium Dionyſius Halycarnaſſeus in eadem ipſa re illuminanda adhibuit. Quid itẽ Ariſtoteles in ea re ſentiat, haud obſcurum eſt & controuerſum inter ſapientes, ἡ γὰρ ἀρίστη κρᾶσις, inquit, καὶ τῇ διανοίᾳ συμφέρει, *Optima locorum temperies nõ corpori mo-*
Probl. ſect. 14 q 1. *dò, ſed hominũ etiam intelligentiæ conducit.* Quam diuini hominis ſententiam neſcio an Q. Curtius tum intueretur, cùm fidẽ-

ter illud pronunciauit: *Ingenia hominum vbique locorũ ſitus formet.* Curt.l.8. Hinc Porphyrius ſubtilis & intelligens ſed impius religione, ait locum eſſe generationis principium, queàdmodum & patrem. Itaque vt à parentibus ſtudia & mores, & totius naturæ conſtitutionem accepimus, ita ex mente quampluriũ ſapientum, illa eadem fuerint in cœlum, in aërem, in loci & regionum varietatem referenda. Sed hîc me dies tam liquidus & ſerenus Iuuenti deficeret, ſi vellem omnia excellentium hominũ dicta colligere, ad eandem rẽ ſtabiliendam, qui de omni Philoſophiæ parte ſubtilia nobis & egregia monumenta reliquerunt. Ad quos poſſum claros medicos iure ſuo adiungere, quibus tanto antè prçiuit maiorum veluti gentium Hippocrates medicorũ Deus, cuius illud eſt oraculũ, εὑρήσεις ἐπὶ τὸ πλῆθος τῆς χώρης τῇ φύσει ἀκολουθοῦντα καὶ εἴδεα τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς τρόπους, *fere ſemper & formas hominum, atque mores ſimillimos eſſe, paréſque natura regionis comperies.* lib. de aëre & loc. Hoc ex fonte ingenioſiſſimæ mentis & peritiſſimi Archiatri, niſi mea me cõiectura fallit, vetus manauit Grçcorum adagium, βίοι ἀνθρώπων καὶ φυτῶν σπέρματα συνεξομοιοῦνται ταῖς χώραις, *mores hominum, & plantarum ſemina, ad regionis cultum habitúmque reſpondere.* Satiſne videtur tuç dubitationi factũ Iuuenti, illuſtriũ hominũ cõmemoratione, qui ferè omnes in Philoſophia tabernaculum vitæ ſuç collocarũt? Tametſi hçc quidem non tam eſt Philoſophorũ propria, quàm ſcriptorum omniũ in certiſſima re tuẽda conſenſio. Non tacẽt neq; diſſimulant eloquẽtiſſimi annalium ſcriptores, ſi quando vt fit de morib. nationũ, & varia cœli atque ſoli qualitate memorant. Florus de Gallia neſcio tamen an Romana fide ita prodit, *Alpina corpora humẽti cœlo educata, habent quiddã ſimile niuib. ſuis, quæ mox vt caluere pugna, ſtatim in ſudorẽ eunt, & leui motu quaſi ſole laxantur.* Flor l. 1. c. 4. Cornelius Tacitus vbi agit de quibuſdã Germaniæ populis, *Similes*, inquit, *Batauis, niſi quòd ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cœlo acrius animantur.* Tacit. de morib. Germ. Diodorus Siculus è Sophię arcano prodiens, non modò gẽmas & lapillos pretioſos, quorum ait magnã eſſe copiam in Arabia, verũ etiam brutas animantes, ſtirpes, arbores, ſumma naſci varietate ingenij & naturę propter ſolum & cœli tẽperationem ſcribit, idque ſe à Phyſicis qui ſunt omnium abditarum rerũ interpretes accepiſſe. Diodor. Sic. Par aliorũ omniũ eſt opi-

Digitized by Google

nio, qui ad res geſtas oratione celebrandas ſtudium adhibuere ſuũ atq; induſtriam. Nam de Athenis quod aiebas, eſſe verũ, ſpirans ille Bibliotheca Photius è Platone, Pythagoreis, atque aliis clariſſimis viris oſtendit: aitque Athenis non aduentitias eſſe doctrinas, ſed ibidem natas, idque ἀέρος ἰχνοτάτου ὄντος καὶ καθαρωτάτου, *ex aere tenui & puro*, qui nõ modò terrã attenuet, ſed & hominũ ingenia ſubtilia reddat: συμβαίνει γὰρ τὸν ἀέρα τὴν μὲν γῆν βλάπτειν, τὰς δὲ ψυχὰς ὠφελεῖν. Et magnus Hieronymus, *Athenis*, inquit, *expeditiora naſci ingenia, Philoſophi gloriantur* Quòd Platonis quoque teſtimonio prodit ſapiens & ornatus omni copia literarum Tertullianus l. de Anima. Etiam paulò antè Iuriſperitos nominabas, qui volẽtes in eam partem Phyſicorum, tanquam è magni Conſulis authoritate atq; imperio pedibus irent. Ita verò eſt, vt dicebas, & hãc patrię & ingeniorũ coniunctionẽ, hanc qualitatũ & morum ſimilitudinẽ agnoſcũt. *Eſt præceptũ iuris gentiũ*, vt luculenter in Digeſtis ponitur, *vt patriæ pareamus*. Ex quo Bartolus, qui Dices recondita cimelia & diuinas opes in lucẽ extulit, ſuũ illud pronunciatum hauſit, *De iure præſumi quemq; eius eſſe affectionis, cuius eſt patria.* Neceſſitatem in ea re quandam eſſe putauit ſummo vir ingeniõ & cognitione Polybius, τῷ περιέχοντι συνεξομοιοῦσθαι πεφύκαμεν πάντες ἄνθρωποι κατ' ἀνάγκην, *ita natura comparatũ eſt; vt cœlo habitationis cõſimiles neceſſariò omnes euadamus*. Et mireris deincepsquod ex loci mutatione nõnihil te immutatũ ſentias? At mirari opinor deſines, cũ acceperis quod dictum eſt à Claudio Ptolemeo pręcellenti mathematico, qui ſophiam in cœno volutatam in ſplendidos cœli orbes euexit. Is autem quod etiã video ſcriptum à Seruio, non dubitauit aſſerere, *translatũ ad aliud clima hominem naturã ex parte mutare*. Hæc autem, Iuuenti, quę ad explendã animi tui curioſitatem de induſtria protuli, ſi antiquitatis lumina ſiluiſſent, tamen experientia quotidiano rerum euentu corroborata nos impelleret, vt cum Ariſtophane τρόπους ἐπιχωρίους, vel vt Gręci vulgò nominant ἐπιπολάζοντας agnoſceremus, & cœleſtis aſpirationis incredibilem potentiã ad res omnes, tũ gignendas, tum educandas & tuendas. Nam intuere ſtirpes, fruges, arbores, quàm multæ ſint, quas ſi fortè è natiuo ſolo in aliud inferas, ſubitò languentes emoriuntur, quaſi eo ſolis atque cœli benigno aſpectu & parentis gremio, per vim & hominum audacium importunitatem ſpoliatæ.

Photius in Bibl.

Hieron. in c. 3 ep. ad Galat.

Tertul. l. de An. c. 20.

D. de iuſt. & iur. l. vt eum.

Polyb. l. 4.

Dionyſ. ἐν τέχν.

Digitized by Google

ſpoliatæ. Multæ verò cum in aliqua regione floreant, ita alias velut faſtidioſè dedignãtur, vt nulla homini induſtria, nulla cura, nulla artificio excitari queant, aut certè virib. acciſis & colore imminuto, quaſi peregrinæ perpetuo mœrore tabeſcãt. Antiphanes nobili præconio ſcribit excellere ſinapi Cyprium, ac Scammoniæ ſuccũ, Naſturtium Mileſiũ, Cepam Samothraciam, Silphium è Carthagine, Thymum Hymettium, Origanum Tenedium. Itaq; in aliis regionibus orbis terræ, vix diligenti perueſtigatione reperias, quæ his paria eſſe bonitate videantur, adeò verum eſt, eam quam vocat Theophraſtus ἀέρος διάθεσιν, ſiue κρᾶσιν, Sidonius Apollinaris, *cœli dotem*, Plinius atque Virgilius *cœli mores*, atque *ingenium*, non eadem vbique efficere: adeò certum quod Poëta magnus cecinit Theophr. l. 2. Sidon. l. 1. ep. 8. Plin. l. 17. c. 2.

— Non omnis fert omnia tellus. Virg. 1. Georg.

Quod effatum non eruditus modo Sidonius ſumma copia & cognitione illuſtrauit, verùm etiam Poëta Hermippus, Critias, Antiphanes, & alij, qui hæc vrbium & regionum ἰδιώματα ſuis verſibus docta & vberi venuſtate illigauerunt. Sidon. Panegyr. Maior. Athen. l. 1.

Sed hoc quidem conſtat in ſtirpibus, quæ è terra oriuntur: quid in belluis? parum ne declarauit vſus, varias animantes certis in oris ac ſedibus omnem cumulatæ naturæ perfectionem attingere, quæ in alio cælo penitùs intereant aut inobſcurentur? De Ibericis equis inaudiſti, viuidis illis, generoſis, ἀελλοδρόμοις, vt patrio cælo animentur, ſpiritúſque magnos hauriant. Neapolis quoque ſuppeditat nobiles quoſdam & ad curſum incitatos. Armorica verò cum multis naturæ donis atque muneribus excellat, tum gradariis & tollutaribus equis adeò nobilitata eſt & inſignis, vt Aſtures priſtinum ſuum decus iam obſoletum videant, & in ea Galliæ parte tantùm id genus animantis gigni & educari poſſe videatur.

Etiam à cœlo & à ſalo piſcibus nomen eſt atque dignitas, color, ſapor, excellentia, magnitudo. Scarus cui olim principatũ gulæ proceres tribuerunt, quémq; Vates Ennius *cerebrum Iouis* appellare audet, in Siculo Põto erat præcipuus,

Ingenioſa gula eſt, Siculo Scarus æquore merſus
Ad menſam viuus producitur, Petron.

ait ille πεζὸς Poëta. Oſtrea Lucrina, primas ferè obtinuerunt ſaporis dulcedine & pretio, Rhombus Rauennæ, Murænæ in Sicilia, Ellops Rhodi, Corracinus in Ægypto, Plin l. 9. c. 18. 54.

D

Digitized by Google

circa Ebuſam Salpa, in Aquitania Sulmo fluuiatilis marinis omnibus præferebatur: Silurus in Nilo, Eſox in Rheno, Attilus in Pado delitias habebant ſuas, de quibus variis in locis Plinius memorauit. Stromateus Alexandrinus qui omnium propè rerum cognitionem hauſerat, hanc eandem rem mirificè illuſtrauit. *In freto*, inquit, *Siculo Murenas anxio & ſollicito animo perquirunt, & Mæandri anguillas, & qui in Melo ſunt hædos, & qui in Sciatho Mugiles, Pelori conchas, & Abydena oſtrea*, &c. Paria ferè ſunt apud Athenæum libro primo, vnde conſtat in Veterum monumentis doctiſſimorum hominum ſtudio & exquiſita diligentia id notatum & animaduerſum fuiſſe.

Clem. Alex. l. 2. Pæd. c. 1.

Sed vt beſtias omittentes ad homines veniamus, quis ita eſt intelligentia & rerum cognitione peregrinus atque hoſpes, quem non eadem experientia docuent, è locis & regionibus exiſtere in hominibus varietatem morum, ingeniorum, ſtudiorum? Vide mihi Galliam vniuerſam: obi animo tanquam oculis prouincias omnes, quibus florens & beatum hoc imperium eſt diſtinctum & diſcriminatum: populos reperies quoſdam feruidos & in iracundia impotentes, alios mollioris ingenij tardos & deſidioſos, nonnullos rerum alienarum appetentes & naturæ genio fures, dicaces alios, quoſdam vini plus nimio amantes, glorioſos alios & captatores auræ popularis, hos ſordidos & lucris ſemper auidiſſimè inhiantes, callidos alios & veteratores, quorum fides Punicâ ſit deterior. Denique quot gentes ſunt in Gallia, tot ſunt virtutum aut vitiorum regna, tot ingenia, tot naturæ ſtudia, tot morum diſcrimina, tot appetitiones atque impetus & animorum exercitationes. Neque verò non exploratum hoc fuit proditúmque omnium ſæculorum ætatibus, omnium gentium literis atque linguis. Nam ego quidem vix vnquam legere potui apud Ciceronem Siculorum nomen, quin ſemper adiunctum viderem acutos & ingenioſos. Græcos vix vnquam nominat, quin ſi propius aurem admoueris, dici audias leues, loquaces, ineptos, otioſos. Sic communis ferè omnium opinio Campanos inſolentes & imperioſos, quique faſtidio & contumacia efferrentur olim exiſtimauit. Maximus Tyrius, variarum nationum ſtudia breuiter quidem, ſed peritè ſcien-

Digitized by Google

térque eſt complexus, *Thebani*, inquit, *tibiarum cantu delectantur, Athenienſes eloquentiæ operam dant, Cretenſium diſciplina eſt venari, montes ſuperare, currere, Theſſalorum equitare, Cretenſium aurigari, Aetolorum prædari: iaculo Acarnanes, pelta valent Thraces, Inſulanÿ nauigant.* Cauſam huius varietatis ait eſſe τοὺς τόπους καὶ τὰς φύσεις τῶν χωρίων. Dionyſius in hiſtoria & eloquentia nobilis, *Athenienſis*, inquit, ἐν τέχν. λάλος, σοφός: *Ion* ἁβρός: *Bœotius* εὐήθης, *Theſſalus* διπλῶσαι ποικίλος. Qui etiam paulò pòſt ſententiam Platonis adfert, in eam ipſam rem qua de agimus perilluſtrem, ex ea locorum atque morum varietate conſequi, vt magna quædam ſit rerum publicarum varietas. Itaque Poëta rem mirandam inſtárque prodigij opinatur Democritum virum ſapientiſſimum potuiſſe *Veruecum in patria craſſóque ſub aere naſci.* Vbi vetus Scholiaſtes, *Fuit Democritus vbi ſtulti naſci ſolent, id eſt, Achiuus: nam ex cœli vitio regiones ſolent æſtimari.* Sed cùm multa ſint veterum Scriptorum in hac re teſtimonia, quibus experientia quotidiana firmetur, & ſtabiliatur opinio, tum Firmicus mihi Maternus multò cæteris præſtitiſſe videtur, & totius rei cauſam declarauiſſe: cuius locum eo proferam libentiùs, quod & eum orbium cœleſtium ſpeculatorem egregium fuiſſe volunt, & de Gallis & maiorum noſtrorum ingenio liberiùs paulò eſt locutus. Sic igitur ille cenſet: *Quædam gentes ita à cœlo formatæ ſunt* (vide Iuuenti num hæſitationi tuæ & ἀπορίᾳ medeatur) *vt propria ſint morum vnitate conſpicuæ. Scythæ immani feritatis crudelitate graſſantur. Itali fiunt ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, leues Græci, auari Syri, Afri ſubdoli, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiatici & occupati voluptatibus, Hiſpani elata iactantiæ animoſitate præpoſteri.*

Maxim. diſſert. 7.

Dion. Hal. ἐν τέχν.

Iuuenal. Sat. 10.

Aſtronom. lib. 1.

Hîc Iuuentius commotior, Quid eſt Victor? hunc hominem verum dicere, aut ſapere omnino exiſtimas? Gallos quos honoris cauſa nominare debuit, naſci fatuos, viuere ſtolidos, mori amentes cœlo conſcio & efficiente blaterat, & ſanum putem? Quanquam non ille vnus porcum laribus debet: nam ecce tibi Seruius doctus alioqui & literatus, tamen ineptus cùm de Gallis loquitur: is enim Maronianos quoſdam verſus interpretans, *Afros*, inquit, *verſipelles, Græcos leues, Gallos pigrioris eſſe ingenij videmus*, idque rationem Climatum

Digitized by Google

efficere autore Ptolemæo. Et vt multos Thyrſigeros eſſe videas, etiam reperti ſunt qui de Galliæ prouinciis omnibus ſanè audacter velut Cenſorij quidam Catones pronunciarent. Eſt ne tibi lecta, Victor, aliquando eius hominis oratio, qui ſuperiori ſæculo famam eruditionis & eloquentiæ colligebat, opinor Chriſtophorum Longolium nominant, vbi D. Ludouicum laude & gloria in cœlum effert, Galliámque prædicat, ſententiam animi ſui de ſingulis prouinciis atque moribus ita profert, *Britones duri, vafri Normanni, religioſi Franci, induſtrij Flandri, mites Lotharingi, faciles Andegaui, bellicoſi Vaſcones, Burgundi feroces, Picardi alacres, frugi Santones atque Pictaui, Narbonenſes fideles, fortes Aruerni, Hannonij pertinaces, magnanimi Senones, verſuti Cenomani, militares Bituriges.* Hîc Britones quos opinor honoris cauſa primo loco ponit, vt de cæteris taceam, cur appellat *duros*? an quod acres & laborioſi, vt duri agricolæ dicti bono Poëtæ? an quod moribus & incultæ vitæ ratione aſperi? Sanè quidem ſeu laudare voluit, ſeu lædere, malignè fecit, nam prior illa durities exiguam laudem habet, altera verò perſpicuam inuidioſæ mentis criminationem. Itaque Victor, certum mihi eſt & conſtitutum, non omnia vera eſſe credere, quæ Scriptores de moribus nationum, & maximè de Gallia, Britonibúſque prodiderunt.

Benè, inquit Victor, Iuuenti facis, & piè in patriam, neque illi ipſi, quæ ſecuti opinionem vulgi memoriæ commendarunt, omni ex parte ad ſimilitudinem veritatis putant accedere. Nam Maternus quaſi imperij noſtri ſplendore cœcatus, veteris Poëtæ inſtar palinodiam canit. Ita enim extremo ferè libro primo, *De moribus Gentium ſuperuacanea diſputatio eſt: nam & Aſiaticos plurimos videmus, imò penè omnes ſobrietatis inſignia præferentes, & Græcorum leuitas ſæpe modeſtæ grauitatis pondus accipit: & effrænata Scytharum rabies quandoque humanitatis clementia mitigatur: & in finibus Galliarum populus ſapientiæ temperamẽto prudenter conualeſcit*, &c. Non igitur ſtolidi omnes Galli, quandoquidẽ in finibus Galliarum Dia ſapientia gloriæ ſedem collocauit. Iſti autem fines Galliarum meo iudicio Britonum & Armoricorum ſunt termini, vbi homines ad omnem animi honeſtatem ſapientiæ quodam temperamento aluntur.

Ad eos cùm Magnentius olim adiiſſet, vt prodit Zoſimus qui Armoricos nominat Letos, quaſi in Athenæum veniſſet & commune Muſæum, Galliæ ſtudiis florens, & Apollinis commercio nobile, παιδείας τῆς Λατίνων μεταχὼν Latinas literas atque eruditionem percepit. Vt non ſit mirum ſi Poëta Gallus magni vir nominis Auſonius *Gentis Aremoricæ Druydas*, hoc eſt omnium doctrinarum cognitione ornatos, & Sophiæ quædam veluti oracula celebrarit. Itaque Pytheas apud Strabonem, Oſiſinios hoc eſt Aremoricos in finibus Galliarum poſitos, ait fuiſſe nominatos τιμίους, hoc eſt vt ego interpretor honoratos, quantiuis pretij homines, atque morum eximia grauitate, & ſapientia quadam ſingulari præſtantes. Sic opinor Gregorius Nazianz. Hebræos nominabat τιμίους καὶ ἰσοστασίους χρυσίῳ, *eximios & auro adæquandos*. Atque hoc tibi in aurem dico Iuuenti, ne ſi hæ quercus quæ vocales fuiſſe olim feruntur nos audiant, & vicinis noſtris inſuſurrent, æmuli noſtræ gloriæ inuidique ringantur.

Strab. l. 4. Oſiſmij τιμίοι.

Aduerſus Maternum & Seruium oſtenditur Gallos minimè cœlo & natura ſtolidos eſſe, vbi de veterum Gallorum inuentis & eruditione ſelecta.

CAPVT IV.

HIc cùm leuiter arriſiſſet Iuuentius, pergit Victor, Sed volo, inquit, tibi coniecturam aperire meam cur antiqui ſtolidos fuiſſe Gallos putarint. Imprimis vltimos eos eſſe populorum ad Septentrionem, aut abeſſe propius multi exiſtimauerunt, quos populos trita & communis doctiſſimorum hominum opinio, in bello quidem & audendo feroces, ſed inconſultos, & vt verbo Ariſtotelis vtar μὴ ζητητικούς ferebat, vt poſt Hippocratem magnóſque ſapientes ait Vegetius: & Ariſtoteles ipſe in Politicis monet quæ frigidas regiones incolunt & per Europam ἔθνη, θυμοῦ μὲν πλήρη, διανοίας δὲ ἐνδεέστερα καὶ τέχνης, *animo quidem abundare, ingenij verò & artificij parum*

Cauſa 4. cur ſtolidi olim habiti Galli.

Ariſt. Probl. ſect. 14. q 15. Veget. l. 1. c. 2. l. 7. Polit. c. 7.

Senec. l. 2. de ira c. 16. *habere*. Hinc illa Senecæ, *In frigora Septentrionémque vergentibus immanſueta ingenia ſunt, vt ait Poeta.*

----ſuóque ſimillima cælo.

Quin Iulianus veræ pietatis hoſtis quam perfidia ſcriptiſque violauit, dicere auſus eſt in iis populis qui ſunt ad occidentem, reperiri valde paucos qui ſint apti ad philoſophandum & ad ſtudia grauiora, & ſi qui forte ſint apud eos ingenioſi, eos Dialecticam aut eloquentiam tenere ſolam, doctrinam præterea nullam. Cyrill. l. 4. contr. Iul. Cui tamen Cyrillus Alexandriæ Pontifex omnium artium cognitione perfectus reſpondet, falli hominem & præcipitem iudicio cæco ferri, ſemper enim fuiſſe inter barbaros, hoc eſt alios quàm Græcos, ſapientia clariſſimos haud paucos, & inter eos ponit Galatarum Dryidas multóſque Celtarum. 2. *Cauſa.* Deinde habiti olim naturæ bonitate ſimpliciores Galli candidiſſimis moribus minimè fucatis atque veteratoriis: quare Seuerus Sulpitius Dialog. 1. c. vlt. *Neque Gallum,* inquit, *decet eſſe tam callidum*. Et Ennodius eam ipſam ob cauſam ait *natos Rhodani habere niuem probitatis*, id eſt conſuetum illum gloriandúmque candorem & morum innocentiam. 3. *Cauſa.* Præterea Gallos olim videbant inter omnes nationes imperterritos, immani audacia fretos, ad omnem fortunam excipiendam prõptos & paratos, μήτε σεισμοὺς, μήτε κύματα expauſcere, vt Ariſto. 3. Ethic. Dæmonius ad Nichomacũ ille magiſter aiebat, Neptuni fluctus & terræ infeſtas commotiones fidenter calcare, ad fulmina cœli ardore flagrantis horribiliúſq; tonantis minimè conniuere, nihili putare aliarum nationum vim & bellorum apparatum. Cùm ad eos Romanorum legati mitterentur, quaſi Reges vniuerſitatis, & omnium Regum Imperatorúmque Liuius l. 5. domini reſpondebant, *ſe in armis ius ferre, omnia virorum fortium eſſe*. In Græcia verò & in luce Aſiæ, vbi multa inuictæ mentis haud obſcura monumenta reliquerunt, peruulgatum Strab l. 7. Aelian. Var. l. 12. l. 3. Ethic. c. 10. hoc erat & contritum, Gallos homines inaudito robore animi celſos & elatos, hoc vnum extimuiſſe, ne cœlum rueret. Hoc autem ſenſu homines animique incitatione Ariſtoteles μεγαλοψύχους ἢ ἀναλγήτους *ſtupidos, aut inſanos ſiue ſtolidos* dici merito poſſe putauit. Itaque gentis fortiſſimæ magnanimitatem, hoc inuictum robur, hanc diuinam & exaggeratam conſtantiam cùm horreſcerent Itali, cùm cæteræ nationes vehe-

Digitized by Google

mentiſſimè reformidarent potiùs quàm ſuſpicerent, Gallos appellare ſtolidos maluerunt, quàm fortes, generoſos, humana omnia tolerantes, & quemadmodum eos appellat Ælianus φιλοκινδυνωτάτους ἀνθρώπων. Ad extremum quod de Galatis quidam aſſeruerunt, in Gallos omnes id conuenire, longinquarum nationum ignari & minimè curioſi forte putabant. l. 12 Var. hiſt. c. 23. 4. Cauſa.

Aiunt enim Galatas in Aſia populos, oriundos è Galliis, qui vim illam primigeniam gentis, barbaria infuſcauerant, indociles & væcordes fuiſſe, atque ad ſapientiam tardiores, quos propterea diuiniſſimus Paulus ἀνοήτους, *inſenſatos* appellat, ob illius populi idioma & inſitam vitioſitatem, vt pietatis & Eccleſiæ lumen cenſuit Hieron. *Quemadmodũ*, inquit, *ſi quis timidos nominaret Phrygas, vanos Mauros, feroces Dalmatas, Cretes mendaces, leues Græcos, Hebræos ceruicoſos.* Sed opponere ego poſſum illi opinioni magnum Themiſtium, qui cùm perdiu fuiſſet in Galatia, & cum multis de multiplici eruditione contuliſſet, non dubitauit dicere Galatas ὀξεῖς καὶ ἀγχίνους, *acutos & ſolertes* fuiſſe, & quod ego ſummum eſſe puto laudis elogium, εὐμαθεστέρους τῶν ἄγαν Ἑλλήνων, etiam aptiores quàm qui admodum ſunt Græci, ad omnium artium ſtudia capeſſenda. S. Hieron. in Ep. ad Galat. Themiſt. or. 4.

Non eſt quidem huius recreationis noſtræ, huius lòci & tẽpòris, atq; adeo mitiſſimi cœli, in eos inuehi aſperius, qui Gallos pigri & inertis fuiſſe ingenij ſtolidóſve dixerunt: ſed tamen habeo in memoria, & ſe mihi quodammodo ἀθρόως & quaſi facta manu obtrudunt omnium Gentium omniúmque temporum grauiſſima teſtimonia, quibus illam inuidorum aut inſcientium audaciam importunam, & opinionem falſam eſſe conuincam. Gens fuit ad orientem pulcherrimis inſtitutis ad humanitatem exculta, nominant Catainos, qui cùm dicerent tres oculos habere mundum quibus diuina & humana videãtur, Catainis & Sinenſibus duos dabant, tertium apud Francos eſſe aiebant. Rectè illi ab extrema barbaria ſapientes: nam iam inde ab heroicis ætatibus fuit ea communis pæne omnium opinio, in Gallia, natam eſſe liberalis animi cognitionem, quam deinde Philoſophiam indigitarunt, de qua multi vberrimis olim ingeniis & otio abundantes cùm quærerent, & diuinæ rei natales ſtudioſè peruestigarent, Pythagoram eius quendam veluti parentem ferebant, aut Anaxagoram; qui-

dam à Socrate, vt à capite & à fonte, arceſſebant illuſtrium rerum flumina, quibus cæteri qui deinde ſecuti ſunt, in ſectas vt in areolas partiti, ſuos hortulos irrigauiſſent. Sed doctiſſimus Ariſtoteles, tametſi de ſe vulgo magnificè glorioſéq; ſentiret, amicus Platonis amicior tamen veritatis, in media Græcia profiteri eſt auſus, eam quam tũ omnes ſuſpiciebant diuinitus conceſſam philoſophiam, non à Græcis, ſed à barbaris habuiſſe initium. Proferebat quaſdam ille nationes, quæ literas & humanitatem coluiſſent, ſed præſertim Gallos, quorum video trium ordinum homines ſummam gloriam è ſtudio & eruditione, & apud omnes magnam ſui nominis exiſtimationem peperiſſe. Druydæ imprimis ſacris ceremoniis præfecti & ſapientiæ præceptores in ore fuerunt omnium, & in hiſtoriarum monumentis prædicantur. Bardi Poëtæ fuerunt diuino quodam ingenio & afflatu, qui res bello fortiter geſtas, & eorum qui in prælio cecidiſſent clarum decus & inſignes adoreas canebant. Tertio loco reperiuntur ij quos Eubages Ammianus, Strabo Vates, Diodorus Saronidas vocauit, homines certè naturæ cognitione excellentes, qui nullam Philoſophiæ partem contemnerent, in omnibus prope forent perfecti, à quibus ſit deinde in plurimas nationes propagata ſapientia. Nam Pythagoras à Druydibus, Galliæ factus in magna Græcia vicinior, multa mutuatus eſt ſi fatetur, ſi negat, ſubdole & malitioſè furatus, quos Laërtius ait obſcurè & per ſententias philoſophari conſueuiſſe, corúmque dicta quædam aurea enumerat, ſuos enim docuiſſe σέβειν θεοὺς, καὶ μηδὲν κακὸν δρᾷν, καὶ ἀνδρείαν ἀσκεῖν, *coléndos eſſe Deos, nullum malum facinus audendum, excolendam animi excelſitatem & generoſam conſtantiam:* quibus ſententiis video Theologiam vniuerſam & de rebus humanis ſcientiam fuiſſe complexam. De his ipſis narrans Ammianus, *Inter hos,* inquit, *Druydæ ingeniis celſiores, quæſtionibus occultarum rerum altarúmque erecti ſunt, & deſpectantes humana pronunciant animos immortales.* Hinc Gallos vulgò omnes, & non modò Philoſophos, vt è communi ſapientiæ tabernaculo prodeuntes, boni ſcriptores antiquæ memoriæ aiunt fuiſſe αἰνιγματίας, καὶ τὰ πολλὰ αἰνιττομένους. Quare Alexander in libro de ſymbolis Pythagoricis apud Alexandrinum Clementem vult Pythagoram doctores Gallos audiiſſe atque Brachmanas. Taceat hic mihi literator

Galli αἰνιγματίαι.

Ammian. l. 15.

Diodor. Sicul. l. 5. p. 307.
Clem Alex. l. 1. Stro p. 131.

literator Seruius longa litera dignus aut frontali, & qui Gallos pigrioris dicit fuiſſe ingenij, audiat illos clariſſimo teſtimonio, ingenio celſiores, & rerum maximarum notitia elatos, prius animo & ſcientia comprehendiſſe ea multa atque magna, quæ hominum genus nobilitant, quàm de iis Græci ſuſpicari potuiſſent. Neque verò cogitandum eſt ſtudium humanitatis & *Perennis in* ſapientiæ ab omni hominum memoria in Galliam inſitum & *Gallia eru-* illuminatum, exaruiſſe aliquando quod in multis nationibus *ditio.* accidit. Sunt in manibus hiſtoriarum monumenta, in quibus videmus, vt temporum, ſic doctorum hominum choros ſibi conſertè contextéque hærentium, vt literæ propria Galliæ dona fuiſſe videantur. Strabo in hiſtoria nobilis ait Gallos vulgo Strab. l. 4. natura & diſciplina ad omnem honeſtatem inſtructos, ὥστε καὶ παιδείας ἅπτεσθαι καὶ λόγων, proinde literis perpoliri, & rerum magnarum cognitione. Eoſdem Pomponius Mela ſcribit facundiam habere ſuam, magiſtróſque ſapientiæ. Mela. l. 3. c. 2. *Pleráque Gallia*, inquit Soſipater, *duas res induſtrioſiſſimè perſequitur, rem militarem, & argutè loqui*. Soſipat. l. 2. art. Gram. ex M. Cat. Quod idem annalium monumentis proditum eſt à Tacito, qui duabus rebus ſtuduiſſe veteres Gallos cumprimis ait, *rei bellicæ & eloquentiæ*. Quæ forte cauſa moris antiqui fuit de quo Polybius memorauit, qui Gallos ait ſigna Polyb. l. 2. bellorum aurea quæ Immobilia dicerentur, in Mineruæ templo ſeruare conſueuiſſe, vnde in magnis præliorum expeditionibus ritu ſolenni promebantur, vt nimirum ſignificarent rem bellicam in tutela & præſidio eſſe Mineruæ & ſapientiæ. Diodorus è Sicilia vir copioſus & elegans in ſcribendo, eos vocat Diodor. l. 5 p. 308. ταῖς τε διανοίαις ὀξεῖς καὶ πρὸς μάθησιν οὐκ ἀφυεῖς, *ingenio acutos, minimè à natura ineptos ad diſciplinas*, & naturæ vim omnem cognoſcendam. Eoſdem nominabat Ephorus ἀνθρώποις φιλέλ-ληνας, fuit enim eorumdem conſuetudo, vt eſt apud Philoſtratum, ſuos vt liberos in Græciam mitterent acuendi magis & excitandi ingenij gratia, ne fortè genti innatus ad ſapientiam ardor, præliorum diuturna contentione tandem aliquando remitteretur. Atque huius maiorum noſtrorum elegantiæ multa ſunt clariſſima veſtigia non preſſa leuiter ad euaneſcentem gloriam, ſed ad æternam memoriam inuſta. Mercurius qui Theutates apud nos dictus multis religionibus conſecratus in Gallia, Gallicus Hercules à Luciano cæteríſque bellè pictus, tam

Emporia literarum olim in Gallia.

inſigni ornatu inſtructus, quid aliud ſignificant, quàm diuinæ loquentis ſapientiæ, atque omnium artium intelligentiam ita ſemper apud nos viguiſſe, vt ne quidem in Græcia maior cogitari poſſet? Quid illa domicilia literarum, quid muſea honeſtiſſimæ & ingenioſiſſimæ iuuentutis, quid illa in imperio Gallicano diſſeminata emporia doctrinarum? Non perſuadent humanitatis & omnium ſcientiarum cognitionem noſtros homines non tam ab aliis accepiſſe quàm dediſſe, in iis operam induſtriámque poſuiſſe, in iis denique multum ingenio & labore præſtitiſſe? Dum genus hominum erit, vigebunt memoria ſempiterna ſcholę Heduenſes, quarum laudem & præſtantiſſimam dignitatem Eumenius vir illuſtris in oculis auribúſque Imperatorum collocauit, vbi *nobiliſſimam Galliarum ſubolem liberalibus ſtudiis operatā* ait Tacitus l. 3. Maſſilienſis viget adhuc nunquam intermoritura gloria, ex qua vrbe Philoſophiæ ſplēdor fuſus, non vicinas modò nationes hilarauit, ſed pellexit victores omnium Gentium, dominóſque Romanos, vt æquo animo, ſingulari potius voluptate, ſe doceri à Gallis hominibus geſtirent, eamque vrbem Athenienſi longè anteponerent, ait Strabo. Hærebit etiam ante oculos ara Lugdunenſis æternitati conſecrata, celebrata virorum illuſtrium doctiſſimis diſputationibus, Gallicanæ ſapientiæ teſtis, humanitatis & elegantiæ argumentum, quæ toties agones vidit complurium nationum frequentia & concurſu, magna ingeniorum contentione pugnatos. Itaq; Plinius æuo ſuo mirabatur eſſe Lugduni Bibliopolas, qui doctorum hominum monumenta iam inde vſque Roma peterent, ſpargeréntque in Galliam deinde omnem, vbi Muſæa nobilibus plena ingeniis clariſſimorum hominum voce perſonabant. In Aruerniam ait Sidonius Apollinaris *vndique gentium confluxiſſe ſtudia literarum, vbi ſermonis Celtici ſquamam depoſitura nobilitas, nunc oratorio ſtylo, nunc etiam camœnalibus modis imbuebatur.* Vbi vt alias idem aſſerit, *liberales diſciplinæ, vbi Grammatici Rhetoriſque florentia ſtudia viguerunt.* Quid dicam veniſſe quondam in hanc lucem Galliarum, è remotiſſimis fere gentibus, ad eloquentiam; dignáque ingenuo homine ſtudia capienda, parúmne docet politiorem humanitatem, & elegantiam literarum, apud nos olim rerum ſuarum domicilium poſuiſſe? Cuius rei teſtem laudo inter pluri-

Tacitus l. 3
l. 3. p. 125.
Plin. l. 9. Ep ad Geminium.
l. 3. Ep. 3.
l. 4. Ep. 21.

Digitized by Google

mos ſingulari pietate virum, & miranda eruditione magnum Hieronymum, qui ab extrema Dalmatia Romam veniens penè puer, cum Donato magiſtro primis literis diligenter inſtitutus, in Rhetorum etiam vmbraculis omni imbutus humanitate fuiſſet, vna deinde cum Bonoſo nobile adoleſcente, & honeſtiſſimis ſtudiis flagranti, contulit ſe in Galliam, ad eloquentię fontes ipſos hauriendos, & vt Romani ſtudij ſoccos tenerámque mediocritatem Cothurno Gallicano ſuſtolleret. Vnde rediit paulò pòſt in patriam, non diſertus magis, quàm doctrinis vberrimis ornatus, quæ ſumma ſtudioſiorum frequentia tum in Gallia proponebantur. Cúmque noſtrorum laus oratorum in Italiam vniuerſam funderetur, ex hac copia eorum hominum, qui Gallicanam iuuentutem erudiebant, Romani proceres Doctores euocabant, qui Romam, illam videlicet arcem eloquentiæ, vbi tot olim Ciceronis æmuli viguiſſent, noua luce recrearent. Neque enim ſine cauſa idem ipſe quem modo nominabam Hieronymus *vbertatem Gallici nitorémque ſermonis* laudat, & florentiſſima ſtudia, digna omnium nationum induſtria & contentione. Et ſcribens ad Hebidiam Gallicam matronam, honeſtiſſimo loco natam, & ſũma inter ſuos autoritate, ex illius familia duos memorat viros clariſſimos, lumina duo Europæ atque orbis terrarum, quorum alter Paterius dicendi artem Romæ docuerat, Delphidius alter ſummus Poëta, ſummus idem orator omnes Gallias ingenio ſuo illuſtrauerat, quibus eloquentiæ magnitudinem & doctrinam ſæcularium literarum lubens atque laudans concedit. Breui dicam, hoc commune prouinciarum omnium fuit iudicium, qui perfectus in omni genere eruditionis cumulatúſque eſſe voluiſſet, illi orbem humanitatis in Gallia eſſe ineundum, legum autem ſanctionem ciuiliſque viris diſciplinam Romæ diſcendam, quo perſpicuè Rutilius alluſit hoc carmine,

Ep. 4. ad Ruſt. Ep 150.

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis,
Miſſus Romani diſcere iura fori.

Et qui Germani viri ſanctiſſimi vitam poſteritati mandauit Conſtantius, ait illum *poſt auditoria Gallicana,* Romæ iuris ſciẽtiam didiciſſe, vt in eum perfectio literarum plena conflueret. Neque verò mihi cogites in Gallia eos modo ſe his ſtudiis artibúſque dediſſe, quos inopia & impolities, & fortuna tenuis

ad honeſtum glorioſúmque laborem excitaret: Ipſi magnates
qui reipub. clauum tenebant facinoribus inclyti, domi nobiles,
& illuſtri familia nati, non minus eloquentia cæteris & ſapien-
tia, quàm publica dignitatis functione præſtare cupiebant. Sic
regia planè oratione rex Italiæ Theodoricus, dum Senatui vr-
Caſſiodor. l.3.Ep.3. bis Romæ Felicem Conſulem ampliſſimum, natione Gallum
commendaret, laudat imprimis animi eruditi præſtabilem co-
gnitionem, qua videatur digniſſimus omni honore. *Literarum,*
inquit, *ſtudiis dedicatus perpetuam doctiſſimis diſciplinis mancipa-*
uit ætatem: non primis vt aiunt labris eloquentiam conſecutus tota
ſe Aonij fonte ſatiauit: vehemens diſputator in libris, amœnus de-
clamator in fabulis, verborum nouellus ſator, æquiparauerat prorſus
meritis quos lectitarat auctores, &c. Hæc de eo qui prudentiæ
facibus ita præluxit in Romana Curia, vt haberetur meritò
clarus inter tot lumina dignitatum, ait Caſſiodorus. Quæ deni-
que fuit vnquam ætas, quæ Galliam vidit nudam & expertem
eruditionis atque doctrinæ? non enim de temporibus noſtris
loquor, aut ſæculo viciniore, quibus ea floruit clariſſimorum
hominum ſeges & copia ſapientum, quæ facilè omnium lucẽ
nationum præſtingueret. Sed quæ fuit inquam olim tẽpeſtas,
tam bellis & omnium rerum conuerſione impedita, tam gene-
ri humano pernicioſa, tam inimica Mineruæ & Apollini, quæ
non multos in omni genere prudentiæ, in omnium artium ſtu-
ſtio præſtantes aluerit? M. Tullius qui ſuperiorum omniũ glo-
riam dicendo ſuperauit, homine Gallo ad oratoriam duce &
magiſtro, eóque perfecto orandi artifice gloriatur. In Poëſi tã-
tum valuit Gallus Auſonius, vt auguſti imperij maieſtatẽ ele-
gantiæ & ingenij ſui opinione commoueret, & ſummos ipſe
Spartian. honores & curulem dignitatem aſſequeretur. Phauorinus ex
Gellius. eadem Gallia philoſophus, naturæ ſpeculator, & acutus in diſ-
putando, non modò Hadriano Imperatori carus, ſed purpura-
tis aliis admirabilis, ſpecimen ingenij magni, patriæq; doctri-
næ Romã importauit. Symmachus Præfectus Vrbi clariſſimus
cũ eam eruditionem haberet, quàm ſenatus populúſque Ro.
& ipſi orbis terræ moderatores Auguſti ſuſpicerent, tamen
eandem Galliæ totam debuit, agnouit, lubens in Galliã laudã-
Symmach. do refudit. CúmqueRomæ, & in Italia, cũ doctiſſimis homini-
l.8.Ep.68. bus ſæpe eſſet, cùm maximos oratores audiret, tamen vt ip-

Digitized by Google

ſe quodam loco fatetur, *Gallicanæ facundiæ hauſtus* requirebat. Omitto Philoſophos, Poëtas, Oratores: in Theologia quæ princeps aliarum eſt & regina, quàm multi fuerunt inſignes & inſtructi, qui exemplo docerent, noſtrorum hominum ingenia, excepta luce veritatis, natura omni ſuperata, cœleſtium rerum intelligentiam tenuiſſe, & docere potuiſſe? Ante mille & trecentos annos (hic enim, vt priùs aiebam, de antiquiſſimis tantùm temporibus loqui lubet) ſumma voluptate gaudebant; ſuam in diuinis rebus ſapientiam admirationi eſſe barbaris, à tranſmarinis nationibus expeti, quæ in magnis, difficillimíſque rebus, & in media Theologia retruſis cùm hærerent, in Gallorũ eruditione plena grauitatis ſummique ingenij conquieſcebant. Certè in Africa, cum leuiorum quorundam improbitate, ſanctiſſima Chriſti religio tempore magni Conſtantini, in varias & pernicioſiſſimas opiniones diſcerperetur, Antiſtites qui præcipui auctoritate eſſe videbantur, communi conſenſu literas ad Imperatorem dederunt, quibus ſibi dari Epiſcopos è Gallia Iudices, & in ea fidei controuerſia honorarios arbitros, multis votis, graui obteſtatione poſcebant. Tres fuerunt delecti ex omnibus Galli Pontifices, qui in Africam, veriùs in orbem terrarum vniuerſum, non modò morum ſanctimoniam, verùm etiam lucem ingenij & cœleſtium arcanorum cognitionem intulerunt. Quare non mirum ſi D. Hieronymus impium Vigilantium coarguens Galliam dicat ſemper *viris fortibus & eloquentiſſimis* abundauiſſe. Iam vulgaria præterire ſilentio volebam artificia, à noſtris hominibus inuenta & excogitata, quòd præ illis, quæ ſuperiùs dixi præſtantium ingeniorum bona, exiguam laudem habere videãtur: ſed tamen ſuggerit mihi mens & cogitatio, multa eſſe huiuſmodi quæ declarent, noſtræ gentis peracre fuiſſe maturúmque iudicium, admirabilem in excogitando ſolertiam, induſtriam in efficiendo prædicandam. Nero Imperator domum auream extrui curauerat, magna opificij excellentia & varietate, cuius ad augendam magnificentiam Coloſſus deeſſe videbatur, ea mole & operis maieſtate, quæ omnes raperet in admirationem. Cúmque omnes totius mundi prouincias dicto haberet audientes, vnde quos vellet euocare potuiſſet, nuſpiam tamen eo ingenio virum & machinatione tanti operis atque muneris

Digitized by Google

artificem tam præſtantem, quàm in Gallia reperire potuit, vbi natus atque doctus Aruernus Zenodorus, omnium Italorum, omnium gentium induſtriam, artémque ſuperauit. Sed
Plin. l. 34. quid vnum genus artificij enumero? quid eſt bello aut pace
Inuenta quædã veterum Gallorum. tam ad vſum neceſſarium & vtile, tam ad vitam humani generis ornandam accommodatum, quod non præclarè fuit excultum in Gallia, vel quod maximè diuinitatem mentis arguit inuentum & patefactum? In militia quõdam Romani Velitibus vtebantur, ſingulari bellicæ diſciplinæ vtilitate & gratia, quos à Gallis hominibus inſtitutos, loco & armis & pugnandi ratione inſtructos, conſenſus aliarum nationum & grauium Scriptorum monumenta ſignificant. Cùm vulgo omnes lori-
Varro l. 4. cas haberent, è loreis, hoc eſt, corio crudo effectas: Galli primi ex annulis tunicam ferream excogitarunt, & hamatas loricas in vſum adduxerunt. In metallicis quidem operibus fuiſſe maximè induſtrios & ingenioſiſſimos maiores noſtros, teſtimonia ſunt hominum ſapientum quæ doceant. *Plumbum al-*
l. 34. c. 17. *bum incoquitur æris operibus Galliarum inuento*, inquit Plinius, *ita vt vix diſcerni queat ab argento, eáque incoctilia vocant: deinde & argentum incoquere ſimili modo cœpere equorum maximè ornamentis,* &c. Ceres docuiſſe fertur ſerendi rationem, aut Triptolemus, aut neſcio quis alius, quos videmus religione veterum diuinis honoribus cohoneſtatos, re multis fabulis & mendaciis inuoluta: at Galli hanc ab humano genere gratiam inierunt, quod cùm ante cultus agrorum eſſet perdifficilis, & labore penè immani conficeretur, rotas primi ad aratrum ad-
l. 19. c. 1. hibuerunt, quod genus Plinio teſte *Panarati* olim vocabant. Debent Gallis Italiæ populi lanæ aſſueti atque ſordibus, quod lino vti poſſint, tam commodo ad ſalutem & honeſtatem, ſicut & textores olim principes, è Gallia oriundi, famam genti conciliauerunt. Harum autem artium inuentionem rectè meo quidem iudicio, Poſidonius, cuius nomen in Philoſophia cla-
Senec. ep. 90. rum fuit, propriam eſſe viri ſapientis apud Senecam aiebat. Culcitas & tomenta pariter inuentum eſſe Galliarum Romani fatentur, qui priuſquam hoc à nobis didiciſſent, ſtramentis vtebantur. Græci Latinis diu in Comœdia & tota agendi ratione ſuperiores fuerunt, donec Roſcius, natione Gallus, cornicum oculos configeret, à quo iure perſonam excultam fuiſſe

Digitized by Google

aiunt, qui eos ip ſos theatri principes atque Scenæ tanto ſpatio anteiuit, vt iam Roſcius, non tam gentis atque familiæ nomen, quàm honoris & perfectionis eſſe videatur. Sed huiuſmodi ſanè à me omittantur plurima, quæ oſtendunt, & acuta fuiſſe noſtrorum hominum ingenia, & ſolertiam in omnem partem vtilem & ſuſpiciendam. Mecum omnes æqui rerum æſtimatores fateantur, vt nuſquam gentium aurum purius quàm in Gallia gigni, ait Plinius, ſic nullis in imperiis orbis terræ, l. 33. c. 4. nullis in nationibus ſplendidiora ingenia & diuiniora generari. Lateat igitur in tenebris Maternus, qui Gallos cœlo & natura ſtolidos, & expertes humanitatis aſſeruit: de Luna, de planetis, de radiis, de angulis, de vario aſpectu ſyderũ, de oppoſitione, de minutiſſimis rebus & inaniſſimis garriat, ſileat de nationib. nec gentium omnium cenſuram impudenter agat. Sed ſi te vnus, ô mea Gallia, inceſto mendacio violauit, ſi tuum decus imminutum voluit, ſi doctrinæ & ingenij gloriam negauit, innumeri propè alij ſumma ornamenta tribuerunt. Tu es enim verè *Dedux Heliconis*, vt te Symmachus olim nominabat, tu l. 8. ep. 68. facũda, & eloquentia nobilis ſupra tuæ dignitatis æmulas nationes, ita enim Poëta vetus canit,

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos: Iuuen. Sat. 15.

Tu ſemper doctis hominibus abundans, ita bonus omnium opinione Vates prædicat, ---*Gallia doctis* Claud. Paneg. 7.

Ciuibus & toto ſtipauit Roma ſenatu.

Te ſapiens & magna vitæ innocentia D. Hieronymus *fertilem Oratorum* nominat. Procem. in ep. ad Gal. Tuo merito te Iulius Celſus *diſciplinarum parentem* appellat. Te ſumma fide mihi pingit Iſidorus l. 9. dum mores gentium delineat, *Romanos graues, Græcos leues, Afros verſipelles, Gallos natura fortes atque acriores ingenio peruidemus.* Itaq; iam non verebor in luce orbis & omnium imperiorum conſpectu, aureis literis, quaſi in tabella magnificentiſſimum illud elogium conſecrare, quod Agrippa Rex Gallis tribuit, eos πηγὰς ὡς ἄν τις εἴποι τῆς εὐδαιμονίας ἐπιχωρίους ἔχοντας, τοῖς ἀγαθοῖς σχεδὸν ὅλην ἐπικλύζειν τὴν οἰκουμένην, Ioſeph. l. 2. bel. Iud. c. 16. *Fontes vt ita dixerim felicitatis domeſticæ habentes, omnibus bonis totum penè orbem irrigauiſſe.*

Sed πῆ παρέβην; cur tu Iuuenti me ἀδόλεσχον, & quaſi extra ripas diffluentem non coërcebas? Tum celeri ſe corporis

Digitized by Google

motu extulit in pedes & aërem liberiorem captauit : & ſimul, Religio mihi eſt, inquit, pulcherrimi diei partem ſedendo quieſcendóque deterere, nam me quidem inambulatio magis delectat, hæc præſertim eruditione ſuauis, nec malè puto iuniorem dixiſſe Plinium, *Non Dianam magis montibus, quàm Mineruam inerrare*. Iſtuc, inquit Iuuentius, tecum iuxta ſentio: enimuero mihi hic dies tam commodus ad inambulandum in mentem reuocat, quod tu fore iam ante aliquot dies eras pollicitus, vt cognatum noſtrum *Honoratum* inuiſeremus. Id ſi à nobis eſt faciendum, vix tempus in eam rem magis opportunum ſperari, aut etiam optari votis poſſe puto. Quid tibi videtur? Non abhorreo à tuo conſilio Victor inquit, & iam mane de eadem re cogitaueram. Sed moneo properato eſſe opus, priuſquam ſe calor intendat. Sol enim, vt vides, quem paulò ante orientem dulci aſpectu ſalutabamus, ardorem atque incendium minatur. Igitur ait Iuuentius paululum domi ἐν παρόδῳ guſtemus, tum dabimus nos celeriter in viam.

Lib. 1. ep. 6.

Vera nobilitas ex emblemate declarata: eam Virtute fulciri, duabus potiſſimum artibus illuſtrari, quid tria Lilia Gallicana ſignificent.

CAPVT V.

BREVI temporis interuallo, & ſine magna corporis moleſtia iter illud confecerunt. Nam & locus duobus aut tribus milliaribus aberat, non plus certè gallica vna leuca: & tum fuit (cum Poëta loquar Epicureo) *liquidiſſima cæli tempeſtas*, quæ geſtientem animo lætitiam ingeneraret. Patenti aditu in cortem ingrediuntur, vbi magna ſolitudo; quippe Honoratus tum hærebat in libris, & de fontibus Heliconis hauriebat: Villici autem familia omnis in agros ierat. Tum Victor, Abeſſe dominum ex eo inquit facilè coniicias, quod liberior in hunc locum ſit ingreſſus, nam ſapienter mihi videtur monuiſſe Ariſtoteles, nunquam à Villa Ianitorem abeſſe oportere. Quanquam cùm id cuſtodiæ cauſa ſit excogitatum, ſi nihil

In Oecon.

ſit

ſit quod cuſtodiendum eſſe videatur, cuſtodem ſine cauſa requiramus. Magni viri perennem, inquit Iuuentius, habent rerum ſuarum cuſtodem Auctoritatem, quam vicini omnes verentur. Hæc cùm dicerent, oculos circumducebant admiratione affecti: & ſanè ſpecioſiſſimum fuit atrium ferè quadratum, è dodrante cinctum ædificiis, quorum media elegantiſſima ſubſtructio tribus aut quatuor omnino tabulatis in altum erigebatur, faſtigio exquiſitius elaborato, artificio nõ vulgari. Nam ſenator ædium dominus, cùm non tantùm opibus circunflueret, ſed polleret præſtabili ſapientia, id veriſſimum exiſtimabat, quod eſt à Lycei parente ſcriptum, *eſſe viri magnifici & honorati*, οἶκον κατασκευάσασθαι πρεπόντως τῷ πλούτῳ, quod inde aliquid etiam dignitatis & ornamenti in vitam redundet. Itaque ſuum ſtudium, & diuturnas cogitationes, ad eã domum exædificandam, & ornandam contulerat, eóque libentius, quod eſſet nobilis proſapiæ atque generis primaria quædam ſedes & origo. Dum taciti ingredientes ad ianuam aulæ propinquant, ecce tibi animaduertunt in propylæo ſigillaria duo è marmore, quorum ſpecies ad pulchritudinem inſignis tenuit oculos: duæ fuerunt imagines affabrè factæ, virgineo cultu & incredibili venuſtate vna, altera viri aut herois fulgentibus armis ſepti & muniti, de numero cœleſtium aliqui eſſe videbantur, in emblemate & bono lumine collocati ad res magnas ſignificandas. Hinc inde brachio æqualiter extento mediam lunam cornicularem manu tenebant, cui etiam erecta claua ſubiiciebatur. In ſuperiori autem parte erat ſcriptum aureis literis Εὐγένεια. Aliquantiſper in tantæ rei conſideratione hæſerunt, cùm Iuuentius cuius erant celeres ingenij motus, quíque ſubito iuueniliter efferrentur, Videor, inquit, mihi non imperitè ſcirpum hunc enodare poſſe. Tum Victor, Age profer Oedipe argutulæ notiones animi tui, quas mirabiles eſſe oportet, vt qui nodũ in ſcirpo inueneris. Nodum, ait Iuuentius, ſi ita lubet appelles, ſcindam faciliùs quàm Alexandri machęra. Nam hîc certè quidem *inconſtantiam* qua labat animus, & reciproca mutatione variatur effictam puto, ſolerti quadã ratione ſtabilitam, quod mihi opus diuinum eſſe videtur propriúmque ſapientis. Quis enim eam quam vides Lunam, Symbolum eſſe neget leuiſſimæ inconſtantię, & inconſtantiſſimę

4. Ethic. 7.

Emblema

Digitized by Google

leuitatis? quæ modò gibberoſa eſt, plena & protuberans, luce lucens aliena, modò diuidua, modò curuata in cornua, ſpectat interdum ſolem Orientem, aliquando Occidentem, tum ſe induit veluti in tenebras, mox ſe emergit & oſtentat, ſepties denique mutat figuram, vt Seleucus Mathematicus animaduertit. Quare ſapiens cœlo afflatus oraculo diuino pronunciauit, Stultum vt Lunam, cœleſtium Proteum, ſubinde mutari. Hãc Lunam manibus tenent, hinc ille Martio vultu Heros, inde vultu pleno dignitatis pudoriſque Diua, quam ego Virtutem interpretor, quod nimirum duo ſunt moderandæ inconſtantiæ adiumenta, magna imprimis & inuicti generoſi animi fortitudo, tum placidæ mentis ſapientiſque conſilium, quibus veluti duobus retinaculis illa morum ſtudiorúmque temeritas coërcetur. Illa enim duo efficiunt, vt quemadmodum aiebat Socrates, ἀνδριὰς μὲν ἐπὶ βάσεως, *ſtatua in ſua baſi, ita virtutis ſtudioſus*, ἐπὶ καλῆς προαιρέσεως ἑστὼς ἀμετακίνητος ᾖ, *in propoſito animi honeſtiſſimo firmus & immotus hæreat.* Iam ſi hominum cõditiones omnes intueamur, viuida vis illa animi appetitionũ moderatrix, & parens conſtantiæ, nulli potius quàm nobilitati conueniet, hinc opinor titulus ille fuit appoſitus εὐγένεια. Itaque vt olim in Delphici templi aditu, arcanæ mentis effatum illud proſtabat γνῶθι σεαυτὸν, quod Plato Numinis eſſe vocem aiebat, qua ingredientes ſalutaret, moneretque eſſe frugi & in omni re moderatos: ſic ædium harum dominus, iſto emblemate conſalutare mihi videtur huc de more venientem nobilitatem, tacitéque monere de retinenda conſtantia, eiiciendáque leuitate, ſi modò eam, qua mirificè gloriantur, εὐγένειαν tueri cupiunt, ſuíſque poſteris efflorefcentem dimittere.

Clem. Alex. Strom. l. 6.

Stob. ſerm. 2.

Victor hîc conuerſo vultu, Hic te dies, Iuuenti, inquit, myſtagogum redidit, & obſcuræ ſapientiæ interpretem, & neſcio an tibi hodie ſol benignius mentem afflauerit, quem ad rerum intelligentiam, percipiendámque veritatem ſuo lumine plurimum poſſe, doctrina fuit ſapientum. Notum enim illud eſt Heracliti, εἰ μὴ ἥλιος ἦν, εὐφρόνη ἂν ἦν, *ni ſol eſſet, homines ſanè in æterna caligine futuros, & omnium rerum ignoratione.* Dũ fabulantur, ſenſit è muſeo Honoratus adeſſe aliquos, & deſpectans è conclaui, intuetur affines, dulces & fidos amicos, quibus neminem ferè amiciorẽ habuit nec iucundiorem. Raptim

Plutar. de anim. ſag.

è veſtigio prouolat,& gradibus curriculo emenſis prodit foras: tum ruens in amplexum,O chara,inquit,mihi capita:vt vos lubens gaudióque geſtiens coram aſpicio. Nunquid noui? Nil, ait Victor,pigros & inertes habes,& annuis Vacationibus otioſos: *gloriari otio iners ambitio eſt*, aiebat Seneca, nos non modò Senec. ep.
gloriamur,verùm & triumphamus. Hîc Iuuentius, Audacium 69.
more gladiatorum è ludo fugimus, itaque vagamur, ſtrophia lemniſcata metimus,agros populamur,plus cladis propè adferimus, quàm Spartacus olim in Italia.Benè habet, inquit Honoratus:in Craſſum incidiſtis. Ego ergaſtulũ hic habeo, quod Polymathia ædificauit, plenum inſcriptis & literatis (bibliothecam intelligebat)in quod vos fugitiuos compingam. Sed ſi lubet ingrediamur. Victor contendit fieri id non poſſe,quin ſolutos prius expeditóſque velit.Nã illæ,inquit,imagines in prothyro duæ,ad iſtam Lunam memoriam reuocantes, ſuſpenſos habent, remorámque iniiciunt: & eſt verendum,ne ſi ἀμύητοι penetrale ſubeamus,Sphynx aliqua perniciem nobis creet. Ne metus ſit, reſpondet Honoratus, nec eſt negotium tã implicatum & obſcurũ,vt Oedipo ſit opus. Aſpicite lemma illud notis aureis inſignitum Εὐγένεια, tum facilè rem vniuerſam capietis. Parens enim meus,quem non nimis imperitum, nec expertem honeſtatis & officij cognoſcitis, hic veram & ſuis numeris abſolutam Nobilitatem, non fucatã voluit exprimere. Luna in- *Nobilitatis*
primis hęc media hieroglyficum eſt nobilitatis,vt prophani ſa- *Hierogl.*
pientes, & diuinæ mentis interpretes nuntiique dixerunt. Patrium certè morem hunc apud Hebræos Vates maximus prodit Iſaias, vt nobilium ornatus mulierum luna diſtingueretur, quæ foret index clari generis & antiquæ proſapiæ, *bullulas in ſi-* Iſai. 3.
militudinem lunæ pendentes, ait fuiſſe D. Hieronymus, S. Baſilius *μηνίσκους aut μανίκας*. Apud Romanos nihil notius quàm διαφέρειν δοκοῦσας εὐγενείᾳ ſolitos in calceis ferre σεληνίδας au- Plutarch. probl. 76.
thore Plutarcho. Philoſtratus de Conſule verba faciens, ait Philoſt. de
eum tuliſſe ἐν ὑποδήμασι ξύμβολον τῆς εὐγενείας: illud autem vit Sophi.
quale fuerit ſic explicat, τοῦτο δ' ἐστὶν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς, *talare eburneum Lunæ imaginem præferens*. Hinc Papinius Stat. 1. 5.
eleganter *patritiam Lunã* indigitat,& Poëta vetus alter generis Sylu.
dignitatem adumbrans ita canit - -*nobilis & generoſus*

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ Iuuen. Sat. 7.

Hanc Lunam hinc inde capiunt *Mars* ille ferro collucens & tunica adamantina cinctus, tum hæc *Dice* præſes æquitatis, quã τῷ Διὶ πάρεδροι eſſe voluerunt. Huius inuenti rationem præcipitis iam animis, niſi mea me fallit opinio. Sunt enim præcipuæ artes duæ quæ nobilitatem deceant, quæ eandem tueantur, & egregio quodam cultu & ornatu cohoneſtent, *Bellicæ* diſciplinæ gloria, & *Iuris* ciuilis cognitio, quæ homines in ampliſſimo gradu honoris & dignitatis locare ſolent. Hæc ſemper omniũ fuit opinio, eſſe illa imperiorum firmamenta, & veluti anchoras penitus aureas Dei beneficio adinuẽtas, quibus omnis reip. laus & gloria, beatitudinis in portu & otio conquieſcat. Ille caſtris aſſuetus, ſtrenuus & animoſus, & fortis ad vindicãdum, vt ſanguinis aculeo incitatus, haſta & gladio & animi conſtantia fretus, hoſtium vim impetúmque refutat, & inſita vi magnæ mentis atque excellentia, patrimonium dignitatis glorioſiſſimè tuetur. Nam profectò veriſſimè dictum ab Euripide,

> φέρει δὲ καὶ τοῦτ' οὐ μικρὸν ὁ εὐγενὴς
> Ἀνὴρ στρατηγός.

Plurimùm in eo momenti eſſe poſitũ, vt militiæ dux & Imperator ſit nobili genere natus, ſtirpe antiqua & honorata familia, quod ij homines neſcio quo parentum genio, & naturæ impulſu, ad magna omnia gloriãdáque vocentur. Alter autẽ non à militari tabernaculo, ſed purpureo Themidis conopeo veniens, ſatur animo grauiorum rerum cognitione, clypeo legum & eloquentia munitus, pacem retinet in beata ciuitate, neque domi, atque in ſinu reip. vllius facinoroſi dominari ſinit crudelem audaciam, & impunè volitare. Hoc item opus plenum autoritatis & amplitudinis, qui non videt ingenuæ nobilitatis eſſe proprium, nihil videt, cuius ſanè aures perſonare continuò debent iis vocibus, quæ Seruium clariſſimum olim effecerunt, *Turpe eſſe patritio & nobili viro ius ignorare*. Neque verò poſſum non maiorum noſtrorum conſilium plenum prudentiæ diuinúmque mirari, qui in Armorica olim vetuerunt quenquã eſſe Patronum cauſarum iúſque attingere, qui non eſſet nobilis, quod lucem Curiæ & æquitatis & præſtantiſſimam gloriam, pollui ſordibus familiæ crederent & funeſtari. Breui dicam illas duas artes, geminum vt ſcopum, nobili è domo oriundis fuiſſe propoſitas, in quas ſtudia & voluntates collinearent, & eam ip-

D. de orig. iur.

ſam à maioribus ortam nobilitatẽ duplici hac gẽma coronatã, multò illuſtriorẽ ſplendidioreque extitiſſe. Quæ cauſa fuit, cur, vt paulò ante aiebam, Mars & Dice hãc vtrinque Lunã tenere fingantur. Videtiſne verò clauam Herculeam, columnæ inſtar, eidem Lunæ ſubiectam, eandémque ſuſtentantem? Non eſt meum vos docere, quod multò antè legere potuiſtis, Herculis clauam è robore confectam apud veteres habuiſſe Virtutis ſignificationem. Hoc viri docti qui reconditæ ſapientiæ quaſdam veluti officinas ſtudio immenſo & conquiſita varietate inſtruunt, tanto ante monere viſi, & docet Auguſti nummus, in quo expreſſa claua Herculis, cum inſcriptione, *Virtus Auguſti.* O præclarum & diuinitus elaboratum fulcrum nobilitatis! Olim columnam præſtabile monumentum gloriæ & virtutis ſummis viris ſolebant erigere, teſtis Ennius de Scipione, *Quantam*, inquit, *ſtatuam faciet populus Romanus, quantam columnam quæ res tuas loquatur:* at hac claua magno animo viri & antiqua nobilitate fulgentes nullam eſſe ornatiorem columnam exiſtimauerunt. Sic magnificè de ſe quondam & glorioſè prædicauit Athenienſis Iphicrates, militiæ domique princeps, dum in conuentu ciuitatis, vnius hominis furioſam loquacitatem & maledicta refutaret, Mihi, inquit, columna cœlum attingens in Peloponeſo virtutis meæ teſtis poſita eſt. In hac igitur firmiſſima columna, hoc eſt Virtute, niſi nobilitas noſtra nitatur, ruet profectò, neque Mars ille gladio inuicto nitidíſque armis coruſcans, aut illa cara Deo Dice tueri ac ſuſtentare queant. Imò verò pulſa virtute & repudiata, martius nobiliũ ardor, & impetus animi generoſi, furor euadit, & peccandi impunitate libera audacia: & ſacra Dice auaritia conſtuprata, meritoria fit impudénſque lupa, non vt eam depingit Heſiodus virgo verecunda: denique vniuerſum hoc vitæ humanæ decus, & hic ſplendor nobilitatis præſtantiáque deflorеſcit. Itaque mihi quidem videtur ſapiens Ariſtoteles bellè nobilitatem deſcripſiſſe, cùm ait εὐγένειαν eſſe ἀρετὴν γένους.

Claua Herculis. Virtutis hieroglyf.

Trebell. in Claud.

Ariſt. l 3. Polit. c. 8. Iuuenal. ſat 3.

Nam, *Tota licet veteres exornent vndique ceræ*
Atria, nobilitas ſola eſt atque vnica Virtus.

Quod opinor intuens magnus animo conſilióque Theodoſius, multa grauiter Honorio ſuo præcipiens monet, videat diligentius & conſideret, non ſe Parthum vel Aſſyrium eſſe

Claudian. Paneg. 4.

Dynaſtam, qui præter ſuperbientis animi contumaciam nihil in bonis ducat. Nam ſi fortuna in eo te, inquit, ſolio collocauiſſet,

Sufficeret ſublime genus, luxúque fluentem
Deſide nobilitas poſſet te ſola tueri.
Altera Romana longe rectoribus aula
Conditio, virtute decet non ſanguine niti.

Arist. 2. Rhet. c. 15.

Gul. de Nang. de reb. geſt. S. Ludou.

Atque hoc ipſum eſt quod meus parens hac ingenioſa machinatione atque ſtructura docere nos adoleſcentes voluit, mancam & tenuem & euanidam eſſe nobilitatem, niſi virtute fulciatur, & tantùm non habendum in memoria ſemper Iphicratis illud oraculum, ὅτι γενναιότατος ὁ βέλτιςος, *eum qui ſit optimus, eſſe nobilem maximéque generoſum.* Idem prope maiores noſtri hieroglyphicum eſſe voluerunt in tribus liliis Gallicanis, quibus tacitè ſignificari aiebant, tria quædam eſſe Galliç ornamenta, quibus alias orbis terrç nationes, & omnium Imperiorum homines clariſſima gloria anteeat. Ea enumerant fidem, ſapientiam, & bellicam diſciplinam: & fidem eſſe omnium laudatarum actionum fundamentum, cui ſi accedat ſapientia, fore decus liliorum magnum & excellens, eaque duo militari gloria, & viuida vi generoſç nobilitatis muniri & defendi. Sed quid dico? quibus hæc loquor? cur vos feſſos durus & imprudens ſtare diutius hic patior? Intro igitur tandem aliquando eamus. Deinde cùm vtriúſque manum arripuiſſet, vi penè modeſtiç cauſa repugnantes prç ſe in aulam compulit. Tum aduocato puero in aurem dixit, paret prandium quam celerrimè fieri poſſit, ſibi enim duos illos hoſpites hodierna die futuros.

Bibliotheca μυριόβιβλος omni apparatu inſtructa. Mechanica lucerna. Amorum hortus. Hæretici Scarabæi & Cimices.

CAPVT VI.

IN aulam introgreſſis ita imprimis Honoratus, Nihil, amici, lautum & elegans hîc reperietis: ſordida omnia ſitu & pædore obſita horridáque. Abſunt parentes vti ſcitis, & iam in vrbe commorantur: itaque nulla periſtromata & aulæa parie-

Digitized by Google

tes inumbrant. Multò minus hîc videatis, quæ in veterum monumentis quotidiano vſu legere potuiſtis, aurum, argentum, ebur, tectoria, incruſtationes, penſilia & in morem cœli picturata laquearia, pauimenta, vt ait Apuleius, pretioſo lapide cæ- Apul.l.5.
ſim deminuto in varia picturæ genera diſcriminata, non deni- Metamor.
que illa Menelai δώματα ἠχήεντα. Quanquam ſcio hanc in vrbe quamplurium eſſe opinionem, à meo Patre hîc fuiſſe opus ad inſignem magnificentiam ædificatum & inſtructum. Si quę fuerunt aliquando, quæ nouitate aut pretio tenuerunt oculos, iam quidem fere abſunt omnia, in hac ſolitudine minus neceſſaria: quippe qui ſolus hîc verſor adoleſcente vno comitatus, qui mihi anagnoſtes, amanuenſis ταχυγράφος, à pedibus, à cyathis, & vno vt verbo dicam ardelio.

Hic Victor, Inaudieram quidem multa de huius pulchritudine domus, & eleganti ſubſtructione, neque vana certè nuntiabantur. Nam vt omittam admirabilia illa quæ thecis & cõclauibus ſolita cuſtodia retinentur, iſta quæ hoc vno in loco in aſpectum veniunt quanta ſunt? Caminus ille imprimis aureis anfractibus, ſecto marmore, ſimulachris & columnis, & nouo quodam & inuſitato artificij genere expolitus, citrea menſa, pari venuſtate abacus, illæ feneſtræ Punicanæ toris & corymbis exotico ſcalpro inſignitæ, laquear picturis variegatum & collucens, ſolum ipſum verſicoloribus quadris & teſſellis aſaroti modo belliſſimè coagmentatum, tum quæ circunſtant alia. Ex quo profectò non difficile ſit aſſequi cogitatione, quæ lateant in receſſu, cum hoc aditu, ſuis vt dicis conſuetis ornamentis ſpoliato, tam multa & præclara videamus. Neque verò incruſtationes quas paulò antè nominabas hîc magnopere deſidero, quas Mamurra homo impurus & flagitioſus, ad æternã infamiam nominis à Poëta notatus, primus in vſum inuexit. Plin.l.35. c.6.
Imò verò ſuſpicio mirórque vehementius id à Senatore longè Catull in
ampliſſimo tuo parente fuiſſe perfectum, quod monebat Epi- Epig.
ctetus, μὴ τοῖς ἐξ εὐβοίας καὶ Σπάρτης λίθοις τοὺς τοίχους τῇ κατα- Epictet.
σκευῇ ποίκιλλε, ἀλλὰ τῇ ἐκ τῆς Ελλάδος παιδείᾳ τὰ στέρνα τῶν πολιτῶν διακόσμει, non ſecto in laminas marmore quod ex Eubœa & Sparta conuehatur, artificioſa ſtructura parietes inſigniendos & illuminandos eſſe, at diſciplinis & Græcorum humanitate atque ſapientia omnium ciuium animos excolendos & or-

nandos. Miror te Honorate, inquit Iuuentius, qui hîc omnia ſitu & puluere ſordentia dixeris, cùm ne Deuerra quidem ipſa hęc nitidiora poſſit efficere: itaque non dubitem puero iſti tuo πολυτηχνῷ palmam in hac re tribuere. Sane palmã, ait Victor, nam ſcoparij ea olim vſi, ni Poëtæ mentiuntur: nam Martialis,

Mart. l. 14. Ep. 82.

In pretio ſcopas teſtatur palma fuiſſe.

l. 2. ſat. 2.

& Horatius,

Ten' varios lapides lutulenta radere palma.

Sed ſi palma iis quæ excellunt, quæque ſunt maximè egregia, tribuenda ſit, cùm palmaria hîc tam multa videantur, inops etiam foret hic Idume inaniſque foliorum. Neſcio, inquit Honoratus, quibus oculis, amoris certè & beneuolentiæ, noſtra contuemini, & effertis quæ mediocria ſentio atque profiteor. Sed placétne in Bibliothecam, quam ſat ornatam hic habemus, conſcendamus? nam cubicula quidem fere omnia aut clauſa modò ſunt, aut ſine cultu & ornamentorum dignitate. Cùm ſe id maximè velle dixiſſent, inuitabat eos vt præirent, qua lati gradus pandebantur, illi autem vt ratio honeſtatis poſcebat, refugiebant quam maximè. Vrgebat tamen Honoratus, penè vſus præconio ex antiqua formula, *Iſtam viam dico, inite viam:* tum ne eſſet contentione moleſtior, anteiuit. Superior fuit Aula Muſis & Pædiæ conſecrata, vel potius diuinæ Menti humanæ ſapientiæ & cognitionis effectrici, late patens & ornata, magnifico inſtrumento, lauta & elegante ſupellectili, quæ vtriúſque oculos ingredientis ſuo ſplendore præſtinxit, nihil enim vnquam ſimile in vrbe viderant. Delectus erat ei rei locus, quo nullus potuit eſſe ſplendidior: nam vtrinque perforatus optimis ſpecularibus diem excipiebat, iucundiſſimo aſpectu in hortos & in agros, quo feſſa mens diuturno ſtudio & contentione mirificè recreabatur. Circùm plutei excurrebant colore vario, loculamentis peropportunis inſignes, ad volumina tot & tanta comprehendenda, quæ frontibus aureis ſtelliferi cœli globos igneos æmulabantur. In medio menſa, iis ornata rebus, quæ doctrinæ ſtudioſis perutilia ſunt ad memoriam, tum iuuandam, tum excolendam: cui imminens è lacunari pendebat lampas, gemina illi candelabro, quod ſummo artificio perfectum Theodoſius habuiſſe memoratur: aut lucernis iis ſimillima, quas induſtria planè mirabili, Caſſiodorus

Bibliothecę deſcriptio.

Sozom. præfat. l. 1. *Lampas artificioſa.*

Caſſiodorus ad nocturni ſtudij lucubrationes, & laborem honeſtiſſimũ accõmodauerat. Eam lampadem vix ego melius, quàm huius doctiſſimi hominis oratione deſcripſero, ita enim habet, *Parauimus etiam nocturnis vigiliis mechanicas lucernas conſeruatrices illuminantium flammarum, ipſas ſibi nutrientes incendium, quæ humano miniſterio ceſſante prolixè cuſtodiant vberrimi luminis abundantiſſimam claritatem.* In extremo angulo fuit Horologium magnitudine exiguum, pretio maximum, de quo verè id dicatur, materiam ſuperabat opus, nam lateribus inauratis rotas includebat ſplendido ferro, pulcherrima deſcriptione, ingenioſa ſolertia concinnatas, & non modò fronte picturata acu & radio, verùm etiam lætiſſimo ſono diei horas deſignabat. Quo fiebat vt ſapienter id à magno Caſſiodoro pronunciatum videretur, *Horologia ad magnas vtilitates humani generis fuiſſe inuenta.* Propè lectulus poſitus erat lucubratorius, ſtrato viridi, clauis aureis eleganter diſtinctus, in quo Senator vir ampliſſimus diffindere diem inſititio ſomno conſueuerat, vel quæ prius legiſſet, collegiſſet, maturo iudicio in ordinem coniicere, vel in ſubtilium rerum anquiſitione tota mente atque omnibus animi viribus incumbere. Hæc & alia quæ tuendi nulla eſſe potuit ſatietas, Victor & Iuuentius pene è limine, inque ſuo hærentes gradu aliquandiu mirabantur. Tum Victor, Hanc veſtram Honorate bibliothecam, vt Conſtantinianam illam quõdam in Oriente, meritiſſimo licet *Amorum hortum*, & amœniſſimum Gratiarum lucum appellare, ita nos primo aſpectu humaniſſima quadam voluptate gratiáque delectat. Ptolemæi bibliotheca cedrinos habuiſſe dicitur forulos, Palatina verò aureos: hæc vndique pretio & venuſtate aurea eſt, & non tam cedro, quàm tuo & tuorum ingenio immortalis æternáque futura. Vlpiæ Traiani memini, quam Romani propter ſingularem excellentiam obſtupeſcebant, magna enim linteorum librorum copia affluebat: ſed illi ipſi cum his voluminibus comparati, thecæ quædam nominari tuorum iure poſſe viderentur. Quid ego hîc dicam, ſanè, inquit Iuuentius, non habeo, niſi quod Symmachus de ſpecioſiſſima villa Tyburis ad filium ſuum olim ſcribebat, *Frequentare has ſedes Orchomenias dixerim Deas, atque eas ſedulò adniſas, vt te conciliarent ædibus ſuis dominum.* Papæ! quanta li-

Caſſiodor. l. diuin inſtit. c. 19.

Horologiũ.

Conſtant. Manaſſ.

Sym. l. 7. ep. 10.

brorum copia: quanta ornamentorum! Illa tabularum picta varietas, quas circùm ſupra ipſos pluteos video, an non Pollionis magnificentiam omnem ſuperarit, quem primum Romæ inſtituiſſe bibliothecam ferunt, eámque imaginib. doctorum hominum exornauiſſe? Cùm Ptolemæus Pergamenæ philologiæ æmulus locum Alexandriæ condidiſſet, ad Veterum libros capiendos, quos mirifica nominis ſui gloria ad ſeptingenta millia comparauit, Muſis & Apollini magnificentiſſimos ludos inſtituit, præmiáque propoſuit ad intelligentium hominum ſtudia celebranda: tu hic Honorate, cum Muſis & Apolline ipſo ludis, ad ingenij vim exacuendam, vnde non mirum, ſi quaſi Theorus aliquis, ex hoc templo camœnarum prodiens, referas nobis oracula eruditionis atque doctrinæ. Hic Honoratus, Vereor ne cultus & externa ſpecies vos in fraudem impellat: neque enim vt communi verbo iactari ſolet, aurum id omne eſt quod nitore coruſcat. Si propius ſingula contueri lubet, tum melius arbitratu veſtro ſententiam feretis. Tum cœpit illos circum ordines omnes librorum ducere, qui generib. ſingulis atque titulis bellè & accommodatè erant diuiſi: & à dextra incipientes incurrunt in Theologos. Erat vis magna Scripturæ Interpretum, tum recentium, tum eorum, qui ab vltima antiquitate in eo ſcribendi genere floruiſſent: magnus etiam Theologorum numerus, qui res abditas & obſcuras, de fidei Chriſtianæ myſteriis, ſumma copia & ingenij vbertate fœliciſſimè explicarunt: inter quos lucet princeps omnium opinione D. Thomas, cuius opera diuinitus excogitata ordine collocabantur. Picta verò clariſſimo in loco diuiniſſimi illius hominis erat effigies, & pluteo imminens, periucundum & humaniſſimum intuentium ſpectaculum. In eius manu laurea fuit triplici toro ſtrophiolis roſeis variegata, trino Gratiarum nodo mirabilem in modum euincta, lemniſcata: quæ tres illas feliciſſimi animi dotes exprimebat, quas Theologi Aureolas vocant, doctrinæ, virginei pudoris, & religioſæ vitæ inſignia. In ſiniſtra liber cæruleo tergo & purpuraſcente, in quo ſcriptum aureis literis θαῦμα ἰδέας, quod Ioannis XXII. ſummi Pontificis oraculum referebat, qui cùm eum in Diuorum numerum aſcribens, magna omnium ordinum frequentia grauiſſimè prædicaret, patribus dixit

Plin. l. 7. c. 30. & l. 36. c. 2.

Gellius l. 6.

Vitru. præfat. l. 7.

Digitized by Google

purpuratis, ad teſtificandam Thomæ ſanctimoniam non eſſe opus miraculis; cùm tot ipſe miracula viuus edidiſſet, quot in libris exarauiſſet quæſtiones. E cœlo fundi lux videbatur, in eúmque incidere, quod nunquam ad ſtudia accederet, quin priùs facta precatione diuinitus illuſtraretur. Iuuentius in ea ſcriptorum copia θεολογουμένων exhorreſcens, Miror, inquit, Senatorium virũ Curiæ addictum, & communi rei adminiſtrandæ, de obſcuris diuiníſque rebus tot habere commentarios voluiſſe. Imò, inquit Honoratus, tantùm abeſt vt hac copia ſit contentus, vt quotquot modo in lucem prodeunt, ſtudioſiſſimè conquirat. Neque enim ſibi ſoli parat hunc theſaurum, ſed amicis, ſed communi pietati, poſteritati etiam vniuerſæ: præterquam quod ad ſplendorem & magnificentiam quandam hoc ſpectat minimè reprehendendam. Sic in illa Alexandrina bibliotheca fuiſſe videmus Moſis Commẽtarios, & diuiniſſimorum Vatum prædictiones, pretioſiſſimis in forulis nidíſque incluſas, cùm Ægypti doctus ille moderator iiſdem minimè vteretur. Theodoſius iunior Romani imperij Dominus, ſuam bibliothecam haud putauit ſatis inſtructam, niſi Patrum & Theologorum ſcriptis oppleuiſſet. Nam de illo ita Socrates memoriæ prodidit, *Libros etiam tum qui ſacra* Socrat. l. 7.
Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorum interpretibus c. 21.
conſcripti erant, multò diligentiùs quàm Ptolemæus Philadelphus olim in vnum colligendos curauit. Hunc denique, Iuuenti, morem eſſe audio omnium iam elegantium, qui nec à re domeſtica ſint imparati, nec ab vllo doctrinæ genere alieni.

At Victor, Cùm tantus, inquit, ſit Auctorum numerus, qui de fidei rebus diſſeruerunt, non puto Auunculum meum Honorate, (noui ſatis viri ſapientis religionem) huc vllum hæretici fœtum induxiſſe. Abſit, inquit Honoratus, vt iſta labe, hic tantus quem in cœlum attollitis ſplendor, & ea ſeges eruditionis polluatur. Pater enim meus Vatiniano quod aiunt odio proſequitur eos, qui Eccleſiæ nefarium bellum indixerunt. Hæreticos componere conſueuit cum Scarabeis, qui luce crepera nocturno veluti murmure circunſonent, ſed iidem in ſtercore volutentur: Itaque ſibi quidem illos putere, illorum ſcripta

commentarióſque fœtere ait. Nam vt verè politéque dictum eſt à ſanctiſſimo Auguſtino, cimicibus perſimiles ſunt hæretici, *viui mordent*, *mortui fœtent*. Sed placétne alios vt ordines videamus?

Iuſtitiæ Præſidis imago. Iuriſperitorum flos electus & eodem coronatus Iuſtinianus. Griphus ternarij iuri & iudiciis variè accommodati.

CAPVT VII.

PROXIMVS erat ordo Iuriſperitorum: hic verò longè maiorem varietatem autorum & voluminum animaduertebant duobus titulis inſignium, quorum alter iuris fuit Ciuilis, alter Canonici ſiue Pontificij: ſub vtróque Scriptores erant penè infiniti, veteres benè multi, mediæ ętatis nonnulli, nuperi etiam quidam præſtabili ingenio viri abundantíque doctrina, quos ferè omnes Honoratus, qui iam plurimos euoluerat, vt ſapiens Myſtagogus aut peritus nomenclator nominibus ſuis deſignabat. Pulpito autem imminebat ingens tabula ſingulari ſanè artificio elaborata, limbo inaurato, lateribus æquis, hinc criſpanti mæandro illuminatis quà plana iacent, hinc crena multiplici diſcriminatis quà oræ rigent. In medio ſolium videbatur ex ebore maximum, purpureis notis inuſtũ, cœruleo faſtigio, in quo ſedebat auguſta maieſtate vt terrenus Iupiter iuris & legum inſtaurator *Iuſtinianus*. Læua tenebat orbem cruce illuſtrem, gemmis ornatum clariſſimis, qualem ſummus religionis arbiter Benedictus Henrico Imperatori dedit ſumma totius populi Romani gratulatione. Dextera modicè eleuata, quaſi oraculum editurus, atque moniturus quę in Procœmio Digeſtorum poni voluit, dum iuris ſtudioſos alloqueretur, *Oportet prius animas, & poſtea linguas fieri eruditas*. Eo penè habitu quem deſcribit Suidas in hæc verba, *Iuſtinianus ſtatuam ſuam in columna poſuit, quæ læua globum tenet, cruce in eo defixa, quæ ſignificaret eum, ob fidem in crucem, terræ dominum factum. Dextram porrigit*, &c. Toga picta velat humeros, & la-

Glab. Rodulph. li. 1.

tè hinc inde funditur operè Phrygionis intexta, qualem Sophia Auguſta illi demortuo iniecit, palma & laureis & magni illius Imperatoris rebus geſtis, arte mirabili, exquiſita opulẽtia variatam, quam Poëta pingit Corippus, cùm Iuſtiniani funus & pompam exequiarum deſcribit,

Attulit intextam pretioſo murice veſtem *Corippus.*
Iuſtinianorum ſeries vbi tota laborum
Nexo auro inſignita fuit gemmíſque coruſca.
Illic barbaricas flexa ceruice phalanges
Occiſos Reges ſubiectáſque ordine gentes
Pictor acu tenui multa formauerat arte, &c.

E grandi quam gerebat corona, pyropis & vnionibus inſigni, pendent vittæ ſeu infulæ, quod Imperatores boni & præſtantes ſint *iuſtitiæ Sacerdotes*, vt Symmacho placet. Ante pectus lucet imago è ſapphiro gemma confecta, quam indigitant *Veritatem*, quod geſtamen fuit eorum ſapientum qui præſides iuris fuerunt apud Ægyptios. Sub pedibus, Hippopotami collum & informe caput teritur, quò iure atque legibus violentam omnem iniuſtitiam penitus edomitam & compreſſam intelligamus, vt quondam id hieroglyphicum in propylæo clariſſimi templi Mineruæ à Saitis reponebatur. Hinc inde ſellis eburneis virgines pulcherrimæ duę, ſpecie liberali, Gratiarum ornatu, cymatili in veſte conſident: quidam Themin & Dicen exiſtimabant, quòd eas ad tuendam æquitatem, non modò in cœlo Ioui, verùm & in ſolo Regibus παρέδρους olim ſapientes collocauerunt: alij Dicen & Eunomiam maluerunt, quòd eas iudiciorum præſides atque legum, qui vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi, velit eſſe Demoſthenes. Pro Doryphoris atque Spathariis, illam ſedem honoris & dignitatis, Imperatorúmque ſolium circumambiunt triplici ordine heroes, qui antiſtites veluti quidam fuerunt iuſtitię, iúſque ſuis monumentis, ſapientia, conſilióque illuſtrarunt. Primum chorum agunt decem illę δημιουργοὶ Codicis, quos magna honoris ſignificatione viuentes videntéſq; magnus Imperator eſt proſequutus, Ioannes patritius vir Conſularis & Exquæſtor, &c.

Iuſtitiæ Sacerdotes. Relat. ad Imp.

Ælian. l. 14 Var hiſt.

Plutarc. de Iſid.

In ſecundo deinde ordine ponuntur qui anteceſſerunt olim ſapientes in iure clariſſimi, plurimarum ętatum lumina, quorum inuentis vt floſculis ſuos veluti hortulos conſitos eſſe vo- *Antiquiſſimi iuris interpretes*

Digitized by Google

luit Iuſtinianus,& digeſtos in Pandectis. Pictus imprimis erat Tit. Coruncanus è barbatis maioribus homo antiquæ probitatis, qui *primus* ius ciuile publicè profeſſus eſt annis quingentis ab vrbe condita. Tum P. Mutius Scæuola, à quo ius ciuile clariſſimis editis monumentis *fundatum* volunt. Iungebantur deinde Antiſtius Labeo & Atteius Capito, qui ſub Auguſto cùm inter ſe diſſiderent, duas veluti familias prudentum inſtituerunt, opinionibus varias, æmulas eruditionis; hominum gloria famáque illuſtres. Hos deinde excipiebat Priſcus Iabolenus qui Veſpaſiani ætate legum diſciplinam excellentibus hominum ingeniis eſfloreſcentem ornabat. Tum deinde Neratius Priſcus, quem tanti fecit Traianus, vt eum imperij ſucceſſorem animo deſtinaret. Proximus huic Papinianus, quem præfectum Pretorio Septimius Seuerus Auguſtus ſumma honoris teſtificatione renunciauit. Hic floream coronam gerebat, æui breuioris indicem, & habebat ſcriptum in veſte minutis literis, *Hunc tantum terris oſtendent fata.* Nam iuuenem, & vix octo & triginta annos natum, fero & immiti, & acerbo nimis imperio, Antoninus Caracalla de medio ſuſtulit, cùm eius admirabilis eloquentia conſiliíque maturitas, atque in reſpondendo prudentia, non vnam modò vrbem in Italia, ſed vniuerſum imperium commouiſſet. Succedebāt ingenio clariores & copia, quàm religione, Vlpianus, Iulius Paullus, Pomponius, iuris quaſi oracula, tum alij quidam in iure præſtantes, quorum dictis & grauitate refertos videmus fuiſſe libros Pandectarum.

Primus ius ciuile profeſſus.

Papiniani mors.

Tertius ordo complectebatur eos, qui poſt ipſius tempora Iuſtiniani, in iure interpretando, multum cæteris ſtudio induſtriáque præſtiterunt: quos præibat auguſta vnus effigie, imperatorio cultu & maieſtate, qui altè manum attollens, nouum librum oſtentare, & veluti commendare videbatur: is erat Lotharius Saxo Imperator. Nam cùm propter efferueſcentes in Italiam barbarorum copias, quæ omne occidentis imperium occupauerunt, Iuſtiniani labor ille tam vtilis, támque æterna memoria dignus periiſſet, & iura quædam à Vvandalis, Gothis, Longobardis & Francis inducta forent & excogitata, circa annum Domini milleſimum centeſimum trigeſimum ſepti-

Lotharius.

Digitized by Google

mũ diuino quodam numinis beneficio contigit, vt Pandectę in Apulia inuenirentur, rurſúmque in lucem, ad hominum v- *Leges redi-* tilitates, & imperiorum decus & adminiſtrationem venirent. *uiuæ.* Mox ergo Lotharius Imperator priſtinam habere auctoritatem Romanas leges voluit, eáſque vt poſtliminio redeuntes in ſcholis doceri, & in iudiciis valere iuſſit, quod in tabella ſignificabatur. Deinde cernebantur qui conſecuti ſunt doctrinæ ciuilis anteſignani, Accurſius Florentinus qui tempore Federici *Accurſius.* ſecundi floruit: tum qui centum ferè poſt annos Bartolus & Baldus, paullo doctrinis & humanitate politiores, quos ſeque- *Bartolus.* bantur è recentioribus aliquot ſanè elegantes & periti, qui iucunda quadam varietate ſuperiores antecellerent, & eorum diligentia adiuti, & rerum propè infinitarum memoria, cornicum oculos vt aiunt configerent. Inter eos eminebant Cuiacius & Duarenus & Rhedonenſis olim Curiæ decus atque lumen Argentræus, qui non modò hiſtoriarum monimentis patriam decorauit ſuam & ornauit, verùm etiam iura, leges, conſuetudines, elegantiſſimis & doctiſſimis Commentariis illuſtrauit.

In hac tabula, quæ facilè omnes quæ in bibliotheca fuerunt, tum artificio, tum magnitudine & colorum mirifica temperatione ſuperabat, diligentius intuenda, Victor & Iuuentius diutiſſimè hærebant, & humaniſſima quadam voluptate fruebãtur, cùm ſupra Iuſtiniani ſolium animaduertunt corona laurea incluſam ternarij notam auro expreſſam collucere: tum in illud abditæ ſignificationis argumentum verſa vtriúſque mens & cogitatio. Neq; diu moratus eſt Iuuentius, qui quæ in mentem cogitanti obueniſſent, candidè ſolebat ſubitóq; expromere. Eſt inquit mihi quidem hîc numerus ænigma, & tanquam myſterium clauſum & obſignatum, ſed conãdum profecto eſt, & aliquid eruendum, ne fortè quod de indoctis olim & imperitis dicebatur audiamus, ὐδὲ τὰ τρία ςησιχόρυ γινώσκεις. Neq; multum me opinione mea falli exiſtimabo, ſi dicam, hoc quidquid eſt, eſſe ad iura ſiue leges iudiciáque referendum. Quis ve- *Griphus* rò neſcit ius fuiſſe *triplex* apud Romanos prudentum conſen- *ternarij de* ſione diuiſum, ſacrum, publicum, priuatum? cuius meminit di- *iure, leg.* uiſionis Auſonius elegantiſſimis uerſibus dum ita canit, *&c.*

Ius triplex tabulæ quod ter ſanxere quaternæ.
Sacrum & priuatum & populi commune quod vſquam eſt.

Digitized by Google

Præterea ſingulis in legibus *tria* quędam animaduertuntur, titulus ſiue epigraphe, tum imperiũ ipſum legis, ad extremum ſanctio. *Tres* item perſonę in iudicijs neceſſarię Actor, Reus, & Iudex. E *tribus* ordinibus delecti olim qui iuri dicundo prę-eſſent. *Ternæ* horę ad tuendum ius ſuum & explicandum oratoribus olim conceſſę. *Tria* quóque ſolemnia Prætoris verba. Adhæc τὰ τρία τῶν εἰς θάνατον, *tria* mortis genera in iudiciis conſtituta: capitis enim condemnatis tria olim proponebant, gladium, laqueum, cicutam: alij *tria* Aulæ, hoc eſt

Tria damnatorum. Prætorij verba nominant. Legibus item iudicióque damnatis concedebatur *tria* quæ vellent dicere, tum os conſueto more obſtringebatur. Deinde ſi fontes Romani iuris intueamur,

Liuius l. 3. annalium monumentis proditum ſcimus *tercentum* annis ab vrbe condita, *tres* legatos miſſos qui iura atque leges è Græcia peterent, vnde natæ duodecim tabulæ, quas ait M. Tullius

Cic. 1 de Orat. ſuperare omnium Philoſophorum bibliothecas & auctoritatis pondere & vtilitatis vbertate, ſi quis fontes & capita viderit.

Concordiæ ſymbol. Quid quod *ternarius* ſymbolum ſit concordiæ vtpote qui diuidi ſecaríque nequeat, an non belle etiam in leges, quæ vincula ciuium ſunt concordiæque ciuitatis, quadrare poſſit? Memini enim Ciceronis, cuius ea polita ſunt atque vera, Indignum

Or. pro Cluent. eſt in ea ciuitate quæ legibus teneatur, diſcedi à legibus: hoc enim vinculum eſt huius dignitatis qua fruimur in repub. hoc fundamentum libertatis. Quid ſi ad legum ænigmata referendum hoc eſt, quæ tanquã ex tripode Iuriſconſulti atq; oracula funditantes interpretantur? nam video diuinationis parentem

Apollo τρίτος. Apollinẽ, τρίτον appellari, & τριποδηλάλον à Poëta Græco meo iudicio erudito. An fortè tacita vox illa eſt Iuſtiniani monẽtis ſe omni hominũ generi iura & leges poſuiſſe? Atqui hominum vniuerſitas ſiquidem habitationis locum ſpectemus in *tria* di-

Ex habitatione nomẽclatura. uiditur, quidam enim ſunt Paralij, alij Pediaſij, alij Diacrij. Sin autem adminiſtratio conſideretur, reipub. formæ ſunt *tres* quibus omnes contineantur, Regnum, Oligarchia, Democratia. Quæ cùm apud me reputo, vix credam aliud ea nota, quàm quæ à me dicta ſunt intelligi.

Hic Victor, Hoc quod Iuuenti tu appellas ænigma,

Tria vniuerſum. vereor vt melius Iuſtiniani Pandectas αἰνίττεται. Nam τὰ τρία idem quòd τὸ πᾶν, niſi me doctor meus fallit Ari-

ſtoteles

ſtoteles, qui libris de cœlo ita ſcribit, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα, τοῖς τρισὶν ὥρισται, *Omne & omnia ternario definiuntur*, quod videlicet in eo numero ſint τελευτὴ, μέσον, καὶ ἀρχὴ, finis, medium, principium: quæ cauſa meo iudicio fuit, cur viris doctiſſimis πάντων ἀριθμῶν πρῶτος τέλειος diceretur. Iam verò vnde Pandectæ nomen habeant, non eſt meum docere eos, qui ſint ἀπηκώτατοι, te præſertim Honorate, qui præter linguæ Græcæ magnam & perutilem cognitionem, Interpretum etiam Commentarios ciuiliſque iuris explanationes audire potuiſti. Scis verò quid tuus dicat Accurſius ſingularis vir memoriæ atque diligentiæ, cuius tamen neſcio an dicta omnia recipias. Sic enim ipſe, *Pandecta dicitur à pan quod eſt totum, & decten quod eſt doctrina:* hoc quidem vltimum ex abundantia doctrinæ inuentum ſubtilius, quod vbi nulla doctrinæ ſunt veſtigia, ibi doctrinam reperiat. Impoſuit fortè Agellius homini minimè malo, vbi de libris Tullij Tironis, *In iis*, inquit, *præcipui eſſe videntur, quos grato titulo* πανδέκτας *libros inſcripſit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes.* Sed ad rem, ſi Pandectæ Iuſtiniani à πᾶν nomen habent, & tria è conſenſu prudentium τὸ πᾶν, fortè hic numerus ad eas ſignificandas rectè poſitus in hac picturæ varietate atque hoc regno Iuriſprudentiæ fuiſſe videatur. Vel ſi lubet alio rem eandem modo explicemus. Pandectas Iuſtinianus opinor abſolutum quoddam opus æternæ memoriæ conſecrandum, & cumulatam omnium legum perfectionem indigitauit: atqui *tria* Pythagoræorum in Scholis abditiſque monumentis perfectionem indicant. Quod Pythagora maior, antiſtéſque ſapientiæ, in oraculis item ſuis innuit Salomon, qui ſe doctrinam ait deſcripſiſſe τρισσῶς *tripliciter*: quod cùm à multis variè capiatur, tum linguæ ſanctæ cognitione nobiles rem quod aiunt tetigiſſe acu videntur, qui *perfectè* id ſignificare dixerunt. Itaque vt olim inter plauſus & gratulationem eorum qui audiebant, varia doctis hominibus acclamabantur *euge, bellè, feſtiuè*, σοφῶς, & mille talia: ſic mihi videntur iſti legum & iuris conſulti, in Pandectas Iuſtinianeas contuentes, clamare τρισσῶς, *beatè*, *cumulatè*, *perfectè*. Quanquam hoc totum leuius quidem exiſtimo, nunc aliam eiuſdem ponderis explica-

Ariſt.l.1. de Cœl.c.1.

Plutar.l.9. Symp.

Accurſij hallucinatio.

Agell.l.13. c.9.

Tria perfectio.

Prou. 22.

τρισσῶς.

tionem audite; Iuſtitiam hîc mihi videre videor breuiſſimis lineamentis concluſam, cuius ille patronus Imperator. Nam reconditis & interioribus in literis tum Ægyptiorum tum Græcorum contineri audio, *ternarium* Iuſtitię dicari. Ita ſcio dicere Pierium, qui Plutarchum de Pythagoræis diſciplinis laudat. Præterea ius æquabile, quod medium eſt inter exceſſum & defectum, Philo Iudæus præſtanti quadam eruditione ſapiens *ternario* deſignari prodit his verbis, *Talem viam Moſes appellare ſolet regiam, quæ inter defectum & nimietatem tramitem tenet medium*, Ἐπειδὴ τὸ μέσον ἐν τριάδι τὴν ἡγεμονίδα τάξιν εἴληχεν ἁρμοζόμενον τὸ παρ᾽ ἑκάτερα εἰς ἕνωσιν ἀδιαλύτῳ δεσμῷ ὑφ᾽ ὧν καὶ δορυφορεῖται πρόπον βασιλέως. Addo munera quædam hîc *tria* videri picta clariſſimi Senatoris aut Iudicis, qui tanquam honorata è ſpecula iuſtitiam moderetur: ea verò ſapientes ita numerant, βουλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς, καὶ πράττειν δικαίως, quæ cauſa fuit cur Veteres Mineruam indigitatam fuiſſe *Tritoniam* exiſtimarent, quod ea tria ſingulari & æterno beneficio hominibus conceſſiſſet. Quid ſi is numerus leges monet ſanctas & æquas eſſe oportere? Fuit enim in Græcia hæc conſuetudo, vt ſi quis legem iniquam tuliſſet, & decretum à commodis ciuium alienum rogaſſet, in medio *trium* ἑρμαίων λόφων collocaretur, atque perdiu ſtans illic maneret, quo accedens magna ciuium multitudo *ternos* lapides in *tres* illos cumulos iniiceret, cum hac imprecatione, vt Dij Deæque omnes quidquid homo ille improbus ſciuiſſet, in caput illius liberorúmque eius perniciem conuerterent. Sed ipſius Iuſtiniani conſpectus aliud mihi quiddam in mentem inſinuat, video enim maximum illum Imperatorem è *tribus* orbis terræ partibus nobiles triumphos retuliſſe, nam in Aſia Perſas, Vandalos in Africa, in Italia Gotthos ſic armis & curſu quodam victoriarum edomuit, vt ſe victos deditióſque faterentur. An hoc igitur aurea illa nota prædicat? Deinde cùm turbulentiſſimæ factiones hominum impiorum, Eccleſiæ pacem conuellerent, & ſanctiſſimæ *Triadis* numen & auguſtam maieſtatem excogitata malitia impudentiáque minuerent, ipſe idem Im-

Pierius l. 39

l. de creat. princip.

Tria munera Senat.

Miranda conſuetudo ex Scholiaſt. Græc. Anthol.

Digitized by Google

perator qui ſe Pium & Felicem appellat, pietatem feliciter conſtabiliuit initio imperij, cùm nondum inſanientium hominum commenta nouiſſet. Sunt ipſius ea de re ad ſummum Chriſti in terris Vicarium communem Eccleſię parentem literæ quæ leguntur: & Procopius qui res ipſius æter- *Procopius.*
næ memoriæ conſecrauit, ait eundem cum inueniſſet πλανωμένην τὴν ἀμφὶ τῷ θεῷ δόξαν, diſſipatis errorum mæandris, & auctoritate ſublatis, διεπράξατο ἐν τῷ βεβαίῳ τῆς πίστεως ἐπὶ μιᾶς ἑστάναι κρηπῖδος, perfecit vt corroborata nutantium fides vno tandem in fundamento baſique conſiſteret. At quoniam tu paulò antè Iuuenti aiebas, in eo gripho tacitam includi vocem monentis Imperatoris; neſcio an omnes Iuſtiniani ſonos intimos audieris. Nam ſi loquentem audire placet, te potius, & beatæ iuuentutis chorum, quæ ad legum & iuris cognitionem aſpirat, monere videatur, *tria* quædam eſſe neceſſaria ad ſyluam legum & immenſitatem illam ineundam: ſcis enim *tres* à Veteribus do- *Docilitatis*
cilitatis partes induci, quæ ad rerum comprehendendam *partes.*
ſcientiam requiruntur, ἀγχίνοιαν, μνήμην, ὀξύτητα. *Tria* item στοιχεῖα hoc eſt elementa prima & maxima cognitio- *3. Cognitionis στοιχεῖα.*
nis multiplicis rerum, quæ à Damaſcio poliundæ orationis ſummo artifice numerantur, *Amorem*, *Induſtriam*, *Solertiam.* Niſi fortè bonum illum Imperatorem id ea nota pronunciare velimus, quod in ore fuit ſapientum ἑκάστου ἀρετὴ τριάς, σύνεσις, καὶ κράτος, καὶ τύχη, *Cuiuſque virtus eſt ternio, Intelligentia, & Potentia, & fortuna.* Enimuero cur tandiu ſum ineptus? cur te præſente Honorate, téque audiente fruſtra nitor & nugor, cùm tu ſubito, pauculiſque verbis, totum myſterium enuntiare poſſis?

Imò verò à vobis, inquit, dicta eleganter & ingenioſè plurima, in quibus vniuſcuiuſque mens tametſi curioſi facile acquieſcat: & videtur pater meus qui rem excogitauit, in meo animo, non minus quàm in iſto labaro crucem hîc figere voluiſſe. Nam cùm ego nuper & affinis quidam meus ſuauiſſimus adoleſcens politiſſimóque ingenio, quid ſibi id vellet ab eo peteremus, Non pudet, inquit, flagrantibus ſtudiis adoleſcentes, quique multum

iam in iuris cognitione proceſſerint, id à me quærere, quod alios ipſi docere debuiſſent? Itaque in eam rem cùm mentem omnem induſtriæque neruos contendiſſem, ſic reperiebam, Iuſtinianeum laborem vniuerſum *ternario* veluti ſacrum & dicatum fuiſſe. Imprimis enim imperij ſui anno *tertio* Codicem conſtitutionum ſiue Reſcriptorum principalium concinnari iuſſit, edíditque. Aliquot deinde poſt annis cùm in reip. tranquillitatem atque otiũ magna animi prouiſione incumberet, ex infinitis prudentium reſponſis quinquaginta libros Pandectarum ſiue Digeſtorum coëgit, túmque illos robur ſuum obtinere voluit, cùm *tertium* Conſulatum ageret complurium rerum admirabilitate inſignem, & maximè quod eo anno *tertiam* orbis partem imperio ſuo adiunxiſſet: de qua re quid ipſe pollens & beatus Imperator commendatum eſſe poſteritati voluerit, ſi placet audite; *Bene properauimus in* TERTIVM *noſtrum Conſulatum & has leges edere, quia maximi Dei & Domini noſtri* IESV CHRISTI *auxilium feliciſſimum cum noſtro Conſulatu reipublicæ donauit, cùm in hunc & bella Parthica abolita ſunt, & quieti perpetuæ tradita, &* TERTIA *pars mundi nobis accreuit: poſt Europã enim & Aſiam, & tota Lybia noſtro imperio adiuncta eſt; & tanto opere legum caput impoſitum eſt, omnia cæleſtia dona noſtro* TERTIO *Conſulatu indulta.* Tertio loco Inſtitutiones edidit in gratiam cupidæ legum iuuentutis, in quibus iudicio diſponendis, ne quis numerum hunc deſideret, *tres* viri ſcientia perilluſtres Tribonianus, Theophilus, Dorotheus, ipſius iuſſu Imperatoris elaborauerunt. Deinde ius ipſum Iuſtinianeum & clariſſimum legum theſaurum, quem miramur, vnde haurimus ad reipublicæ partes omnes reficiendas, videmus è *tribus* Codicibus fuiſſe collectum & coagmentatum, Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano. Quid quòd eum legum apparatum incredibili omnium ſapientium iudicio & induſtria diſpoſitum, tanti operis atque muneris dux & moderator Iuſtinianus, *tribus* tantum in vrbibus legi docerique mandauerit, Beryti, Romæ, Conſtantinopoli, cùm tamen tum in imperio forent ciuitates multæ & nobiles docti ſſimis iuris Anteceſſoribus affluentes? Quid quod *trium* generum Iudicibus publico

Iuſtinianeus ternarius.

D. de conſir Dig. l. 1.

edicto ſubiicere eos voluerit, qui in leges atque iura ſic digeſta nefariè deliquiſſent? Potuitne iuſta cauſa videri, cur in hac tabella Iuſtiniani, *ternarius* fuerit appoſitus? Nam quod affinis ille meus aiebat videri ſibi alluſum ad Sex. Ælij peritiſſimi iuris *Tripertita*, ita librum ipſe inſcripſerat, quo vt ait Pomponius noſter veluti cunabula iuris continebantur: vel ad *tres* illos viros principes P. Mucium, Brutum & Manilium, quos ait idem Pomponius doctis monumentis *ius ciuile fundauiſſe*: vel denique ad Hippodami Mileſij opinionem, qui legum *tres* ſpecies tantùm eſſe volebat, *tria* quoque eſſe numero de quibus iudicia fierent, iniuriam, damnum, cædes, neſcio an probabiliter vobis cogitata fuiſſe videantur: Hoc ſcio, quidquid illud ſit, quod hoc numero ſignificetur, nos hîc diu, forte veſtra cum ſatietate tenuiſſe. Igitur ſi ita lubet, nunc porro ad ſequentem voluminum ordinem progrediamur.

Ariſtotelis effigies in Bibliotheca. ingenium eius moréſque expreßi. Cerberus quid in arcanis literis. Philoſophi vulgo βιβλιοφόροι. σφαίρας ποιεῖν τὴν οὐσίαν σφαιρεία, mißilia. Annulus aureus olim Cinædorum, Sophiſtæ cultu luxuriantes.

CAPVT VIII.

VENIVNT ad Philoſophos, quos Medici proximè ſequebantur. Fuit autem voluminum ingens copia & multitudo, quam miratus Victor eſt: vtque fuit ſciendi appetens helluóque librorum, ſeſe lubens ingurgitare voluiſſet in eas Academiæ delicias & Lycei, in quo præſtans ingenij gloria volitabat. Tenere ſe non potuit, quin eductos è pluteis ſuis Commentarios curioſiùs inſpiceret & peruolutaret, & penè dicam ſuauiaretur, quod feciſſe Ptolemæum Regem, cùm Moſis & Prophetarum oracula diuina cepiſſet, autor eſt martyr Iuſtinus. Tum aſpectans Honoratum: Theſaurum, inquit, hîc habes, & bellum ſubſidium adoleſcentiæ, vel po-

tius ſenectutis, magnum verò ad ſapientiam adiumentum. Zenoni oraculo fuit aliquando reſponſum, eum fore ſapientem, *εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς*, *ſi eundem cum mortuis colorem indueret*, quod ille ad Veterum legenda monumenta referebat, quod quemadmodum in ſole diutiùs ambulantem colorari neceſſe eſt, ita fieri oporteat, vt qui ſit aſſiduè verſatus in eruditis Philoſophorum diſputationibus meditandis, præſtabili quadam ſapientia imbuatur. Hoc bonum tibi Honorate proprium, qui tibi omnia cupiunt, gratulantur. Reſpondet Honoratus illius eſſe potiùs, qui in eo glorioſo curriculo eſſet, ad hanc metam adhæreſcere, nam ſe quidem ſuorum voluntate ambire vnam iuris ſcientiam, quam olim veriſſimam Philoſophiam magni olim viri nuncupauiſſent. Hîc Iuuentius oculos ducens per eam tantam ſupellectilem ſapientum, ſphæram ſuis orbibus artificioſè diſtinctam, aſtrolabium, & alia quæ erant in conſpectu Mathematicorum inſtrumenta: Cogor, inquit, hîc dicere, quod Ariſtippus olim à Socrate inſtitutus, qui cùm rerum ſuarum iacturam difficili nauigatione feciſſet, naufragióque eiectus ad Rhodienſium littus Geometrica ſchemata delineata animaduertiſſet, exclamauiſſe ad comites ita dicitur, *Benè ſperemus, hominum enim veſtigia hic video.* Cúmque illi qui in eadem fuiſſent naui, eadémque fortunæ conditione, in patriam reuerterentur, & ab eo quærerent, quid domum renunciari vellet, hoc tantùm iuſſit dicere, *eiuſmodi poſſeſſiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiam è naufragio vnà poſſent enatare.* Hæc verò, quæ ego hîc video ſapientum inuenta, hunc grauium diſciplinarum aceruum, veſtigiáne hominum dicam, an potiùs Heroum, præſertim cùm incurrant in aſpectum eorum fœtus ingeniorum, qui ſint à Veteribus θεῖοι & *δαιμόνιοι* honoris cauſa nominati. Hæc cùm dixiſſet, cœperunt acuratiùs intueri tabellam pictam quæ in ſummo erat pegmate, & eum ipſum voluminum ordinem cohoneſtabat. Erat autem tabula mole mediocris, ſed picturæ dignitate ferè princeps, in cuius erat medio hominis effigies eleganti veſte ornati, vultúque ad grauitatem compoſito. Siniſtra manus annulis aureis onerata præferebat libellos duos, in quibus propter loci anguſtias, trium Græcarum dictionum tantùm initia pictor appoſuerat:

Laërt. l. 7.

Vitruuius præfat. l. 6.

Digitized by Google

dextera pilam ſeu ſphærulã continebat. Cerberus triceps à tergo iacebat quaſi domitus & manſuetus, & tum primùm in lucem euocatus, qui tamen leni horrore feriebat aſpectum. Hæſerunt aliquandiu in eo grato iucundóque ſpectaculo, nam parerga plurima etiam fuerunt elegantiſſima varietate, & expectabat Honoratus quid dicturi eſſent, cùm Iuuentius, Obſecrò te Honorate, inquit, iſte Medicúſne eſt, an Philoſophus? nam vtriúſque facultatis libros hîc video fuiſſe iugatos, & in eodem ordine collocatos. Vtrumque, inquit, vides & Medicum & Philoſophum: is enim eſt Ariſtoteles, quem vt omnes communi animorum conſenſione fatentur eſſe Philoſophum, ita Medicum produnt hiſtoriæ. Nam eum carum Amyntæ Macedonum Regi fuiſſe Medicinæ cauſa memorat Laërtius, & à Nicomacho filio Machaonis Æſculapiíque nepote originem habuiſſe, communis fuit olim opinio. Rectè id quidem, ait Victor, nam vt Plato, cæteríque aiunt ſapientes eleganter, Sorores duæ ſunt geminæ & gemellæ, Philoſophia & Medicina: nec ſine cauſa excogitatum fuit à Veteribus de eo ipſo Platone, cuius naturam & ingenij vim admirabantur, Apollinem Medicorum Deum liberos habuiſſe duos, Æſculapium & Platonem, hunc vt animis, illum vt corporibus mederetur, quod ingenioſè Græcus ita expreſſit Ælian. l. 9. Var.

Φοῖβος ἔφυσε βροτοῖς Ἀσκληπιὸν ἠδὲ Πλάτωνα apud Laert.
Τὸν μὲν ἵνα ψυχὴν, τὸν δ' ἵνα σῶμα σάῃ.

Galenum etiam videmus, hominem ſcientiarum penè dicam omnium quaſi purpura infectum, diſputationem benè longam inſtituiſſe, quo hoc vnum probare voluit, eum qui optimus ſit Medicus, excellentem quoque Philoſophũ eſſe futurum. Iam iam, inquit Iuuentius, præcipio cur ad illum Archiatrum Cerberus hîc adiungatur. Æneas enim bello non modò clariſſimus, ſed omni genere virtutis & hac medendi ſcientia præſtans cuſtodi illi inferorũ medicatis frugibus offam dedit, qua victus & ſopitus, ferocia omni poſita decubuit. Atque hoc figmento Poëta princeps indicare opinor voluit, nullam eſſe veneni vim tam præſentem, quam non Phœbæi illi σωτῆρες eludant, cùm etiã è mortis faucibus atque è cymba Charontis reuocare ad vitam homines poſſe videantur. Serióne dicis, ait Victor, an Iuuenti ludis? Nam id ſanè Cerberus hierogly. Philoſoph.

probabili⁹ quod memini prodere viros doctiſſimos varia multiplicíque doctrina, hunc canem hieroglyphicum eſſe Philoſophiæ, quam veteres, vt autor eſt D. Auguſtinus, neſcio quo tacito genio veritatis tripertitam eſſe voluerunt. Eam autem priùs abditam & profundis denſiſque in tenebris deliteſcentem, Hercules, magnus videlicet heros quiſpiam, in lucem & hominum cognitionem eduxit, non catenis illis aureis quas Ogmio Galli tribuerunt, ſed aurea & cæleſti oratione, vt eleganter mihi dixiſſe videatur Plato τὺς ἥρωας incredibilium rerum effectores ἀπὸ τῦ εἴρειν, à dicendo nomen habuiſſe, quod ſapientes illi fuerint & facundi Rhetores ad omne genus orationis prompti & parati. Itaque pictor eruditus ad hunc hominem, quem omnium ſæculorum ætates amant atque ſuſpiciunt, tricipitem canem ſcitè adiunxit, quod vnus omnium Ariſtoteles Philoſophiam vniuerſam aureæ ſplendore dictionis atque ingenij, priùs occultam velutique defoſſam mirificè illuminarit. Libelli autem illi duo iam video quid ſignificent. Nam duo quædã in genera libros ſuos diuiſiſſe fertur ille omnium qui ſunt aut fuerunt in Philoſophia clariſſimus, vnum populariter ſcriptum quod ἐξωτερικὸν, alterum limatius, quod ἀκροαματικὸν appellabant. Sic enim commentationes ſuas ad eorum, qui ad audiendum accedebant, ingenium accommodabat, vt in Lyceo de more inambulans, pomeridianis horis omnibus ſui copiam faceret, & faciliora quædam explicaret, idque vocabat δειλινὸν περίπατον, eáſque Scholas ἐγκυκλίους λόγους, & ἐγκύκλια φιλοσοφήματα, cùm ante meridiem paucis & delectis ἀκροαματικὰ diſputauiſſet, de qua re meminit Agellius. Audebóne etiam eas literas attingere, inchoatáſque dictiones? quæ mihi γνώμην habere videntur grauem & exquiſitam, & ni fallor eam, quam Ariſtoteles initio primæ Philoſophiæ poſuit, πάντες εἰδέναι ὀρέγονται, quanquam pluribus quidem ille verbis, vt & M. Tullius qui eandem Latinè expreſſit, *Omnes*, inquit, *trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem*, quo nullus mea quidem opinione aditus potuit eſſe illuſtrior, ad eam in quam ingrediebatur ſplendidam, vberémque diſputationem. Atque ij libri rectè in ſiniſtra collocati more antiquo, quem Lucianus facetus humaniſſimæ comœdiæ artifex in medio ponit, cùm Philoſophos delineat,

Pier. l. 6. l. 10. de ciuit. Dei.

Lucian:

Plat. in Cratyl.

Scholæ Ariſtotelis variæ.

Agell. l. 20. c. 4.

l. i. Metaphyſ.

l. 1. Offic.

delineat, *Vides*, inquit, *quantum vbique palliorum & baculorum & perarum? & vt nuſquam non profunda barba*, καὶ βιβλίον ἐν τῇ ἀριστερᾷ. Eruditorum aut ſciolorum ea fuit conſuetudo libellum circumferre, vt apud eundem Lucianum aliquoties notaui, vt in Dialogo aduerſ. indoct. ἢ σύ τοι νῦν βιβλίον ἔχεις ἐν τῇ χειρὶ καὶ ἀναγινώσκεις ἀεί. Idem in Rhetorum præceptis καὶ ἀκόλουθοι πολλοὶ καὶ βιβλίον ἀεὶ, *Sectatores verò quamplurimi libellúſque ſemper adſint*. Ita Plutarchus de Sophiſtis dicturientibus, ἀναστάντες ἀπὸ τοῦ θρόνου, καὶ ἀποθέμενοι τὰ βιβλία, &c. *Exurgentes cum libros de manibus depoſuiſſent*. Cocus item ille ſapiens apud Athenæum, cùm ſe philoſophaturum polliceretur, *Cras*, inquit, ἐν ταῖς χερσὶν ὄψει βιβλία ἔχοντα, *habentem me in manibus libros videbis* Verùm ſatin' ego futilis & σπερμολόγος? quin te loqui patior Honorate, qui abditæ eruditionis illa myſteria tam facilè queas expedire quàm manu? Imo verò, ait Honoratus, rem attigiſti multò ſubtiliùs quàm excogitare ego potuiſſem: igitur expectamus vt alia ſi quæ ſint eodem orationis curſu aperias: niſi fortè Iuuentius id ſumat. At Iuuentius, Mihi vni tanquam ἀμυήτῳ haud adyta iſta patent, ſed quæ ſunt poſita in medio & omniũ conſpectu poſſum dicere. Altera illa manus globum tenet ſiue pilam, quæ profectò quid ſibi velit, nemo neſciet, qui Ariſtotelem ſciet. Eſt enim is de quo veriùs, quàm de Gargetio, Poëta Sophus id exclamet,

in Bis accuſ.

l. de audië.

Athen. l. 9.

Cuius viuida vis animi peruicit, & extra Lucret. l. 1.
Proceſſit longè flammantia mœnia mundi,
Atque omne immenſum peragrauit mente animóque.

qui vt ait M. Tullius, acie mentis omnium rerum vim naturáſque viderat, qui perſecutus eſt animantium omnium ortus, victus, figuras, vir in Philoſophia prope ſingularis, ſummo ingenio, ſcientiæ copia. Orbis denique in manu ille exiguus ſignificat, nihil in hoc orbe terrarum atque omnium rerum immenſitate illi clauſum, nihil non animo comprehenſum perceptúmque fuiſſe. Lubentiùs ego, inquit Victor, ad vigilantiam id retuliſſem: Aiunt enim iam ætate ſtudióque florentem Ariſtotelem tam percito fuiſſe animo, támque inhianti ad artium omnium cognitionem percipiendam, vt vix vllam, aut diurnæ aut nocturnæ quietis partem vellet capere. 2. de Orat. l. 5. de fin.

Itaque ſecùm ad quieſcendum in lectulo componeret, æream ſphæram manu tenere conſueuit pelui ſubiecta, eo conſilio, vt ſi fortè ſomnus ſe mollior in artus inſinuaret, labentis globi ſonitu excitaretur, quod expreſſum hîc exiſtimabam. Vterque, ait Honoratus, dixit bellè & ſcienter, atenimuero quiddam hîc aliud occulitur, ſi parentis ego mei conſilium ſatis animo & cogitatione percepi, quem nuper audiebam cùm diceret, aſotum hîc ſignificari, & patrimonij lauti & copioſi helluonem, qui fortunæ vitio vel ſuo decoxiſſet. Quid frontem adducis Victor, quaſi viro ſapienti faciam iniuriam, quem aſotum pingam & vitioſum? imo verò tanto fuerit ille præſtantior, quod in flore adoleſcentiæ cùm ad metam voluptatis hęſiſſet, dexteriore deinde curſu ad Euripum euolarit. Igitur fateare quod paulò antè aiebam, Ariſtotelem in profundum libidinum ſuarum gurgitem bona ſua profudiſſe. Qua de re ſic

Ælian. l. 5. Var. perſpicuè memorat Ælianus, Ἀριστοτέλης ἀσωτευσάμενος τὰ ἐκ τοῦ πατρὸς χρήματα, ὥρμησεν ἐπὶ στρατείαν, &c. Bonis omnibus, quę ex patris hęreditate ipſi obuenerant, luxu & libidine effuſis, militiam eſt ſecutus, quæ cùm illi non ex animi ſententia res procederet, egit pharmacopolam. Sed vt vulgò ſplendidis in ingeniis præſtantique natura, ſolent eſſe δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, ſic ille mutata velificatione, ex eo famæ bonorúmque naufragio, in Peripati ſe quietem, vt in portum tutiſſimum contulit; nec imitatus eſt tres illos ex eadem Græcia decoctores, intemperanter effuſos in voluptatem, Periclem, Calliam & Niciam, quos in ganeis cum pecunia defeciſſet, tres ſimul vt extremam potionem cicutam ſibi inuicem propinantes, quaſi è funeſto quodam conuiuio ad inferos abierunt.

Plin. l. 10. c. 48. Illi quoque Romano diſſimilis, quem Plinius *altiſſimum omnium nepotum gurgitem* appellat, qui pecuniam prope infinitam cùm helluando abliguriiſſet,

Martial. l. 3. ep. 22.

---ne famem & ſitim ferret
Summa venenum potione guſtauit.

Ad eam autem Stagiritę fortunam explicandam, is vt dixi in manu globus exiguus ſeu pila collocata fuit, quod à Gręcis auctoribus eſt petendum, qui cùm volunt huiuſmodi nepotem aliquem exprimere, qui per ſumptus atque luxuriam patrimonium omne ſuum dilapidet, aiunt eum σφαῖραν ποιεῖν

τὴν οὐσίαν, bona ſua in rotundam veluti pilam coagmentata vorare. Metaphora nata eſt è dulciariis, qui rotundas conſueuere maſſas, ſiue globulos, ſuauiſſimis è rebus conficere, quos in ventrem delicati homines facilè traiiciunt. Sic Alexis apud Athenæum,

---ἐν ἔπεσι δύο Athen.l 4.

Σφαιρίσας ἀπέδειξε τὴν πατρώαν οὐσίαν.

Dicit idem alias συστρογγύλλειν τὴν οὐσίαν, id eſt σφαιροῦν eodem planè ſenſu. Quod neſcio an exprimere Poëta voluerit, cùm de ſimili ganeone loquens *ſtringere rem dixit*

---aui cur atque parentis Horat.Sat. 2.l.1.

Præclaram ingrata ſtringat malus ingluuie rem

Omnia conductis coemens opſonia nummis.

Eandem vim habet elegantiſſimus ille Galli iocus apud M. Tullium, *innumerabilem pecuniam, tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abſtulit.* Hinc opinor frequens in eadem re vox *deuorare*, vt apud eloquentiæ principem, *cùm partem eius prædæ profundæ libidines deuoraſſent*, qua temporis exiguum interuallum, & inſignis rei facilitas notatur. Sic Alexis de Epicharmide, l.2.de Ora.

--- τὴν πατρώαν οὐσίαν Atheu.

Οὕτω συνεστρόγγυλεν ἰταμῶς καὶ ταχύ.

---paterna ſic bona

Sphæram in rotundam ſubitus & præceps dedit.

Propriè locutus eſt ſine figurata oratione Epicurus apud Laërtium, qui Ariſtotelem nominabat ἄσωτον καταφαγόντα τὴν πατρώαν οὐσίαν. Sed hæc fortè in re tenui longiora, quæ vix etiam vtrique ſatisfaciant. Mihi verò plurimum, inquit Iuuentius, & tua quidem illa de ſphæra rotunda, & conſumpto patrimonio diſputatio ad Romanorum conſuetudinem animum meum reuocauit, de quibus graues ſunt hominum ſapientum reprehenſiones, quod patrimonia quidam ſua temerè conſumerent in ludis atque miſſilium ſparſione, nimirum inſignitis globulis in populum iactis, & conceſſis ad rapiendum, σφαιρία Græci dicunt, vt Dio Caſſius Imperatoris Titi magnificentiam profuſionémque memorans, σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν εἰς τὸ θέατρον ἔρριπτε σύμβολον ἔχοντα, &c. id eſt, *nam globulos ligneos quoſdam de loco ſuperiore in* Laert.l.10.

theatrum iaciebat, qui ſymbolum haberent, hic veſtis, alius argentei vaſis, alius auri, equorum, mancipiorum, &c. Xiphilinus in Adriano δῶρα διὰ σφαιρίων nominat. Hos verò qui globulos emitterent, qui bona fortunáſque ſuas intempeſtiua largitione profunderent, non dubitem dicere σφαῖρας ποιεῖν τὴν οὐσίαν: quod vt dixi, magni olim viri dictis ſuis reprehendebant. Grauiſſimè ſanè ille ſuauis pater & religionis
D. Ambr. ſerm. 81. moderator Ambroſius, *Magiſtratus in theatris mimis & athletis, gladiatoribus, aliiſque huiuſmodi generibus hominum, totum patrimonium ſuum largitur & prodigit, vt vnius horæ fauorem vulgi*
Lact. l. 6. diuin. Inſt. c. 11. *acquirat. Quid dicendum eſt de iis*, ait Lactantius Firmianus, *qui populari leuitate ducti, vel magnis vrbibus ſuffecturas opes exhibendis muneribus impendunt: niſi eos dementes ac furioſos*, &c. Sed vt redeam ad tabulam, vnum eſt quod vehementer hîc miror. Nam ſi iſte parens Philoſophiæ eſt, vt dicis, atque modeſtiæ, cur in digitis annuli iſti aurei collucent? Nam egregiè illud Papinianus, atque ſapienter, *Verè philo-*
D. de vac. & excuſ. mun. l. 8. *ſophantes pecuniam contemnunt*: & lex Zaleuci veterum præconiis efferebatur, μηδένα τὸν ἄνδρα φορεῖν δακτύλιον ὑπόχρυσον, μηδὲ ἱμάτιον ἰσομιλήσιον, ἐὰν μὴ ἑταιρεύηται, *virum neminem auratum ferre annulum oportere, niſi qui flagitio & li-*
Diodor. Sic. l. 12. *bidine ſe contaminet.* Deinde cur κηποκόμος idem? cur in gradus fracta coma? cur capronæ & anteuentulæ criſpæ? cur denique ille bonus, ſi diuis placet tutor ſapientiæ, vt cum
Ariſtoph. in Nub. Ariſtophane rideam, σφραγιδονυχαργοκομήτης? Meus enim
Fab. l. 1. c. 6. Quintilianus rectè, *Velli*, inquit, *& comam in gradus frangere, non caret reprehenſione.* Præterea calcei mulei & Sicyonij, veſtis illa delicatior, mihi multùm abeſſe videtur à duplici abolla & tribonio, quo ſe tectam Philoſophia quondam vt opinor gloriabatur. Itaque, vt ille aiebat doctus Iuriſperi-
Gloſſ. in C. de rel. & ſumpt. l. 12. tus, *aurum pollui ab ære*, ſic ab iſto cultu leuitatis & ornatu, pollui Philoſophiam & contaminari puto. Hîc Honoratus, Non eſt Iuuenti, cur magnoperè id mirandum eſſe videatur: nam pulcherrimis nonnunquam ingeniis ſui næui ſunt, & moderationis præceptores illo interdum gloriolæ choragio delectantur. Nihil autem hîc de Ariſtotele fictum, quod non priùs ab hiſtoria dictum, & veterum monumentis conſignatum fuerit. Nam audi Laërtium Diogenem à Timotheo

Digitized by Google

Athenienſi veritatem mutuantem, ita verò loquitur, *Ariſtoteles paruis oculis fuit, veſte inſigni, & annulis ac tonſura vtens.* Sed hæc eadem multò etiam luculentius Ælianus, vbi docet vnde ortum diſſidium inter clariſſimos viros Platonem & Ariſtotelem, quod Academiæ rationes penè omnes conturbauit, *Nam plato*, inquit, *iam inde ab initio eius vitam non probabat, neque* τὴν κατασκευὴν τὴν περὶ τὸ σῶμα, *neque corporis habitum & ornatum.* Ariſtoteles enim veſtibus & calceamentis magnificis vtebatur, & contra Platonis morem crines abradebat, annulíſque ferendis ſe exornabat, vultu cauillationem & irriſionem quandam præ ſe ferebat, quæ omnia, vt idem ait, ſunt ἀλλότρια φιλοσόφου. Sed non vnus hic Stagirites, ἐσθῆτι ἐχρῆτο περιέργῳ καὶ ὑποδήσει, vt verbis vtar Æliani; nam Empedocles Agrigentinus purpura vtebatur & calceis æneis: Pythagoras præter veſtem eximiè candidam & anaxyrides, coronam etiam in capite auream; Ariſtippus Socraticus Mileſiã chlamydem: Hecaclides Ponticus floridam & inſignẽ tulit, quæ cauſa fuit cur eum non Ponticum, ſed Pompicum appellarent. Theophraſtum prodit Athenæus in Peripatum ire ſolitum ad docendum λαμπρὸν καὶ ἐξησκημένον, *corporis nitido & exacto cultu.* De Sophiſta Adriano Philoſtratus, Magnificentiſſime oratorio Athenienſium throno operam dedit, ἐσθῆτα μὲν πλείστου ἀξίαν ἀμπεχόμενος, ἐξηρτημένος τὰς θαυμασιωτέρας τῶν λίθων, *veſte pretioſiſſima indutus lapillis admirabilibus exornata.* Audieram, inquit Iuuentius, illud è Græcia, εἵματα ἀνὴρ, *& veſte virum indicari*, quod forte verum non fuerit in hoc Sopho. Sed abeamus tandem ab Ariſtotele, ſi ita lubet Honorate, ne ſi diutius hîc immoremur, Victor hanc imaginem coronet, aut in ſinum flores iniiciat. Imò potius verendum eſt, ait Victor, ne ſi ad illos philologos propius accedamus, tu Iuuenti ea volumina tibi circumponas aurea, pro corona: nã in iis tibi ſemper viſum fuit non immorari, ſed immori. Enimuero progrediamur ſane ea conditione, ſi tibi videtur Honorate, vt hic παιδείας amaſius, non plus eos libros attingat, quàm ſi manus non haberet.

Ælian. l. 3. Var.

Ælian l. 12.
Max. Tyr. Diſſ. 37.
Laert.

Athen. l. 1.

Philoſt. l. 2. de vit. Soph.

Demoſthenes nouo peniculo fabre effigiatus. quæ illius mundities in cultu. Ερμοῦ λογίου τύπος. num muneribus corrumpi ſolitus. Eius incredibilis eloquentiæ vis adumbrata.

CAPVT IX.

DIVERTVNT ad Oratores & Poëtas, & eorum monumenta, qui res veterum poſteritatis memoriæ commendarunt. Hic ingens fuit voluminum copia, & libri ferè omnes titulis aureis, nomen auctoris & materiam diſputationis prodebant. Simile verò quiddã hîc accidit Iuuẽtio, quod canibus venaticis olim in Triquetra Sicilia, qui cùm in montem Ætnam venirent, propter florum varietatem & odoris copiam, in gradu hærebant, nec quam potius ſeſe in partem coniicerent aſſequebantur. Ita ille primum fixus in tam varia, támque admiranda ſupellectile humanitatis, quantam antea ne per ſomnium quidem cogitauerat, hærebat ſcilicet, & ſtupefactus exhorreſcebat. Tandem vis quædam, & curioſi animi impetus illum in pluteos, vt in ſuauiſſimam prædam impulit: cùm eum cohibens Victor, & arrepta lacinia retinens, Sufflaminandus, inquit, es Iuuenti, & hoc iterum tibi occinendum, cupere nos Thebanum Iudicem hîc eſſe te, non Artaxerxem. Tum ille aſpectans, Cur iſtuc ais? Quia, inquit Victor, ille ſine manibus olim pictus, hic μακρόχειρ ſiue Longimanus dictus. Monueram autem ea nos conditione huc appellere, ne tu hos libros quos deperis aperires, neu primoribus etiam digitis attingeres. Sed oculos mihi tolle in iſtam picturam, quam ſi potes recognoſce. Suſpiciunt deinde vna, duáſque tabulas celſo in loco animaduertunt, non minori quàm ſuperiores elegantia & artificio, quarum prior hominis effigiem continebat ad vmbilicum, nudo pæne corpore, niſi quod humerum vnum pallij veluti lacinia contegeret: facies erat inueſtis, nudum caput: ſupra verò collucebat breue in auro elogium, Ερμῆς.

In extrema tabulæ parte ſubtilibus lineamentis breuiore

ſchemate, ſed ita tamen, vt res omnes in oculos inciderent, pictum erat caſtellum, quod vndique cœlo & terra oppugnabatur. Nam denſo aëre, grauidiſque nubibus & eliſis, vibrare fulmina videbantur, micare ignes, cieri tonitrua, labare Iouis penè cœrulea ſtellánſque regia: humi arietes reciprocicornes ænea fronte è ſparto penduli coniſcabant in mœnia, quadráſque biformes efflictim petebant: ſagitta cannea ſulphureo igne fœta & collucens, mallcolum dicunt, per aëra volabat, intentæ baliſtæ ruinam minitabantur, tubarum ſonantium clangor (ita ſanè diceres) exaudiebatur. Lætus quidam acer & animoſus, velut Homericus ille πρόμος in arcem inuadebat, belluam vnam multis capitibus horreſcentem vinciebat, nobili victoria & glorioſa, iucundo ſpectaculo pleniſſimo voluptatis. Tenebantur ea pictura paullúmq; hærebant, cùm Iuuentius, Illum, inquit, niſi memoria me fallit mea, ſatis noui eſſe Demoſthenem Oratorum coryphæum, qualem è marmore Tarraconenſi fictum vir ſumma doctrina & humanitate exhibuit Demoſthenicæ vitæ initio, quàm per Archontas & Olympiadas ſumma diligentia & elegantia deſcripſit. Neſcio tamen cur marmorarius ille Demoſthenem effinxerit nudum, horridum, & inſignem ad deformitatem, quem verè dicam Suadæ medullam, & aureum partum Gratiarum. Poſſum enim veterum monumenta obiicere, qui dicunt elegantiſſimè veſtitum, per qua ſtudioſum etiam ornamentorum fuiſſe: In adoleſcentia quidem à muliebribus indumentis nõ abſtinuiſſe memorant, γυναικείαις ἐσθῆσι χρώμενον ait Plutarchus, vnde etiam per contumeliam Batali nomen acceperit. Æſchines in publica concione in eo reprehendit κομψὰ χλανίσκια καὶ τοὺς μαλακοὺς χιτωνίσκους, *lænas elegantes, & molles tunicellas*, quibus circumamictus orationes ſuas ſcribebat, de quibus ait dubitaturos Iudices, virine an mulieris veſtes ſint. De eodem Tzetzes χλανίδας τὰς εὐσήμων μὲν θηλυπρεπῶς ἐφόρει, καὶ σύρων τὸ ἱμάτιον μεγάλως ἐφωνάσκει. *Tunicas inſignes quaſdam fœminarum cultu geſtabat, Atque trahens veſtimentum reſonabat maximè.* Dimarchus ſtudium annulorum in eo reprehendit, is nimirum orator, cuius eloquentia & dicendi vi concitatus populus Athenienſis Demoſthenem in exilium eiecit. Sic igitur quantum memini in oratione ſua dixit, ὁ κατασιχυνῶν τὴν τῆς πόλεως

Æſchin. in Timarch. Agell. l. 1. c. 5. paulò aliter.

δόξαι, χρυσὸν ἐκ τῶν δακτύλων ἀναψάμενος περιεπορεύετο, *Cùm reip. noſtræ infamia, auro de digitis ſuſpenſo obambulabat.* Cùm Philippus diem extremum obiiſſet, prodiit ipſe in publicum, ἔχων λαμπρὸν ἱμάτιον, *ſplendida veſte indutus*, autore Plutarcho. Quæ faciunt vt minus peritum ἀγαλματοποιὸν illum Iberum fuiſſe putem, qui ne quidem pallium Demostheni, quo moriturus in Neptuni fano ſibi caput obuoluit, hic tribuerit. Venuſtiorem & ornatiorem fuiſſe opinor illam ſtatuam, quàm demortuo honoris cauſa potuiſſe dicuntur Athenienſes cum hoc Epigrammate.

Εἴπερ ἴσην γνώμῃ ῥώμην Δημόσθενες εἶχες,
Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.
Si par eloquio Demoſthene robur haberes,
Deuicta haud Macetum Græcia Marte foret.

Cic. in orat. perf. Diſſimilem etiam exiſtimo illam ex ære Demoſthenis effigiẽ, quam Brutus habuiſſe fertur inter ſuas & ſuorum imagines, vt memini prodere M. Tullium. Sed cur hic video breue illud elogium Ἑρμῆς? an propter eloquentiam quã facundus ille nepos Atlantis excoluit? at id quidem non vnius Demoſthenis proprium, ſed commune cum multis. An potius quod vt ille Cerdous & Lucrio Deus, hic Demagogus ſtudioſiſſimus pecuniæ fuit, & mirum quantum appetens commodorum? Hæc ego publicè non dicerem, ſed vobis amicis audientibus, nihil cauſæ eſſe video, cur non ea quæ legi & cognoui, ſtudio veritatis enunciem. Harpalus ſane qui ex nutu & coniectu oculorum ſcienter hominum mores inueſtigabat, ſubito nouit ἐρωτικοῦ περὶ χρυσίον ἀνδρὸς ὄψιν, vt eſt in Plutarcho, eúmque magnis muneribus delinitum ſuæ cauſæ patronum habuit. Hinc nimirum ille morbus, de quo belli homines & elegantiſſimi cùm loquerentur, eum aiebant ὑπ' ἀργυράγχης εἰλῆφθαι lutea nimirum argentangina correptum. Hinc pœna facinori conſtituta luctuoſum & acerbum exilium, à quo fuit populi ſtudio & amicorum beneuolentia reuocatus. Quare Æſchines illi δωροδοκίαν obiicit, non tam odio inueterato maledicens, quã forte ex rei veritate. Nam Siculus ait Diodorus eum πολλὰ χρήματα εἰληφέναι παρὰ Περσῶν, *pecuniæ vim maximam à Rege Magno cepiſſe*, vt Macedonum potentiæ repugnaret. Quid quod ea cupiditate & habendi ſiti ille ipſe gloriabatur? Nam

cùm

cùm Polus hiſtrio ei aliquãdo dixiſſet biduo ſe talentũ argenti lucratum fuiſſe, At ego, inquit, tacendo vno die talenta quinque. Luſerit ergo ingenioſiſſimus hic pictor non repugnante me, & ſiue iſta, ſiue alia de cauſa Mercurium indigitarit. Sanè, ait Victor, repugnante me hominem illuſerit. Non enim ea ratio Iuuenti fuit, abſit verò vt quos ingenioſiſſimos vocas, excellenti viro notam eam inuſtam voluerint. Non, inquam, fuit ea cauſa, cur index hic honoris titulus fuerit appoſitus. An neſcis quod eſt à Photio dictum homine docto & vberrimis ſciẽtiis abundante? apud quem de præſtantiſſimo oratore illud eſt quaſi tritum communi ſermone prouerbium, *Alter Mercurius.* Ariſtid. to. 3 Et ſophiſta Ariſtides iudicio acri & polito Demoſthenis vim eloquentiæ miratus, quaſi ex oraculo grauiſſimè id pronunciauit, Ὃν ἐγὼ φαίην ἂν Ἑρμοῦ τινος λογίου τύπον εἰς ἀνθρώπους κατελθεῖν, *quem ego Mercurij cuiuſdam eloquentis ſpecie in terras veniſſe arbitror.* Cuius forte imitatione Proæreſius in dicendo *Eunapius* copioſus orator, cùm expolitam orationem publico in iudicio *de vit. ſoph.* habuiſſet, gratulantes illi omnes, Ἑρμοῦ λογίου τύπον, *Mercurij eloquentiæ præſidis typum* eum nominauerunt. Sic παραβάτης Iulianus ad Maximum philoſophum ſcribens, ἡμεῖς δέ σοι καθάπερ Ἑρμῇ λογίῳ τοὺς ἡμετέρους λόγους ἐγχειρίζομεν, *tibi nos tanquam Mercurio eloquentiæ Deo ſcripta noſtra offerimus.* Idem Iamblichum non ſolùm Ἑρμῆν appellat, verum etiam Ἀθηνᾶν, Epiſtola ad illum ſcripta. Nunc quod ais ſordido oratorem fuiſſe ingenio & auido pecuniarum, ſcio maledictum hauſtum è triuio, & à fæce inuidorum in eum coniectum, quod tamen poſſum haud dubiis argumentis falſum & impium eſſe demonſtrare. Imprimis enim aurea illa tempeſtas Harpali, qua ſæuo auaritiæ in freto multi famæ naufragium tulerunt, hunc oratorem ſi Pauſaniæ fides, non attigit. Nam cùm Harpalus Pauſan. in ex humanæ vitæ moleſtiis morte euolauiſſet, Quæſtórque il- Corinth. lius acerbiſſimæ quæſtioni ſubiiceretur, eos vt nominaret, quibus hominis opulenti pecunia fuiſſet tributa, nunquam vlla mentio Demoſthenis facta eſt, cùm eundem, is qui præerat iudicio, Vatiniano quodam odio proſequeretur. Quare qui vitam oratoris & inuicti animi conſtantiam memoriæ commendauerunt, aiunt eum fuiſſe τῷ παρὰ Φιλίππου καὶ Μακεδό- Plutarch. νων χρυσίῳ ἀνάλωτον, *aduerſus Macedonum largitiones inuictum* in vit.

& inexpugnabilem. Et eadem mente Suidas ἀδωρότατον appellat. Non ſiuit hanc contentionem longius procedere Honoratus, ſed blandè ſe interponẽs, Non eſt meum, ait, ſignificare, quem propius ad ſimilitudinem veritatis loqui putem. Scio plurimos totius antiquitatis facilè clariſſimos, ea de re, diſſimillima quadam ratione fuiſſe locutos. Sed aſpicite mihi illum apparatum, eã faciem belli horrificam plenam dignitatis, tubas, ignes, arietes, oppugnationem: ſic reperietis, non potuiſſe forte illuſtrius vim mirificam, & ardentem illum impetum Demoſthenis in dicendo, aut eloquentiam omnia domantem & proterẽtem illuminari. Illi enim facũdiæ antiſtiti, illi, inquam, poſt homines natos prope vni *pugnacem* & *bellatoriũ ſtylum*, de
l.7.Epiſt. quo Plinius Secundus, tribuamus neceſſe eſt, qui quamcunque ſe in partem tulerit, ſuſtineri nulla ratione poſſit. Is vt fortis ſtrenuuſque Imperator ſeptos vndique & munitos, etiam
Orat.in Cteſiph. repugnantes vi capit, & quod Æſchinem fateri video, τῷ λόγῳ προσβιασάμενος, *copia orationis animi aſſenſionem extorquet*. Itaque Alexandri Magni parens non bellator modò eximius, ſed ingenio promptus & acutus in excogitando, Demoſthenis o-
Plutarc.in 10. Orat. rationes militibus comparabat, διὰ τὴν πολεμικὴν δύναμιν, Iſocratis autẽm molliores dulcioreſque ſententias pugilibus. Illas baliſtas cùm videtis fortiſſimè intentas ad immania ſaxa in hoſtium muros iacienda, & phalaricas emittendas, an non vobis venit mẽtem Fabij Quintiliani, quem grauem fuiſſe ora-
Fab.l 10: c.1. torum iudicem omnes ſciunt? ait verò in Demoſthene *quibuſdam veluti neruis intenta eſſe omnia*. Nec mirum: nam rex Philippus qui tot annos cum eo, de totius imperio Græciæ, tanta contentione pugnauit, inter ſuos forte inuitus, ſed verè tamen
Lucian.in vit. prædicabat, eius conciones ὥσπερ κριοὺς ἢ καταπέλτας Ἀθήνηθεν ὁρμωμένας διασείειν αὐτοῦ, καὶ ταράττειν τὰ βουλεύματα, *tanquam arietes, aut catapultas Athenis erumpentes, ſua quaſſare conſilia omnia atque proſternere*. Quo mihi reſpicere videntur doctiſſimi viri, qui oratoris vim mirabilem âtque potentiam cùm animaduertunt, eum aiunt ſequi genus in dicendo κρουστικὸν, quo videlicet Arietis in morem omnia quatiat, frangat, emo-
l.2.Ep.146. item l.4. liatur. Iſidorus quidem certè Peluſiota vir eximia eruditione & ſapientia, eum prodit τῷ δεινῷ καὶ ἐναγωνίῳ, vehementia & contentione certaminis omnes omnino ſuperauiſſe. Quid vo-

rò tubæ iſtæ lucente ex ære & directo, quæ quodammodo videntur inflari, quid ſignificant? Scio quidem tubarum ſonitum mirabiliter animos incendere, & nonnunquam ita perturbare militem, vt ſine metu, poſitáque omnium rerum memoria, ſe in extrema pericula iniiciat. Eſt in manibus Theopompus, qui vt fuit æui ſui copioſiſſimus, ita facilè nodum hunc explicabit: ait enim Demoſthenis orationem διεγείρειν τὴν φιλοτιμίαν inflammare gloriæ & laudis appetitionem, additque ſic homines permouere conſueuiſſe, ὥστε καὶ φόβον, καὶ λογισμὸν, καὶ χάριν ἐκβαλεῖν αὐτοὺς ἐνθουσιῶντας ὑπὸ τοῦ λόγου πρὸς τὸ καλὸν, vt eiecta ex animo gratia, poſitóque metu & ratiocinatione, vi dicendi, quaſi diuino afflatu, concitati homines & inſtincti, ad honeſtatem rapiantur. Quos certè ſonitus præſtantiſſimi oratoris, nulla cornua, nullæ tubæ lituive æquabunt, de quibus veriùs quā Philoſtratus de vi Polemonis dicemus, ἰδέα τῶν λόγων θερμὴ, ἐναγώνιος, καὶ τορὸν ἠχοῦσα, ὥσπερ ἡ Ὀλυμπικὴ σάλπιγξ, idea orationis calida & pugnans, atque Olympicæ tubæ modò clarè ſonans. Sed oculos in aërem ſi lubet tollamus, vbi nubes denſæ & ſtipatæ inter ſe coëunt & committuntur, micat ignis, velut tonitrua exaudiuntur, ſono & fulmine complentur omnia. Videre mihi videor quid taciti apud vos cogitetis: meminiſtis enim Periclis, quem tonare & fulgurare ſolitum, & permiſcere vniuerſam Græciam aiunt. Ita quidem, ſed Therſagoras apud Lucianum ait Periclis ἀστραπὰς καὶ βροντὰς ἐς πειθοῦς τι κέντρον, temporis diuturnitatem ferre non potuiſſe, nec cum hoc cœlo Demoſthenis admirabili eſſe componenda. Itaque illius bruta fuere fulmina, huius acria atque agentia; illius ſponte naturæ ferebantur, huius conſilio & artificioſa ratione. *Demoſthenis*, inquit M. Tullius, *non tam vibrarent fulmina, niſi numeris contorta ferrentur*, cuius rei alij quoque auctores meminerunt. Illas flammas ſeu cœleſtes, ſiue è malleolis rutilantes, an non mecum iuxta cenſetis eſſe illum ardorem ſpiritúmque magni viri, quo ſcelus & impotentiam hominum audacium rapidè vehementérque vrgebat νοήματα πυρσὸν ἀνάψας, vt de illo canit Poëta? Lucianus certè vt alia multa verè, ὁρμὴν διάπυρον illi tribuit, *ignitum ardentémque impetum*. Et magnificè Dionyſius Longinus iſta, ὥσπερεὶ καταβροντᾷ καὶ καταφέγγει τοὺς ἀπ' αἰῶνος ῥήτορας, tanquam

Philoſtr de vit. Soph.

in orat. perf. ad Attic l. 15. Ep. 1. Fabius l. 9. cap. vlt.

l. 5. Antholog.

attonitos reddit, fulminat, & comburit qui ab omni æuo in dicendo viguerunt, faciliúſque eſt in fulminum acrem & contortam lucem oculos intendere, quam eius vibrantes affectus intueri. Itaque in illum aptè conuenient quæ in diuino Baſi-
Orat. 10. lio Euangelij tuba & illuſtri buccinatore Gregorius Nazianzenus prædicat, cuius ῥητορικὴν ait fuiſſe *πυρὸς μένος πνέουσαν* *vim ignis ſpirantem*. Nec dubitarem in ea re explicanda pau-
l. 9. Epiſt. cis verbis cum Sidonio Apollinari dicere, *flumen in verbis, fulmen in clauſulis*. Quid igitur deeſſe poteſt huic eloquentiæ duci & Imperatori, ad impreſſionem faciendam in eam arcem quam videtis?

Qui locus tam munitus non turribus ſed trophæis, hominum gratia, opibus, potentia circumuallatus, qui huic Gradiuo victricia ſigna inferenti, aurea lingua, vt adamantino gladio bellanti non ceſſiſſet? οὐ γάρ ἐστι (Macedonis Philippi
Lucian. dicto eſt vtendum) οὐ γάρ ἐστι κατὰ τῶν Δημοσθένους λόγων ἐγεῖραι τρόπαιον, *neque enim de Demoſthenis eloquentia tropæum erigi poteſt*. Etiam ingenioſus pictor hic belluam multis capitibus inſignem delineauit, quam triumphator iſte victam & vinctam, vt Cerberum Hercules, fræno & habenis circunducit. Minimè dubium eſt quo reſpexerit, ſi modo Poëtæ valde bo-
Horat. Ep. 1. l. 1. ni verba teneantur, populum *belluam multorum capitum* appellantis. Illam autem orator Demoſthenes nonnunquam ſequentem, aliquando renitentem furentémque audacia, quam ſe cúnque in partem vertiſſet clara victoria trahebat, & eloquentiæ freno impoſito retinebat. Cecinit hoc quidem breuiter Iuuenalis.

Sat. 10. ——*quem mirabantur Athenæ.*
Torrentem & pleni moderantem fræna theatri.

Hoc idem dum hominum genus erit Græciæ populi atque adeo orbis vniuerſus celebrabit. Sed ne longior ſim, volo deſinere in hoc triumpho, téque Iuuenti qui oratoriæ facultati ſtudes, in hac ſummi oratoris gloria, cupio mecum Ἐπινίκιον hoc canere, Io triumphe.

M. Tullij Ciceronis effigies, fuit εἴρων, oppidò quàm ridiculorum auceps. Coronata eiuſdem eloquentia, luce & flammis prodigio illuminata. linguæ & ingenij omnium confeſſione diuinitas.

CAPVT X.

HIc aliquantulum interquieuere, cùm iterum Honoratus, Reſtat ea tabella vltima, reliquis ſimplicior, ea picturæ varietate carens, quæ nos diu antea detinuit: continet enim vt videtis hominis vnius effigiem, quam eodem ingenij curſu recognoſcas, neceſſe eſt Iuuenti; neque enim qui in cæteris tam acutus in excogitando, tam politus in eloquendo fuiſti, nos hoc loco ſpoliari tua ſuauitate patieris. Rides, inquit, me Honorate, profectò rides, & hominem fœneum vis in arenam immittere ad tentandum periculum, ad hunc meũ ſodalem irritandum, qui me poſteà Rhinocerotis inſtar, naſo ſuſpendat, nam fœnum habet in cornu. Cautus homo es, ait Victor, qui cornua verearis, ſed qui arenam nominaſti, non ſentis nos in talibus eſſe Andabatas, hoc præſente & vidente Honorato, qui meritò paulò antè Io triumphe canebat? à quo ſanè lucem atque diem in obſcuris rebus expectemus. In hac autem imagine mihi quidem nihil difficultatis, nihil eruditionis præter manum pictoris contineri uidetur. Et quoniam deeſt elogium, diuinandúmque eſt & coniecturis agendum, crederem eſſe M. Tullium, vt Romanus Oratori illi Græco reſpondeat. Neque verò dubia ſunt obſcuráque indicia quæ me in eam mẽtem impellunt: video imprimis cicerculam in naſo, à qua volunt Ciceronum cognomen in eam familiam inuectum, illi conſimilem, quam pro ſuo olim cognomine, poculo in argenteo ſculpi curauit. Plutarc. in vit. Præterea vultus ad hilaritatem compoſitus, penè ridentis, ſanè μειδιῶντος, an non ſatis M. Tullium ſignificat, quem εἴρωνα, lætum & feſtiuum, ſingulari quadam vrbanitate cæteris ſui temporis Oratoribus præſti-

Digitized by Google

tiſſe ferunt? Habuit enim, vt cum Macrobio loquar, *literatam latitiam & doctam cauillationem*, notatúmque eſt doctorum hominum monumentis, & animaduerſum, cùm damnatos omnium penè opinione reos & nocentiſſimos tueretur, eum facetiis, & iocorum opportunitate victoriam ſæpè adeptum. Sanè Flaccus in iudicio repetundarum, illius ſalibus & politiſſimæ humanitati plurimùm debet. Cúmque in dictis iaciendis eſſet nimius, & vt ait Fabius, *riſus affectator*, & ne quidem in communium temporum acerbitate ſibi ipſi moderaretur, in grauem multorum offenſionem odiúmque incidit, cùm eſſent multi, qui Ciceronem *Scurram Conſularem* appellandum exiſtimarent. Ipſa verò laurea corona, quæ vt auguſtum diadema frontem honoratam cingit, id videtur mihi quidem eloqui quod eſt ſcriptum à Quintiliano, M. Tullium *regnare in iudiciis vnum*, vel vt Plinius ſplendidiſſimo elogio dixit, *omnibus triumphis lauream adeptum maiorem*: aut vt Ammianus Marcellinus *laureas fori ſpecioſis certaminibus occupauiſſe*: de quo Poëta grauis & copioſus illud trophæum immortalitati poſuit,

Fab. l. 6. c. 3. Macrob. l. 2. Satur. c. 1. l. 10. c. 1. Plin. l. 7. c. 30. Ammian. l. 30.

—Romani maximus auctor
Tullius eloquij cuius ſub iure togáque
Pacificas ſæuus tremuit Catilina ſecures.

Lucan. l. 7.

Itaque huic cauſarum & eloquentiæ Regi coronato longè æquius vetus Roma ſtatuam illam conſecrauiſſet, quam longè poſt eruditiſſimo Proæreſio, in qua magnificum hunc indicem adſcripſerat, *Regina Vrbium*, *Regi eloquentiæ*. Hieronymus quidem certè ſpirans ille doctrinarum bibliotheca, flos pietatis, religioſiſſimus Eccleſiæ Doctor, lubens eam poſuiſſet, qui Ciceronem diſertè nominauit *Regem Oratorum*. Neque verò ſine cauſa doctus pictor coronam hîc adhibuit lemniſcatam & palmarem, inauratam eandem & foliis quernis intermixtam, vt ex multorum inſignium aggregatione, neſcio quid plenum & redundans ornamentorum exprimeret. Quis enim haud concesserit M. Tullio patriæ ſoſpitatori, vt πολιτικῷ ςεφάνῳ ornetur,

Eunapius. D Hieron. procem. de quæſt. Hebr.

— emeritíque gerat inſignia doni
Seruati ciuis referentem præmia quercum?

Lucan l. 1.

Nam ſi honoris ille ornatus vt magni viri literis prodiderunt, τῷ σώσαντι ψυχὴν τοῦ συθεέτος imponebatur, cùm hic Conſul,

vt cum Græcis dicam, conſilio par Ioui, intentos Catilinæ gladios à ciuium ſuorum ceruicibus repulerit, cùm iam faces ad Italiã incendendam perfidioſiſſimè comparatas diuinitùs extinxerit, cùm imperium vniuerſum è fati faucibus eripuerit, cùm omnes denique ſeruarit, an non iuſtè folia hæc ferat æternæ memoriæ conſecrata? Imo verò quod Domitiano Poëta, nos tanto Oratori dicamus,

Non quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi,

imo nec aurea ſola, quæ aureum os, auream illam virtutem muneretur. Cyrus minor ſingulis Græcorum militum, ſi vincerent, coronam auream pollicitus eſt, quam regiam & magnificam pollicitationem non impleuit: at M. Tullio de ſcelere perfidiaque triumphanti, neſcio quæ præmia longè illuſtriora Genius pollicebatur, quæ poſteritas in omnem æternitatem repræſentabit. Atque illa ſeſe animo meo obiiciebant in hanc tabellam intuenti. Nam ea flamma quæ è vertice ſummo emicat, quid ſibi velit, vt verum fatear, non ſat percipio, niſi fortè ingenij ſplendorem ſcientiæque notat. Nam verè Plinius Ciceronẽ *lucem doctrinarum* indigitat. Fortè an exprimet nominis famam & claritudinem gloriç vbique fuſam, & per omnes non modò horas, ſed ætates propagatam. Nam Vates de genere Carmentis, in Sibylæ folio iſta exarauit de Cicerone, [Xenoph. de exp. Cyr. l. 1.] [Plin. l. 17. c. 5.] [Silius l. 8.]

Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet lingua, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam ſperare nepotum.

Hîc Iuuentius, Nuper legi apud nobilem Grammaticum, ait, Ciceronis quondam vxori viſam fuiſſe flammam diuinitus, cùm peracto ſacrificio libare vellet, quæ flamma eundẽ Conſulẽ mox futurum præſignificabat. Atque hoc penitus aliquis fortè pictori ſubiecerit, ad eam dignitatem illuſtrandam. Nã video præſagos olim aruſpices, eam flammam quæ ex vertice Lauiniæ ſplenduerat, ita interpretatos. Niſi quis fortè ad dicendi fulgur atque fulmen id referendum eſſe putet. Ammianus quidem Marcellinus *Orationis imperioſæ fulminibus*, Ciceronem plurimùm valuiſſe memorauit. Dionyſius Longinus eum dixit ὡς ἀμφιλαφῆ ἐμπρησμὸν πάντη νέμεσθαι, *exuberantis flammæ inſtar vndique omnia depaſci, ſurſum volui, & vigere* [Seru. ad Egl. 8.] [Ammian. l. 30.] [Longin. ſect. 10.]

in dicendo. Iſta quidem, inquit Honoratus, à re minimè ſunt aliena, & excogitata ſubtiliùs, ſed an vobis excidit ignem eſſe diuinitatis hieroglyphicum? Stoici quidem ex igne Deum
l. 1. de hæreſ. conſtare aiebant, vt literis prodit ſanctus Damaſcenus, aitque proinde ignem in templis aſſeruari conſueuiſſe, vt ſymbolum
Porphyrius eſſet diuinitatis. Ab Orpheo ſupremus rerum opifex & moderator Deus ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμὴ dicitur, ab antiquo oraculo ἐν πυρὶ ναίων: quæ fuit opinor cauſa, cur diuino ingenio Homerus θεσπιδαὲς πῦρ nominarit, quaſi diuinum admirandúmque dicas. Hæc flamma, Victor & Iuuenti, quam videtis, hæc aura igneos globos viuida vi petens, M. Tullium ſignificat, vt
Fab. lib. 10. c. 1. L. Craſſus apud ipſum loquitur, *in dicendo Deum*, ſiue vt Lacones de præſtantiſſimo quoque dicere ſoliti ſunt θεῖον, vel quod Fabius de illo ipſo M. Tullio pronunciàuit *cœleſtem in dicendo virum*. Quid enim in Cicerone eſt non eximium, non admirabile, non diuinum? Spectate mihi *Linguam, Ingenium* contue-
Linguæ diuinitas. mini, duo quædam hominum ornamenta maxima: quæ lingua, quæ vis orationis & vbertas, ipſius aureæ linguæ decus ſatis
Plin. l. 7. efferat? Polyhiſtor enim Plinius *Linguà laureã* meritum ait, ornatiſſimè dictum, & vt iuxtà mecum vos cenſere puto, veriſſi-
Mart. l. 5. mè. Diuinitatem in ea quandam notat Martialis, qui M. Tullij *ſacram linguam* appellat, & Vellius Paterculus, qui Cicero-
l. 2. hiſt. ni *cœleſtiſſimum os* attribuit. Itaque iure ſuo, fatente inuidia, Laureas Tullius iſta canit,

Plin. l. 31. *Tulli Romanæ vindex clariſſime linguæ.*

& Cornelius Seuerus fatum illius immaturum deflens,

Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ
Vnica ſollicitis quondam tutela ſalúſque.

Cod. de Stud. l. 1. Hinc magnus iuris antiſtes atque oraculum Accurſius, *tubam Romani eloquij* nominauit Tullium. Et ſi quis eum Theophraſtum dixerit, Chryſoſtomum, Æmylium, aliíſque id genus nominibus cohoneſtarit, neſcio an ſatis ſit eius linguæ dignitatem & excellentiam conſecuturus. Volo Iuuenti, vt cùm cœleſtes ea ſonos effundet, cùm loquetur Tullius, è veteri formula omnibus denuncietur, *Paſcito linguam.* Picæ & gracculi quod in re ſimili Pinda-
DioChryſ. or. 37. rus ait, ne in huius luſciniæ cantu & ſuauitate garriant, ipſe Gorgias Leontinus, cui apud Delphos ſtatua lingua

inaurata poſita fuit, hunc ἱερόγλωσσον veneretur. In *In-*
genio verò quid non ſupra hominem eſt, poſitúmque al- *Ingenium diuinum.*
tiùs, quàm vt greges imperitorum queant ſuſpicere? Quid
denique non diuinum, vt non ſine ratione ille ad caput, men-
tis & ingenij domicilium, poſitus ignis fuiſſe videatur? *Copio-*
ſiſſimum illi *Ingenium* Plinius attribuit, magnus & ipſe in di- Plin l. 9. ep.
cendo Epiſtolarum libro nono. *Largum & exundantem Inge-*
nij fontem Iuuenalis. Blondus in Italia illuſtrata, non eſt veri- Iuuenal. ſat. 10.
tus in oratione ſua ponere, M. Tullij ingenium *ſua magnitu-*
dine Romæ par eſſe. Seneca Pater illius ingenium fuiſſe pro- Senec præf. l. contro.
nunciat, *quod ſolùm populus Romanus par imperio ſuo haberet*.
Quod quamuis dictum magnificè glorioſéque ſit, mihi ta-
men videtur humilius, quàm vt eam excellentiſſimi hominis
dignitatem conſequi poſſit. Itaque Plinius maior, tuba iam Plin proœm. l. 1.
maiore illa canit, M. Tullium *extra omnem ingenij aleam* po-
ſitum eſſe. & Tacitus in iudicando & ſentiendo grauiſſimus, Dial. de orat.
tantum fuiſſe putat, vt nec Geometriæ nec Muſicæ, nec Grã-
maticæ, nec denique vllius ingenuæ artis ſcientia ei defuerit.
Propius ad veritatis ſimilitudinem Plinius iunior fortè acceſ-
ſerit, cuius cùm inclytum laudis teſtimonium in medium at-
tulero, in opinione veſtra relinquam, quid de tanti oratoris
ingenio ſentiendum exiſtimetis. Ille igitur homò ſui tempo-
ris eloquentiſſimus, & omni imbutus humanitate, cùm vide-
ret Latiam eam Sirenem humum deſerentem, & ingenij ma-
gnitudine ac præſtantia, communes aliorum cancellos præ-
teruehentem, vt in Heroo poſitus & reuerens id aliquando
aiebat, *Ciceronis ingenium aſſequi, vt ſperare nimium eſt, ita non* Plin. l. 4. Epiſt.
niſi à Diis donari poteſt. Et miremur hinc eam eloquentiam
extitiſſe, quam prope diuinis honoribus hominum fama &
exiſtimatio conſecrarit? Verè opinor dicam, neque inaniter
cum Fabio Quintiliano, Dono quodam prouidentiæ geni- Fab. l. 10. c. 1.
tum videri Ciceronem, in quo totas vires ſuas eloquentia ex-
periretur. Ipſe veluti nouus Iuppiter quidam δημιουργὸς τοῦ
λόγου nouam & admirabilem orationis compoſitionem &
ſtructuram inuexit, & vt dicam in ſumma κόσμον. Ibi vt ſtel-
lis, ſic figuris & incredibili ſplendore collucent omnia: ibi
non vna modò Venus, ſed omnes. Ibi verus ſplendidúſque
Mercurius, ſed qualis à Poëta bono depingitur facundus ne-

Digitized by Google

pos Atlantis qui efferatos hominum animos voce formauit catus & ingenioſus. Ibi lux Iouis benefica & regia, quæ tam multis vitam & ſalutem donauit. Ibi acerbus horribiliſque Saturnus, ſi quando hominum impiorum ſcelus & audaciam voluit configere. Ibi aurato Sol vehitur curru, lucem ingenij proferens, neque vllam eſſe patiens ignorantiæ nubem, quæ mentibus auditorum officiat. Ab hoc cœlo vt infimum in mundũ, ſic in omnem poſteritatem ros infinitæ ſuauitudinis elegantiæque ſpargitur, quo ſenſu humaniſſimo voluptatis alimur & vegetamur. Ægyptij cùm dulcem eloquentiam & eloquẽtem

Horus Ægypt. ſapientiam ſacris notis delineare vellent, pingebant *οὐρανὸν δρόσον βάλλοντα, ſummum æthera mellifluo rore ſtillantem*, vt doctiſſimi homines meminerunt. Quod dictum ab illis in commune fuit, id ego lubens bona cum eorum venia vni Ciceroni ornando ſignificandóque aptarem, & non tenuem modò rorẽ, verùm etiam pluuiam auream depingerem, alterum eloquentiæ hieroglyphicũ, & oratoriæ vbertatis. Hic enim venit mihi in mentem doctiſſimi Nazianzeni, qui magni Baſilij vocem li-

Or. 19. quida ſuauitate fluentem, *ὡς ὑετὸν ὥριμον* vocat, *vt maturam pluuiam*, ad perfundendos dulcitudine animos accommoda-

Iliad. χ. tam, vt omittam Vlyſſeas illas *νιφάδας χειμερίας*, quas magnus Poëta celebrauit. Itaque Victor, non hîc modò flãmam pictam eſſe voluiſſem, verùm etiam & fontem, flumen orationis aureum fundentem, in quo liceat exclamare *ἄριστον μὲν ὕδωρ*. Nam ſi licuit Demoſtheni olim gloriari, quod obiiciebat illi Æſchines, habere ſe *πηγὰς τῶν λόγων ἀφθόνους vberrimos eloquẽtiæ fontes*, vnde magna copia in omnem Grçciam barbariámq; manaret, cur M. Tullius non id de ſe meritiſſimo fateatur? Imò

Valer l. 2. c. 2. lubet audire Valerium Maximum, qui nil fortè dixit vnquam verius, quàm cùm Ciceronem appellauit *abundantiſſimum fontem litterarum*, & ſummã vim Romanæ eloquentiæ. Quẽ inſecutus vir acri iudicio & doctrina, ſummíſque honoribus reip.

Præf. l. 11. Variar. functus Caſſiodorus, eum ipſum nominauit *eloquentiæ fontem*. Sed ille quidem non pluuias, vt ait Pindarus, aquas colligit, ſed

Fab. l. 10. c. 1. viuo gurgite exundat. Hinc hauſerunt quotquot fuerunt in dicendo excellentes & hominũ cõmendatione probati, de quibus idẽ veriſſimè dicere queam, quod de magno viro Sidonius,

Panegyr. Anthem. —— *quamcumque loquendi Arpinas dat Conſul opem.*

Neque verò id negant eruditiſſimi homines, ſed præ ſe ferunt
& prædicant. In eo *præcipuam & admirabilem* fuiſſe *eloquentiã*,
ait Lactantius diuin. Inſtitutionum lib.3. qui & eum Chriſtia- Lactan.l 3. c.1.
no pænè more loquentem nobis exhibuit. Eundem grauiſſi-
mè Senator *Magiſtrum eloquentiæ* nominat libro ſexto. *Magnũ* Caſſiod.l.6 ep.5.
auctorem eloquentiæ D. Auguſtinus. *Cicero à quo Romana eloquẽ-* D.Aug.li.
tia extitit, ait Seneca, parcus alienorum buccinator, vt Stoïcus, 14. de Trin.
nihilque nimio opere in hominum vita demirans. D. Hiero- c.9.
nymus, qui & ipſe in hominum eloquentium theatro poteſt in Senec. epi. 40.
orcheſtra ſedere, M. Tullium vehementiſſimè ſuſpiciens, ait l. de Script.
illum *in arce Romanæ eloquentiæ ſtetiſſe*. Plinius naturæ ille My- Eccl.in Prolog.
ſtes, *facundiæ, latiarúmque literarum parentem* appellat. Appia- Appian l 1.
nus Alexandrinus, ἱκανὸν εἰπεῖν τε καὶ φιλοσοφῆσαι hominem incre- ciuil.
dibili facundia præditũ. *Aurum Tullianũ* ait Symmachus, cùm Sym.l.3. epiſt.
diuitem copiam orationis ſignificare vellet. Grauiſſimus Ter-
tullianus neminem illorum Deorum quos in cœlo poſuiſſet
antiquitas *eloquentiorem Tullio fuiſſe* contendit. Et ne quis pu- In Apologet.c.11.
tet clamatorem fuiſſe quendam & veteratorem, qui bonita-
tem haberet tantùm ſtructæ politęque dictionis, & expeditam
ac profluentem quodammodo celeritatem, monent iidem an-
tiquitatis ſapientes, in eo fuiſſe plurimas literas, nec eas vulga-
res, ſed interiores quaſdam & reconditas, & è cultis veteris A-
cademiæ ſyluis delibatos vndique floſculos atque fructus, in
amœnos Suadæ hortulos feliciſſimè detuliſſe, vt quemadmo-
dum ille apud Homerum Phœnix gloriari poſſet, datum ſe eſ-
ſe non Achilli iuueni, ſed orbi terrarum, vt plurimos efficiat Cic.3.de Orat.
oratores verborum actoréſque rerum. *Videte*, inquit S. Hie- in cap.1.
ronymus, *M. Tulliũ Philoſophũ pariter & oratorẽ*. Et ne vnum ali- Nahum.
quem de minutis ſuſpicaremur, qui garrire in Lyceo cõſueuiſ-
ſet, Rhetor bonus eximiúſq; Firmianus eũ *perfectũ & oratorem*
& Philoſophũ ait fuiſſe. Quare nõ iam Rhetoricè ſed Latinè & Lactant de Fal. rel.l.1.
verè ea dicta ſunt à Quintiliano, M. Tullium nõ circa plurium c.15.& l.3.
artiũ ſpecies præſtantem, ſed in omnibus quæ in quoq; laudã- c 14.
tur eminentiſſimũ exiſtimandũ. Vidit hoc & inuidit Græcus Fab.l.12. c.
Apollonius, ſpoliatæ olim Græciæ cõditionem miſerans, qui 10.
ornamenta duo, quæ reliqua erant maxima, aiebat in Italiam
à Tullio exportata, παιδείαν τε καὶ λόγον, hoc eſt vt vno verbo Plut.in
dicam, Encyclopædiam. Neque id mirum: nam qui nobis Cic.

Digitized by Google

antiquitatis memoriam ſuis monumentis reliquerunt, aiunt illum habuiſſe φιλόσοφον φύσιν οἷον ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, *naturam ad philoſophiam aptam, omne genus eruditionis complexam*, qualem Plato in excellentiſſimis hominibus requirebat. Et eum ipſum dicere ſolitum ferunt, ſe Philoſophiã ſecutum ὡς ἔργον, vt proprium opus & meditatum, eloquentia verò ὀργάνῳ χρῆσθαι vti adiumento nobiliſſimóque inſtrumento ad ſummas reipub. vtilitates, ad ſuorum bonum ciuium, ad imperij decus & dignitatem. Salue igitur flos omnium Gratiarum: Salue

Catull. *Diſertiſſime Romuli nepotum,*
Quot ſunt quotque fuere M. Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis.

Tibi iure id accinam quod ſplendidiſſimi ingenij ſcriptor
Paulin. ep. 36. atque ſanctiſſimi erudito viro dicebat, *Omnium Poetarum floribus ſpiras, omnium Oratorum fluminibus exundas, Philoſophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam diues literis Romanum os Atticis fauis imples.* Id audacter etiam pronunciabo, quod Aurelius fuſcus Orator vnus omnium ſuauiſſimus, cuius illa
Senec. ſuaſor. 7. ſunt egregia, *Quoad humanum genus incolume manſerit, quandiu vſus literis, honos ſummæ eloquentiæ pretium erit, quandiu reipub. noſtræ aut fortuna ſteterit, aut memoria durauerit, admirabile poſteris vigebit ingenium Ciceronis.* Taceant verò mihi Tulliomaſtiges frenetici & impudẽtes, vapulent in cõuiuiis, vt il-
Idem ſuaſor. vlt. le olim Rhetor Cæſtius qui Tullianæ facundiæ bellũ indixerat. Paria de ſe dicta putẽt quæ Ammianus Marcellinus de Di-
Ammian. l. 22. dymo Chalcentero protulit, *Qui*, inquit, *in iis libris vbi nõnunquam imperfectè Tullium reprehendit Sillographos imitatus ſcriptores maledicos, iudicio doctarũ auriũ incuſat, vt immania frementem leonem putidulis vocibus vanus catulus longius circumlatrans.* Vos verò qui in tanti Hegemonij veſtigio pedem ponitis, vt prius Demoſtheni, ita paribus animi votis huic Olympionicæ Paradoxo Io triumphe concinite.

Hilaratus hac commendatione Iuuentius ita infit, Magnam à me quidem certè gratiam iniſti Honorate, qui meum in dicendo Præceptorem tam opiparè, támque lautè hoc ἐράνῳ ſuauiſſimo excepiſti. Nam vt eſt in fabulis Deos Deáſque omnes in Nymphæ vnius Gameliis ſua quemque dona con-

tuliſſe, ad nouam ſponſam cohoneſtandam: ſic tu ex ſapientum omnium cimeliis teſtimonia laudis corrogaſti, & tot veluti cœleſtium ingeniorum dona, ad meum Ciceronem ornandum & efferendum. Quæ cùm à te magno animo & ſuaui quodam orationis flumine adducerentur, veniebat mihi in mentem, id te ſequi voluiſſe, quod verè Magnus Felixque Ennodius faciundum monebat, *Libandum eſſe literarum numini, quod de ipſarum altaribus fluxit.* **Ennod. ſchol. 6.**

Speculum non tantum in Veneris mundo immundo, ſed in caſto etiam Oratorum & Philoſophorum inſtrumento reponi. Quantum in Actione Oratoris ſit momentum explicatur.

CAPVT XI.

ILLAM omnem voluminum varietatem, quæ diſſimilium artium homines elaborauiſſent, vt in Circo Numinum pōpam, ſpecie mirabili collucentem, hoſpites illi noui prætereuehuntur; & ex omni muſico apparatu bibliothecæ omnibus ſuis numeris abſolutæ, nihil admodum præter vnum pegma reſtabat, quod non ſumma animi voluptate fructúque vidiſſent. Abacus fuit extremo in loco elegantium plenus inſtrumentorum, quæ Geographiæ & ſublimium rerũ cognitioni ſeruiunt, Sed inter ea grande ponebatur ſpeculum σφαιροειδὴς, at tum quidem niuea aluta & conſueto integumento inuolutum. In eam partem vbi etiam venerunt, Honoratus tegmen eueſtigio ſuſtulit, vt curioſi & elegantiſſimi adoleſcentes rem viderent ſummo artificio induſtriáque perfectam: nam vt aiebam ingẽs fuit ſpeculum exquiſito læuore collucẽs, parte vna cauum, alia extuberans, quod hinc inde cippi duo artificioſè tornati picturatique ſuſtinebant, ad commodiorem facilioremque vſum. Iuuentius tantùm id aſpexerat, cùm tanquã læuum auſpiciũ deprecãs oculòs ſuos auertit. Cui Honoratus, Ecquid Iuuenti hoc quidquid eſt tuam expectationem fefellit? qui fortè hîc Dioptram aliquam inuſitata machinatione conſtructã, Ἀστρολάβιον, aut ſimile quidpiam ſuſpicabaris. Ille nihil diſſimulãs,

Cohibeo, inquit, me Honorate, ne de te aliud, quàm quod deceat exiſtimem: ſed animum pupugit meum ſapiẽtis Poëtæ oraculum, Naumachium intelligo, quo monuit pudicas mentes & caſtimoniæ ſtudioſas ne ſpeculo vterentur,

---- μηδὲ κατόπτρῳ
Χειρὶ διακρίνουσα τεὴν ἀγάζεο μορφήν.

Speculum mollium. *Neque in ſpeculo manu diſcernens tuam contempleris formam.* Eſt illud muliercularum inſtrumentum, & quidem luxu & delitiis fluentium, quæ vt magnus ait Tertullianus, *Conſilium formæ à ſpeculo petunt.* Quare ſpeculum dedicatum fuiſſe Veneri prodit Philoſtratus in Iconibus. Clemens Alexandrinus excellenti vir ingenio & doctrina τῶν κατόπτρων κατασκευὰς ait comparari à mulieribus in proprium dedecus: vt mirum ſit, quoſdam etiamnum inueniri adoleſcentes, qui muliebrem mũdum in thalamum Camœnarum, id eſt Muſeum transferant, quod non ſatis ornatum & inſtructum eſſe putant, niſi etiam eo nitore illuſtretur. Et tamen haud obſcura eſt Philoſophi Romani grauis admonitio, qui cùm mollium & otioſorum leues occupationes futiléſque inſectatur, eos pungit aculeo ſeueritatis & caſtigat, *qui inter pectinem & ſpeculum occupantur.* Et in Satyra Poëta magnus

Tertullian. l. de vel. virg. c. 12. Philoſtr. Clem. Alex l. 3. Pæd. c. 2

Senec. de breuit. vit. c. 12.

Iuuenal. Sat. 2.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis.

Occurrit hîc Honoratus, Grauis tu cẽſor leuitatis ſemper fuiſti Iuuenti, ſcio, voluptatis obſtruere aditus omnes, occludere fontes cupis: ſed cùm legibus ἐνοπτρομαντεία prohibeatur, tu tamen mihi hoc ſpeculo vti videris ad neſcio quid diuinandum.

Speculum in ſacris. Quòd ſi ſpeculum omne profanum exiſtimas, vereor ne tuum iudicium, non modo iniquum in homines, ſed in Deos etiam impium eſſe videatur. An non legiſti in monumentis antiquitatis (hæc iocans dicebat, ſed tamen compoſito vultu ad obſtupefaciendum bonum adoleſcentem) ſpeculis olim in delubris vſos, & religioſiſſimo cultu ceremoniarum, ad diuinam mentem placandam? Audi igitur Apuleium Iſidis pompam oratione inſtruentem: ita enim ſi ritè memini l. 11. *Mulieres candido ſplendentes amicimine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, qua ſacri incedebant comitatus, ſolum ſternebant floſculis, aliæ quæ nitentibus ſpeculis ponè tergum reuerſis, venienti Deæ obuium cõmonſtrarent obſequium.* Annæus item Seneca apud

Apul. Metamorph. l. 11.

D. Auguſtin. cum ea quæ in templis fiunt & religionis procurationem memorauiſſet, ſubdit fuiſſe quaſdam, quæ Ioui ac Mineruæ ſpeculum tenerent. Tu verò an non quotidiana pietate *ſpeculum ſine macula* intimo ex animo colis & prædicas? Sed diuina hæc omittantur, Demoſthenem tibi tuum excidiſſe miror, qui ſpeculum in oratorio inſtrumento poſuit.

Imò verò, ait Victor, non tam proprium Oratorum, quam noſtrorum Philoſophorum eſſe videtur. Socratem aiunt hortari ſolitum adoleſcentes συνεχῶς κατοπτρίζεσθαι, *vt identidem in ſpeculo ſe contuerētur*, vt ſi quidem formoſi eſſent, digni ea ſpecie fierent, ſin autem deformes, eruditione atque mentis elegantia oris prauitatem integerent. Galenus id *præceptum vetus* appellat, in Suaſor. ad art. *O Adoleſcentes*, inquit, *audite moneo vetus illud præceptum, veſtrámque in ſpeculo effigiem interdum inſpicite, vt ſi quis veſtrum ſe forma egregium iudicet, idem operam det, ne minori animæ laude præcellat, turpe exiſtimans, formoſum corpus rudis animæ domicilium eſſe*, &c. Sextius apud Senec. *Quibuſdam iratis ſpeculum profuit aſpexiſſe*, ſanè dictum ſapienter, & è penu Stoïcorum promptum. Quare Zeno cùm adoleſcentem aliquando videret, moleſtiùs atque faſtidioſiùs quàm per ætatem conueniret, quæſtiones proponentem, admoto ſpeculo iuſſit inſpicere, rogauit deinde, num ea ζητήματα ei vultui congruerent. Eadem mente Plato ebrioſis ſuadebat vt ſpeculum adhiberent, quo ſe intuentes à turpitudine auocarentur. Bellè item eodem vſus eſt aliquando Diogenes: nam cùm Dioxippus Olympionices victor ſplendida pompa vrbem Athenienſem eques iniret, & vnius mulierculæ ſpecie, quæ ad portas fuit caperetur, atque oculos ad eam ſæpiùs capútque reflecteret: Diogenes eo in ſpeculo demonſtrato, ad eos qui proximi tum aderant, En inquit, pugilem veſtrum magnum, quemadmodum puella ei ceruicem confringit. Sed vnus omnium eximiè complexus mihi videtur ſpeculi varios commodóſque vſus, Philoſophiæ grauis autor Seneca, libro Naturalium quæſt. primo, cùm ita ſcribit, *Multa è ſpeculo conſecuta: primo ſui notitia: deinde & ad quædam conſilium: formoſus vt vitaret infamiam:*

Speculum Philoſophorum.

Plutarch. Laert.

Galen. c. 5.

Senec. li. 2. de ira, c. 36.

Ælian. de Var. hiſt.

Senec. li. 1. nat. qq. ca. vlt.

deformis vt ſciret redimendum eſſe virtutibus, quidquid corpori deeſſet: Iuuenis vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi & fortia audendi: ſenex vt indecora canus deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Hæc veteres illi ſophi. Tu verò mihi dubium nullum eſt, Honorate, quin Philoſophiæ gratia ſpeculum hoc adhibeas. Minimè verò, inquit, adeóque ſum remotus à Philoſophia, vt etiamſi me me in turbam, mediúmque in forum cupiam conîcere. Nôn vos latet, mihi propediem in Curiæ ſolem, atque in certamen cauſarum forenſium eſſe prodeundũ: ne verò ſim penitus ἀπάλαιστος, hunc Gymnaſtam mihi tacitúmq; monitorem delegi, & vt ſpeculum eruditiſſimus nominat Gregorius Nazianz. τὸν οὐχ ὁρόωντα διδάσκαλον, quod feciſſe magnum in Græcia oratorem aiunt, priuſquam in cœtu Athenienſium verba eſſet facturus. Qui ab oris & linguæ ſuauitate nomen inuenit Themiſtius, cùm abſentem Conſtãtium Imperatorem laudaret, cauſámque redderet in Senatu, cur non Romam vſque fuiſſet profectus, vt coràm, eum orbis terrę moderatorem præconio & laude cohoneſtaret, ait ſibi ἐγγυμνάσιον ἔτι καὶ ἐμμελετητήριον περὶ τῆς ἀληθινῆς θέας, ταῖς εἰκόσι καὶ τοῖς κατόπτροις, *priuſquam ad auguſtum illud ſpectaculum contuendum accedat, eſſe obtutum in imaginibus ſpeculoque exercendum.* Quare petit ſibi ab auditoribus magnis viris concedi τῷ κατόπτρῳ ἐνδιατρῖψαι μικρόν τινα χρόνον, *tantiſper in contemplando ſpeculo immorari.* Ita faciundum putaui, ne fortè, quòd Theophraſto olim, mihi eueniret, quem tametſi diuinum hominem in orando vox tamen oratióque defecit, ὅτι κατεπλάγη τὸ ἀξίωμα τοῦ συνεδρίου, *quod Senatus incredibili dignitate fuiſſet obſtupefactus.* Cerno iam animo, ait Victor, quantus hinc quamque ad vnguem factus & politus, Honorate, venies ad dicendum. Mihi ſanè imitari Catonem videris, hominem lingua & intelligentia præſtantem, qui priuſquam in forum deſcenderet, ſe diligentiſſimè exercuit, & quidem in remoto ab aduentoribus loco: neque enim vt hiſtoriæ produnt, in quotidiana meditatione quiſquam eum declamantem audiebat. Cúmque amici id ſilentium reprehendi à multis, ſolitudinémque dicerẽt, memorabilẽ illam ſententiam protulit, ἄρξομαι λέγειν, ὅταν μὴ μέλλω λέγειν ἄξια σιωπῆς, tum ſe venturum ad dicendum, cum ea quæ dicturus eſſet, non tam ſilentio quàm prædica-

Greg. Naz. carm. 63.

Themiſt. or. 13.

Ælian. in Var. l. 8. c. 12.

Plutarch. in Cat.

prædicatione omnium digna viderentur. Sic tu paras, atq; illa inſtruis in hac ſolitudine, quæ cùm audient ampliſſimi Curiæ Præſides atq; Senatores, laude & gratulatione proſequantur: præſertim cùm illud, quod tenet animos in dicendo, τὸ πρέπον, cùm motus corporis, atque omnem actionem tuam, iam perfectam, iam ſuis numeris abſolutam, hoc ſpeculum tibi hactenus ſignificare potuerit. Tuo nos, inquit, ingenio, Victor, excellenti nimirum atque limato, non noſtro pede moduló que metiris. Mihi verò cùm plurima deſunt, quæ in præſtanti Oratore lucere debent, tum nihil ſemper viſum fuit tam arduum atque difficile, quàm geſtum & pronunciationem ex dignitate moderari. Natura imprimis quæ parens quædam eſt fónſque motionum me deficit, quæ neſcio quibus implicita vinculis hebeſcit & languet, tum vſus atque exercitatio tenuis & modica fuit primis adoleſcentiæ annis, quibus ingenui pudoris veluti cancellis cohibitus, cœtus hominũ eruditorũ, dicendique laborem fugiebã. Itaq; nunc induſtria, labore, diligentia, excitãda omnia ſunt & inſerenda, quod ego propemodum dixerim ex arido pumice liquidam vndam haurire. Atq; hîc non equidem poſſum nõ laudare Præceptores tuos Iuuenti, in dicendo graues, & experientes, & maturo iudicio viros, qui frequenter iubent auditores ſuos in ſuggeſtum conſcendere, agere, pronuntiare, ſcenam etiam & theatrum aliquando tenere, vt non modò vox corroboretur & inſtituatur geſtus, verùm etiam honeſta quædam audacia ingeneretur. Quæ parandæ eloquentiæ adiumenta, vt facilia, ſic plena humaniſſimæ voluptatis, ſi cupidius ſecutus fuiſſem, næ ego ſpeculum illud meum abiicerem, vt mutum & inertem doctorem, & fidentiùs in oculis meorum ciuium, & in medio foro habitarem. Quod ſi mihi iam integra forent omnia, ſi à metis iterum ad calcem redire poſſem, ni iam ouum vt in Circo de medio ſublatum animaduerterem, alia ſanè contentione decurrerem in eo ſpatio glorioſo humanitatis, nec committerem vnquam, vt vel ad metas ſtultæ inertiæ iuuenilis ætas adhæreſceret, vel ingenita leuitate longiùs in Euripum ageretur. Sed nimirùm non ſine cauſa vetus illud iactatum in Gallia prouerbium eſt, *Poſt factum ſapere Armoricum.* Tu Iuuenti in tam honeſtum curriculum ingreſſus, quod fruſtra ego requiro, eo Philipp. Commin.

Digitized by Google

impetu generoſæ tuæ mentis, ea tanta aſſiduitate profectò aſſequeris. Ita enim in eloquentiæ ſchola quotidiana illa excipis aureáque dicta, ſic animo & cogitatione imminens ἐχεμυθίαν obſeruas, vt quod de capris Archelaus memorauit, non vt reliquas animantes naribus, ſed auribus ſpiritum ducere ſolere, ſic tu vitam audiendo, atque omnigenam humanitatem haurire videare. Perge verò albis illis quadrigis metam circunflectere, ſine naufragio, conſueta tua alacritate: veniet tempus cùm in flexu quaſi ætatis, ſtrenuè cucurriſſe, palmam item ambiiſſe lemniſcatam, de gloria cum ſociis animo celſo & erecto contendiſſe læteris. Sed ego γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, & euolantem ad curſum impello. Habetis ſpeculi mei vſum atque finem, quod vos à natura ad omnem Oratorij muneris dignitatem inſtructi & ornati minimè requiritis.

Hæc cùm dixiſſet, quies aliquantiſper fuit, atque ſilentium, dum Victor & Iuuentius in tantæ modeſtiæ conſideratione taciti hærent: ſic enim conſtabat; Honoratum in omni officio diligentiáque præſtitiſſe, in omni curſu adoleſcentiæ atque literarum, vt eum omnes vnum haberent, quem ſtudioſè imitarentur. Iuuentius cùm arderet ſtudio incenſo audiendi longiorem quandam diſputationem de Actione, ita laceſſiuit, Quid? Honorate, num tantum in pronunciatione Oratoria tuo iudicio eſt poſitum, vt in ea exercitatione diu atque multum hærere putes oportere? Mihi quidem puerilis ſemper tota res viſa, & naturæ beneficio conceſſa, quæ cauſa fuit, cur in præceptis eloquentiæ, nihil de ea magnus Ariſtoteles poſuerit. Scio, inquit, iſta à Philoſophis diſputari, Iuuenti, quos in hoc quidem negotio minimè audiendos cenſeam: agunt in ſcholis atque vmbra ſine vllo apparatu, turbulentiſſimo animi motu, & nonnunquam penè dicam furioſo, dum clamoribus opprimere aduerſarium conantur atque obtundere. Sed aliud eſt garrire in Gymnaſiis, aliud in luce vrbium & conſpectu dicere appoſitè ad perſuadendum, & nobilium æquè ac multitudinis ſenſa moderari. Quare quod is, quem paulò antè nominabas, Ariſtoteles ait φύσεως τὸ ὑποκριτικὸν εἶναι καὶ ἀτεχνότερον, *actionem totam eſſe naturæ, omniſque artificij expertem*, & alio in loco δοκεῖν φορτικὸν rem videri ſanè leuiſſimam, quotidiana experientia & complurium Orato-

Ariſtot. 3. rhet. c. 1.

rum exemplo refutatur. Ipſe Demoſthenes, cuius memoriam apud eruditos ſæculorum omnium æternitas alet, *φαυλοτάτην ὑπόκεισιν*, vt cum Libanio loquar, habuit à natura, ſed eam *μελέτῃ κατώρθωσε*, *ſtudio & diligentia perfecit*. Hinc ſeceſſus ille ab hominum frequentia, & raſi capitis impolities, hinc ſpeculum & acutus mucro, hinc in littore vociferatio, & geſtiens curſus, quibus effecit, vt cùm foret ea ætate magna quędam Oratorum ſeges & copia, vni tamen ipſi lauream omnes communi iudicio tribuerent. Itaque ſcitè & eleganter dictum à Valerio Maximo, *Alterum Demoſthenem mater, alterum induſtria enixa eſt*. Et verò omnem eam in dicendo laudem, quam in Græcia conſecutus eſt, Actioni imprimis acceptam referre cupiebat, cúmque fuiſſet aliquando interrogatus, quam eloquentiæ partem eſſe principem & nobiliſſimam exiſtimaret, Actionem reſpondit, quod eius acroama docti ferè omnes, qui de Oratore locuti ſunt, monumentis ſuis conſignarunt. Quid hîc opus percenſere M. Tullium, quantùm curæ & contentionis in eo ſtudio poſuerit, quantùm cæteri qui in foro & grauioribus cauſis principatum, ſiue in Italia, ſiue in Gręcia tenuerũt? Hac vna re ita præſtitit Antonius L. Craſſi æqualis, vt inter sũmos Oratores haberetur, cùm tamen, vt in Bruto ait Cicero, non optimè Latinè, vel potiùs inquinatè loqueretur. Sic P. Lẽtulus, cùm in eo nihil præter Actionem fuiſſet, Orator eſt habitus, cuius & excogitandi & loquendi tarditatem tegebat formę dignitas, corporis motus plenus & artis & venuſtatis, vocis & ſuauitas & magnitudo. Adeò verũ eſt quod Craſſus 3. de Orat. libro aiebat, *Actionem in dicendo vnam dominari*: Nam ſine hac, inquit, ſummus Orator eſſe in numero nullo poteſt, mediocris hac inſtructus ſummos ſæpè ſuperauit. Iphicrates Athenienſis tropæis clarus, animíque fortis opinione, cùm in rerum adminiſtratione Oratorem Ariſtophontem haberet inimicum, longè omnium in dicendo grauiſſimum, cuius varia & pollenti actione premebatur, dicere conſueuit, fabulã quidem ſuam eſſe meliorem, at æmulos vitæ ſuæ & gloriæ nactos fuiſſe præſtantiorem quendam actorem, cuius motu artificióque ſuperetur. Et tu à me quæris, Iuuenti, an momentum poſitum eſſe putem in Actione? Tu ipſe, qui penè quotidie ſummos adoleſcentes in auditoriis pronunciantes vides, an non eo ipſo aut probandos,

Liban. de Demoſth.

Valer. l. 8. c. 7.

Plutarc. in præc. polit.

aut repudiandos exiſtimas, quod eleganter vel inſulsè & ineptè pronuncient? Socrates olim geſticulante puero delectatus, *Videtis*, inquit, *quàm lepidus, venuſtúſque puer hic ſit,* ὅμως σὺν τοῖς σχήμασιν ἔτι καλλίων φαίνεται, ἢ ὅταν ἡσυχίαν ἔχῃ, *verùm ſi geſtus adhibeat, elegantior videatur, quàm ſi quieſcat.* Eſt quidem id veriſſimum, elegantem actionem perfundere audientium animos iucunda voluptate, ſed non tamen eam delectationem eximium fructum eſſe puto expoliti Oratoris, ſed vim potiùs quandam actionis dominantémque potentiam, qua mentes eorum qui audiunt inflammare poteſt aut ſedare. Talis mihi videtur Seuerus fuiſſe Caſſius iam perfectus Orator, cui Gallio id teſtimonium laudis meo iudicio maximæ tribuebat, *Cùm*, inquit, *diceret, rerum potiebatur, ſic omnes imperata faciebãt, cùm ille voluerat iraſcebantur.* Quare qui flumen tantùm habent orationis, & vberem copiam optimarum etiam dictionum & elegantium, ſi careãt idonea pronunciatione, diminuti ſunt Oratores atque manci, cùm ea *corporis eloquentia*, vt magni viri nominant, deſtituantur. Qui verò vtrumque certo iudicio copularit, is iure ſuo, quam ſe cúmque in partem dicendo feret, Athenienſis Themiſtoclis dicto vtetur, Græciæ inſulas cũ imperio obeuntis, ſe duos ſecum adferre Deos, *Vim*, & *Suadelam*.

Xenoph. in Conui.

Senec. prœm. l. 3. Declam.

Actionis Oratoriæ præſtãtia. futuræ Diſputationis ἀπαρχαί. Pronunciationis habendam eſſe maximè rationem Oratori, quod mores intimos animorum prodat.

CAPVT XII.

HIc cùm paulùm Honoratus hæſiſſet, quaſi rei dignitatem vehementiùs expendens, ſubiecit Victor, idem ſe planè ſentire. Neque enim, inquit, dicendi magiſtri in munere Oratoris rem vllam tanti faciunt, quanti elegantem Actionem. M. Tullius cùm explicauiſſet ornamenta omnia lautæ & copioſæ eloquentiæ, his verbis ſanè grauiſſimis diſputationem omnem ſuam concluſit, *Sed hæc omnia perinde ſunt vt*

Cicer. de Orat.

aguntur, cùm ſine grata & opportuna actione, inania omnia ſitura ſignificaret. *Pronunciandi vel potentiſſima in dicendo ratio, & vt ſemel dicam, omnia pariter docet*, ait Fabius Quintilianus. Quintil. l. 11. c. 3. In annalium monumentis complura ſunt exempla eorum hominum, qui quod hoc ornamento caruiſſent, nunquam ad præſtantem eloquentium laudem peruenerunt, alioquin abundanti ingenio præditi & memoria, ad inueniendum & comprehendendum infinitam rerum varietatem. Iſocrates quem inde ab adoleſcentia, vt exorientem quendam ſolem, Philoſophiæ duces & coryphæi laudabant, ita fuit in ſcribendo ſuauis & elegans, vt omnes in oratione lepores illigaſſe, veneres omnes conciliauiſſe crederetur, ſed quod eam inſtitutionem non habuit, quæ & pudorem ſubruſticum minueret, & eam, quam illi defuiſſe, boni ſcriptores meminerunt, τόλμαν induceret, in tenebris iacuit, & ſcholæ finibus ſanè exiguis, & in quadam Rhetoris mediocritate. Qui ſi ad illam ſtyli diuinitatem, qua ſe omnes, quicumque olim in dicendo præſtitiſſent, in Panegyrica oratione vicisſe gloriatur, actionis dignitatem adiunxiſſet, nemo dubitat, eum Athenis in omnem conſequentis æui memoriam nobiliſſimum futurum. Nunc autem tam concinnas, támque elaboratas orationes, vt cadauer ſpecioſum cœleſti quodam artificio fabricatum, vox tenuis actióque minus decora, ſenſu & anima, & oratoriis lacertis, & ampliſſimi nominis gloria ſpoliauit. Iiſdem in tenebris vel potius æterno in ſilentio conſepultus fuiſſet magnus Demoſthenes, cùm propter actionis prauitatem irriſus fuit, & exploſus à concione, ni triſtem illum & mœrore confectum & deſperantem Satyrus excitauiſſet, homo in ſcena & theatro nobilis, & Roſcius quidem apud Athenienſes, qui cùm iuſſiſſet eum ex Euripide verſiculos duos tréſve pronuntiare, eoſdem poſtea ἐν ἤθει πρέποντι καὶ διαθέσει, vt Plutarchus habet, Plutarch in Demoſth. ea gratia, eo vultu & geſtu recitauit, vt Demoſtheni planè alij eſſe viderentur. Igitur velificatione vſus meliori, alium quendam curſum eloquentiæ & exercitationis inſtituit, ſeque expoliuit. Et tamen vt intelligamus ſingulare hoc decus Actionis, non vt meus aiebat Ariſtoteles φορτικὸν eſſe, quin potius nimium quantum operoſum, & in humanis longè difficillimum, ipſe ille facundiæ princeps concionis forique Dominus, poſt

quotidianas exercitationes, cùm tantus eſſet in agendo, vt Luciau. in Encom. Philippus Rex Macedonum diceret, *οὐκ ἔστι κατὰ τῶν Δημοσθένους λόγων ἐγεῖραι τρόπαιον*, *fieri non poſſe, vt de eloquētia Demoſthenis vllum trophæum ſtatueretur*, haud vſquequaque ſerio & intelligenti auditori ſatisfaciebat. Or. περ. στεφαν. Nam fatetur de ſe ipſe ab Æſchine reprehenſum, *καὶ ῥήματα καὶ σχήματα μιμουμένῳ*, *cùm dicentis pronunciationem atque geſtum illudens imitaretur*, ad inuidiam ſummo oratori procreandam. Quare cùm tanta ſit huius partis eloquentiæ præſtantia, magnam tu Honorate inires gratiam, à me quidem maximè, ſed vt opinor etiam ab hoc Iuuentio, ſi abditam illius rationem, quod commodo tamen ſit tuo, nobis explicares. Non enim dubito, quin legendis tuo more Veterum monumētis, in hac perēni exercitatione plena mētis & rationis, è tuo denique hoc ſpeculo multa conſecutus ſis, quæ in magnis cauſarum patronis facilè primum efficiant. Illud idē mihi veniebat in mentē à te Honorate petere, ait Iuuentius. Neque enim paulò antè Actionis ego dignitatem infringebam, ſed vt tuam opinionem elicerem, doctrinā euocarem, illa à me proferebantur. Nunc quoniam bonis auibus in eum ſumus ſermonem ingreſſi, age per eas ipſas muſas, quæ huic loco præſident, & tuæ nobis eruditionis aliquid impertire. Ad iſtuc nos tempus inuitat, quod otij eſt atque feriarum, & matutina ambulatione feſſis nihil poteſt eſſe iucundius, quàm in tua ſuauitate, vt lauto in diuerſorio conquieſcere. At Honoratus, Neq; temporis, inquit, ratio eſt huic opportuna ſermoni, quod tributum ais ad otiandum, non ad ſerias aliquas diſputationes, neque is ſum, qui poſſim illi ſtudio & voluntati tuæ ſatisfacere. Sed ſi tamen hoc agi placet, vtrumque veſtrum diſſerentem libentiſſimè audiam, nam ad eam voluptatem, quam ex veſtro huc aduentu cepi, illud etiam vtilitatis accedet, quod veſtris monitionibus addiſcam, quod diuturna vix commentatione potui percipere. Imprimis tu Victor, rem pertexere tam facilè ingenio potes, quàm manu; præſertim cùm auditis Rhetorum admonitis, iiſque animo & memoria ſtudioſiſſimè collectis, è media quoque Philoſophia haurire potuiſti, quid in quaque re deceat. Hîc verò Victor excuſare ſe, Philoſophiam ab ea pompa Oratorum tam alienā prętexere, Omuli etiā dictū vſurpare, in cuius domum cùm

Antoninus Pius aliquãdo veniſſet, & multa quæreret de por- Iul. Capi-
phyreticis columnis, quæ feriebant oculos mirabili venuſtate, tolin. Cœ-
liberè quidem hoſpes & ſapienter, *Cùm in domum alienam ve-* lius l.13 c.5.
neris, & mutus & ſurdus eſto: ita ſibi aiebat eſſe in ea domo ſilendum, quæ officina quædam ſapientiæ videretur.

Honoratus qui longiorem diſputationem vellet effugere, De Actione res, inquit, vniuerſa, meo quidem iudicio, duobus aut tribus verbis confici poteſt, apud ingenioſos doctriniſque imbutos. Sic enim è clariſſimorum hominum diſciplina monitiſq; animaduerto, in iis quæ ad corpus & motiones pertinent, ab oratore muneri ſuo factum ſatis, ſi cauerit, ne quid ab ore, vultu, geſtu, & totius corporis compoſitione, in eorum qui audiunt oculos ſeſe iniiciat, quod inſitam animo prauitatem vitioſámque naturam poſſit prodere. Eſt enim vt naturæ myſtagogus Ariſtoteles ſignificauit, magna quædam animam inter & corpus ſimilitudo, δοκεῖ δέ μοι ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπαθεῖν ἀλλήλοις, καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἕξις ἀλλοιουμένη συναλλοιοῖ τὴν τοῦ σώματος μορφήν, &c. animus perturbationibus agitatus corpus etiam quodammodo afficit & immutat, vt non ſit difficile neque operoſum, ab illis corporis indiciis, velut ianua patefacta, ad intimos ſenſus penetrare. Hinc orta illorum hominum ſcientia quos φυσιογνώμονας & μετωποσκόπους indigitant, quorum erat magna quædam olim natio, qui ex ore atque oculis, ſtatu, effigie, hominum mores atque naturam ſcire ſe ac perſpicuè cognoſcere profitebantur. Hanc artem veteres Medici Hippocrates & Galenus, remota illa inanitate curioſorum hominum, & aberrantium à veritate excoluerunt, tum maiorum gentium Philoſophi, vberrimis doctrinis affluentes, qui cùm motus animorum ſubtili perueſtigatione cognouiſſent, eóſque viderent manare in corpus, & in vultu habitúque adumbrari, de illa coniiciendi ratione multa reliquerunt, cum laude ſanè, dicerem & vtilitate, niſi deinde vaniſſimi homines, & verſuti, & flagitioſi, rem ad quæſtum aut ſuperſtitionem, & humani generis ludibrium, aut ad explendam cupiditatem conuertiſſent. Habeo in memoria Pythagoram, quem olim Crotoniatæ, vt ſcriptis prodit Ariſtoteles, *Apolli-* Ælian. l. 2.
nem Hyperborium cognominabant, propter mirabilem ſapien- Var.
tiam & auctoritatem: is venientes Adoleſcentes, qui ſe in eius

Digitized by Google

diſciplinam conferebant, ἐφυσιογνωμόνει, *coniectione quadam ex oris atque vultus lineamentis, de moribus atque ingenio diuinabat.* Quod idem facere conſueuiſſe Plotinum, in eius vita Porphyrius ſcriptum reliquit. Ex eadem diſciplina Zopyrus cùm Socratem animaduertiſſet, ſtupidum eſſe dixit, & mulieroſum, quod eius diſcipuli ad laudem confitebantur, vitioſam enim naturam ab eo aiebant edomitam & compreſſam eſſe doctrina, ſic vt in eo libidinis veſtigium nemo viderit. Nominat Loxum, Polemonem, Zopyrum magnus Origenes, quorum fretus auctoritate pronunciare non dubitat οἰκεῖα τοῖς ἤθεσι τῶν ψυχῶν πάντ' εἶναι τὰ σώματα, *omnes animas habere corpora ſibi congrua & accomodata.*

l. 1. contr. Celſum.

Nequevero illa cognitio ex abditis philoſophiæ literis, & interioribus illis effatis petenda eſt, ſed potius in medio poſita & communis. Nam vulgò ita videmus euenire, vt cùm primùm adoleſcens quiſpiam in cœtum prodierit, qui paullùm modò humanitate imbuti ſunt, è fronte atque indole, vel ingenioſum eſſe coniiciant, & modeſtum, capiendiſque artibus idoneum, vel contra ferum & agreſtem, vafrum & verſipellem, aut ieiunum maleuolentia & improbitate. Feſtiuus ille poëta haud dubiis coniecturis inductus Zoili mores ſuis coloribus depingere ſe putabat, cùm ita canit.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas zoile ſi bonus es.

Et Græcus ait quendam χωλὸν ἔχειν τὸν νοῦν ὡς τὸν πόδα, *Vt pede ſic mente & animo claudicare*: reddit rationem.

----ἢ γὰρ ἀληθῶς,
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς ἡ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

Eorum enim quæ abdita ſunt in receſſu, imaginem quamdam exterius fuiſſe depictam à natura. Falluntur ſua quidem opinione ſæpe homines, & inani coniectura ducuntur, ſed non eſt tamen cogitandum, hæc tacti animi argumenta, & externas ſignificationes contemnendas, & eam omnem curam abiiciendam, quæ in corporis & totius actionis conformatione poſita eſt. Nam ecce in manibus Gregorius Nazianzenus ſumma vir pietate & doctrina, qui ex ore atque vultu, & totius motu corporis, certiſſima ratione prouidit, qualis eſſet aliquando futurus is Iulianus, qui numinis ſacroſanctam

ſanctam religionem cum barbara Idolorum vanitate & ſcelere commutauit. Quam diuini hominis augurationem, multi etiam qui tum Athenis in eodem eruditionis curſu elaborabant, ſuo iudicio comprobauerunt: adeò verum eſt quod dixit Ariſtoteles ita corpus fuiſſe cum anima copulatum, vt mutuas affectiones poſſint prodere & locare in conſpectu. Eleganter vt omnia ſanctiſſimus doctiſſimúſque Ambroſius, *mentis habitum in ſtatu corporis cerni*, pronunciauit: & *vocem eſſe quandam animi, corporis motum*. Quare Pædagogus Alexandrini Clementis ſummo ingenio viri & ſapientia, de moribus diſputans, hanc imprimis dat monitionem intimo in animo inurendam, Ἐπανορθωτέον δὲ ὅτι μάλιστα καὶ τὰ σχήματα, καὶ τὰ βλέμματα, καὶ τὰ βαδίσματα, καὶ τὰς φωνάς, *Corrigendi autem ſunt quam maximè geſtus* (non ſat commodè figuras vertit Interpres) *& aſpectus & inceſſus & voces*. Et apud Indos ſapientes, cùm de more delectum haberent adoleſcentium, qui ad percipiendam philoſophiam idonei eſſent, in oculos & præcipuas corporis partes accuratè intuebantur, ἀφ᾽ ὧν σοφοί τε καὶ φυσικοὶ ἄνδρες, ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ εἴδωλα, τοὺς νοῦς τῶν ἀνθρώπων διαθεῶνται, *ex quibus ſapientes & naturæ periti homines imagines velut in ſpeculo aſpicientes, quæ mens illis quodque ingenium contemplantur*, vt Phraotes Indiæ rex diſſerebat. Dio Chryſoſtomus ξύμβολα externa oratione colligit benè multa, quæ inquit, μηνύει τὸ ἦθος καὶ τὴν διάθεσιν, *mores intimos animique ſtatum indicant*, qualia ſunt vox, vultus, habitus, & tonſuræ genus, item oculos commutare, collum inflectere, ſupiníſque manibus pronunciare. Hæc pluribus eo à me adferuntur, vt intelligatis, fieri poſſe quædam ab iis hominibus, qui publico in cœtu perorant, eos cieri motus, eas oris expreſſiones adhiberi, quibus vt aperto ſuſpicionis introitu, mens auditoris ad intimas animi venas moréſque perueniat. In iis autem moderationem adhibere, prudentia dignam & ſolertis hominis iudicio, veſtri ingenij eſt excellentiſque naturæ; veſtri, inquam, non mei; qui cùm ſim tardior atque hebetior, quod me tacente vos profectò ſæpè cognouiſtis, indigeo frequenti exercitatione, vos autem dicere ita poteſtis, nihil vt deceat. Itaque vt initio dicebam, totum hoc genus diſputationis, quod à me explicari voluiſtis, breuiſſimè confici poteſt.

In Phyſiolog.

D. Ambr. l. 1. offic. c. 18.

l. 3. Pædag. c. 11.

Philoſtrat. in Apoll. l. 2. c. 12.

Dio Chryſ. or. 3.

N

Digitized by Google

Nam cùm ea quæ apparent, quæque in oculos præſentium incurrunt, cum moribus animi conſentiant, ſi quis ſit vſu aut diuturna meditatione, aut etiam naturæ beneficio, ſic peritus & paratus ad dicendum, vt in geſtu atque ſtatu, & pronunciãdi ratione nihil videatur, quod non hominis elegantia perpoliti cogitata ratio prouidere poſſit: ſi in illa quaſi vigilia fuerit aſſiduè, vt perpetuò ſibi moderetur, is ſi fuerit aliarum artium diſciplinis inſtructus, haud credo ſummopere has de voce atque geſtu monitiones, & ſcholarum eas cantilenas requiret. De vobis quidem hoc religioſè poſſem aſſeuerare, nihil eſſe metuendum, ne exiſtat aliquid aliquando, quod in orando poſſit offendere, quódque præbeat ſuſpicionem animi ab officio alieni, aut immoderatæ cupiditatis.

Hîc Victor, Neſcio, inquit, Honorate, an hærere in tuo inſtituto velis, atque more tuendæ modeſtiæ perpetuóque retinendæ. Nam quod nos dicis id præclare poſſe conficere, quod ſummorum ingeniorum opus & difficillimum ſemper exiſtimaui, vt de meipſo reſpondeam, aut profecto meam abs te infantiam atque ineptias ignorari, aut etiam illudi puto. Illud mihi veniebat in mentem vereri, ne te labor diſputationis à dicendo reuocaret. Non eſt ita, inquit Iuuentius; nemo laborem amicorum cauſa ſuſceptum grauem & defugiendum exiſtimauit: hunc autem Præceptorem à nobis delectum nos quidem certè beneuolentia complectimur, & ab eo viciſſim diligimur. Cùm tu verò, Honorate, paulò antè diceres, eos poſſe eloquentiæ ſtudioſos dare ſe in conſpectum, qui prudentiæ rationes haberent notas, & maturo conſilio eſſent, id mihi, aut cuiquam adoleſcenti promptum, facile & procliue ducebas? Remouenda ſunt iſtius ſimulationis integumenta: mihi quidem certum eſt hinc non abire, quin te audiam. Et vide, duo ſumus, quibus etiam laceſſendis ne Hercules quidem vnus ſufficiat. Hæc quidem aperta vis eſt, Iuuenti, inquit, & penè id exclamo,

Non hoſpes ab hoſpite tutus.

Et tamen leges opinor docent, ſuam cuique domum, portum, aſylum, atque perfugium eſſe debere, quod nefas ſit à quoquam violari. Sed quoniam ita vultis, ne repudiando ſim moleſtus, hîc conſidamus. Erant in bibliotheca ſellæ complures,

clauis aureis diſtinctæ, molli fultura, partim periſtromatis ornatæ, partim exotica aluta ſumma elegantiâ & varietate. Vbi ſederunt, Honoratus, Verbum, inquit, nullum faciam, niſi prius à vobis cauero. Quid? inquiunt. Partem vt oneris ingenio & veſtra illa facundia ſuſtineatis. Igitur quia me principem exordiendi ſermonis eſſe voluiſtis, de Capite ſi ita lubet ego dicam, quam partem in totius corporis conſtitutione altiſſimo in loco poſitam eſſe video: tu Victor de Ore atque vocis conformatione, Iuuentius qui mihi ſemper viſus fuit δραςήριος, de Manibus Pedibúſque ſubtexet. Age age, inquit Victor, tantum incipe, de tua partitione poſtea videbimus. Tum illi ad audiendum compoſuerunt ſe, Honoratus autem ad dicendum.

Digitized by Google

VACATIONVM AVTVMNALIVM

LIBER SECVNDVS,

De perfecta Oratoris Actione, vitiíſque in dicendo fugiendis.

DE CAPITIS GESTV ET CONFORMATIONE.

CAPVT I.

SECT. I. *Caput diuiniſsima pars, &* τὸ ἡγεμονικὸν *in corpore: Eius in ſtatu Oratoris moderatio. Ceruix elata* ἐξυπτιαζόντων ϗ μετεώρων.

POSTQVAM Honoratus aliquãtiſper animum ſuum collegiſſet, iam præcipiens fuſæ diſputationis implicatam varietatem, Sentio, inquit, me à vobis in mæandros Labyrinthi coniectum, è quibus neſcio an queam ſaluus & incolumis euadere. Dicam hoc verè, atque ex animi mei ſententia, tu Victor in hoc Circo melius doctiúſque decurriſſes, de quo minimè dubitem id Auſonianum pronunciare, Præfat. in Profeſſ.

Et Demoſthenicum quod ter primum ille vocauit,
In te ſic viguit, cedat vt ipſe tibi.

Sed quoniam ita placuit, vt primo ego loco dicerem, peto à
vobis, ne ea quæ dicam omnia, in me perfecta atque abſolu-
ta exiſtimetis. Neque verò non iam video, in ea partitione ſu-
periùs allata, me verbo lapſum, imprudentémque fuiſſe, qui
geſtus Capitis mihi depopoſcerim partis videlicet omnium
principis, quæ vt aliàs dignitate, ſic laudatæ motionis diffi-
cultate plurimùm anteeat. Eſt enim caput τὸ ἡγεμονικὸν in ho-
mine, vt Iuriſconſulti voluerunt, inter quos Paulus de Reli- l. 44. de re-
gione funerum ſubtiliſſimè diſputans, ait eum religioſum eſ- lig. & ſump.
ſe locum videri, vbi *quod eſt principale* conditum eſt, id eſt *Ca-* fun.
put, ſubdit rationem, cur pars ea principalis, *quod eius*, in-
quit, *imago fiat, & inde cognoſcamur*. Sumpſit fortè à magno
Platone, cuius olim ſententia hæc fuit, *Totum hominem in* Apul. de
capite vultúque eſſe, vt ſcribit Apuleius. Rectè & verè dictum, dogm. Plat.
qui caput videt, hominem videt, & eius vnius olim imagines
effictæ ad tranſmittendam hominum memoriam in omnem
æternitatem. Qualis fuit illa magni Pompei effigies Romæ
viſa in triumpho, è margaritis gemmeáque varietate confecta,
quæ nihil aliud fuit, quàm illius victoris caput Orientis opu-
lentia figuratum, ſine reliquo corpore, vt Plinius memora- Plin. l. 37.
uit. Hinc peritè ſanctiſſimus Ambroſius, *Sola principum capita* c. 2.
& ductos vultus ære vel marmore adorauit. Quare placet mihi l. 6. Hexa.
Ariſtoteles, qui ſuis libris de moribus, quod eſt in quáque re
τιμιώτατον, id vulgò appellari κεφαλὴν ait, vel vt Præſul Nyſ- Ariſtot. l 6.
ſæ clariſſimus, idemque eloquentiſſimus Gregorius, τὸ προέ- Ethic. c. 7.
χον τοῦ ὅλου, *quod maximè in toto excellit*. Sic in dicendo eximius Greg Nyſſ.
Chryſoſtomus τιμίαν κεφαλὴν, & alio loco viros principes hom 5. in
nominat τῆς εὐγενείας κεφάλαιον, honoratum veluti caput nobi- Eccleſ.
litatis. Hom. 11. ad pop. & hom. 13.

Hoc è doctrina ſapientum hauſtum & libatum eſt, qui cen-
ſuerunt mentem in capite velut in arce collocatam, aut illu-
ſtri ſolio dignitatis, cui ab aliis partibus & illius imperio ſub-
iectis, tanquam à plebe honos debeatur. Itaque heroes, priſci
æui lumina, diuinitatem etiam illi tribuerunt. Athenæus quidẽ Athen. l 2.
vir eximia doctrinæ varietate ex eo probat, Veteribus caput p. 66.
fuiſſe habitum ἱερόν τι *ſacrum atque diuinum*, quod per id iuſiu-
randum conciperetur. Sed perſpicuè Philoſophiæ dux & ma- Sect. 33. q.
giſter in problematis θειοτάτην τῶν περὶ ἡμᾶς κεφαλὴν, *omnium* 7. & q. 9.

partium diuiniſſimum eſſe caput aſſeruit, ὅθεν, inquit, λογισμὸς, vnde in nobis manat omnis cogitatio & intelligentis animi conſilium, & paulò pòſt appellat idem ἱεροπρεπέστατον τόπον, *religioſa quadam veneratione cohoneſtandum*. Sed vereor vt hoc longiùs à me ductum fuiſſe videatur diſputationis huius exordium, eo tamen referendum eſſe cupio, vt intelligamus, eſſe Oratori in Capitis geſtu moderando ſumma cura & diligentia elaborandum, quod in ea præſtabili hominis effigie, næuus omnis & facilè videri ab audiente, & vehementer reprehendi ſoleat. Habet autem vim in dicendo mirabilem, & ſolus illius conſpectus Oratori opinionem conciliat vel humanitatis, & modeſtiæ, animíque verecundi, aut contra elati, ſuperbi, arrogantis. Cúmque plurimùm in vtramque partem valeat, tum decori nimium quantum inſeruit, tacitíſque animi affectionibus indicandis; hoc annuimus, hoc renuimus, hoc confirmamus, hoc admirationis & indignationis motus oſtendimus.

Sit igitur in monitis meis hoc primum, vt Caput ſit erectum, & ſtatum habeat naturalem, qui maximè in ingenuis ſolet eſſe plenus auctoritatis. Hoc tametſi verbo vno celeritérque præcipitur, ſpiſſum tamen eſſe opus video atque difficile, quod ſit veluti in medio poſitum inter extrema vitioſa, eſt autem τοῦ μέσου τυχεῖν ἄκρως χαλεπὸν, vt grauiſſimè

2. Ethic. c. 9. diſputat Ariſtoteles, *medium conſequi arduum ſemper fuit & operoſum; quemadmodum cuiuslibet circuli medium attingere*, οὐ παντὸς, inquit, ἀλλὰ τοῦ εἰδότος, *non omnium eſt, ſed peritorum.* Vis autem huius præceptionis hæc eſt, eam capitis adhibendam eſſe moderationem, vt neque nimium deprimatur, nec plus iuſto attollatur. Quæ naturæ compoſitio eſt & decori ſplendor, vt eleganter & ingenioſè animaduertit ſanctus Gre-

Greg. Nyſſ. de opif. hom. gorius Nyſſenus. *Caput*, inquit, *ſuper humeros poſitum, non compreſſum, non humile & abiectum*, ἀλλ' ἐρείσματι ἀξιολόγῳ τῷ αὐχένι ἐπίκειται, *ſed decorè ſpecioséque firmatum collo inſidet.* Ceruicem nimis attollere ſuperbi atque ambitioſi eſt argumentum & φιλοδόξου: hinc *ceruix* pro ſuperbia in veterum ſcriptorum monumentis. Doctè Sidonius Apollinaris l. 9. *Quænam eſt cuipiam peritiæ ceruix tanta, quiue hydrops, vt etiam tepida veſtra non feruentiſſimis laudibus proſequatur?* & *ceruicoſus*

idem quod elatus & arrogans: ſic Gloſſ. Veter. *αὐχενίας ceruicoſus.* Hanc verò capitis ſublationem arrogantis hominis argumentum plurium ſapientum dicta notarunt. Feſtiuè imprimis apud Arianum Epictetus, qui huiuſmodi glorioſos homines & elatos ſic aiebat incedere, quaſi veru deglutiſſent. Nimirum animaduertebat quoſdam quaſi digito cœlum iam attigiſſent, caput inter nubila ferre, grandes ſe æſtimare, cæteros vt minutos deſpicere, σοβαροὺς, ὑψηλοὺς, μετεώρους, ὑψαύχενας, ὑπτιάζοντας appellant Græci, quos non modò in publica actione arrogantiùs geſtientes, ſed in communi etiam congreſſione nullus æquo animo ferre poteſt. Quare Clemens Alexandrinus l. 3. Pædagogi cùm Chriſtianorum mores inſtruit, hominem ait inſolentem, ἐξυπτιάζοντα περιβλέπειν εἰς τοὺς ἀπαντῶντας, εἰ ἀποβλέπωσιν εἰς αὐτὸν, *erecto collo ſupinum & inflatum obuios quoque deſpicere, & intueri, an illum aſpiciant* tamquam pompam in ſcena traducentem. Quo modo apud Lucianũ in Cataplo, vbi de Rege in forum prodeunte iunguntur, σεμνῶς προβαίνειν, & ἐξυπτιάζειν ἑαυτὸν, quo loco σεμνῶς in malam partem etiam ponit, pro inſolenti illo faſtidio & contumacia. Talem puto fuiſſe Memmium, de quo Craſſus elegantiſſimus Oratorum ſua quadam in concione dicebat, *ita ſibi ipſum magnum videri Memmium, vt in forum deſcendens, caput ad fornicem Fabij demitteret.* περιφρονεῖν id vocabant Stoici, vt autor eſt ſanctus Hieronymus, quo refert dictum Græculi ſuperbiæ vanitate intumeſcentis, ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον. Atque hinc factum exiſtimo vt *deſpicere*, quod eſt propriè deorſum aſpicere, pro nihilo putare ſignificet, quòd arrogantes qui ſe magnificè circunſpiciunt & attollunt, alios infra ſe poſitos putent, eóſque deſpiciant, id eſt, contemnant, *ſublimes* propterea dicti Horatio,

Hic dum ſublimis verſus ructatur.

Supini Perſio --*Italo quod honore ſupinus.*

Reſupinos vocat doctrinarum omnium compos ſanctus Ambroſius, vbi de fœneratore contumaci & ferreo, *Stat*, inquit, *inflexibilis, reſupinus, nec precibus inclinatur*, &c. Rem ipſam graphicè mihi quidem videtur exprimere nobiliſſimus ille Athenienſis Orator Æſchines, qui de iis cùm in oratione ſua diſputaret, qui Timarcho ſuum patrocinium deferebant, *In*

Arrian. l. 1. c. 21.

Clem. Alex. l. 3. pæd. c. 11.

Lucian. in Catapl.

Cic. 2. de Orat.

S. Hieron. in c. 2. ep. ad Tit.

in art. poet.

Perſ.

Li. de Tob. c. 3.

Digitized by Google

cauſa porro dictione, inquit, *aſcendet etiam Imperator quidam, vt audio*, ὑπτιάζων καὶ καλλωπιζόμενος ἑαυτὸν ὡς ἐν παλαίστραις καὶ διατριβαῖς γενναίοις, *ſupino vultu ſeſe magnificè reſpectans, vt in palæſtris & liberaliſſimis exercitationibus verſatus.* Lucianus item aduerſus indoct. καὶ περιῄεις ἐξυπτιάζων καὶ μιμούμενος βάδισμα, καὶ σχῆμα, καὶ βλέμμα ἐκείνου, *ſupinus incedis regis ingreſſum vultum habitúmque imitatus.* Interpres ſupino ſatis animo ἐξυπτιάζειν, hîc vertit *lectica vehi*, nam capere ego quidem haud poſſum, quomodo è lectica imitari inceſſum alterius quis poſſit. Glorioſi illi quondam Sophiſtæ, qui facta & expolita oratione, & omni oſtentationis choragio, hominum aures animóſque emerebantur, hoc ſanè vitio laborabant. Non difficile id fuerit è Platone, aliiſque ſcriptoribus Græciæ colligere. Syneſius in Dione cùm ſcripta Sophiſtæ notat fuco medicatæ orationis nitentia, eúmque ipſum exultantem, & gloriolæ pennis elatum, cum Pauone comparat, ſolitúmque ait ὑπτιάζειν καὶ ἀβρύνεσθαι καθάπερ τὸν ταὼν περιαθροῦντα ἑαυτόν, *ſupinare, ſéque pauonis inſtar ſuperbè oculos circumferentis iactare* D. Gregorius Nazianzenus inter notas prætumidi Sophiſtæ, pari elegantia & animaduerſione ponit σοβαρὸν φθέγγεσθαι, μέγα βλέπειν, βαδίζειν ὑψηλὸν καὶ μετέωρον. Philoſtratus in Heroicis, βαδίζειν μετέωρον, καὶ ὑπὲρ πάντα τὰ ἐν ποσί, *ſuper obuia quæque elatum procedere.* Seneca non modò vita, ſed oratione quoque limatus, ſumens opinor à Græcis, quos illi μετεώρους nominant, eodem omninò ſenſu *altos* vocat; nam de ſuperbis tumidiſque loquens beatis illis Romuli nepotibus, *Omnium*, inquit, *iſtorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt.* Eadem ratione dicti *celſi Rhamnes* Horatio, ſuperbi, faſtidioſi, glorioſi. Et in Gloſſ. Vet. *Celſus*, μετέωρος. Huiuſmodi impotentis animi elationem venuſtè etiam pingit Rhianus Poëta vetus,

Lucianus. — Syneſ. in Dion. — S. Greg. Naz. ep. 131 — Seneca. Ep. 115. — Horat. in art. poët.

> Ισα Διὶ βρομέει κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει
> *More Panomphæi Iouis intonat, atque ſupinus*
> *Attollit ſublime caput.*

Elegantiſſimus Chryſoſtomus in Pſalm. 130. ανατείνειν τὸν αὐχένα dixit. Id vitium Plutarchus notans in Alexandro Magno, *Multi*, inquit, *amici eius imitati ſunt*, τὴν ἀνάτασιν τοῦ αὐχένος, *ceruicis ſeu capitis elationem.* Et fortaſsè imitari ille volebat

batſummum Græciæ bellatorem, inuictúmque Achillem, cuius faſtum, animique celſi contumaciam ex eo cognitam Proteſilaus aiebat, quod *αὐχένα ὀρθὸν καὶ ἀνεστηκότα* præferret, *ceruicem altè nimirum erectam & eminentem.* Hic ſanè geſtus moderato, & ad prudentiam eſſloreſcenti cauſarum patrono probari nunquam poterit, quem videat Doctorum & ſapientum hominum iudicio repudiatum. Audiendus igitur mihi videtur Gregorius Nazianzenus, vir moribus & lingua politiſſimus, qui breui carmine morbo iſti medicinam facit, quod quia vtiliſſimum eſſe iudico proponam: ita enim in Tetraſt. Philoſtr. in Heroic.

> *Ὑψοῦ βίῳ τὸ πλεῖον ἢ φρονήματι.*
> *Sublimis eſto vita non ſuperbia.*

Incuruum, rigens, & obſtipum Caput. Quando id attolli demittive debeat in dicendo. SECTIO II.

DE vno extremo dixi, quod recedit ab ea laudata capitis moderatione, quam tuendã eſſe aiebam, addo etiã prouidendum eſſe, ne dum eam Scyllam fugimus, in Charybdim quod aiunt incidamus. Nam vt illa vitioſa capitis elatio ſuperbientis animi arrogantiam, & inanem inſolentiam arguit, ita nimia eius demiſſio *odioſam humilitatem ſignificat*, vt ait Quintilianus. Quintil. l. 11. c. 3. Sunt verò quidam qui partem in anteriorem proni, & aliquantulum demiſſo vultu, ſic in ea poſitione hærent, nunquam vt ceruicem attollant, ne ſi quidem de rebus cœleſtibus, & altiſſimo beatorum domicilio ſit agendum. In quibus, contenti ſunt duntaxat oculos, qua ratione poſſunt, erigere, eóſque diſtortiſſimos, cum horrore nonnunquam intuentium, quod in quibuſdam ego animaduerti: caput autem non commutant magis, quàm ſi corneum ſit, aut æreum. E natura id contingit refractariola, ſeſe ad nutum arbitriúmque aliorum minus accommodante, aut ruſticana inſtitutione ad ineptam verecundiam traducta, quam deinde propria mentis inductio conſuetudóque firmarit. Vnde fit vt vulgò torui ſint huiuſmodi homines & obſtipi, nec in mutuis

O

Digitized by Google

congreſſionibus iucundi, Cyclopi non abſimiles, qui in Græcis epigrammatis θηροζυγοκαμψιμέτωπος appellatur, hoc eſt *feræ & flexiiugæ frontis*, nec enim longè à belluis in hac prona & deformi capitis inflexione atque inclinatione abſcedunt, quæ abiectæ ad paſtum, & ad omnem contumeliam ſuſcipiendam, terram perpetuò intuentur. Sophos quidam reprehendit apud Satyricum,

Perſ. Sat. 3. *---ærumnoſóſque Solones*
Obſtipo capite figentes lumine terram.

De alio quodam apud Venuſinum,

Horat. Sat. 5. l. 2. *Stat capite obſtipo & ſimilis metuenti.*

Poëtarum Interpretes Grammatici caput obſtipum, ſeuerum, triſte & inclinatum exponunt, vt ſi benè memini Porphyrio, qui ſe rigidum adiunxiſſet, perfectam vim nominis, mea quidem opinione, fuiſſet conſecutus. Sues obſtipas quæ tranſuerſo collo feruntur, ait Plinius, morbi indicium prodere, ego (Plinius.) Oratorem, ſi obſtipum videam, haud dubia coniectura fretus pronunciem, minùs ſanum videri, quippe iudicia docti conſeſſus, minimè reformidantem. Humaniſſimi enim auditores rectiſſimis ſtudiis, atque liberaliſſimis imbuti, ab ea dicentis conformatione, tãquam à malæ mentis auſpicio prodigióque refugiunt. Atque hîc memini Suetonij de Cæſare Tyberio (Suet. c. 68.) ſcribentis homine importuno & intolerandæ ſuperbiæ, *Incedebat*, inquit, *ceruice rigida & obſtipa, adducto ferè vultu.* Quæ ſcilicet arrogantiæ ſpecimina, vel potiùs ſingularis contumaciæ, aſperæque naturæ, cùm Romani ciues animaduerterent, ingemiſcebant, & tacitè reprehendebant; excuſauit autem in Senatu aliquando ipſe Auguſtus, cùm diceret, *Naturæ vitia eſſe, non animi.* At ſi illud vitium eſt, quacumque tandem ratione contigerit, eſt profectò conſiderato homini fugiendum. (Ammian. l. 21.) Conſtantius Imperator, vt auctor eſt Marcellinus, caput & vultum, in cœtu atque frequentia populi, tranſtuliſſe nunquam dicitur in alterutram partem, quaſi immoto & rigente collo fuiſſet penitúſque obſtipo. Ferebant id homines, quippe alia multa liberum iudicium coërcebant, audientiam faciebant, vt ſceptrum, vt potentia, vt ſplendor ipſe dignitatis atque maieſtas: in mediocri verò homine, qui neque donis fortunæ, neque animi dotibus circunflueret,

Digitized by Google

quemadmodum id elegantiſſimi iudicij auditor ferret? Meminiſti opinor declamationis Iuuenti, quæ ante quatuor, aut quinque menſes in eloquentiæ ſchola fuit habita, cùm multi honeſtiſſimi viri ad audiendum inuitati fuiſſent, ego etiam honoris & beneuolentiæ cauſâ tum affui. Tres orarunt bonæ ſanè ſpei adoleſcentes, & mirificæ indolis ad virtutem, ſed vnus hoc vitio laborabat, & obſtipo erat capite frequentiùs, quàm præceptor homo doctus & politus in dicendo voluiſſet, quem deinde obiurgaſſe puerum ſumma grauitate & contentione audio, & comminatum, ni deinceps aptè & decorè, & illuſtri honeſtate caput attolleret, in eum ſe animaduerſurum ea ratione, qua milites in Vitellium vſi ſunt Imperatorem obeſum, terram aſſiduo contuentem, & obſtipa ceruice, cuius cùm vellent in lumine vultum collocare, atque hominum conſpectu, abducto vi capite, gladij mucronem mento ſubiiciebant, vt memini prodere Suetonium & Dionem. Laudo ſanè Doctoris illius boni & intelligentis prudentiam; nam ea corporis compoſitio tantùm abeſt, vt in homine ingenuo ferri poſſit, vt acerbæ contumeliæ loco ponatur. Magnus Themiſtius improbiſſimum hominem cùm audiente Imperatore deſcribit iam victum Procopium, *Homo*, inquit, ἀεὶ συγκεκυφὼς, ἀεὶ σκυθρωπὸς, ἐφελκόμενος τὰς ὀφρῦς, *demiſſo ſemper in terram vultu, ſemper tetricus & contractum ſupercilium habens*. Eundem itidem languidæ pecudis & agreſtis, abiectique animi ſtatum, in Piſone, ad notandam hominis væcordiam Cicero animaduertit. Contra verò inter ſigna pulchritudinis in corpore, D. Chryſoſtomus ponit τράχηλον ἀνεστηκότα, *collum erectum*.

Suecon. in Vitell. Dio.

Themiſt. Or. 9.

in Pſal. 44.

Hîc Iuuentius, An patieris Honorate, inquit, vt è formula Iuriſperitorum hîc dicam, *Licet conſulere*? Vereor quidem interpellare dicentem: ſed quoniam dextro quod aiunt Hercule te Præceptorem hodie conſecutus ſum, dabis hanc veniam, vt rogem quæ neſcio. Paulò antè caput attollendum eſſe negabas, nunc minimè demittendum eſſe præcipis, erit igitur perpetuò librandum in medio, neque vſquam mouendum, quod mihi ſanè æquè vitioſum eſſe videatur. Non hoc, ait Honoratus, ego volo, quod tu exiſtimas: de ſtatu veluti naturali, quique communiter teneatur, hactenus dico, in quo ſunt extrema illa

Digitized by Google

fugienda, vt ad id quod decorum eſt, & poſitum in quadam honeſtate veniamus. Nam quin aliquando, pro rerum multiplici varietate quæ explicantur, erigendum ſit caput, aliquando etiam deiiciendum, dubium eſſe nullum poteſt.

De tollendo capite. Attolli debet, ſed moderatè, ſic vt cum manu, lateribúſque conſentiat, cùm diuinitas omnia è cœlo tuens deſcribitur, & res humanas prouidentiſſimè gubernans, cùm beatæ mentes ad nos ſupernè deuolantes, cùm immortalium Diuorum cœtus qui æuo perpetuo fruuntur, cùm Sol, Luna, ſplendor ſtelliferi globi, ſignorum ortus obitúſque, cùm tonitrua, cum aëris prodigia, vt flammiferæ & crinitæ ſtellæ, vt prælìantes inter ſe acies, vt lapſus diuinitus ignis ad hominum ſcelus puniendum, vt alia de quibus hiſtoriæ prodiderunt, cùm denique de iis dicitur, quæ excitatam altitudinem habent & exaggeratam, nóſque vehementer exuperant, vt montes, vt coloſſi, vt inſanæ ſubſtructiones ædificiorum, & ſimilia, quæ facilè animaduerti poſſunt. Sed hi geſtus breuiter celeritérque fiunt, niſi fortè longiori oratione, is qui dicit, Deum Optimum Maximum, cœlitéſue alloquatur, vt cùm Cicero extrema Verrina Iouem, Mineruam, Apollinem, Dianam, Mercurium, & reliquam veterum Geniorum turbam affatur. Sunt verò cauſarum genera quædam, in quibus capitis quædam geſtiens elatio non modò non reprehendenda, ſed aduocanda & aſciſcenda videatur: vt cùm lætiſſimæ res & maximè iucundæ afferuntur, in quibus geſtit quodammodo Orator & triumphat, gaudióque delibutus ſeſe in venas artúſque fundente, læti animi fiduciam & alacritatem geſtu imminenti oſtentat. Talem mihi videre videor M. Tullium è Roſtris elato capite illa pronunciantem ad populum, *Tandem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem ex vrbe eiecimus*, &c. *Abiit, exceſſit, euaſit, erupit*, &c. Nam in eo ipſo paulò poſt, ait exultare & triumphare orationem ſuam. Status ille capitis ad magnificentiam quandam lætitiámque idoneus, in Panegyricis orationibus locum habet, cùm præſtantium virorum res benè egregiéque geſtæ, victoriæque celebrantur. Ita Orator in cauſa Marcelli, victo-

Digitized by Google

rem orbis terræ Iulium illuſtri prædicatione cohoneſtauit: ſic diuorum laudes & eorum clariſſima trophæa, more maiorum ſanctiſſimis in templis, geſtienti quadam religione memorantur.

Iam verò Caput demittere, pro rerum varietate, non modò licet, verùm etiam id vt fiat, τὸ πρέπον oratoriſque iudicium requirit. Id autem maximè ad luctum mœrorémque pertinet: quare Demoſthenes negat ſe, quod Æſchines & improborum ciuium turba faciebat, bona patriæ & adeptam felicitatem audire cum gemitu, & κύπτοντα εἰς τὴν γῆν, *capite in terram demiſſo*. Valebit hoc igitur in luctibus funeribúſque deſcribendis, in triſtitia temporum, in communis patriæ naufragio, in publica calamitate, vt cùm illuſtres viri, quorum ſalus atque vita communi rei neceſſaria, & reipublicæ ornamento videbatur, diem extremum obierunt, in qua patriæ clade explicanda, non modo contrahi animo, verùm etiam & externa ſpecie deiici æquum eſſe videtur, & mœrore ſqualida, & quaſi pulla procedit oratio. Hic etiam idem geſtus verecundantium eſſe conſueuit, & eorum qui culpam agnoſcunt, aut qui maximam aliorum poteſtatem verentur, eique ſe vltro ſubiiciunt. Ita pro Ligario veriſſimile eſt egiſſe M. Tullium, cùm iſta pronunciaret, ***Ego ad parentem loquor, errani, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro.*** Ita ſacri in Templis Concionatores cùm de Numinis ſeueritate iuſtitiáque diſputant, inexpiabiles hominum fraudes punientis, cum peſte, cum bello diuinitus immiſſo graues & multæ calamitates inferuntur, demiſſis capitibus fatentur eſſe æquiſſimum, omnia dura acerbáque eos perpeti, qui ſe in omne genus flagitiorum incredili audacia ingurgitauerunt, nullam pœnam, nullum ſupplicium recuſandum eſſe hominibus, qui Dei parentis inuſitatam, támque in omnes partes infinitam beneuolentiam pro nihilo habuerunt. Eſt etiam demiſſionis animi & laudatæ humilitatis argumentum, θρύψις αὐχένος & προσώπου νεῦσις, *colli depreſſio, vultus inclinatio*, vt viri ſapientes notarunt. Naz. or 10.

Quando igitur attolli caput, demittiue debeat, breuiter explicui. Addo caput identidem erigere atque deprimere aui-

Capitis demiſsio quãdo adhibẽdu.

cularum more quæ bibunt, inurbanum & inſulſum planè videri. Eleganter in alia quadam re Lucianus, ἀτεχνῶς οἷόν ἔπαχον τοῖς νυστάζουσι τούτοις ὅμοιον, ἄρτι μὲν ἐπινεύων, ἄρτι δὲ ἀνανεύων, *Prorſum*, inquit, *tale quid mihi accidebat: quale ſolet dormitantibus, vt modò capite annuerem, modò etiam contra abnuerem.* Talem ego nuper vidi Cauſſidicum, doctum illum hominem, vt aiunt, ſed minus certè quidem ad dicendum inſtructum & politum; centies ille ad Iudicem quæſtionis caput extulit, centies continuò depreſſit, adeò in ſingulis pæne verbis repetita motione, vt mirarer eſſe in Curia locum tam vitioſo oratori. Qui mihi aſſidebat vrbaniſſimus Adoleſcens, in aurem, Vidiſtin', inquit, σιμάπιον aliquando vel oſcillum, ridiculam videlicet laruam quæ vertebris & abditis fidiculis celerius mentum moueat, quàm venuſtulus hic orator caput? Fatui hominis ſignum illud eſt, aut animi inconſtantia & morum mutabilitate ſoluti: quam naturam indicem leuitatis & inconſtantiæ in Imperatore Iuliano Patres animaduertunt. Nam inter ſigna quibus ad intimum eius animum penetrare certa hominum coniectura potuit, ſanctiſſimus Gregorius Nazianzenus collocat νεύσεις καὶ ἀνανεύσεις σὺν οὐδενὶ λόγῳ, *nutus & renutus omni ratione carentes.* Cùm enim caput per muſculos quadruplici modo moueatur, vt ex Galeno medicorum principe colligimus, (ſurſum enim & deorſum annuit, dextrorſum & ſiniſtrorſum agitatur, eáque ipſa varietate in communi conſuetudine vtimur, ad res multas ſignificandas) Iulianus ſtolidè & inconſideratè eos geſtus adhibebat, quippe qui caput, vt Elias Cretenſis notat, ſubinde quidem attolleret, atque demitteret, verùm eo ipſo nihil ſignificaret.

in Necyomant.

Greg Naz. or 4.

Galen.l. de vſu part.

Elias Cret. in S. Greg.

Laxum Caput, molliſque ceruicum in humeros inflexio.

ADDO iam & aliud quod æquè ab Oratoris dignitate alienum eſſe puto; nam non nemo reperitur, ſed opinor ex fæce, qui identidem caput in vtrúmque humerum per vices demittant, quaſi vertebræ iuncturæque colli ſint ſolutæ. Hoc quidem in paganis & aratoribus ferri poſſit, qui non alio pene lenocinio gratiam diuitiorum aucupantur, ſi quid præſertim impetrare velint, quàm vt ad ſingulas petitionis clauſulas caput in vtrúmque latus inuertant. Sed id totum quam abhorreat, quámque alienum ſit ab oratoris prudentia, hinc colligite, quod non niſi à putido fonte, puta mollitie aut infami voluptate manare ſoleat. Nam rerum ſpeculatores Phyſici cùm vitia omnia inimica naturæ & aduerſaria eſſe contendunt, tum ea maximè quæ in corporis titillatione, ſenſúque voluptatis poſita ſunt, in cibo, in potione, in flagitioſa libidine & intemperantia, quæ aiunt ſupra hominum opinionem corpus frangere & debilitare, vnde huiuſmodi homines qui blandiſſimis illis Dominis inſeruiunt, ἔκλυτοι *diſſoluti* iure appellati, quibus mollia membra teneritudine vitioſa diffluunt, & maximè quod omnium eſt ſupremum, caput. Hoc magnus eloquentia Chryſoſtomus & religione, præclarè animaduertit, qui inter luxuriæ fœtus, & plenas dedecoris maculas, quibus homines languida nequitia capti cooperiuntur, σώματος μαλαχίαν ϗ ἔκλυσιν enumerat. Hinc apud Themiſtium Euphradam τὸν αὐχένα λυγίζεσθαι ὑπὸ τρυφῆς τε ϗ ἀκρασίας, *ceruicem præ luxu ac delitiis frangere*. Quo minus mihi iam mirandum videtur, Poëtam Satyricum in laxam dicentium ceruicem tam acriter inuectum, cùm improbos recitatores effœminatóſque premit, Themiſt. or. 3.

mit, *Quidnam igitur tenerum & laxa ceruice legendum?* Perſius ſat. 2

Et alias, ——*laxúmque caput compage ſoluta*

Oſcitat.

Qualem fuiſſe Mecænatem Seneca imprimis tum plerique auctores grauiſſimi monuerunt: verba Romani Philoſophi ſunt,

Epiſt. 114. *Incipitq; ſuſpirans*, vel vt alij legunt, *reſpirans, vt laxa ceruice feratur:* Rectè Malthacum ſeu Malthinum effinxit. Ita olim Ar-
Plut. in Alcib. chippus in Comœdia filium Alcibiadis perſtringens, aiebat eum κλαυσαυχενεύεσθαι καὶ τραυλίζειν, *præ luxu collum inflectere & balbutire.* Eleganter Iulius Firmicus Maternus, *Exornant mu-*
Iul. Mater. de errorib. profan. relig. c 4. *liebriter nutritos crines, & delicatis amictis veſtibus vix caput laſſa ceruice ſuſtentant*, vbi *laxa* potiùs legerim quàm *laſſa.* Hinc
l. de Pall. c 4. Tertullianus *ceruicem eneruem* Herculi attribuit apud Omphalen delitiis emollito. Neque verò quod dixi capitis in vtrúmque latus flexionem eſſe oratori vitandam, minus vitioſum putem in alteram duntaxat partem inflectere. Quin flagitioſius id videri poſſit atque nequius, ſi modo grauiſſimus Ariſtoteles, iis oculis, quibus omnem vniuerſitatem peruidit, verùm
Ariſtot. in Phyſiog. vidit. Nam lib. Phyſiogn. c. 3. inter σημεῖα κιναίδου, ponit ἐγκλίσεις τῆς κεφαλῆς εἰς τὰ δεξιά. Vbi ſignanter ait *in dexteram.* Scio Theognidem naturæ Myſtem, & humanarum affectionum longè omnium Poëtarum ſcientiſſimum, id ſeruili ingenio conditionique tribuere.

v. 535. Οὔποτε δουλείη κεφαλὴ εὐθεῖα πέφυκεν
Ἀλλ' αἰεὶ σκολιὴ κ' αὐχένα λοξὸν ἔχει.
Haud rectè famulis vnquam ſtetit ardua ceruix,
Obliqua at collo languidiore fluit.

Quos verſus cùm attuliſſet doctiſſimus Iudæorum Philo, ita ſubiungit, τὸ γὰρ πλάγιον καὶ ποικίλον ἀπατηλὸν ἦθος ἀγεννέστατον, ὥσπερ τὸ εὐθὺ καὶ ἄπλαστον καὶ ἀνύπουλον, *quod enim tortum eſt, degeneres mores arguit, ſicut erectus habitus apertos & minimè fucatos.* Neque dubium eſt, quin id quoque à praua conſuetudine oriri poſſit, aut non ſatis abſoluta natura, quare ſapiens
Plutar. in vit. Alex. veteris memoriæ ſcriptor Alexandro Macedoni fuiſſe ait αὐχένα εἰς εὐώνυμον ἡσυχῇ κεκλιμένον, *ceruicem in ſiniſtrum humerum modicè inclinatam.* Sed plerique omnes in iiſdem rebus verſati, de eodem geſtu ita loquuntur & pronunciant, vt eam capitis inclinationem eſſe velint hominis notam muliebriter effœminati, mollitiéque diffluetis. Nam aureum genus orationis fun-
Dio Pruſæus. dens Dio orat. de Regno 4. voluptarij characterem, qui pilo, quod aiunt, cuniculi ſit mollior, ponit ἀποκλίνειν τὸν τράχηλον, *ceruicem inflectere:* & in fabula Libyca deſcribens genus illud Sirenum, quod muliebri ſpecie incredibilem venuſtatem præfe-

præferebat, mulierem vocat *τὸν τράχηλον ἀνακλῶσαν*, *col-
lo meretricio more infracto*. Scitè quoque ſanctiſſimus Ioannes Chryſoſt. l.
Chryſoſtomus, cùm luxuriantes mulierculas deſcribit, καὶ γε- quod reg.
λῶσιν, inquit, ἀκαίρως, καὶ κατακλῶνται, καὶ θρύπτονται μᾶλλον, fœm.
&c. vbi non ſatis aptè κατακλῶνται vertunt *deridentur*, cùm
fracti colli molliciem deſcribat. Et vt hoc quoque te moneam
ἐν παρόδῳ Iuuenti, conſimili flagitio erratum eſt, in Athei
Samoſatenſis interpretatione, Dialogo de ſaltatione, vbi loqui-
tur de fracto motu hiſtrionum; hæc ipſius verba ſunt, εἶτ' ἔνδο- Lucian.
θεν αὐτὸς κεκραγὼς, ἑαυτὸν ἀνακλῶν καὶ κατακλῶν, &c. vertunt, περὶ ὀρχησ.
*Deinde indecora hiſtrionis vociferatio iam ſeipſum inclamantis,
iam verberantis*, &c. omnino meo iudicio ἀπροσδιονύσως. Sed
ad rem. Lucianus item lib. de mercede conduc. ſuis colori-
bus pingens mollicellum Chelidonium, multa memorat, qui-
bus hominis vaniſſimi fucum aperiret, vt lubricum vultum, &
picturatorum oculorum coniectum, ſed imprimis τὸν τράχηλον
ἐπικεκλασμένον *fractam & fluentem ceruicem*.

Neque vero hos veterum ſine mente ſonos, aut delirantium
ſomnia exiſtimetis, qui in mordendis & lacerandis hominibus
ſint exercitati; nam ecce diues eloquentia & pietate Gregorius S. Greg.
Nazianzenus, idem in Iuliano vomica religionis & perduelle Naz. or. 3.
animaduertit, cuius naturam adoleſcentis ſeſe ad omnem ma-
litiam efferentem, cùm haud dubiis coniecturis aſſequeretur,
ſibi iam indeà puerilibus annis in eo diſplicuiſſe ait, αὐχένα ἀ-
παγῆ, *laxam & ſolutam, & nuſquam ſuo in ſtatu conſiſtentem cerui-* l. 3. Pædag.
cem. Stromateus quoque elegantiſſimus idem vitium exagi- c. 11.
tans, οὐκ ἐπίσταμαι ἐγὼ θηλύνειν, οὐδὲ κατακεκλασμένος πλά-
γιον ποιήσας τὸν τράχηλον περιπατεῖν, *Neſcio ego vocem effœmi-
nare, neque fracto & in obliquum reflexo collo ingredi*. Procul
igitur ſit ab Oratore noſtro, qui grauiſſimam perſonam ſuſti- Cic. in O-
net, illa teneritas & aſſimilis fœminarũ mollitudo. Hoc tanto rat.
ante Cicero admonuit, qui cùm ἰδέαν perfecti Oratoris formã-
que exprimeret, vult in eius actione nullam eſſe *ceruicum mol-
litiem*, ſi tenere coronam velit & probari. Et Fabius Quintil. Fab. l. 1. c. 11
Obſeruandum, inquit, *erit vt recta ſit facies dicentis, ne inclinata* Gregor.
vtrolibet ceruix. Nyſſenus verò Gregorius clarè pronunciat, Nyſſ. hom.
eſſe amentium αὐχένος λυγισμὸν, *colli contortionem*. Hanc verò 2. in Eccl.
tot ſapientum in eodem vitio deſcribendo conſenſionem, ſi

P

Digitized by Google

quis orator pro nihilo habendam putat, cenſeo in eum Aſinij Galli dictum coniiciendum, quod in M. Pomponium Marcellum veterem Grammaticum compoſuit, qui more pugilum ictus reformidantium caput in ſiniſtram flectebat: hos illius acuti hominis verſus habet Suetonius.

Qui caput ad læuam didicit gloſſemata nobis
Præcipit, os nullum vel potius pugilis.

Imo verò audiatur præceptum ſapiens diuiniſſimi Pædagogi, cuius vocem Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. nobis exhibet, ἡ τῦ τραχήλου ἐπιστροφὴ, καὶ ἡ κίνησις, εὐσταθής. *Colli & ceruicis conuerſio motúſque honeſtus ſit & decorus.*

Clem. Alex l. 2. c 7

Quandonā decorè caput in humerum inflecti poſſit.

Moneo tamen hanc capitis in humerum inflexionem adhiberi aliquando poſſe, modicè tamen, in miſerationibus commouendis, cùm rem præſentem intuemur; id enim quod indicium mollitudinis eſſe dixi, ratione atque iudicio vſurpatū, ad animos audientium molliendos, alliciendóſque ad lenitatem & miſericordiam valet. M. Tullius in Epilogo Milonianæ multa eo modo dixit, & præſertim iſta, *O me miſerum! ô infelicem! reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant.* Valet itidē ad diuinæ clementię magnitudinem prædicandam, vt cùm noſtri Concionatores ſublatis oculis, & inflexa moderatè ceruice, ſuauiſſimè deum affantur, & quærunt, quid ſit cauſæ, quod cum tanta tamque infinita in omnem æternitatem felicitate potiatur, venire tamen ad leuandam miſerorum conditionem voluerit. Valet denique ad placandam Numinis iracundiam, & prouocandam illius humanitatem, explicata & propoſita calamitate, quæ populum conſilij inopem, ſtratum & abiectum affligat: vt, Tantáne te magne Deus & hominum procreator, támque incenſa iracundia ad hominum perniciem excitet, vt his multis magníſque miſeriis, quibus hominum genus miſerandum in modum vexatur, non mouearis? Populati ſunt agri, exinanitæ ciuitates, exhauſta diſſipatáque multitudo, ſerpit in dies bellorum incendium, neque iam modicis regionibus continetur furor, aræ tuæ metuendis cæremoniis, & auita religione celebratæ, ſacrorum hominum cantu & ſupplicatione ſolennes, nunc Martio reboante ſonitu, &

clangore tubarum impediente conticeſcunt. Stratæ viæ cadaueribus, & quotidiana hominũ comploratio, tuam illam interminatam bonitatem, & placabilis animi clementiam deprecatur.

Ceruicis inter humeros indecora contractio. Ne Corybantes Orator imitetur. SECT. IV.

Illi vitio de quo proximè dixi, finitimum hoc eſt, cùm nimirũ ſublatis humeris ceruix cõtrahitur. Id qui faceret dictus olim Βυσαύχην, de quo Iulius Pollux ita l. 2. βυσαύχην ὁ τοὺς ὤμους αἴλκων, τὸν δὲ αὐχένα συνέλκων, *qui humeros attollit, ceruicẽ autẽ contrahit*. Ad ſcenam & comœdiam potiùs, quàm ad forum pertinet hic geſtus, cùm quid euenit præter animi ſententiam, cui adhiberi medicina nulla poteſt, quàm æqua in ferendo patientia. Sic hiſtriones *Actum eſt, perÿ, occidi, captus ſum, feramus*, & alia ſimilia pronunciantes, humerorum motu & capitis contractione vtuntur. Item cùm quis deprehenſus ἐπ' αὐτῷ φόρῳ, non alio ſe tueri modo poteſt, quàm tacita facti cõfeſſione, quæ eodem illo motu exprimitur. Sed neque meo iudicio id mediocrium eſt, & multò minùs primarum partiũ hiſtrionum, ſeruulorum potius, & eorũ qui docti ad aſſentationem ſunt, aut in triuiis & plebeculę ſinu inſtituti. Contracta ceruicula, vt eſt apud Quintilianum, Comœdiarum Actorem Stratoclem vnum decuit, cùm is geſtus in aliis Mimis & hiſtrionibus indecorus haberetur: vt non ſit mirum ſi in honeſtum oratorem minus conueniat. Nam alio loco idem Fabius, *ſtare incuruum, vel humeris, vt luctaturi ſolent, ad occipitium ductis*, vitioſũ meritò cẽſet. Quod ſi βυσαύχενες, liberaliſſimis hominibus & humaniſſimis non probantur, iis maximè hunc cauendum næuum eſſe video, quibus à natura ceruix obeſior eſt & breuior, qualem fuiſſe Caroli Magni prodit Eginhartus in eius vita; eos Teletes vet⁹ autor ἀτραχήλους nominabat, opinor, apud Stobæum. Quibus id ſanè facillimè contingeret, vt leui humerorũ motu caput inũbrarent, cũ riſu audientiũ atq; ſale, qui forte in oratorẽ ludentes, id Tertulliani de Chamęleonte

Iul. Pollux Onomaſt.

Quintil. l. 11. c. 3.

Eginhartus.

Serm. 106.

inſuſurrarent, *Capitulũ ſtatim à dorſo, nam deficit ceruix, itaque durum flecti.* Et quidẽ huiuſmodi homines in exculta illa antiquitate, malè quondam audiiſſe comperio: nam qui breuius habent collum, eos lupini generis ait Ariſtoteles, & eſſe ἐπιβούλους, *doloſos & inſidiatores.* Sidonius Apollinaris de quodam Proteo, qui cùm eſſet vitioſiſſimus, ſe in omnium familiaritatem inſinuabat, *Taceo*, inquit, *pro breuitate ceruicis occipiti ſupinato ſcapularum adhærere confinia.* In quo ſine dubio verſipellem & veteratorem cupit effingere. Abſit autem ab intelligente Oratore & polito, vt in eam ſe vltrò ſuſpicionem induat vel callidi, vel inepti, vel etiam impudentis.

in Phyſiog. l. 3. ep. 13.

Et tamen plures cauſas video animaduerſas à Veteribus, cur ceruicem contrahi vſuueniat. Sunt enim quidam longiori collo, tenui, & procero, qui ne forte grues audiant, aut tanquam in longurio poſitum habere caput videantur, contractis ceruicibus illi ſe incommodo mederi poſſe putant. Alexis Comicus apud Clementem Alexandrin. deſcribens mores mulierum, *Si quæ*, inquit, *ſibi maior longiorque videatur,* τὴν κεφαλὴν ἐπὶ τὸν ὦμον καταβάλλουσ' ἐξέρχεται, τοῦτο τὸ μῆκος ἀφεῖλεν, *caput in humeros demittens ingreditur, hoc ei de magnitudine detrahit.* Mollitudinem quodque id animi ſoluti & abiecti ſignificare poteſt, vt ſuperius animaduerti, quod non modò in mediocribus, ſed neque in imi ſubſellij hominibus, æquo animo tolerari ſolet: ridétque meritò illum athletam oratione iuxtà ingenióque præcellens Themiſtius, qui molles & ignauos humeros circumferens, τὸν αὐχένα λυγίζοιτο ὑπὸ τρυφῆς τε καὶ ἀκρασίας, *ceruicem præ luxu & delitiis frangeret.* Id nonnunquam à verecundia aut metu oriri ſolet; diuinus Plato de malis Curſoribus, *Primùm*, inquit, *celeriter exiliunt, tandem verò riſum reportant*, τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες, *auribus in humeros demiſſis, & ſine corona diſcedentes.*

l. 3. Pædag. c. 2.

Themiſtius or. 2.

Plato l. 10. de ep.

Sed an hîc dicam de te aliquid Iuuenti, & ineptus ero, qui aliena videam, neſciam mea? Age verò, inquit Iuuentius, è myrothecio tuo prome ſmegmata, quibus næuum omnem meũ ſi fieri poteſt eluas. Næuus quidem, ait Honoratus, nullus in te modo eſt, quem ego poſſim debeámque abſtergere, ſed iam prope bienniũ eſt, cum memini te in maximo conuentu orationem habuiſſe, ſanè dulcem & pellucidam, floſculíſque re-

Digitized by Google

dundantem, ſed inſolentia credo rei atque loci & hominum, elegantiũ copia, cùm adeſſent doctiſſimi viri, qui tuis ſtudiis moderantur, aliíque bene multi clari & ornati, te verecundantem & refugientem prope lucem & conſpectum, in timorem coniecerunt. Et vt timor contrahere ſolet in anguſtũque redigere, ita ceruiculam tuam paulùm coactam videbamus. Sed nimirum tum incipiebas tantùm ad eam gloriam emergere, quam deinde longa exercitatione conſecutus es, iámque te ſpectant tui, ſi quãdo dicis, celſum & erectum, & plenum maturæ dignitatis, cùm neque modeſtia quam tibi pudor naturáque tribuit, honeſtam audaciam minuat, nec contra nimia audacia verecundiæ tuæ moderationique obſit. Sed pergo, aliáque ſubiungo.

Neque enim diſſimulandam eſſe puto leuitatem, quam in quibuſdam ineptis adoleſcentibus animaduerti, qui caput in omnem partem tam celeriter circumagebant, vt multiuges ore circulos, atq; ſpiras delineare velle in dicendo viderentur. Fanaticum illud eſt rotare caput, & eorum maximè qui à iaciendis væſanorum more capitibus dicti ſunt Corybantes, de quibus in hiſtoria Vates ita cecinit. Lucanus.

——— crinémque rotantes
Sanguinei populis vlularunt triſtia Galli.

Quos imitatus ſummo imperij dedecore atque nota Heliogabalus Imperator, vt verba vſurpem non mali ſcriptoris, *iactauit caput inter præciſos fanaticos*. Et nonnulli etiam oratores de quibus eſt apud Quintilianum *Emugiunt*, inquit, *iactatione, geſtu, motu capitis furentes*. Theodoret. l. 10. de Græc. affect. curat. inter veterum ſacrorum inſanias & indecoros motus ponit *ceruicis iactationes*. Indiciũ illud eſt non modò ſummæ leuitatis, dignæ eo quem Veteres Vertumno irato natum aiebant, verùm etiam impotentis animi & furioſi, quales nobis Apollinis ſacerdotes erudita monumenta deſcribunt agitante ſpiritu inſanientes. *Pýthia*, inquit Dio Chryſoſtomus, *numine afflata*, περιδινοῦσα τὴν κεφαλὴν καὶ πειρωμένη δεινὸν ἐμβλέπειν, *caput contorquebat tentans acre tueri.* Eunapius barbaros ait Scythas ad motum capillorum mentis ferociam indicauiſſe. Vbi cogor diſſentire à viro clariſſimo, qui Excerpta legationum latinitate donauit, qui negat κινῆσαι τὰς κόμας

Lamprid. — Fab. lib. 2. c. 12. — or. de reg. p. 12. — In Excerp. Legat.

Fabius l. 11. c. 3.
mentis ferociam ſignificare. Nam ecce Quintil. lib. 11. præit, cùm de geſtu Oratoris diſputat, *Comas*, inquit, *excutientem*

Apul. l. 8. Mileſ.
rotare, fanaticũ eſt. Apuleius l. 8. de Syriæ Deæ Sacerdotib. *Fanaticè peruolant ceruices lubricis intorquentes motib. crinéſq; pendulos in circulum rotantes*. Quis verò non miſerandum, aut illu-

Seneca Ep. 109.
dendũ oratorẽ eũ putet, qui hos imitetur? Quos Seneca mihi quidem iam olim deſcripſiſſe bellè videtur, *Alacres*, inquit, *vultu & animo, nec aliter concitantur, quàm Phrygij ſolent tibicinis ſono ſemiuiri & ex imperio furentes*. Itaq; ſi vobis videtur legem hanc ſtatuamus, *Ne Corybantes Orator, neue Aſionem auem imitetur*. Iuuentius hîc miratus tenere ſe non potuit, Ecquam, inquit, Aſionem nobis Honorate narras? num fanaticorum ea

Scalig. 1. Poët.
propria? Tum ille, Dicitur illa σκώψ à Græcis auis ridicula, & quaſi mirabunda circumactu capitis collíque flexu: hinc σκώπτειν propriè capitis agitatione aliquem irridere, tametſi iam ad quodlibet genus irriſionis accõmodetur. Lex autem noſtra duo iubet, vt imprimis celeres illæ capitis rotationes propriæ furentium & inſanorum vitentur, deinde verò ne ſtolida ſit illius circunductio, ſed eiuſmodi, quam moderati hominis conſiderata ratio poſtulet, quæque ornatiſſimum cœtum minus offendat. Itaque fiat in vtrámque partem, cùm opus eſt, vna cum ipſo corpore grauis & decora capitis conuerſio, ſine impetu & iactatione, & pariter ſine hianti & languido ruſticanóq; ductu, quo veluti machina quadam inæquali ceruix tra-

Caput non reflectendũ penitus in tergum.
hi videatur. In quo etiam magnoperè id cauendum, ne caput vnquam penitus in tergum reflectatur. Nam quæ à tergo ſunt, vt exempli gratia, ſiquis ad anticam orientem ſolem poſuerit, & notare velit occidentem, id potius modica ipſius capitis atque manus in latus reuocatione, quam perfecta conuerſione, & inconſiderato illo motu ſignificari ſolet. At hæc quidem rudimenta ſunt Actionis, quæ à paruis pueris opinor tenentur.

Digitized by Google

Caput ſine vllo motu. Annuere. Quaſſare caput, iactare, fidentiúſque attollere quando liceat.

SED ecce tibi aliud genus hominũ, quos ego quo appellem nomine haud ſatis ſcio, an bardos & ſtupidos, an præfractos, an cõtumaces, an in geſtu parcos, an nimis in motu religioſos, qui vna manuum actione contenti, caput non magis mouent, quàm ſi ænei ſint, aut homines fenei, aut ſtipites hæreant. In huiuſmodi truncum, non enim oratorem, ludit Satyra, eúmque ſale acetóque perluit. Iuuenal. Sat. 8. —— *At tu*

Nil niſi Cecropides truncóque ſimillimus Hermæ
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.

Ruſum item ſtupidum oratorem, & immotum in dicendo, acute pungit & pingit Auſonius. Auſon. ep. 51.

Rhetoris hæc Ruſi ſtatua eſt. Si ſaxea, Ruſus.
Cur id ais? ſemper ſaxeus ipſe fuit.

Saxeus, hoc eſt lapis, caudex, ſtipes, plumbeus. Sic incertus Auctor in Anthologia Græca Sextum Rhetorem ineptum hominem & imperitum, tam ſimilem imaginis ſuæ fuiſſe ait, vt imago imaginis dici poſſe videretur. Anthol. l. 2.

Ῥήτωρ ἦν εἰκών, ὁ δὲ ῥήτωρ εἰκόνος εἰκών.

Debet igitur eſſe motus in capite, qui ſit cum partium reliquarum actione congruens, ſic vt in ipſo luceat Oratore atque emineat, vt in muſica, certa & conſentiens, & veluti numeroſa omniũ artuum ſymphonia, quę delectet. Et ſanè diuinæ mentis beneficio prouidentiſſimè factum eſt in natura, vt ceruix hominũ ſeptem nodis cõtineretur, vt ad omnẽ animi motum accommodaret ſe facilius, quod eximius doctor Caſſiodorus non ſine liquida voluptate miratur, & vt ſolet bonis verbis in cœlum effert. Caſſiod. l. de An. c. 16.

Verum enimuero an ſolo capite fieri geſtus poſſit, quærũt Magiſtri. Id perſpicuè vitioſũ eſſe pronũciat Quintil. Quod neſcio an vniuerſim doctis hominibus probetur: ſi de tota id oratione intelligit, ſubſcriptorem me quidẽ habet & ſententiæ aſtipulatorem ſuæ. Sed quis neſcit oratorem aliquãdo Fab. lib. 11, c. 3.

Digitized by Google

ſine vllo manuum geſtu capite annuere? Id Poëta magnus ſummo Deorum non ſine decoro attribuit, vt ampliſſimæ dignitati auctoritatíque conſentaneũ, *κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων*, perfecta oratione *nigris ſuperciliis annuit Saturnides.* Et ne Ioui, ſtudio partium, id fore præter animi voluntatem excidiſſe opinemur, facturum ſe paulò antè pollicebatur, *εἰ δ' ἄγε τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι.* Et ſcimus etiamnum reperiri viros reip. honoribus fungentes, qui non alia ratione mediocribus hominibus reſpondeãt, quam annuendo, ſi quid placere ſignificent, aut renuendo, ſi refutent & aſpernentur. Annuit autem capite Orator, vel comprobandæ rei cauſa, vt *Bene. Optimè. Bene habet*, & in ſimilibus: vel grauiter aſſeuerando quod poſitum ab eo eſt & declaratum, vt, *Ita eſt mihi credite Auditores.* Hicque geſtus decet eos maximè, qui conſilio, virtute, ſapientia, magnam ſibi apud alios auctoritatem pepererunt, quorum capitis commotio non leue pondus & momentum adiungit orationi; quare in ſacris admonitis & concionibus, ad rem quaſi in animis hominum defigendam vtiliter adhiberi videmus.

Caput etiam moderatè agitare ij ſolent, qui rem improbant, qui negant, qui fieri non poſſe, aut eſſe minus honeſtam ſignificant, in quo ſenilis aut maturæ iam ætatis effigies cernitur, quæ plurima tacita ſignificatione, & non modò verbis, animi notiones in hominũ cognitionem efferre ſolet. Cui rei explicandæ apta mihi & ingenioſa videtur Rhetoris Eunapij narratio, qui cœtum grauiſſimorum hominũ deſcribens, qui ſacrificio intererant, & vnius curioſi hominis loquacitatem minus probabant, *Illi*, inquit, *extremis digitis barbam mulcentes, vultu ad ſeueritatem compoſito*, τὰς κεφαλὰς βαρύ τι καὶ ἠρεμαῖον ἐπισείοντες παρεθεώρουν, *capita certa quadam grauitate & moderatione quaſſantes rem intuebantur*, cùm videlicet eam ſententia cõmuniq. voto repudiarent. At quatere vehemẽtius & cõcitatius caput, impetu veluti quodam & animoſa impulſione, iratorũ proprium eſt, qui dolore impotenti & animi ægritudine iactantur. Id Poëtæ ſuis verſibus adumbrarunt, quos opinio eſt affectiones vmbrámque omnem atque lucem humanitatis ſummas ſolertia induſtriáque pingere. Ita Iuno animo alieno & auerſo à Troianis & furenter incenſa

Eunapius in Chryſanth.

Tum

Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta. 7. Æneid.

Summus è Græcia Vates de Neptuno paria cecinerat.

Κινήσας δὲ κάρη ποτὶ ὃν μυθήσατο θυμὸν Odyſ 5.

Ω πόποι, &c.

Hic motus ignitæ & effuſæ iracundiæ, neſcio an decorè ſatis in modeſtum oratorem, dignitatíſque ſuæ retinentem cadere poſſit: niſi fortè in iis vrgendis, atque omni robore dictionis laceſſendis, qui omnia tum diuina tum humana iura, nouo, inaudito, inexpiabili ſcelere polluerint, præſertim in ardore amplificationis exclamando, vt, O crudelem immanitatem! ô facinus abominandum! ô infandi latronis importunitatem! vt etiam illud M. Tullij, *Cum hoc hoſte bellandum eſt, à cuius teterrima crudelitate omnis barbaria ſuperata eſt,* Cic. in Philipp. & alia multa, quæ inflãmato curſu orationis dicit in Dolabellam, à quo Trebonium virum optimum atque fortiſſimum omni ſupplicio excruciatum eſſe conſtabat. In his atque ſimilibus tanta eſſe poteſt, támque exaggerata crudelitas, vt orator victus quaſi rei atrocitate, non modò caput, ſed etiam corpus vniuerſum iuſta indignatione agitet, præſertim cùm rebus anima & ſenſu carentibus illius quoque indignitatis ſenſum aliquem tribuimus. Atque his lacertis ardens id telum mea opinione torquetur à Cicerone, *O ſpectaculum non modò hominibus, ſed vndis ipſis & littoribus luctuoſum!* Simile illud, *O facinus in quo modò homines, ſed pecudes exhorreſcant.* Sic Vates olim ſanctiſſimi ad verberandum os ferreum, & inſolentiſſimam audaciam impiorum, cœlum, terram, atque languidas animantes, & quidquid in natura foret expers animi conſiliíque aduocabant.

Mitius hoc eſt & moderatius, cùm iactatur caput, & etiam vi quadam ſpiritúque attollitur, interrogando, minando, refellendo, contemnendo, fiduciam interriti animi & præſentis oſtentando. Hoc geſtu plurima dicta ſunt acriter à Cicerone in Catilinã, præſertim cùm inſtát frequenti interrogatione, vel voce atque imperio eiicit, & hoc totum in concertatorio genere valet plurimum, cùm præſentes alloquimur, vel etiam interdum abſentes, vt, Valeant, valeant, &c. audebunt os ſuum oſtentare, &c. Eundem geſtum grauiſſimus Tertullianus Patientiæ attribuit humani generis hoſtem generosè contem-

nentis,cuius elegantem imaginem tanto penicillo deſcriptam, viuis coloribus expreſſam,artificioſè compoſitam, facere non poſſum quin bono in lumine collocem à vobis ſpectandam. Ita igitur Doctor ſingularis, *Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura nulla mœroris aut iræ rugoſitate contracta, remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis: Os taciturnitatis honore ſignatum, color qualis ſecuris & innoxiis, motus frequens capitis in Diabolum, & minax riſus*. Iſte capitis motus ſine dubio, & erecti animi conſtantiam, & contemptum inimici imbellis victique declarat. Ceruicem iactare alio quidam ſenſu dixit M. Tullius cum de Hortenſio, *Ne putemus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum.*

Tertull. de patient.

Verrin. 5.

SECTIO VI. *Perfricare caput an deceat, aut mulcere, vel digito vno ſcalpere.*

IAM autem vix in Oratore ferendum putem, quod in priuatis colloquiis vſurpari, olim etiam publicis in concionibus adhibitum fuiſſe à nonnullis videmus, vt ſollicitum animum ſignificans caput fricet, & digitis ſuis laceſſat. Fit enim ſæpe, vt quos memoria deficit aut ratio, in nodis grauiorum difficultatum explicandis, quibus aqua hæret in cauſa, qui abditas mentis intelligentias cæcis veluti nubibus inuolutas habent, ij manu occipitium perfricent, aliáſve capitis partes, & curam animi ſollicitudinémque ſignificent. Id principipem Athenis Oratorem in cœtu populi facere conſueuiſſe, docet Æſchines orat. περὶ παραπρεσβ. *Poſtremus*, inquit, *ſurgit Demoſthenes, & ad conſueta geſtus prodigia compoſitus*, καὶ τρίψας τὴν κεφαλὴν, ὁρῶν ἐπισημαινόμενον τὸν δῆμον καὶ δεδεγμένον τοὺς παρ' ἐμοῦ λόγους, &c. *& perfricto capite, cùm populum mihi videret applaudere, & meam approbaſſe orationem*, &c. Quæ facundi Patroni actio, vt apparet, nota fuit animi quadam moleſtia contracti, neque ſatis alieno honore lætantis, aut in præſenti negotio ſolliciti. Demades orator de eodem loquens apud Tzetzem, τρίβων κεφαλὴν καὶ συνεχῶς ἐκβήττων, &c. *fricans caput & continenter tuſſiens*. Romæ quoque id in

Æſchin. de falſ. leg.

Tzetzes.

Digitized by Google

more fuiſſe poſitum, bonus auctor M. Tullius fidem facit, qui cùm Piſonis fatuam ſapientiam poneret ante oculos, Iulium Cæſarem ab honeſta laurearum cupiditate reuocantis, in pereleganti oratione ſic eum loquentem inducit, *Quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini pluſquam mihi literas profuiſſe, ita enim ſunt perſcriptæ ſcitè & literatè, vt ſcriba ad ærarium qui eas retulit, perſcriptis rationibus ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans commurmuratus ſit.* Quo geſtu videtur indicari, ſcribam re non liquida nec defæcata, prout ipſe cupiebat, anxio atque ſollicito animo fuiſſe. Horatius item de ſcriptore moroſo, quique vehementius in ſtylum incumberet, *ſcabere ſæpe caput* dixit. Ad iram & inflammationem animi retulit eum geſtum Apuleius, ſic enim de irata Venere, *Cachinnum extollit qualem ſolent furenter irati, capútque quatiens, & adſcalpens aurem dexteram, Tandem, inquit,* &c. Digitulo verò vno caput ſcalpere, hominis effœminati eſt, teneri & mollis, quem luxus delitiæque fregerunt. Seneca in epiſtolis, *Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & relatus ad caput digitus.* Id in in pleriſque Veterum animaduerſum ad ignominiam, Cn. Pompeio imprimis alioqui Magno, quem notatum ab æmulis fuiſſe ait Marcellinus l. 17. *quod genuino quodam more caput digito vno ſcalpebat, quódque aliquandiu tegendi vlceris cauſa deformis, faſciola candida crus colligabat, quorum alterum factitare vt diſſolutum,* &c. Sumpſit hiſtoricus à Caluo Oratore & Poëta, cuius in Pompeium verſus perpetuæ memoriæ commendauit Seneca. Sen. in ep. Ammian. l. 17. Senec. l. Cõtrou.

Faſciola qui crura tegit, digito caput vno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle virum.

quem etiam cùm Pathicum & Cinædum effingeret, imitatur Iuuenalis. Iulius Cæſar fractus & diſſolutus in adoleſcentia diſcinctúſque fuit, nec caruit hoc næuo & geſtu molliori cúmque primum animum cœpit ad publicam rem & populi beneuolentiam appellere, quod eſſet ſupra ætatem blandus, & inſigni comitate omnibus carus & iucundus, M. Tullius iudicator ſapiens naturarum, non potuit non tectum illud, & callidi hominis tam facilè gratiam aucupantis ingenium habere ſuſpectum: contrà verò patriæ peſtem atque perniciem nunquam ex eo manaturam exiſtimabat, cuius videbat τὴν κόμην διακειμένην περιττῶς, κἀκεῖνον ἑνὶ δακτύλῳ κνώμενον, Iuuenal. ſat. 9. Plutarch.

comam exquiſitè ornatam, ipſumque vno digito caput ſcabentem, vt in eius vita Plutarchus ait. Nec putetis modò in Italia eum geſtum reprehenſum olim fuiſſe, Lucianus cùm Rhetorem pingit delicatum, quem voluptas cogitationibus molliſſimis effœminauiſſet, inter alias ſoluti animi notas hanc ponit, dum illum ſcribit τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον. Procul igitur ab oratore, quem honeſtum & moderatum eſſe volumus, iſta languidæ leuitatis opinio & deliciarum inſigne, ne digito vno caput fricet, ac ne pluribus quidem: quanquam leuiter comas à fronte manu reiicere, ſi forte is qui dicit, vt Apulei verbo vtar, anteuentulas habeat, quod proprium magis adoleſcentium eſt, quàm maturæ iam ætatis, non indecorè meo iudicio poteſt, modò ne inanis oſtentationis cauſa id fiat, quæ ſemper à cœtu honeſtiſſimo repudiatur. Fabium enim Quintilianum video, cùm de mora & cunctatione diſputat, qua ſurgens ad dicendum orator ſibi audientiam conciliat, ponere inter motus haud indecoros, *caput mulcere.* Si quis tamen illud ſæpius aut ruſticano more faciat, cùm memoria deficit, cùm mens à via timore deflectit, cùm oritur quædam animi perturbatio, haud opinor tanta foret Quintiliani auctoritas, vt decere arbitremur.

Lucian. in Rhetor. præcep.

Fabius l. 11. c. 3.

SECTIO VII.

Quando, & qui fieri poſſit, vt pili horreant in dicendo. Comas longiores quatere an honeſtum.

SED quid dicemus de horrore capillorum, quos in rerum atrocium commemoratione, in capite erigi conſueuiſſe aiunt? Hic Victor, An tu Honorate putas ita commoueri Oratorem poſſe aliquando in dicendo, vt hoc eueniat? Mihi quidem ſemper res incredibilis viſa, & profectò neceſſe eſt, verſari in mente atrocem quandam rerum grauium imaginem, quæ quaſi cogitantem animum percutiat & percellat. Atqui, ait Honoratus, haud rarò id euenire poſſe

oraculis ſuis Poëtæ ſignificant, qui pauore ſolutis, *ſtare comas*, hoc eſt horrere canunt. Eleganter Statius,

Stant triſtes horrore comæ.

Et alter in Faſtis,

---Senſíque metu riguiſſe capillos. 3. Faſt.

Eandem corporis animíque affectionem nobiles è Græcia carminibus ſuis attigerunt: nam ita princeps de Priamo,

----δείδιε δ' αἰνῶς

Ορθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι. Il. ω.

---*magnum obſtupet ille*

Arrectis per membra comis,

Hinc eleganter à Sophocle ὀρθόκερως φρίκη, & ab Æſchylo ὀρθόθριξ φόβος, *crines attollens formido* dicitur. Et ne comarum exiguum quendam motum ſuſpicemur, elegantiſſimus auctor humanitatis, idémque penus eruditionis M. Varro, perſpicua & accommodata ſimilitudine rem illuminat, *Tremo*, inquit, *dictum à ſimilitudine vocis, quæ tum cùm valdè timetur apparet, tum etiam in corpore pili vt ariſta in ſpica hordei horrent.* l. 5. de Il.

Itaque venuſtè meo iudicio Euripides erectionem eam capillorum vocat προμεραὶ φρίκην, hoc eſt, ἐπίπομον ὀρθίασιν τῶν τριχῶν, vt notauit Scholiaſtes. Qui naturam ſpeculantur Phyſici quomodo id fiat diligentiſſimè rationem perueſtigant, & imprimis Coryphæus Ariſtoteles in Problematis, quem ſi lubet clarè, vt ſolet, peritéque diſputantem Sect. 8. & ab eius ſchola Alexandrum l. 2. videte. Ariſt. ſect. 8. q. 8. & 11. Alexand. l. 2. Probl. q. 27.

Neque verò id tantùm accidit in portentoſis & prodigioſis euentis, quæ ſe necopinantibus obiiciant, vt inter gladios militares medióq; mortis diſcrimine, quæ veluti ſepta metu & pauore deſperationem ſuadeat, qualem pingebant militem Marianum Patroni quidam apud Fabium Quintilian. cum ſummo audiente Imperatore, eius *ardorem luminum*, *horrorem capillorum*, *fremitum indignationis*, ante oculos dicendo poſuerunt: qualem item eum deſcribit Author ad Herennium, qui Graccho mortem attulit, de quo facinus iam aggrediente ita habet, *Iſte intereà ſcelere, & malis cogitationibus redundans, euolat ex templo Iouis, & oculis ardentibus, erecto capillo*, &c. Verùm etiam & in rei atrocioris contemplatione, eadem corporis affectio nonnunquam ſolet exiſtere, idque à foro niſi Declam. 5. Carnificius ad Heren.

me animus fallit, & à magni Oratoris cura & artificio non eſt alienum: dico artificium, quod nonnunquam homines pauorem in ſe non modò ſimulent, verùm etiam volentes efficiant. Id præſtans ſuo in genere & diuinitus afflatus Ion ſuo exemplo & auctoritate confirmabit, ita enim in Dialogo Platonis ille, *Cùm ego aliquid miſerabile pronũcio, lacrymis mihi complentur oculi*, ὅταν τι φοβερὸν ἢ δεινὸν, ὀρθαὶ αἱ τρίχες ἵστανται ὑπὸ τοῦ φόβου καὶ ἡ καρδία πηδᾷ, *cùm aliquid formidoloſum aut horribile, pili metu arriguntur, & cor palpitat.* Et Sophiſta Chryſanthius, qui vnus inter alios Iuliani Imperatoris eruditionem exacuit, ſi quando foret in Dialecticis argutandum, ita animo commouebatur, vt vim intimam ardentes oculi ex-

Eunap. de vita Soph. primerent, τῆς τε τριχὸς ὑποφριττούσης αὐτῷ, *& horrore illi coma erigeretur*, vt ſcribit Eunapius. De Timocrate item Philoſopho, magni cuiuſdam vehementiſque ſpiritus homine, ita memini prodere iuniorem Philoſtratum, ἐπιχολώτερος δὲ ὑπὸ

l. 1. de Sophiſt. in Polemon. τι ἦν τοῦ ξυμμέτρου ὡς ἐπανίστασθαι αὐτῷ διαλεγομένῳ τήν τε γενειάδα, καὶ τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ χαίτας, ὥσπερ τῶν λεόντων ἐν ταῖς ὁρμαῖς, *ita plus æquo ſubiracundus erat, vt diſputanti & in barba pili, & in capite crines, more leonis concitati aſſurgerent.* Hoc ſi potuit veritatis imitator Poëta, qui penè omnia delectationis cauſa molitur, ſi in vmbraculis garrientes Sophiſtæ, non eſt negandum id Oratori, quem videmus actorem ſerium atque verum, ſæpe de vita fortunîſque innocentium, ſæpe de ſalute patriæ ſollicitum eſſe. Frigoris vi pilos erectos ait horrere Heſiodus, cùm deſcribit hyemem, Craſſam, inquit, veſtem induito,

in Εργ. verſ. 538. —ἵνα τοι τρίχες ἀτρεμέωσι

Μηδ᾽ ὀρθαὶ φρίσσωσιν ἀειρόμεναι κατὰ σῶμα.

Eundem etiam horrorem comarum exiſtere iracundiæ motu incitato prodit Seneca. Quare Philoſtratus ſcitè Meleagro

l. 2. de ira. c. 35. Philoſtrat. iun. in Meleag. qui terribilem igneûmque aprum occidit, κόμην ἀνεστηκυῖαν ὑπὸ τοῦ τῆς ὁρμῆς ἐνεργοῦ tribuit, *comam impetus vi & contentione erectam.* Et incredibile id videatur in Oratore, de maximis rebus metuendîſque diſputante? Magna quædam vis eſt non orationis modò, verùm etiam & cogitationis, ad commotiones corporis excitandas. P. Scipio Africanus, cùm in Hiſpania perduelles armis & incœpto curſu victoriarum per-

ſequi vellet, aduocata concione, ſic dicendo milites ſuos commouit, ὥστε παραπλησίους εἶναι πάντας ἐκ τῆς ἀπόψεως τοῖς ὁρῶσι τοὺς πολεμίους, καὶ μέλλουσιν ὅσον οὔπω πρὸς αὐτοὺς διακινδυνεύειν, *vt vultus eorum ſimiles iis viderentur, qui hoſtem in conſpectu habent, & acie cum illo iam ſunt decreturi*: ita Polybius hiſtoriæ fidus, bonúſque auctor memorauit. Polyb. l. 11.

Et quidem mecum ipſe cogitans varietatem orationis, eáque multa de quibus omni laude cumulatus Orator diſputare ſoleat, ſic reperio multas & graues obiici poſſe in dicendo amplificationes, in quibus ſic affici animo, ſic horrere corpore æquum eſſe videatur. Sumpſi aliquando in manus diſerti hominis concionem Gallicam in funere Henrici M. ſummo artificio, omnibus eloquentiæ neruis & ingenio extructam. Vtebatur grauiſſimus Orator ὑποτυπώσει, illum Orci adminiſtrum, furioſi dęmonis emiſſarium euocabat, truci vultu, oculis eminentibus, ſpumas agentem in ore perfidiæ indices, gladio armatum, ſuſpenſo gradu accedentem, regium currum inuadentem, nefariam attollentem manum. Heu quid agis? ô perdite! quò deſperate ruis? quid mortalium ſceleſtiſſime deſignas? quid ferrum vibras? quem petis? Hæc & ſimilia cùm diceret ſumma copia, ardore magno animi, & cùm eam funeſti caſus horribilem ſpeciem ante oculos, & penè in ipſa concione poneret, dubitem cohorruiſſe auditores, mutatum Oratoris vultum, etiam capillos rei atrocitate in hac ἐναργείᾳ ſtetiſſe? Quid cùm diuorum exquiſita ſupplicia memorantur? Exempli gratia, producitur Laurentius, ferrea crates apparatur, igneo ſplendore micans rubra flamma, crudeliſſimo ſpectaculo: pius & innocens vncis ferreis nudus & conſtrictus in eam iniicitur, flammæ ſubitò hominem operiunt, ſtridet cutis, nidor exudat, ignei ferri attactu membra fluunt: hinc animi atrox carnificina, hinc omniũ acerbitatum cruciatu effera mors & inſtructa, quæ vſtis & patefactis viſceribus animam vi doloris eiiciat. Hæc cùm Orator explicabit non breuiter, vt à me iam & languidè, ſed forti & exaggerata, plena vi, ſpiritúque oratione, cùm in medio ponet efferatos carnificum animos, immanem illam cratem, furentium globos ignium, iuuenem horribili flamma cruciatum, innoxium pro Religione patientem, toſta latera fluentibus membris, luctantem ani-

nimam, vt tot locis patefacto corpore diſceſſum molientem, poterítne fieri, vt non modò populus, ſed ipſe quoque tragœdiæ luctuoſæ actor, non animo omni & artubus cohorreſcat?

Et neſcio an idipſum in commemorandis pœnis inferorum, immanibúſque ſuppliciis cernatur illuſtriùs, quibus in omnem æternitatem nefarij ſpiritus, atque homines conſcelerati viui mortuíque mactantur. Nam cùm tanta ſit pœnarum magnitudo atque diritas, quæ omnẽ hominum opinionẽ & cogitationem exuperent, cùm orationis lumen acceſſerit, eáque in dicendo cõmotio atque horror, non poſſunt, non vt ſunt grauiſſima & miſerabilia videri, quæ quamuis elatum & ferocientem animum percellant. Vidi ſanè quendam maximi ingenij nobilem adoleſcentem, præclara eruditione & virtute ornatum, qui de horum ſuppliciorum acerbitate, nec loqui, nec cogitare vnquam poterat, quin pectus quateretur, & penè foras cor ipſum exiliret.

Sed non hîc ago, vt tempora omnia & occaſiones enumerem, quibus eo geſtu quoad fieri commodè poſſit vti conueniat: hæc à me tantùm ad intelligendam rem ſunt adducta. Nec verò dubito quin etiamnum multa in curia poſſint contingere, eo præſertim loco vbi cauſæ capitales aguntur, quæ ſi non tantam, vehementiſſimam quidem certè animorum commotionem habeant; vt cùm victrix & exultans hominum impiorum audacia, in bona, in vitam, in pudorem ingenuum graſſatur, parricidia & mortes innocentium barbara quadam & immani crudelitate nobilitantur, diripiuntur ædes, ferro & flamma complentur. In his agendis, ſi quis non modò delecta verba adhibeat, ad exprimendam rei magnitudinem & indignitatem, ſed etiam horrentium capillorum ſpecie, vultus ſeueritatem augeat, iam prouideo, quantam vim ſit habitura eiuſmodi oratio ad iudicem inflammandum, ad miſericordiam conciliandam, in tam triſti & acerba fortuna inſontium, ad creandam inuidiam conſceleratis, & illis humanæ vitæ prodigiis, ad tuendas denique leges moréſque maiorum. Nam vt Leo horrentibus iubis admirabilior videri ſolet, quàm cùm lentus quietúſque decumbit, ita caput veluti radiatum Oratoris mouet longè admirabiliùs, tenétque audientes.

Achillem

Achillem ita ferè pingit Philoſtratus, quem ait habuiſſe ἐπισκιόεν τι, *velut vmbraculum quoddam frontis in coma*, quod appellat θυμοειδὲς φρύαγμα, *Magni animi, quo ferociat magis, incitamentum.* Sed hoc, vt dixi, viri eſt opus in dicendo ſummi, diu atque multum exercitati, qui motus omnes, quos hominum generi natura conceſſit, magna facilitate concipiat, qui, vt breui dicam, ſit εὐφαντασίωτος, & vtatur eo artificio de quo ſua in inſtitutione Quintilianus libro 6. Qui etiam docet vſpiam, turbatas, quod minùs eſt, comas oratoris, præ ſe ferre aliquid affectus, & ipſa obliuione compoſitionis & negligentia commendari.

Philoſtr. in Heroic. Dionyſ. Longin. περὶ ὕψ. Fab. l. 6. c. 2. & l. 11. c. 3.

Video quiddam præterea animaduerſum ab eruditis, qui veterum in dicendo geſtum ſuis admonitis compoſuerunt. Eos enim reprehendebant, qui celeri capitis agitatione comas quaterent. Meritò id quidem; barbarum enim eſt, & Cyclopeum. Certè Philoſtratus Cyclopem inducit χαίτην ἀνασείοντα ἀμφιλαφῆ, *patulos crines iactantem.* Poterat tamen antiquiſſimis temporibus euenire, cùm & nudis capitibus dicerent, & capillos ſummitterent: nunc rariùs id habet locum, niſi fortè in mollioribus quibuſdam & delicatulis ἁβροκόμαις, χρυσοφόροις, qui veluti ſanea in rota ferunt ceruicem, quos videmus fluentes cincinnos & circa humeros volitantes leui pulſu molliuſculè quatere, eáque re gloriari. Alcibiadi impunita licentia volitanti id non ſine ratione tribuit Libanius, de quo inter cætera ſic habet, κόμαι μὲν αὐτῷ τοῖς κροτάφοις ἐπισείονται Βακχικαὶ, τοῖς στεφάνοις ἤδη καὶ τοῖς ἄνθεσι πρὸς κόσμον ἀνθοῦσαι, *Crines ſanè Bacchici ipſi in temporibus incutiuntur*, &c. De Menelao quem mollem & effœminatum pingit Euripides, Declam. 9.

--- ξανθοῖς ἐπ' ὤμων βοστρύχοις γαυρούμενος, Euripid. in Oreſt.

flauis ſuper humerum vndantibus comis ſuperbiens. Id neſcio an vlla ætatis conditione excuſari queat apud viros ſapientes, vt non meritò è foro & Curia, vt leuitatis monumentum & inſolentiæ, remouendum exiſtimetur. Decuiſſe tamen olim, ex eo mihi videor, haud obſcurè percipere, quod elegantiſſimus vita & oratione ſanctus Chryſoſtomus, egregiam pingens formoſi hominis venuſtatem, inter cætera ponat κόμην κραδαινομένην, *comam vltro ſe vibrantem ac motitantem.* Et in ſimili argumento verſatus ſuauiſſimus quoque in dicendo Nyſſenus in Pſal. 44.

Greg. Nyſſ. or. 1. de beatitud. p. 769.

Gregorius, *Flore*, inquit, *iuuentutis gloriaris*, περισοβεῖ ταῖς αὔραις ὁ βόστρυχος, *capillitium ventis diffunditur*. Itaque pulchro & iuueni Dionyſio ſiue Baccho id tribuitur, vt à Deo minimè alienum. Chorus in Phœniſſis Martem alloquens, cur non, inquit, pulchras inter choreas ſuauiter canis βόστρυχον ἀμπετάσας, *cincinnos & capillitium motans?* vbi ἀμπετάσας, vt monuit Scholiaſtes, idem eſt quod ἀνασείσας, ὥσπερ, inquit, ὁ Διονύσιος.

DE VVLTV ORATORIS.

CAPVT II.

Sectio I.

In Vultu expreſſam eſſe animi effigiem. In eo virtutem, vitium, regiam quandam elucere dignitatem. Vultum à dicente formari oportere.

Dixi de Capite generatim, nunc quoniam ad remum alligaſtis me, & niti quantùm ingenio poſſem voluiſtis, prouehendum ſcilicet vlteriùs eſt, & de Vultu iam dicendum, in quo frons, oculi, cæteraque partes lucent. Galenus Hygiæ Myſtes ait, naturam imitatam eſſe in corporis fabrica bonos & elegantiſſimos artifices; qui præter opus inſtitutum & palmarium, quædam in clypeis ponunt, in capulis gladiorum, in columnis ſimilibúſque rebus ad ornatum, vt corymbos & multiplices hederæ nexus, vt emblemata, vt aliquid denique affabrefactum, in quo vis artis maximè appareat. Sic naturam ita machinatam eſſe hominem, vt in Vultu incredibilis cuiuſdam & diuini ornatus inſigne eſſe voluerit. Et certè magnum quiddam in vultu poſitum eſt, ad beneuolentiam hominum colligendam audientiámque Oratori: eſt enim in eo tacita quædam eloquentia, quæ non agendo, agat tamen, & ſine verborum tendiculis & lenocinio aucupetur. Quæ cauſa fuit cur 3. de Orat. L. Craſſus Actionis penè vim omnem ad vultum ipſum retulerit. Nam cùm de geſtu quædam præcepiſſet, ſic veluti concludens, quod ea in re præcipuum eſt colligit, *Sed in ore*, inquit, *ſunt omnia*, hoc eſt, vis omnis actionis &

l. 11. de vſu par.

Cic. l. 3. de Orat.

efficientia ab ore ſeu vultu pendet maximè. Cuius rei videtur rationem hanc adferre, quod animi ſit vera omnis actio, quæ veluti corporis motione declaretur, at ipſius animi quædam imago vultus eſt, ſicut indices oculi, vultus igitur in actione principatum obtinet. Quare ſi verè dixit Quintilianus, *ex voce atque actione pellucere mores*, id imprimis conuenire in vultum eſt neceſſe, in quo tanquam in ſpeculo animorum imagines referuntur. *Vultus*, vt ait magnus Caſſiodorus, *qui à voluntate nominatur, ſpeculum quoddam eſt animæ ſuæ, & quod ſubſtãtialiter non cernitur, per eius habitũ euidentiſſimè declaratur.* Caſſiod. l. de Anim. c. 16. Nec mihi ſatis conſideratè Momus poſtulauiſſe quondam videtur ad pectus hominum feneſtellam, qua recluſa atque patefacta, oculorum acies ad abditas cogitationes penetraret, cùm in vultu habeamus tam apertum introitum atque ianuam, ad peragrãdas animi notiones. Nulla cogitari poteſt tanta varietas naturarum, quæ non ſuis coloribus in Vultu pingatur. Ibi Virtus, ibi vitium, ibi nobilitas & maieſtas, ibi grauitas & ſapientia, ibi reliquæ animorum dotes, non tenuibus lineamentis, ſed flore & eminentia coloris adumbrantur. Sic denique pictæ in vultu ſunt, & expreſſæ taciti animi cogitationes, vt eum viri ſapientes loqui putent. Certè Polybius cùm artis imperatoriæ præcipua veluti fundamenta delineans, primùm ſtatuiſſet τὸ σιγᾷν, hoc peritè ſapientérque adiungit, *Silere autem oportet, non ſolùm τῇ γλώττῃ, verùm etiam multò magis τῇ ψυχῇ*, factum enim eſt ſæpiùs, vt multi, qui alioqui verbum nullum de re faciunda edidiſſent, tamen δι' αὐτῆς τῆς ἐπιφάσεως, *vultu ipſo quem præ ſe ferebant*, arcana omnia conſilia effunderent. Hinc eleganter Ouidius primo libro nequitiæ *vultum loquacem* nominauit. Polibius. l. 9 p. 552.

Me ſpecta nutúſque meos, vultúmque loquacem.

Ephrem Syrus, vir maximus, atque in omnem partem excellens, tam loquentem & diſertum vultum habuit, vt ſine vlla oratione omnium intuentium animos commoueret: de quo ſcribit ſanctus Gregorius Nyſſenus in eius vita; ἡ δὲ ἀγγελοειδὴς θεωρία ἤρκει καὶ μόνη βλεπομένη πρὸς συμπάθειαν, καὶ οἰκτιρμοὺς, καὶ τοὺς ἄγαν ἀμειλίκτους κινῆσαι, ἁπλότητι καὶ ἐπιεικείᾳ, καὶ πολλῇ κεκραμένη καλοκαγαθίᾳ, &c. *aſpectus eius an-*

gelicus abſque vlla oratione ſufficiens erat permouere, &c. Iulianum Imperatorem religionis perduellem tantum qui vidiſſet, ſubitò agnouiſſet hominem inuerecundum, & inſigni
Gregor. Naz. Orat. 21. quadam impudentia præditum, erat enim *ἀναιδὴς τοῦ προσώπου*, vt Diuus Gregorius Nazianzenus animaduertit. Et ſanctiſſimis religioſiſſimúſque Antiſtes Maris cùm cæcus
Zonaras: to 3. in Iul. foret, beatum ſe prædicabat, quod eius *ἀναιδέστατον πρόσωπον* intueri non poſſet, ait Zonar. Sic Plato cenſuit Ariſtotelem ad impudentiam natum, & quod euenit aliquando, inuerecundum & ingratum futurum, cùm in eius vultu leuiſſimi animi mores fuiſſet intuitus: nam *μωκία τις ἦν αὐτοῦ περὶ τὸ πρόσωπον*, *cauillationem & irriſionem quandam vultu*
Ælian. l. 3. *præferebat*, vt autor eſt Ælianus. Contrà verò doctor ſingu-
πειχλ. Greg. Naz. laris ὁ Θεολόγος magno Athanaſio tribuit *ἀγγελικὸν εἶδος*, *Angelicam faciem*: Lucianus quoque Ionem deſcribens virum admirandum, *σεμνός*, inquit, *τις ἰδεῖν καὶ θεοπρεπὴς, καὶ πολὺ τὸ κόσμιον ἐπιφαίνων τοῦ προσώπου*, *vir aſpectu venerandus, plurimum dignitatis atque maieſtatis ipſo oſtendens ore.* Quare Simeon Metaphraſtes homo pius & eruditæ humanitatis ſcitè vultum appellat *virtutis characterem.*

Sed inter ea quæ in nudo & tacito vultu gratiſſimè elucent, intuentéſque mirè capiunt, regia quædam numeratur
Maieſtas Regia in vultu. maieſtas, quod Poëtæ ſæpè in heroum ſuauiſſimis & elegantiſſimis deſcriptionibus notare ſolent. Vnde Euripides quoſdam ait eam ipſam ob cauſam *τὸ εἶδος ἀξίους τυραννίδος*. Quod
στηλιτ. β. mutuatus diuus Gregorius Nazianzenus de Iouiniano lecto Imperatore loquens; *ἀνὴρ*, inquit, *ἐπιφανὴς τά τε ἄλλα καὶ τὴν εὐσέβειαν, καὶ τὸ εἶδος ἀληθῶς τυραννίδος ἄξιος*, *vir vt aliis rebus ita pietate clarus & inſignis, atque oris maieſtate regio imperio dignus.* Ita Regi Macedonum Philippo hiſtoriæ bonus
Polyb l. 4. auctor Polybius *ἔμφασιν βασιλικὴν* tribuit: & alio loco re-
Idem l. 5. gem Cleomenem *ἡγεμονικὸν* ait fuiſſe, *καὶ βασιλικὸν τῇ φύσει*, *imperatoria quadam & regia oris dignitate præſtantem.* Paria propè dicit Æmilius Probus de Iphicrate: *Fuit*, inquit, *& animo magno & corpore, imperatoriáque forma,*
Heliodor. lib. 1. *vt ipſo aſpectu cuiuis iniiceret admirationem ſui.* Eam laudatam gloriandámque effigiem Heliodorus in Æthiopica hiſtoria vocat *εὐγενείας ἔμφασιν*, *nobilitatis in vultu ſpecimen*: Laër-

Digitized by Google

tius βασιλείας τινὸς παράσημον, *inſigne veluti quoddam regium,* Laert.l.8. quod Empedocles in forum prodiens ciuiúmque ſuorum cœtum præ ſe ferebat.

Neque verò hæc indoles magni animi excellentiſque naturæ index, in heroibus tantùm, & clariſſimis aliorum hominum moderatoribus commendari ſolet, aut etiam in illis, qui aluntur in ipſo gremio humanitatis & modeſtiæ, ſed in omni hominum genere & conditione delectat. In Spartano bellis aſſueto nil magnopere mihi expetendum videbatur, præter fortem ac virilem, & toroſam corporis firmitatem, animique acris & inuicti conſtantiam, ſed tamen audio Xenophontem inter lituos & arma ſapientem, inter ſapientes ductorem, cùm expeditionem Ageſipolidis comitatúmque referret, Spartæ alumnos honorificè laudaſſe, non modò quod gnari eſſent l.5 rerum præſtabilium inſtitutorum eius vrbis, & inuictæ grauitatis, ſed Græc. quod item forent μάλα εὐειδεῖς, *forma eleganti atque indole, & ad ſpeciem atque dignitatem inſigni.* Rex Antiochus cùm in Demetrium Euthydemi filium incidiſſet, eum vt vidit ἄξιον βασιλείας κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν καὶ προστασίαν, *regno dignum propter ſpeciem & quandam maieſtatem*, ei vnam de filiabus ſuis in matrimonium ſe daturum promiſit. Polyb.l.11 Sic nimirum inſidet omnium mentibus iſta opinio, non videlicet poſſe non pulchrum & formoſum eſſe animum, qui ſibi vultum tanquam honeſtatis decoriſque domicilium accommodarit.

Hæc eo pluribus à me explicantur, vt demonſtrem, nimiùm quantùm vultum Oratoris in vtrámque partem valere, ideóque illi ſtudioſiſſimè elaborandum, vt primus in concionem introitus, in quo poſitum eſt omen prærogatiuum victoriæ, ſit eiuſmodi, vt pòtius intuentes alliciat, quam eoſdem vlla prauitate offendat. Neque mihi quiſpiam indiligens & ſtudij huius ignarus atque muneris dicat, ſibi neminem poſſe formam tribuere, ſed quamcunque à natura acceperit, eſſe tuendam adeóque ferendam. Non eſt ita, vt deſidiæ obtendunt ſuæ, non eſt. Faciem nemo fingere ſibi poteſt, vultum poteſt. Eſt enim vt ſcitis vultum inter faciémque differentia. Literatus Nonnius vultum ait eſſe voluntatem, quæ pro motu animi in facie oſtenditur, faciem autem ipſam oris ſpeciem. Hinc peritè ſcientérque Salluſtius, *Prorſus*, inquit, *in facie vultúque*

Digitized by Google

verecundia inerat. Erit igitur Veterum teſtimonio vultus, illa oris & faciei compoſitio, quam pro arbitrio motibus animi

3. de Orat. accommodamus. De qua re diſſerens M. Tullius, *Omnis*, inquit, *motus animi ſuum quendam à natura habet vultum, & ſonum, & geſtum: totúmque corpus hominis, & eius omnis vultus, omnéſque voces, vt nerui in fidibus, ita ſonant, vt à motu animi quoque ſunt pulſæ.* Vt hoc autem in dicendo conſequamur, ſentio prudentiam, neque vulgarem eam & communem, ſed eximiam, & prope dicam ſummam requiri, quam cùm Oratoris exercitatio acuerit, atque attulerit conſideratam actionem, eam nimirum in vultu varietatem finget meliùs, quàm veneficia, quibus Medea dicitur ἀλλοιώσασα τὴν αὐτῆς ὄψιν, vt cum

Diodor. Sicul. l. 4. Siculo Diodoro loquar, id eſt, *faciem ſuam immutaſſe.* Hac prudentia munitus, alioqui non nimium doctus neque intelligẽs Piſo in numerum Oratorũ venit, quem ait M. Tullius in Bruto, *vultu & ſimulatione multo etiam acutiorem, quàm erat, viſum.*

SECT. II. *Ingenua quædam in vultu honeſtas quantum poßit. Pudor & Modeſtia ſingulare illius ornamentum.*

SED vt aliquid ponam in admonitis meis liquidius, nam me quidem hodierna die præcipientem, videlicet nouum magiſtrum repentinúmque habebitis, volo imprimis Oratorem in hoc eniti & ſtudere, vt in vultu honeſtatis humanique animi ſignificationem adferat. Dici à me longiſſimo temporis ſpatio non poſſet, quantum ea res momenti habeat, tum ad ipſius dicentis commendationem, tum verò ad tenendos animos auditorum penitúſque capiendos. Memini Xenophontis illius Socratici, qui è ſapientiæ tabernaculo prodiens Imperator, olim Byzantij motum & tumultum, funeſtum alioqui futurum, pio conſilio & admirabili oratione cõpreſſit. Neque minimùm vultus hominem iuuit ad ea perficienda, quæ fulgentes armatorum copiæ videntes laudabant: qui qualis tum fuerit, is qui in eo cœtu adfuit, & turbulentiſſima tempeſtate Chio literis atque hominum memoriæ man-

Digitized by Google

dauit, *Videbamus*, inquit, *hominem* καλὸν πάνυ καὶ πρᾶον ἰδεῖν, *pulchro imprimis comi & humano aſpectu* furentium illa incendia reſtinguentem, cum in medium progreſſus, θαυμαστοῖς λόγοις διέθετο, *incredibili eloquentia vim, tela, impetum, iracundiámque placauit.* Cn. Pompeius non modò bellis verùm etiam facundia maximus & eloquentiſſimus fuit, de cuius in dicendo gloria, multa ſunt à Cicerone æternitati propagata. Is ſi quando in forum deſcenderet ad agendum, in vultu ferebat tacitæ pignus honeſtatis atque virtutis, quo priuſquam loqueretur, iam prope Iudicibus ipſis & coronæ perſuaſerat. Id ne putetis à me fictum ornandi gratia, Plutarchus perſpicuè illi tribuit τὴν ὄψιν οὐ μετρίως συνδημαγωγοῦσαν, καὶ προεντυγχάνουσαν αὐτοῦ τῆς φωνῆς, *vultum non mediocriter gratioſum, quique tacitis neſcio quibus illecebris hominum ſtudia beneuolentiámque pelliceret, atque adeo præueniret eius orationem.* Quin & vultus moderati hominis & honeſti eam nonnunquam vim habet ad impellendas voluntates, vt tametſi nulla ſequeretur oratio, tamen audientes mirabiliter commoueat, & ad decus bonique viri officium attollat. Sanctiſſimus Chryſoſtomus de S. Meletio Antiocheno loquens, τρυφὴ ἦν μεγίστη τὸ τῆς ἁγίας ὄψεως ἀπολαύειν ἐκείνης, *Erat ſumma voluptas frui illo ſancto vultu.* Subdit rationem quæ vim illius magnam declarat, Non enim ſolùm docens nec loquens, ἀλλὰ καὶ ὁρώμενος ἁπλῶς, *ſed tantùm ſi videretur,* ſatis erat ad inducendam virtutum cœleſtium doctrinam, in eorum qui videbant animos atque mentes. Hoc Polemon expertus olim eſt, vitio ætatis & impunitate quadam libidinibus inſoleſcens, qui vino languidus, & roſis coronatus, cinctus grege adoleſcentium, cùm in ſcholam Xenocratis fuiſſet ingreſſus, vt laſciuiam in omnium oculis defigeret, homo ſapiens compoſito vultu ad decus & ſeueritatem, ſine geſtu, ſine vllis verborum aculeis, ità Iuuenem petulantem edomuit, vt præter omnium expectationem ſeſe ad modeſtiam converteret. Quare diuinitus mihi videtur admirabilis ille cœleſtium monitorum Interpres Iſaias, gnarum & prudentem eloquij myſtici, conſiliorúmque hominem appellaſſe *honorabilem vultu,* in quo nimirũ eluceat quædam ingenui decoris laus & dignitas, quæ venerationem omnium conciliet.

Epiſt. ad Matrid.

S. Chryſ. to. 5.

Plutarc. de adul. dign.

Iſa 3.

Hanc ego honeſtatis in vultu imaginem, tam ad gratiam

ſtudiúmque hominum colligendum appoſitam, requiri in eo aiebam, qui de rebus magnis ſit conſilium, animíque ſui notiones, in cœtu virorum ſapientum explicaturus. Quo in genere, præcipuum eſſe opinor ingenij modeſti humaníque ſignificationem & pudorem, quem in vultu habitare vulgo aiunt; ſiue os ipſum propria ſit illius ſedes, quod M. Tullius videtur exiſtimare, qui *os hominis*, & *os importunũ*, ſæpe de homine ſumma audacia impudentiáque vſurpat: ſiue oculi ſint pudoris domicilium, quod Lycei magiſter voluit: ſeu genæ potiùs, quod opinatur Plinius, ſeu quæ iſtis omnibus eminet frõs, vt plerique omnes maluerunt. Non eſt ſanè committendum, vt qui vnus multis audientibus ſurgit ad dicendum, frontem perfricuiſſe dicatur, aut Stoicus ille de Satyra iure exclamet *periſſe frontem de rebus*. Quare vti videmus in ædibus clarorum virorum aureis literis in Prothyro ſcribi, huius aut illius Domini eſſe palatium, ita neceſſe eſt, in fronte atque vultu hominis elegantiæ ſtudioſi, qui ſe omnium hominum generi probare ſtudeat, aureis quaſi notis *Pudorem* inſcribi. Talem fuiſſe Periclem illum exiſtimo, verè Olympium & diuinum, qui ciuilem adminiſtrationem cum magnifico genere orationis feliciſſimè copulauit, quem aiunt ita venire in concionem ſolitum, vt in cœtum Deorum cœleſtium, & meditari diligentiſſimè, ne quod ſibi verbum excideret, quod vllius audientis animum poſſet offendere. Itaque videmus quantum potuerit in ea ciuitate, quæ tum princeps fuit totius Græciæ, quantum effecerit, quàm beatè illa ipſa eloquentia, quam Euripides μόνίω ἐν ἀνθρώποις τύραννον appellat, dominatus ſit. Atque in hoc Græciæ Corypheo ſi minus liceat huius tanti ornamenti decus animaduertere, quod in eodẽ admirabilia fuerint multa, quæ ad omnem excellentiam illum educerent, alios nobis Veterum monumenta ſuppeditant, in quibus ſumma omnium voluptate pudor eluxerit. Vos qui promi condi eſtis hiſtoriæ, tu Iuuenti, qui hoc ipſum agis, qui in antiquitate volutaris, qui vt Cato helluo es librorum, ſcis profectò, quod à Liuio æternæ memoriæ proditum fuit, de Demetrio Philippi Regis Macedonum filio, cui ſanè pudor plus tribuit, quàm vlla oratorum facundia prodeſſe potuiſſet. Nam cùm eius parens Rex Philippus atrociſſimis criminibus accuſaretur, & de ea re Patres

Pudor in vultu neceſſarius.

Ariſt. prob. 5. ſect. 31. Plin. l. 11. c. 37.

Liuius 4. Dec. l. 9.

tres

tres in Curia conſilium inſtituiſſent, indiciis patefactis, ita reus oneratus fuit, vt Demetrius nulla ratione poſſet maleficiorum notas eluere. Igitur re prope deplorata, tanquam ad ſacram anchoram, ſic ad pudorem & ſingularem animi modeſtiam confugit: quo pudore ita populus Ro. captus fuit, Senatúſque placatus, vt Philippum ſcelere ſolutum periculo liberaret. Æquè notum illud de Domitiano, de quo ita prodit Suetonius, *Commendari ſe verecundia oris adeo ſentiebat, vt apud Senatum ſic quondam iactauerit, Vſque adhuc certè animum meum probauiſtis & vultum.* In hac autem noſtra tempeſtate, minus ſtudij huic tanto tamque vtili ornamento à Patronis adoleſcentioribus tribui video, qui cùm primum in forum Curiámque veniunt, dum honori ſtudent, dum oſtentant animi fiduciam, dum famæ ſuæ velificantur, geſtiunt, ſeſe venditant, efferuntur, vt verum iam eſſe videatur, quod de ſæculo æneo canit Heſiodus, Pudorem ſimul & Nemeſim ad orbes flammiferos euolaſſe. Et tamen veriſſimè dictum eſt à Quintiliano, *Nihil eſſe ad conciliãdum gratius verecundia.* Quod neſcio an ab Antonio iudicij principe ſit mutuatus, qui 2. de orat. ita monet, *Ad conciliandam beneuolentiam hæc adiuuant in Oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas.* Vbi non modò vt videtis gratiam Vultus illam ponit, & ſpecioſiſſimam dignitatem, conciliatriculam animorum, verũ etiam eius duas quaſi comites atque adminiſtras, ad præſtantem modeſtiæ formam effingendã. Sed hęc quidẽ à me dicuntur verboſiùs, quã cogitata ratio poſtularet, & vos ipſi, quod ſentio, tacitè me reprehenditis, & quærere velle videmini, in quo præſertim hunc laudatum oratoris pudorem collocatum putem. Fateor quid non ſit, quàm quid ſit, dixero facilius. Cogitate mihi mentibus veſtris hominẽ, ſummo præditum ingenio, iis naturæ muneribus ornatum, quæ non mediocrem animi excellentiam polliceantur: Hic in ſuggeſtum oraturus aſcendat, non glorioſus nec arrogans, non turbido aut alio grauiore motu elatus, qui ſummam in motu & geſtu dignitatem retineat, neminem deſpiciat, ore, oculis, & externo cultu ſpiret humanitatem, vitia denique omnia, de quibus ſupra eſt à nobis copioſiùs explicatum, fugiat: in hoc dico pudoris illud decus exiſtere quod quærimus, & eum frontis totiúſque vultus

Sueton. in Domit. c. 8.

Quint. l. 11. c. 3.

Cic. l. 2. de orat.

Digitized by Google

Laert.l.9. characterem, quem ego verius, quàm Leonis pellem Diogenes, τὸ τῆς ἀρετῆς χρῶμα dicerem.

SECT. III

Ad omnem affectus varietatem accommodandus vultus. Lætitiæ prudens & moderata ſignificatio vultus. Tenedij Patroni & σκυθρωποὶ reprehenſi.

Variandus aliquando vultus in eadem parte orationis.

IAM verò pro rerum quæ explicantur varietate, eſt quoque varia adhibenda vultus commutatio, idque nonnunquam in vna eadémque oratione, quæ ſit multiplici affectu animorum diſcriminata. Nã ſolers, & acutus, & ingenioſus orator, ex animi ſui arbitrio, prout cauſa poſtulare videbitur, vel riſu triſtitiam mitigat & relaxat, vel expreſſa vultus ſeueritudine, ad iracundiam, vel triſtitiâ, ad ægritudinem, luctum, & mœrorem impellit, alias denique ingenerat affectiones, quas ante ſibi in vultu artificioſè inuſſerit. In quo mihi fuiſſe videtur mirabilis artifex M. Tullius, quem video auditorem nonnunquam ſuum à ſæuitia odióque ignito, ad hilaritatem remiſſionémque traducere. Et vt diuerſa fuit eius dictio, & totius orationis impetus atque via, cùm iudicem omni amplificationis genere inflammat, aut lætificat remiſſione dicendi, ita par eſt credére, ſumma induſtria vultum ab eo fuiſſe commutatum, vt modò hilarem atque lætum, modò obſcurum & iracundiæ plenum ſeuerúmque præferret. Quid enim? an eximium & perfectum Oratorem eodem illa vultu pronunciaſſe

Cicero l.4. in Ver. putem in Verrem, *Quid hoc eſt? quod hoc monſtrum, quod prodigium in prouinciam miſimus? nonne vobis id egiſſe videtur, vt non vnius libidinem, non ſuos oculos, ſed omnium cupidiſſimorum inſanias, cùm Romam reuertiſſet expleret?* & quod proximè deinde conſequitur, *qui ſimul atque in oppidum quodpiam venerat, immittebantur illi continuo Cybiratici canes, qui inueſtigabant & perſcrutabantur omnia. Si quod erat grande vas & maius opus inuentum, læti auferebant. Si minus eiuſmodi quippiam venari potuerant, illa quidem certè pro lepuſculis capiebantur, patellæ, pateræ, turibula.* Nam Philoſophum quidem in vmbracu-

lis otioſè diſputantem, nihil forte neceſſe fuerit diuerſos induere vultus & commutationes. *Iure,* inquit Tullius, *erat in Socrate ſemper idem vultus, cùm mentis à qua is fingitur, nulla fieret mutatio.* At in oratore, in tanta rerum cauſarúmque diſſimilitudine, eſſet profectò vitioſum. Sunt tamen dictionum genera quædam, in quibus par prope ſimiliſque habitus eſt in ore atque vultu, vt Panegyricæ orationes, laudationes, gratulationes, quæ continentem prope alacritatem, & ſoluti animi lætitiam poſtulant: aliæ cauſæ totæ acerbæ ſunt atque triſtes, vt in luctu & clade aliqua importuna tum publica tum priuata, vt in ſcelere, & immanitate perditorum hominum inſequenda. Mixtæ plurimæ ſunt atque in magna varietate poſitæ, de quibus hoc vniuerſim præcipiendum eſſe puto. Videndum eſſe Oratori, vt præſertim in dicendi exordio, cùm parandus audientium animus eſt, & ad beneuolentiam adiungendus, cómem potiùs, & hilaritate quadam vel humanitate perfuſum, quàm moroſum triſtem & conturbatum, vel atrocem vultum exhibeat. Sapienter meo iudicio bonus olim callidúſque in dicendo Scopelianus orator, *in populi concionem ita ſoluta facie hilarique prodibat, vt audientes vultus remiſſione & tranquillitate mitigaret, præſertim cùm dicturus quidpiam eſſet ardentius, & iracunde in vitium inuecturus.* Verba ſunt Philoſtrati, quem licet mecum audiatis, ἀνειμένῳ τῷ προσώπῳ, ὃ πολλῷ πλέιον ὅτε ξὺν ὀργῇ ἐκκλησιάζοιεν, ἀνεὶς αὐτοὺς ὃ διεπραΰνεν τῇ τοῦ εἴδους εὐθυμίᾳ. Neſtor etiam mellea quondam in dicendo ſuauitudine, vt proditum in Heroicis memini, agebat ξὺν ὥρᾳ τε καὶ ἡδονῇ τῶν λόγων, *ſumma gratia & pulchritudine & dulci quadam dictionis hilaritate*, vnde fiebat vt acres & acerbæ illius reprehenſiones neminem offenderent. Itaque Ioan. Chryſoſtomus quo nemo inter ſacros oratores fuit elegantior, deſcribens honeſti hominis formam, æquè duo extrema repudiat, & σκυθρωπὸν & διακεχυμένον, *frontem caperatam atque triſtem, aut contra nimium diſſolutã & diffusã*: & prius illud meritò vocat ἀηδὲς, *iis qui adſunt iniucundum.* Et ſanè cùm ea pars oratoris ſit maximè in conſpectu, in quam omnes aciem oculorũ intendunt, ſi vt cœlum minax nubibus atque horridum, ſic oris inamœna ſeueritas mœſtitiæ colore inobſcuretur, iam inde ab initio Auditores fœdam aliquam tempeſtatem reformi-

Margin notes: 3 Tuſcul. — l. 1. de vit. Sophiſt. — Philoſtr. in Heroic. — Chryſ. ho. 11. in c. 4. ep. ad Coloſſ.

dabunt. Itaque non dubitem illi horrido oratori inclamare
Horat. l. 1. ep. 18. cum Horatio, *Deme ſupercilio nubem* (ſic eleganter Græci νέφος & νεφέλω ὀφρύων de mœſto vultu & ad ſeueritatem efficto pro-
Tertul. l. de Pall. nunciant) vel cum Tertulliano grauiſſimè, *Cenſoriæ intentionis epiſcynium diſperge.*

Neque verò ſi illa vultus atque oris conformatio in Iudice aliquando laudatur, id æquè Oratorem decere exiſtimemus:
Quæ triſtitia laudata in Iudice. nam Cicero quidem P. Sulpitium laudans appellat *Iudicem triſtem* & integrum, ſed ea probatur ibi triſtitia, quæ ſit index ſeueritatis, quæ ſcelus & hominum audacium importunitatem coërceat, nihilque det gratiæ aut largitioni. Quemadmodum
Greg. Nyſ. or. 2. de beat. Nyſſæ Antiſtes Gregorius magiſtratum ait εἰς τὸ ἀμειδὲς vultum immutare. Et mea quidem opinione nihil aliud, quàm animi grauitatem conſtantiámque ſignificat, quæ in ore ipſo quaſi emineat, vt homines ſceleribus cooperti, ad eos reorum ſcopulos timeant appellere. Vnde fit vt in Iudice triſtitia vultus commendetur, in oratore autem, vniuerſim loquendo, nõ item, qui ſi me audiet, σκυθρωπότητα illam moleſtam & odioſam, acerbitatémque omnem repudiabit. Triſtis olim appellatio contumeliæ cauſa obiiciebatur, D. Hieron. ad Marcellã,
S. Hieron. ep. ad Mar. *Quia*, inquit, *ebrij non ſumus, nec cachinnis ora diſſoluimus, continentes vocamur & triſtes.* Quare ſummo iudicio Capitolinus M. Antonium Philoſophum deſcribens hominem perfectum,
Iul. Capitolin. & ſuis numeris abſolutum, *Erat*, inquit, *ſine triſtitia grauis.* Ne igitur tam tetricus ſit orator, tam auſterus, tam vultuoſus, vt Tenedius patronus quidam eſſe videatur. Et omnino perficiẽdum eſt, ne cùm quis rogauerit, qualem fuiſſe Oratorem in di-
in Aſinar. cendo ferant, id è Plauto reſpondeatur,

Truculentis oculis, commoda ſtatura, triſti fronte.

Atque hanc etiam triſtitiam πεισχάσεις quædam augere maximè ſolent, vt ſi incomptus neglectúſque capillus, ſi prauitas oris, ſi pædor aut ſquallor infuſcet. Acutè planè & eleganter
Cic. in Agr. M. Tullius P. Rullum tribunum irridet, quod in concionẽ venerit *obſoletiore veſtitu, corpore inculto & horrido, capillatior quàm antea barbáque maiore, vt oculis & aſpectu denuntiare omnibus vim*
in Protep. ep. ad Paul. *tribunitiam & minitari reip. videretur.* Similis fere ille Auſon.

——*triſtis ſenio nec voce ſerenus.*

Aut villicus apud eundem Philo,

Digitized by Google

--- comoſus, hiſpidus, trux, attubus ep ad Paul.
Terentianus Phormio,
Horrens capillis vt marinus aſperis
Echinus.

Ammianus Marcellinus de Palladio quem coagulum omnium ærumnarum indigitat, & nequitiæ architectum, *Incedebat*, inquit, *paſſim elatè os circunferens vultuoſum, omnibus formidatus.* Scio nonnunquam ex agreſti natura ſolere accidere, vt in vultu notæ quædam feritatis & inhumanitatis appareant, & incultæ mentis ſeueræque indicia. Sed homines quoque ingenui reperiuntur, ſeceſſu quodam atque inſtitutione ab hominum frequentia abſtracti, aut qui multùm volutantur in libris, abditíſque in ſtudiis conſeneſcunt, qui denique multùm ocij atque temporis vehementiſſimæ rerum meditationi tribuunt, rerúmque cœleſtium cognitionem magna contentione aſſequi ſtudent; ij ſi quando in publicum prodeunt, ſunt vulgò horridiores, & coactam veluti omnem humanitatem, atque ab externa ſpecie reuocatam intus in animo claudunt. Hinc rugæ in fronte, atque triſtitia quædam in omni vultu, quæ niſi inuſitatæ cuiuſdam ſapientiæ, aut ſanctitatis opinione ſubleuetur, minùs accommodata videretur ad auditores ſpecie ipſa tenendos & conciliandos. Sic vir magnus Euſebius apud Theodoretum, qui à ſolis deſertíſque locis, vbi diutiſſimè vitam egerat, ad regendam τῶν ἀσκητῶν magnam familiam euocatus fuerat, ſemper habuiſſe dicitur *grauem vultum, & qui poterat timorem adferre ſpectantibus*, cùm videlicet purus animus à corporis contagione ſecretus, ſubduceret veluti ſe, liberiúſque in altum volitaret. Quanquam in eo hominum genere, abundantis gratiæ ſplendor, qui intus in animo deliteſcit, prodit foras, & ſæpè vultum longè auguſtiorem efficit, qualis ille ſanctiſſimus & innocentiſſimus Vincentius, de quo Poëta nobilis Chriſtianus,

Ammian. l. 29.

Religioſi nonnunquã vultu ſeueriores.

in hiſtor. θεοφιλ.

Omni vacantem nubilo
Frontem ſerenam illuminat.

Prudent.

Sed vndecunque tandem illa duritas & ſeueritas, & quaſi mœſtitia vultus oriatur, ſiue ex ſtudiis & diuturna lucubratione, ſiue ex perfunctione laborum difficilium & moleſtiarum concurſu, certe moderanda eſt Oratori, cui accommo-

Dialog. de Orat.

Dialog. de Orat.) dem lubens id Quintiliani veluti Oraculum, *nec perferat in iudiciis triſtem & impexam antiquitatem.* Neque valdè illum ab officio aberraturum exiſtimo, ſi honeſtiſſimo in conceſſu eam præferat in ore modeſtiam, quam in ſe pingit D. Paulinus,

--- Ipſo te lædere vultu
Semper, & incauta timui violare figura.
Quùmque tua acceſſi venerans, mea cautius ora
Compoſui, & læto formaui lumine frontem.
Ne qua vel è tacito contractam pectore nubem
Duceret in ſanctum ſuſpicio falſa parentem.

SECTIO IV.

Et deiici & ſtupere vultus aliquando poteſt. mollienda nimia oris aſperitas. Terribile vultus pondus ad perterrefaciendum.

NEQVE verò triſtitiam omnem eiectam volo, ſed tum vultui obtendenda ea nubes eſt, cùm cauſa ratióque poſtulat, hoc eſt, cùm in rebus flebilibus explicandis, & deploranda miſerorum fortuna verſatur. Tum æquum eſt vt vox, vultus, atque omnis actio hærens & ſuſpenſa feratur ad miſericordiam ingenerandam, aut efficiendum mœrorem. Quo tempore deiectio quædam animi, vultúſque ſtupens valent plurimùm. Solent enim in magna rei calamitate ſtupere oculi atque vultus hominis, & quidam rigor in timidis corporibus exiſtere, ſic vt ſaxei homines videantur. Quam rem quis elegantiùs illuſtrare, quàm Philo poſſit Iudæorum ſui temporis eloquentiſſimus, iam quidem ſcio neminem. Is in libro de legatione ad Caium, cùm de ipſius Imperatoris Coloſſo memorat, quem in auguſtiſſimo templo Iudæorum Petronius collocare moliebatur, ita populi Iudaici principes loquentes inducit. Philo Iud. Audiuimus priſcam fabulam è Græca literatura profectam, tantam vim fuiſſe Gorgonei capitis, vt hac viſa homines confeſtim verterentur in ſaxeos. Id quanquam fabuloſum videatur, negari tamen non poteſt, ſimile quiddam magnos, necopinatos caſus efficere. Putas Petroni ſi noſtrates viderent in templum deduci ſtatuam, non in ſaxa mutatum iri

παγέντων μὲν ὀφθαλμῶν ὡς μηδεὶ κινηθῆναι δύνασθαι, ὅλου δὲ τοῦ σώματος τὰς φυσικὰς κινήσεις μεταβαλόντος, &c. *oculis ſtupentibus, & per ſingula membra ſopito naturali motu corporis*, &c. In hac docti hominis oratione quandam video naturæ imaginem, in qua imitanda, atque effingenda in ſeſe, Actor veritatis, hiſtrióque elaborant, hic quidem paulò liberiùs, ille verò decori habet rationem, & illud boni Poëtæ audit, *Eſt quodam prodire tenus.*

Præterea hoc etiam animaduerti cupio, grauem illam oris ſeueritatem, & triſtia lineamenta decere quoſdam poſſe, quæ in aliis offenderent. Nam ſi è clauſtris religioſis, & acerbæ diſciplinæ cuſtodia continentiæ magiſtra & grauitatis, prodeat aliquis ad dicendum, ab omni blandimento voluptatis, deliciíſque alienus, eminens effigies virtutis moriſque antiqui, ſi iam ætate prouectior, cuius nota fuiſſet in omni vita conſtantia: Si Cato quiſpiam, Phocion, aut Xenocrates & huiuſmodi ἀγέλαστοι, quos natura, mentiſque inductio graues effecerat, & in omni fortuna ſeueriores, quin ſemper ſui ſimiles ſint, nihil opinor impediat aut repugnet. Quanquam audio Xenocratem illum ipſum moneri identidem à Platone conſueuiſſe, θύειν ταῖς χάρισι, *vt Gratiis tandem aliquando litaret*. Sic optandum meo iudicio foret, vt omnes illi, vel naturæ vel ſtudiorum conditione duriores, auſterioréſque aſpectu, in Gratiam aliquam inciderent, quæ, vt cum Poëta loquar, lætos oculis afflaret honores, aut mirabilem Lacedæmonij Clearchi prudentiam imitarentur, qui cùm eſſet vi naturæ atque inſtitutione ferox & acerbus, & vt verbis Xenophontis vtar, ὁρᾶν στυγνός, *qui haberet triſtem quandam in vultu ſeueritatem*, eum tamen fortiſſimæ legiones, quæ eius ductu atque auſpiciis Cyrum bellantem in Aſia comitabantur, pro concione verba facientem magno ſtudio & incredibili voluptate audiebant, quod pro illa triſti horridáque oris inhumanitate, τότε φαιδρὸν αὐτοῦ, ἐν τοῖς προσώποις ἔφασαν φαίνεσθαι, *tum dulcem quandam hilaritatem adlucere in eius vultu dicerent.*

In quibus toleretur vultus ſeueritas.

Litandum Gratiis.

l. 2. Exped. Cyr.

His connexum aliud eſt admonitum quod ſubiicio, eſſe nimirum in prudentia Oratoris poſitum, certis in rebus atque temporibus, iracundiam in vultu terroremq; exprimere. Sunt

Terror in vultu quando exprimendus.

Digitized by Google

enim nonnunquam dicendo perterrefaciendi improbi, inuehendum in ſcelus, caſtiganda impunita licentia improborum, comprimendi audacium ſpiritus atque inſolentia, terror legum tum diuinarum, tum humanarum aliquando iniiciendus. Qua in re, quantùm atrox illa vultus conformatio, ignitúſque ardor valeat, ſi quem non docuit vſus & experientia, vel ex ipſis annalium monumentis, & nationum hiſtoria potuit cognoſcere. Scimus egregios bellatores, in acie & caſtris, & omnium rerum diſcrimine, non plus armis & ſplendore gladiorum, quàm horrore vultuum, & iracundia illa ſpirante valuiſſe, ad fugandos hoſtes penitúſque delendos. Tales

Florus in hiſt.

fuiſſe Numantinos, L. Florus aſſeruit. *Mancinum*, inquit, *aſſiduis cædibus ita ſubegerunt, vt ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam ſuſtineret.* Marius fuga digrediens ab Italia, ſeruum publicum, qui ad eum conficiendum irruerat, ita vultu perterrefecit, vt arma fluerent è manibus, & victa omni animi immanitate, infecta re diſcederet. At ſeruus ille fuit, & vt abiectæ conditionis, ita fortè meticuloſus. Sed Agrippa neque ſeruus, neque ignaui animi vir fuit, ſed Rex pollens & beatus, & gratioſus apud Caium Imperatorem, cuius tamen irati vultum ita non ſuſtinuit, vt ſtratus & abiectus humi ad multas horas ſemianimis iacuerit. Magna certè fuit iſtius Imperatoris picta in vultu & eminens crudelitas, quem non tantùm igne & eculeo, verùm etiam *vultu ſuo torſiſſe homines*, Seneca bonus auctor memorauit. Quid Oratores? parúmne olim hac non dicam naturæ acerbitate atque ſæuitia, ſed conſilio artificióque valuerunt? De ſe M. Tullius, *Magno*, inquit, *ſemper vſi impetu, ſæpè aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo ſummus Orator non reſpondit Hortenſius. A nobis homo audaciſſimus Catilina in Senatu accuſatus obmutuit.* Verè quidem ille. Neque enim quiſquam attentiùs primam eius in Catilinam orationem poteſt legere, quin acrem & agentem vultum ſibi ante oculos obiiciat, quo tum patriæ ociique inimicum, ſcelus anhelantem afflixit. Hortenſius dulcis potiùs quàm incenſus atque pugnax fuit Orator, tamen eundem plurimùm etiam vultu potuiſſe, ex Ciceronis Diuinatione in Cæcilium haud obſcurè colligimus. *Vide*, inquit, *modo Cæcili, etiam atque etiam conſidera: mihi*

l. 3. de ira. c. 19.

in Orat.

mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, ſed geſtu ipſo ac motu corporis præſtinguat aciem ingenij tui, téque ab inſtitutis tuis cogitationibúſque abducat. Sed in eo genere dominatus, eſt amplus, acer & ornatus, ad permouendos animos extructus paratúſque Demoſthenes, cui merito ſuo tribuit Valerius Maximus, *terribile vultus pondus*, quod cùm abfuerit ab oratione, quam Rhodij incredibili ſtudio, propter artem & dictionis ornamenta celebrabant, non eſt mirum ſi Æſchines plurimùm illi defuiſſe ſignificarit. Et profectò ſimilem in agendo heroem Cornificius animo intuebatur, cùm illa pro exemplo poneret, *Acrimonia voce, vultu aduerſarios perterruiſti*, quæ in quarto illius libro eſſe meminiſtis. l. 8 c. 10.

Horum igitur Oratorum imitatione, ne in hac ſim monitione longior, dabit operam, qui præſtare dicendo voluerit, vt ad grauiores affectus, iracundiámque iuſtam, & vim animi tam multa conficientem, ſuum vultum accommodet. *Conuenit in vultu acrimoniam ineſſe*, ait Auctor ad Herennium: opinor de contentionibus maximè intelligit: nam aliquantò pòſt ſubdit. *Si contendemus per continuationem, acri aſpectu vtemur.* Addit denique quod maximè in hanc partem conuenit, pronunciationem bonam id efficere, vt res ex animo agi videatur. Neque verò difficile Oratori arduúmque fuerit, hoc tantùm perſuaſionis adiumentum conſequi, homini, inquam, perito & exercitato, quique varios in ore habitus pro rerum varietate ſoleat exprimere, præſertim cùm ingenium acuerit prudentia, & diuturna decori obſeruatio, totiúſque artificij, quod præſtantes iudicio viri ſequi ſolent, cùm vſus facultatem quandam attulerit auditorem pro arbitrio traducendi, aut à remiſſione animi ad triſtitiam, aut à ſæuitia ad manſuetudinem & placabilitatem. Ita Socrates, qui iocando Philoſophiam ferè omnem explicabat ſuam, tamen ſi quando ſeria quædam vellet expromere, & ſuorum auditorum vim & ſtudium incendere ad ea capienda, μάλα σεμνῶς αἰχασάσας τὸ πρόσωπον, *vultu maximam ad grauitatem compoſito loquebatur*, quod qui eum admirabiliter ſuſpiciebat prodit Xenophon. Xenoph. in Conui.

Sectio V. *Facie deformis ne agat, aut naturæ vitioſitatem corrigat ſi poteſt, aut ſubleuet animi ornamentis.*

IN vultu etiam Oratoris pulchritudo aut deformitas conſiderari poſſunt, de quibus quid ſentiam eodem orationis curſu exponam. Sentio multos reperiri, qui omnem corporis venuſtatem pro nihilo pendendam exiſtiment, quod vituperatam illam videant plurium ſapientum effatis, & cum animi effœminatione coniunctam, neque verentur contumeliæ loco eandem ponere, vt quæ nullum habeat cum virtute commercium. Sed illi quidem minus mihi videntur animo & cognitione complexi grauiſſimorum hominum ſententias, qui non negant eximiam formæ dignitatem bonum eſſe, ſed illud perpetuũ ac perenne, conſtánſque bonum eſſe negant. Socrates formam indigitabat ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα, *exigui temporis tyrannidem*, quod eius gratia mox deſloreſceret. Diuus Gregorius Nazianzenus βαιὴν χάριν, *breuem gratiam*. Nam ſi corporis pulchritudinem ſpectes, ait Iſidorus Peluſiota, illud cogita, ὅτι τὸ ἄνθος τοῦτο τὸ λαμπρὸν, αὔριον χόνις γίνεται, *quod lectiſſimus ille floſculus & delibatus, in puluerem cras vertetur.* Scio iſta atque ſimilia intelligentium hominum oracula eſſe veriſſima; nec me fugit Euripidem ἀγάλματα ἀγορᾶς nominauiſſe illos, qui formoſi corpore cùm ſint, propter inopiam conſilij atque rationis, ea gratia facti à natura videantur, vt tanquam ſtatuæ elegantes, ſed mutuæ forum exornent. Sed ego idem aio, pulchritudinem donum eſſe creantis omnia Dei, in humanis longè maximum. Audio lubens id canentem bonum Poëtam de Bellerophonte,

Laert. in Ariſtot.

Nazianz. in eleg.

l. 3. ep. 143.

in Elect.

Il. 6. Τῷ δὲ θεοὶ κάλλος τε, ἠνορέην ἐρατεινὴν
Ὤπασαν. id eſt,

Huic Dij pulchritudinem & amabilem ſtrenuitatem dederunt. Elegãter de Theodoſio Latinus Pacatus, *Auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cœlo, ſiue enim animus ille diuinus venturus in corpus dignum prius metatur hoſpitiũ, ſiue cùm venerit fingit habitaculũ pro habitu ſuo*, &c. Hinc factum, vt in clariſſimorum hominum laude id maximè prædicaretur. Xenophon

Latin. Pac. in Paneg.

cùm in Cyro præſtantiſſimi Ducis imaginem pingeret, illum ait, εἶδος μὲν κάλλιστον, *eximia quadam forma dignitate fuiſſe.* Plinius iunior de Aciliano: *Eſt illi*, inquit, *ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam ſenatorius decor.* Papinianum cùm laudaret Imperator Iuſtinianus ſummo ingenio virum & elegantia, prætermiſſis elogiis omnibus, hoc vno contentus fuit, vt nominaret *pulcherrimum*. Sic igitur exiſtimo Oratorem magno & laudabili bono ſpoliatum, qui ita ſubornatus in vitam venit, vt ſit eminens oris & vultus in eo deformitas. Aditum certè penè omnem illi clauſum video ad hominum famam & commendationem, & dicendi gloriam, à quo cœtus vniuerſus, cùm ſe ad agendum erexerit, tanquam à fœdo & turpi auſpicio refugiat. Quis verò neſcit, quin vt fœdus & deformis aſpectus auertit oculos, ſic formoſitas ſit eiuſmodi, vt mirabiliter animos intuentium conciliet? *Formoſa ſpecies muta commendatio*, vt ſcitè aiebat, & venuſtè Publius Syrus. Dion Chryſoſtomus iure ſuo κάλλος aſſeruit ἥδιστον μὲν θεοῖς, ἥδιστον δὲ ἀνθρώποις, *bonum eſſe quiddam Diuis æquè hominibúſque iucundum.* Veriſſimè & Heliodorus in Æthiopica hiſtoria ἐπακτικόν τι καὶ πρὸς τῶν ὁρώντων εἰς εὔνοιαν τὸ κάλλος, *magnam vim habet etiam ad conciliãdam beneuolentiam formæ venuſtas.* Neque mihi ſine cauſa magnæ vir mentis & intelligentiæ Proclus miratus videtur Iſidori hominis docti elegantiam & venuſtatem, vt diuinam & intrinſecùs philoſophicæ vitæ plenam. Quin & Rex pius diuinorum myſteriorum interpres, cùm Meſſiæ dotes animi, corporíſque prædiceret, duo imprimis ornamenta memorauit clariſſima, & ad hominum commendationem idonea, *pulchritudinem & eloquentiam*, vt tanto ante vir diuinus monuiſſe videatur, tum perfectam ſuíſque numeris abſolutam futuram eloquentiam, cùm eximia corporis ſpecies & decor acceſſerit.

Xenophon Cyrop. l. 1.

Prœm. D.

Dion. Chryſoſt. or. 29.

Heliodor. l. 4.

Suid. p. 363. in Ἰσιδώρ.

Dauid. Pſ. 44.

Quare ſæpe euenit vt ingenio freti & magnarum artium cognitione, tamen à foro & concionibus excluderentur, quod eos propter oris prauitatem & turpitudinẽ, nullus animo æquo videret. Eâ cauſâ M. Tullius vultum nonnũquàm *euertere omnem ingenij commendationem*, ait in Bruto, vbi de C. Macro: *Huius ſi vita, ſi mores, ſi vultus denique, non omnem commendationem ingenij euerteret, maius nomen in patronis fuiſſet.* Cra-

tes Philoſophus erat τὴν ὄψιν αἰσχρὸς, quare, vt docti viri mo-
Laert. l. 6. nuerunt, cùm in hominum cœtum prodiret, ἐγελᾶτο, *pro-
pter vultus minimè liberalem honeſtámque ſpeciem illudebatur.*
L. Craſſus, homo omnium ſapientiſſimus, qui olim in eo do-
micilio imperij & gloriæ conſilio fuit linguáque princeps, qui
huiuſmodi eſſent, non dubitauit ab elegantium choro & di-
centium eximere. *Sunt quidam*, inquit, *ita vultu, motúque*
Cicer. de Orat. l. 1. *corporis vaſti & agreſtes, vt etiam ſi ingeniis & arte valeant,
tamen in Oratorum numerum venire non poſſint.* Hinc feſtiua
hominum vrbanitas illudentium Oratores, ſi qui fortè oris vi-
tium deformitatémque oſtenderent. Hinc bella dicta ſæpe
coniecta in naſi, *ſeu curuam erectionem, ſeu Socraticam de-*
Macrob. l. 7. c. 3 Sat. *preſſionem*, vt à Macrobio hoc mutuer. Apuleius apol. 1.
*Vnde tibi potius, quàm ob iſtam teterrimam faciem, Charon nomen
eſt*, alloquitur Æmilianum accuſatorem ſuum.

Et ſanè qui tam eſſet ad deformitatem à natura compo-
ſitus, vt videri ſine riſu vix poſſet, aut ne vix quidem in me-
dium procedere, ſine aliqua offenſione animorum, ſuis fortè
rebus atque exiſtimationi opinor conſuleret, ſibi ſi caueret
ſuíſque muſis, & hominum lucem tacendo potiùs, quàm di-
cendo vitaret. Hoc conſilium olim Bonaſo dedit homini fœ-
do & loquaci ſanctiſſimus Hieronymus, idémque elegan-
tiſſimus in ſcribendo. *Naſus*, inquit, *non videatur in facie;
ſermo non ſonet ad loquendum, atque ita & formoſus & diſertus*
ep. 100. *videri poteris.* Eſt enim illa communis vulgi opinio, eam oris
vultúſque prauitatem, mentis & animi turpitudinem ſignifi-
care; quæ res mirificè animos auditorum à dicente auertit, &
beneuolentiam imminuit. Leo magnus Imperator, nepotem
Leonem potiùs, quàm Zenonem eius parentem, ad Imperij
dignitatem adlegit & coronauit, quod Zenonem nequaquam
idoneum regno iudicaret, ob animum minimè regium, &
formam imperio indignam, ἀλλὰ καὶ τὴν ὄψιν τῶν εἰδεχθέστατος,
tom. 3. in Leone. καὶ τὴν ψυχὴν εἶχε τῆς ὄψεως χείρονα, *nam & facie erat odioſiſ-
ſima, & animo longè deteriore*, vt Zonaras hiſtoriæ ſuæ filo in-
texuit. Memini Ptolemæi Ægyptiorum Regis, quem Iuſti-
nus ait Legatis Romanorum viris ampliſſimis ridiculum
Iuſtinus lib. 38. fuiſſe viſum & contemnendum; meritò id quidem, *Erat
enim*, inquit, *& vultu deformis, & ſtatura breuis, & ſa-*

gina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis. Quin & eos ab honoratis ſubſelliis prope audeã foróque ſecludere, qui frequẽti vini conſuetudine igneum vultum habent, ita pyropis gemmiſque diſtinctum, vt vibranti quadam luce hominum oculos percutiant. Qualis opinor Verus fuit Imperator, quem Iulius Capitolinus *vultu gemmatum* fuiſſe dicit: qualis Tiberius ioco Iul.Capit. nominatus *Biberius*, cuius *vlceroſam faciem* pingit Tacitus: qua- Tacitus l 4 lis denique L. Sylla, quem illuſum ab Athenienſibus memo- Plutarch. in vit. rant, cùm eius vultum dicerent eſſe *morum farina conſperſum.* Si enim huiuſmodi homines facie picturati, & dulcium Nympharum hoſtes linguæ tantum volubilitatem adferant, & in agendo contentionem, vereor ne Sileni potiùs, & Dionyſij πιχνῖται, quàm modeſti ſobriique Oratores putentur.

Fieri tamen aliquando poteſt, vt aliis rebus & adiumentis clara & inſignis eloquentia placere queat, & vultus horridiorem illam figuram obnubere. Placet mihi Poëta princeps qui aureis ſuis verbis coronat eos, qui facie minus decori, ſplendorem habent pulchritudinémque virtutis & ſapientiæ. Odyſſ 8. verſ. 170.

-- εἶδος τις ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ,
Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι ςέφει, οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
Τερπόμενοι λεύσσουσι.

----alius pulchro minùs enitet ore.
At formam Deus omnipotens ſermone coronat
Quique vident illum verbis mulcentur.

Quæ Lucianus, ni memoria me fugit, attulit vt oſtenderet, οὐ in Amorib. πᾶσαν ἀμορφίαν τῆς πονηρίας εἶναι κατάκριτον, *non omnem deformitatem eſſe malitiæ damnatam.* Athenæus autem quid ſit ςέφειν ἔ- Athenæus l 15. πεσι μορφὴν, ita interpretatur, τοῖς γὰρ αὖ τὴν ὄψιν ἀμόρφοις φύσιν ἀναπληροῖ ἡ τοῦ λέγειν πιθανότης. *Aſpectu deformes explet veluti, & compenſat oratio diſerta, & ad perſuadendum accommodata facundia.* Ariſtides autem eximius ille orator ſic eleganter, *Non fruſtra dixit* ςέφει *coronat,* ἀλλ' ἐνδεικνύμενος ὅτι οὐ μόνον τὰ Ariſtides Platon. 2. ἐλαττώματα ἀναπληροῖ, ἀλλὰ προσέτι νικᾶν ποιεῖ, ἐπειδή γε καὶ ὁ ςέφανος νίκης ἐςὶ σύμβολον, *verùm indicans eam non defectus modo ſupplere, ſed inſuper victoriam parere, quãdoquidem huius eſt ſignum corona.* Ita ſi quis eſſet corpore alioqui fœdo atque vaſto, ſed qui fortia tamen facta conſciuiſſet, qui præſtantis prudentiæ opinione ſibi iam animos conciliauiſſet, cuius doctrina at-

Digitized by Google

que ingenium plenum dignitatis admirationiſque foret, qui generis & familiæ nobilitate, ad gratiam & hominum beneuolentiam emerſiſſet, huic ego puto locum in dicendo aliquē, & haud ingratam audientiam futuram. Socratem magnum virum atque ſapientem Silenis ſatyricis oppidò inuenuſtis atque

Xenophon in Sympoſ. deformibus ſimillimum fuiſſe, notat Xenophon in Conuiuio, quod de ſe ipſe ingenuè confitebatur: ab eo tamen differente Phædrus, Plato, venuſtiſſimus omnium Alcibiades, alij multi & magni viri minimè abhorrebant; quippe tenebant eos multa, vt argutiæ tinctæ eruditione, in iocando lepos, & ſuauitudo quædam humanitatis, opinio denique ſapiētiæ fictis Apol-

Æmil. in vita. linis oraculis, Genij cuiuſdam magni & diuini ſocietate, callido artificio conſtituta. De Ageſilao Æmilius Probus ita memorat, *Atque ignoti, faciem eius cùm intuerentur, contemnebant, qui autem virtutem nouerant, non poterant admirari ſatis.* Pericles

Plutarch. caput oblongum habuit, & vt hiſtoriæ produnt ἀσύμμετρον, quem illudentes carminibus ſuis Poetæ κεφαληγερέται nominauerunt. Teleclides auſus etiam eſt illi tribuere κεφαλὴν ἑνδεκάκλινον, *extructam in ſuggeſtum, veluti ſeſquipedalem & decumanam ceruicem.* Et tamen eximia rerum cognitio, & exquiſitum genus orationis ſic in eo florebat, vt naturæ vitia animi ornamento veſtiret, & in orando Deus, ſiue Olympius diceretur. Hunc igitur imitentur, quibus conformatio quædam & figura eſt totius oris & corporis ad deformitatem inſignis: primum in iis limandis poliendiſque elaborent, quæ meliora fieri poſſunt doctrina, tum mentem exaturent varia & multiplici eruditione, ſic fiet, vt labes corporis atque næuos omnes obruant ſingularibus ingenij ornamentis, & non tam faſtidio quàm omnium approbatione & voluptate audiantur. Philoſophis metuenda minùs foret ea deformitas: in iis enim præcipuè vir-

Seneca ep. 66. tus ſpectari ſolet, quæ vt Seneca dixit grauiſſimè *magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat,* qui proinde Claranum hominem fœdum & diſtortum, ſed animo ſapientiáque formoſum

Sidonius l. 8. epiſt. 3. mirificè commendauit. Sic Apollinaris Sidonius Apollonium Tyaneum concretum, hiſpidum, hirſutum, inter Satrapas regum tiaratorum myrrhatos, *venerabili ſqualore pretioſum* extollit.

DE FRONTE.

CAPVT III.

Frons animi ianua: ea nec ferrea nec molliſſima eſſe debet: humanitas & autoritas ſignificanda. SECT. I.

QVÆ de Vultu ſunt poſita generatim, penitus intelligi & teneri ſatis nequeunt, ſine frontis & oculorum conſideratione, qui in eo maximè dominantur. Et frontis quidem habendam eſſe rationem ex eo conſtat, quod in eam prodeat animus, ſeque efferat in conſpectum. Nam in fronte affectiones animi fere omnes conſpiciuntur ὡς ἐν κατόπτρῳ. Scitè Nazarius Panegyriſtes, *In ſpeculo frontium, imago extat animorum.* Hinc à veteribus Genio conſecrata fuit, quod in ea hominum Genius inſideat, ingeniúmque declaret. Hinc etiam ſtudium Metopoſcoporum & inane artificium, qui eâ videnda, ad intimos animi receſſus penetrare ſe poſſe putabant, de quibus Suetonius, Iuuenalis, aliique meminerunt. E quorum opinor diſciplina, non dubitauit pronunciare magnus Ariſtoteles, quibus frons magna ſit, βραδυτέρους, *ſegnes* videri, quibus parua εὐκινήτους, *mobiles*, quibus lata ἐκστατικοὺς, *mente moueri idoneos*, quibus rotunda θυμικοὺς *iracundos*. A quo mutuatus erat Trogus vetus autor apud Plinium, cùm ſic ait, *Frons vbi eſt magna ſegnem animum ſubeſſe ſignificat, quibus parua mobilem, quibus rotunda iracundum, velut hoc veſtigio tumoris apparente.* Sed cùm illa leuiora indicia videantur, & repudientur vulgo à ſapientibus, hoc profectò quod doctiſſimus Plinius animaduertit, non poteſt non videri eſſe veriſſimum, *Frons*, inquit, *aliis quidem animantibus, ſed homini tantùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ & ſeueritatis index.* Atque ea cauſa fuit cur M. Tullius *Ianuam animi* frontem appellarit, alij *ſpeculum*. Eleganter & venuſtè Hilarius Arelatenſis Homilia de ſancto Stephano, cuius vultus in Concilio Iudæorum, tanquã Angeli, ſplendidiſſimus appa-

Suet. in Tit. c. 1. Iuuenal. ſat. 6

Ariſtoteles de hiſt. an. l. 1. c. 8.

Plin. l. 11. c. 37.

de petit. Conſ.

ruit, ait *abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiaſſe, & cùm haberet in ſe Spiritum ſanctum, os præ ſe geſtaſſe Angelicum*. Nec peritè minùs ſophus Madaurenſis veterum teſtimonio ſapientum ait, *hominem liberum & magnificum debere in primori fronte animũ geſtare*. Quoniam igitur frons commoueri facilè poteſt, quid deceat, quid etiam non deceat, accuratè eſt videndum. Atque hoc imprimis elaborandum eſſe video Oratori, vt maximè in primo aditu ad dicendum, in fronte placidus animi ſtatus atque humanitas auctoritáſque eluceat. Talem opinor fuiſſe Trachallum magnum oratorem, cui *frontis autoritatem* attribuit laudans Quintilianus. Itaque in hoc genere audiendum cenſeo bonum Poëtam ſingulari iudicio ita canentem.

Apuleius in Apol.

Fabius l. 12. c. 5.

Nec frons triſte rigens nimiúſque in moribus horror,
Sed ſimplex hilaríſque fides, & mixta pudori
Gratia.

Quos ego verſus haud dubitem accuratæ præceptionis loco ponere, cùm deſcribere hominem videantur compoſita mente ornatum, qui nullis turbidis animi affectionibus ſit elatus, qui *frontem*, vt Tertullianus appellat, *puram* oſtentet, quem ſummus ille vir patientis animi tranquillitati & innocentiæ tribuit. Sanè Orator prouidere omnino debet, ne cuipiam videatur perturbationibus agitatus ad dicendum acceſſiſſe, ſed potius qui perſonam æquitatis ſuſtineat, & mentis moderationem declaret. Et vt agam etiam diſtinctius, duo cumprimis fugienda in fronte moneo, quæ nec decent, nec iuuare cauſam poſſunt: alterum eſt, ne dum gratiam pudorémque frontis retinere cupit Orator, nubes quædam, vt ita dicam, ſubruſtica oboriatur, quæ vultum inumbret & abiiciat. Eam frontem, *mollem* nominat Quintilianus l. 6. *Eſt* inquit *res animi iacentis, & mollis ſupra modum frontis, fallítque plerúmque quæ probitas vocatur, quæ eſt imbecillitas*. Eodem ſenſu alias *imbecillem frontem* dixit. Alterum eſt, ne contrarium habitum, ſpeciménque exhibeat hominis impudentis, audacis, & importuna temeritate inſoleſcentis, qui frontem præ ſe ferat duram, æneam, ferreámque, quámque diuinæ literæ *meretricis frontem* appellant. Sic Ammianus Marcell. eleganter impudentibus Aduocatis *proſtitutas frontes viléſque latratus* attribuit. Perfricuiſſe faciem aut

Tertull. l. de Patient.

Fab. l. 6. c. 5

130.

aut frontem eiuſmodi homines dicuntur, & à Græcis τὸ μέτωπον τρῖψαι, de qua re eruditiſſimus Victorius l.8. D.eti ã Chry- Vict l 8 c.6
ſoſtomus ἀπηρυθριασμένως ἐν γυμνῇ ψεύδεσθαι κεφαλῇ dixit, *nu-* homil.cõt.
da fronte & ſine vllo pudore mentiri. Et S.Gregor. Nazianzenus, Gent. pag. 728.
γυμνῇ τῇ κεφαλῇ κατὰ πάσης χωρῆσαι τῆς θεότητος, *nudo capite*, hoc Naz or.12. p.197 c.
eſt fronte nullo pudoris velamine cooperta. Artemidorus l. 1. Artemidor.
Oneiroc. c.24. χάλκεον ἢ σιδήρεον, ἢ λίθινον μέτωπον vocat, & conuenire ait τοῖς μετ᾽ ἀναιδείας ζῶσι μόνοις. Paria prope monet
S.Damaſcenus epiſt. de Triſag. *Nudo*, inquit, *vt dici ſolet capi-* S. Damaſc.
te, quod quidem impudicarum mulierum impudentiam demonſtrat. Duo hæc genera dicentium intelligentes & maturi auditores aut miſerari atque illudere, aut etiam abominari, & tacitis cogitationibus verberare conſueuerunt.

Frontem caperare an deceat, aut in dicendo manu percutere, quod tribus de cauſis olim factum. SECTIO II.

PERGO iam aliúdque monitum ſubiicio, quod quale ſit vos iudicabitis. Ego ſanè improbari eos homines video, qui vt grauiores opinor eſſe videantur, & vita moribúſque ſeueriores, corrugare frontem ſolent, & quaſi Tenedij quidam patro-
ni in ſubſellia & ſuggeſtum concedere. *Confringere frontem* id l.12.c 3.
Fabius Quintilianus dixit, *Quidam ſubito fronte conficta immiſſáque barba, veluti deſpexiſſent oratoria præcepta, ſederunt in Scholis philoſophorum.* Eunap. cùm Philoſophorũ grauitatẽ deſcribit, τὰ μέτωπα διασυγνάζειν ait: *Conſulcare frontem* dixit Plautus, *aſtringere* Seneca, *contrahere* Cicero, aliíque. Venuſtiſſimus Apuleius *ſtriatam frontem*, Tertullianus *moroſiorem*, Mar-
tialis Cocus *matutinam*, Fabius *improbam* nominat *faciem*. *Vi-* l.11.c 3.
tioſa, inquit, *ſunt illa, perfricare faciem, & quaſi improbam facere.* Seneca *attractiorem*, alij *nubilam*, *adductam*, *caperatam* frontem. Hæc effictio, mentis leuitate aut vitio naturæ aſſumpta, ni grandior ætas autoritáſque excuſet, diſſimulari non poteſt, ſed cùm primum toruus ille orator os ſuum ad elo-
quendum efferet, non nemo apud ſe Plautinum illud admur- in Epidic.

Digitized by Google

murabit, *Quid iſtuc eſt quod illi caperat frons ſeueritudine*? Eâ gratiâ Doctorem quendam reprehendit D. Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Monachum his verbis, *Cùm menſa poſita librorum expoſuiſſet ſtruem, adducto ſupercilio, contractiſque naribus ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos prouocans*. Et eadem mente Seneca, *Hæc diſputamus attractis ſuperciliis, fronte rugoſa*. Amphis Poëta illuſit etiam feſtiuè Platonem, quod *inſtar cochleæ frontem corrugatam haberet*, cuius verſus Laërtius hominum memoriæ tranſmiſit. Et prudenter Panegyricus ad Piſonem,

S. Hieron. ep ad Ruſt.

epiſt. 113.

Laert. lib. 3.

---nec enim facundia ſemper
Adducta cum fronte placet.

cap 1. Tertullian. contr. Valentinianos, *Concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, Altum eſt, aiunt.*

Cur autem aliquando frontis contractio ſine iuſta ſapientum repræhenſione conceſſa videatur, cauſæ vt opinor ſignificantur duæ à ſcriptoribus, cùm nimirum doloris vis animum exſuſcitat, vt Varro de eo qui dolore pedum cruciabatur, *Huiuſce pedes*, inquit, *ſolent in fronte contrahere rugas*: & cùm aliquid auerſamur, hinc illud Venuſini Poëtæ,

lib. 1. de re ruſt. c. 2.

---ne ſordida mappa
Corruget nares.

Addo & tertiam, decere nonnunquam, & ſi fas dicere videri neceſſarium, vt caperet frontem in dicendo Orator, grauioribus nimirum in cauſis, in quibus vis animi quædam ardens & incenſa requiritur. Ad terrendos impios & facinoroſos, ad ſcelus in odium vocandum meritámque hominum offenſionem, ad inflammandas iuſta iracundia mentes, re ante oculos vibranti oratione collocata, mirificè ea frontis obductio iuuat. Nam vt in cœlo priuſquam exiſtant turbines, & latè incendia tonitrúque fundantur, cogi videmus nubes, & cœco agmine denſos vapores exaggerari, quæ nemo eſt qui non exiſtimet, magnam quandam & formidoloſam tempeſtatem denuntiare: ſic iſta nubilæ frontis contractio, iuſtæ indignationis prænuncia, mouet plurimum audientes, cùm præſertim erectis & excitatis ardens Oratoris dictio incubuerit, & veluti ſæua tempeſtas vtili quodam horrore animos compleuerit. Non dubito quin M. Tullius frontem contraxerit, cùm in

Digitized by Google

Catilinam vehementer contentéque diceret, cùm Piſonem omni acerbitate laceraret, cùm vomicas reip. alias viuis aculeis pungeret. Iam in ſacris Concionatoribus quantùm id valeat, experientia & quotidiano pæne vſu notamus, cùm peccatorem ſui oblitum, Dei immemorem, flagitioſè vitam agentem, obduratum, iam Orco & ſempiternis flammis ſua conſcientia deuotum minis & terrore ſollicitant, nil ſentientem lancinant, acri oratione & aculeata inſequuntur. Certè frontem ipſam cum dictione conſentire, & pæne dicam loqui neceſſe eſt, vt animorum illa exiſtat commotio quam videmus.

Sed vnum mihi iam occurrit animo, quod quamuis fuerit adhibitum à Veteribus, an tamen iam commodè fieri queat ab oratore, dubitari poſſe video. Solebant enim Actores cauſarum in dicendo, ad teſtandam animi iracundiam frontem ferire. Quare M. Tullius vt accuſatoris M. Callidij autoritatem euerteret, ex eo probat, fictam eius totam orationem ſimulatámque fuiſſe, non veram, & è iuſto legitimóque dolore natam, quod *neque femur in dicendo, neque frontem percuſſiſſet.* In Græcis æquè Latiniſque fuit vſitatum, & quantum intelligendo conſequi poſſum, tres ob cauſas adhiberi olim conſueuit, ad dolorem, ad admirationem, ad pudorem ſignificandum. Cicero ſcribens ad Atticum, *Puto te ingemuiſſe vt frontem ferias.* Dionyſius Halicarnaſ. l. 10. παίοντες τὰ μέτωπα καὶ κατηφεῖς τὰς ὄψεις ποιήσαντες, *frontem ferientes, & mæſtitudinem præ ſe ferentes.* Liuius *capitis offenſationem* appellat, *Flere,* inquit, *omnes & offenſare capita.* Q. Curtius *os conuerberare,* l. 7. *Is tum flere cœpit, & os ſuum conuerberare, mæſtus non ob ſuam vicem,* &c. Apuleius l. 1. Metamorph. *dextra ſæuiente frontem replaudere.* Græci τύπτειν κεφαλὰς dicunt, & παίειν, κρούειν, ῥαπίζειν, πατάσσειν τὰ μέτωπα, & κόπτειν τὴν κεφαλήν. Heliodorus in Æthiop. hiſt. ῥαπίσας τὸ μέτωπον ὁ πρεσβύτης καὶ ἐπιδακρύσας, *Cùm feriiſſet frontem ſenex & callacrumaſſet.* Libanius in Baſilico de rege Perſarum, κόπτων δὲ πύκνα τὴν κεφαλὴν ὀδύρεται. *Caput identidem percutiens deplorat.* Eum geſtum tribuit admirationi Nonnus poëta magnus, Paraphraſi in D. Ioan. ſacram hiſtoriam, vbi de Nathanaële in doctrina Chriſti ſeruatoris exhorreſcente,

Θαύματι πιςὰ μέτωπα θεουδέϊ χειρὶ πατάξας.

Tres ob cauſas frõtem olim feriebant.

Liuius l. 25.

Q. Curtius.

Apuleius.

Heliod. l. 10.

Libanius.

Nonnus.

Præ admiratione frontem diuina manu feriens.

hom. 21. ad pop. Ant. Ad pudorem ſignificandum D. Chryſoſtomus retulit, qui cùm aliquãdo incredibili vi dicendi memoraret ſuperſtitiones quaſdam impias atque ridiculas, quas è populo quidam obſeruabant, incuſſit pudorem multitudini audienti, cuius pudoris tria ponit argumenta his verbis, ἐγκαλύπτεσθε, καὶ τὸ μέτωπον ἐκρούσατε, καὶ πρὸς τὴν γῆν κατεκύψατε, *Vultum operuiſtis, frontem percuſsiſtis, & ad terrã inclinaſtis.* τύπτειν πρόσωπον dixit aliàs ſerm. 56. de diuerſis, Cùm hæc, inquit, & talia dicerem, πολλοὺς ἐν ὑμῶν εἶδον πρόσωπα τύπτοντας καὶ σήθη, nimirum præ dolore & verecundia.

Quintilianus videtur innuere actionem illam, ſuis quidem temporibus, eorum oratorum fuiſſe propriam, qui turbulenti eſſent in dicendo, & iactatione populari atque aſſenſu caperentur; illius hæc verba ſunt, *Iam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mire ad pullatum circulum faciunt.* Quanquam & ſummi vt dixi viri adhibuerunt, ſed in Epilogis tantùm, & ignita quapiam amplificatione, cùm ad πάθος commouendum tragica illa decora iudicantur. Nunc autem minimè id fit à Patronis & eruditiſſimis hominibus, qui in cœtu atque frequentia dicunt, niſi qui fortè ſint feruidioris naturæ; & ſubito motu bullientis, qui in ſumma aut vehementi iracundia, manu raptim atque celeriter frontem pileúmve attingunt, quod quia in eo vis naturę commotióque eluceat, reprehendi vulgo non ſolet. Sed languidè & iuueniliter adhibitum, & ex ſcholæ potius artificio quàm intima natura prõptum, vt fictum & fucatum reprehenderetur; & ea quidem ratione ad ſcenam & mimos amandandum puto. Ni cui forte libeat ad propitiandum numen colendúmque reſeruare, quod facere Polonos aiunt Catholicæ religionis pietatiſque laude clariſſimos, qui ſacris in templis, inter auguſta myſteria frontem ſibi verberare conſueuerunt, & vt cum Nonno dicam πεσὰ μέτωπα θεουδεῖ χειρὶ πατάξαι.

Fab. l. 2. c. 12.

Sudante fronte quid congruens honeſtati & decoro videatur. Lex Citharædorum de tergenda fronte. Quæ ſudoris cauſæ in Oratore. SECTIO III.

VNVM reſtat quod de fronte dicam, quod cùm fuerit à me breuiter explicatum, tum tibi Victor, aut Iuuenti tibi lampada in hoc curſu diſputationis dabo. Iniquus tu quidem es Honorate, ait Victor, qui nos tam attentos, & pendentes ab ore tuo, atque ambroſiæ ſuauitudine delibutos, ſine cauſa cupias auellere. Tum ille, Si cauſam, inquit, legitimam nullam eſſe vides, me non vides, ſed ea de re mox ego videro, nunc vrgeo quod reliquum mihi eſſe aiebam. Si in fronte ſudor vt fieri amat oriatur, quid dicenti non indecorum exiſtimetur quæro, & cum animo meo reputo, nec ſatis conſtituere poſſum, niſi veſtris me admonitis ſubleuetis, quid honeſtiſſimorum hominum dignitati conuenientiùs eſſe videatur. Iuuentius, qui diu iam quaſi ad carceres linguam ſuam, & ingenioſæ mentis impetum continuerat, nactus hanc loquendi & liberiùs excurrendi occaſionem, Si omnia quæ de eloquentiæ arte præſcribuntur, tam eſſent, inquit, facilia atque in medio poſita, quàm quod fingis Honorate, tibi non ſatis liquidò conſtitutum & tractatum eſſe, nullum ego præceptorem magnoperè quærendum exiſtimarem. Nam quod ais de ſudore, de tribus modis vnum adhibendum eſſe, opinor eſt perſpicuum. Aut enim ſudario abſtergere frontem Orator debet, aut ſudorem brachio eximere, quod Neronem è præceptionibus artis facere ſolitum, apud Suetonium legere commemini: aut deniquè debet ita dicere ne ſudet. Quàm perſpicuum illud ſit, ait Honoratus, tu Iuuenti videris; ſed primum illud tuum qui reiiciat atque damnet, claro iudicio virum & præſtanti facundia nominare poſſum. Nam Caluus, is nimirum qui cum M. Tullio de principatu eloquentiæ diu certauit, Orator vehemens & grandis, reum Vatinium arguebat inſolentiæ, *quod candido frontem ſudario tergeret*, vt ait Quintilianus, ni memoria me fallit mea. Quod verò ſubdis auctore Suetonio, exemplóq; Neronis, bracchio ſudorem demi è fronte poſſe, id Fab.l 6.c.3.

ferendum eſſet quidem, ſi de ſordido vpilione, ſi de Atellanis, mimis & citharœdis quæſtionem agitaremus, qui in theatrum ſcænæ artificio noti procederent. Erat enim Citharœdorum lex illa vetus, vt cùm populi oblectationi ſeruirent, nunquam ſudorem niſi ea quam gerebant veſte detergerent, videlicet manica ad frontem admota, quam legem maxima religione obſeruatam à Nerone fuiſſe, & Tacitus & Suetonius meminerunt. Vis ad extremum, vt ita dicat Orator ne ſudet. Frigidum ſanè Oratorem pingis, qui nunquam niſi brumali die verba faciat, aut in ſumma ſolitudine ſub Arcto, tantùm non caudex atque truncus.

Tacit. l.16. Suet. in Neron.

Ego verò plurimas ob cauſas euenire poſſe video, vt dicenti Oratori ſudor emanet. Fit imprimis è vehementi quadam animi contentione, metuentis ne quid officio deeſſe videatur, præſertim in ſumma rei grauitate, vel quando apud eos dicit, quorum teretes aures ſunt & religioſæ, quæque propter ſingularem ſapientiam & amplitudinem, genus dicendi requirunt maturum & expolitum: tum ſi timidior ſit à natura, dum metuit, ne non ſatis reſpōdere queat expectationi, ſoluto corpore vim ſudoris profundit. *Quibuſdam*, ait Seneca, *etiam conſtantiſsimis in cōſpectu populi ſudor erūpit, non aliter quàm fatigatis & æſtuātibus ſolet, quibuſdā tremunt genua dicturis*. Præterea ſi de nocte lucubrauerit Orator, & ſolliciti animi contētio alimenti cōcoctionem, vt fieri ſolet, etiam impedierit. Eſt enim illud Theophraſti axioma veriſſimum, ὅτι οἱ μὴ πέψαντες τὰ σιτία, ϗ οἱ ἀγρυπνίσαντες, ἐνίδρωτες, *ſudare plurimum, qui nec cibos concoquunt, neque dormiunt*. Hoc idem poteſt contingere, quando propter imbecillitatem memoriæ, à ſcripto aut meditatione aberratur: quo tempore mentem videmus cum ſeipſa propè luctari, eniti, angi, laborare, dum in viam quaſi redeat, nec de honore atque exiſtimatione quidquam derui patiatur. Itaque eleganter Ennodius Tic. *cruciatuum teſtem* nominauit ſudorem. Et ſi fides Stagiritæ principi οἱ ἀγωνιῶντες etiam pedibus ſudare conſueuerunt. Ex hac autem conſuetudine patiendi factum eſt, vt ſcriptores elegantiſſimi de iis ſudare dicant, quibus aqua hæret, qui Mæandris operoſiſſimi negotij implicantur, qui è moleſtiis quibus impediuntur extricare ſe vix poſſunt. *Vides*, inquit M. Tullius, *ſudare me iamdudum laborantem quomodo ea*

Senec. ep. 11.

Photius Cod. 278. ex lib. de ſudorib

Sect. 2. problem. 26. & 31.

tuear, &c. Sudorem exiſtere Poëtis aiunt, in eo æſtu & inflammatione animorum, qua partus aureos Pieridum cupiunt effundere. Bellè & eleganter Sidonius Apollinaris ad Leonem, *Sepone tantiſper Pythicas lauros, Hippocrenénque, & illos carminum modos, tibi vni tantùm penitiſsimè familiares, qui tamen doctis, vt es ipſe perſonis, non tam fonte quàm fronte ſudantur.* Id Oratori euenire poſſe, flumen orationis aureum fundere cupienti, quis neget? Hîc Sophiſtæ memini Polemonis, hominis in dicendo multùm atque diu exercitati, qui cùm vidiſſet aliquando gladiatorem ſudore perfuſum, & in certamine de vita formidantē, οὕτως ἀγωνιᾷς, ὡς μελετᾶν μέλλων. *Ita*, inquit, *ſollicitaris & ſudas, vt declamaturus Orator.* 18. ep. 3. Philoſt. in Polem.

Cur verò huiuſmodi ſudent homines in agendo, minùs mirùm illi videbitur, qui tuum, Victor, dæmonium Ariſtotelem legerit de ſudore diſputantem. Cauſam enim quærit, cur cùm manus exercitamus, ſudor maximè oriatur, modò cæteræ corporis partes poſitum ſuum ſeruent, qui ſanè ſtatus ab hac dicēdi contentione non abhorret. Quid reſpondeat, quoniam vobis tam notum eſt, quàm mihi ſit, aut eſſe poſſit, ne diffluam, ſilentio prætereibo. Sed quoniam de ſudore frontis alio quodam in loco diſputat, naturæ vim in eo breuiter animaduertere, vel etiam properanti licet. Ait enim maximè in capite, cùm calefit, ſudorem exiſtere, profértque bonam & illuſtrem rationem, quod caput cùm vi caloris humorem extrahat, nullámque is habeat definitam ſedem qua contineatur, ἐκπίπτει ἔξω, neceſſum eſt eum excidere foras, in frontémque eminere. Et aliàs docet, quod propter humorem quo redundat caput: vulgò, inquit, homines ἱδροῦσι κατὰ πρόσωπον, καὶ μάλιστα τὸ μέτωπον. Hoc Plotino magno viro proprium & ſollenne fuit, vt in ſchola multis audientibus grauiter atque ſubtiliter diſputans animo incaleſceret, *tunc ſanè tenuis quidam ſudor, velut ros è facie diſtillabat*, vt eius diſcipulus memorat Malcus ſiue Baſileus, quem deinde Porphyrium nominauerunt. Neque verò hoc dicenti accidere mirum eſt & in moleſtia & difficultate, cùm etiam quieti & tantùm audientes nonnunquā ſudorē emittant. Occurrit id Apollonij Argonaut. Sect. 2. probl. 5. Probl. 19. ſect. 2.

Ὣς φάτο, τῷ δὲ ἄϊοντι κατὰ κροτάφων ἅλις ἱδρὼς 1. 2.

Κίκιεν.

Sic ait, aſt illi manantia tempora circum
Magnus ſudor iit rapienti verba loquentis.

Sed exiſtet hoc etiam ſæpiùs, vel cùm magnus æſtus fuerit, loci anguſtiæ, magna hominum frequentia, vel propter agitationem Oratoris vehementem, celeréſque motus, ardorémque in dicendo, quem ratio nulla moderetur: qualem ego vidi aliquot ante annos frequentiſſima concione dicentem, in vrbe Galliæ celeberrima, qui cùm eſſet alioquin imperitus & imparatus à doctrina, quaſi Oratorem geſtus efficeret, ita ſe iactabat, ita ſe in omnem partem rapidè vertebat, ita ſudabat, vt qui aderant honeſtiſſimi viri benè multi & intelligentes, impotentem animi contentionem, & motus indecoros miſerarentur. In re quidem magna & atroci, quæque multos habeat locos amplificationum, in quibus inflammari Oratorem verum ſit, illa dictionis vehementia probatur. Nam cùm pars magna orationis effluxit, penè omnia decere, *vt ſudorem & fatigationem*, ait Quintilianus: ſed id velle vbique facere, atque omni occaſione, cerriti eſt, & propè dicam furioſi, minùs ſanè ad officium attendentis. Quibuſcunq; verò ex cauſis ſudor erumpat, eſt habenda honeſtatis ratio Oratori, vt cùm in vultu guttæ coaluerint, linteolo ita extergat, vt tamen quaſi aliud agens id efficiat, & ſemper in curſu orationis hærere videatur. Nam quod quidam nuda manu per frontem vultúmque ducta id efficiunt, argumentum eſt non ſatis honeſtæ neque liberalis inſtitutionis. Et profectò ridiculi apud Lucianum illi Sophi, qui cùm vehementiſſimè ſudarent ex magna corporis animíque contentione, ſudorem ex fronte ἀγκύλῳ τῷ δακτύλῳ, *incurno digito abſtergebant*. Togæ verò ſinu, aut manica, bracchióque in ea re vti, vt ruſticanum, ita eſt turpe & omninò fugiendum. Cæterum minuta illa videbatur Plinij Secũdi monitio, qui cùm de geſtu præciperet, ita ſudario frontem ſiccari volebat, ne comæ turbarentur, quod miratur Fabius, & penè irridet: ſpectat autem ad eos veteres, quibus fuit coma longior, quique aperto capite dicere conſueuerunt.

Fabius.

Lucian. in Bis accuſ.

Quintil. l. 11. c. 3.

Effudi vobis quæ ſciebam, vel vt veriùs dicam neſciebã, vix tenuiter meditata priùs à me, animóque cõprehẽſa, nunc feſſũ de via neceſſe eſt, vt in veſtræ humanitatis diuerſorio recreetis,

&

& quæ reliqua ſunt diſputationis, ſi ita vobis videbitur, addatis: Quæ vt magna & multiplicia eſſe fateor, penitúſque perſpicio, ſic veſtram in dicendo elegantiam illam veſtrã & πολυμαθείαν deſiderant. Quid iſtuc eſt? ait Victor. Fidéſne ſubitò concidit, illa, inquam, candido velata panno tua fides Honorate, vt quæ pollicitus antea fueras, atque in te receperas, mutato conſilio repudies? De fronte dictum eſt à te, & nimirum totius operis frontem veluti quandam oſtentauiſti, quod opus exædificare profecto perges, atque ad faſtigium perducere. Quòd de frõte, inquit Honoratus, egi, certo conſilio à me factum eſt, priuſquam meam diſputationem terminarem. Nam cùm effrons eſſe viderer, qui de rebus vobis notiſſimis tandiu garrirem ineptius, nimirum honeſtæ frontis rationem in oratore noſtro reperire cupiebã. Hic Iuuentius, At quæ hactenus à te expoſita ſunt Honorate, cæca futura ſunt niſi de oculis adiicias, & eorum nobis rationem luminoſa illa tua dictione aperias. Minimè verò, inquit, nam illa tu omnia tanquam tabulas pictas in bono lumine collocabis, præſertim integris viribus, & recenti præceptionum memoria fretus, & de ſchola politus.

DE GESTV OCVLORVM.
CAPVT IV.

Quantum momenti ſit poſitum in dicentis oculis. Eos ſpeculum & domicilium eſſe animi, & affectionum ianuas. per ſe loqui & magna conficere. SECTIO I.

IVVENTIVS qui longiorem Honorati diſputationem audire vellet, Nec integræ, inquit, vires, aut præceptionum magna cognitio ad eam rem opus eſt, nec tu tam es in dicendo feſſus, vt ea quæ volumus non poſſis adiungere. Nam de oculis quidem vix aliud in ſchola ego percepi, quàm hoc vnum, non eſſe immotos tenendos & figendos vnam tantùm in partem, ſed grata quadam varietate circunducendos. Atque vt quod ſentio dicam, in toto geſtu oratoris atque actione, nihil tam facile támque expeditum mihi vide-

Digitized by Google

tur, quàm de Oculis diſputatio. Honoratus illum aſpectans, Verène, inquit, iſtuc ais & ex animi ſententia? aut ea multa atque magna quæ à doctiſſimis viris præcipiuntur necopinantem præteruolarunt? Nam ſic ego ſtatuo, in partium omnium complexu, quæ ſapienter ſunt ab oratore moderandæ, nullam eſſe in qua maior diligentis animi prouidentia adhibenda ſit. In fronte aliiſque tacitæ quidem affectiones adumbrantur, tenui colore, atque vt ita dicam primis lineamentis expreſſæ, in oculis autem lucet ipſe animus totus atque eminet, & in
Laert.l.8. omnium intuentium aſpectum immittitur. Pythagoras oculos appellabat ἡλίου πύλας, *Solis ianuas*, ego omnium affectionū portas iure nuncupauerim. *Profecto in oculis animus inhabitat*, inquit Plinius l. 11. & paulò pòſt, *Animo videmus, animo cernimus, oculi ceu vaſa quædam viſibilem eius partem accipiunt, atque tranſmittunt*: Veriſſimè dictum. Vt enim is ſenſus in capite velut in arce principatum obtinet, ita in eum animi vis longè vehementius vberiúſque deriuatur. Et ni fallor id Plinius mutuatus eſt à L. Craſſo facundiæ illo Deo & Suadæ medulla, qui lib. 3. de Orat. ſic habet, *In ore ſunt omnia: in eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum, quo melius noſtri illi ſenes, qui perſonatum ne Roſcium quidem magnopere laudabant. Animi eſt enim omnis actio; & imago animi vultus eſt, indices oculi. Nam hæc eſt vna pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationes poſſit efficere. Oculos enim natura nobis vt equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac noſtra actione ſecundum vocem vultus valet, is autem oculis gubernatur*. Ita Craſſus. Et ſanè nec ipſe animus cogitatione opinor ſua conſequatur, quot habitus oculi recipiant, qui ſint indices occultarum affectionum: nam & blandi fiunt, putres & amatorij, ſummiſſi, graues, torui, truces, flagrantes, limi & tranſuerſi, in ſexcentas denique formas ſeſe induunt, prout ipſe deliteſcens in intimo pictor colorarit, ſeque per eos prodiderit. Nam blãdos efficit humanitas, amatorios laſciuia, ſummiſſos pudor, graues conſtantia, barbaria truces, flagrantes iracundia, inuidia limos & tranſuerſos. Quare Demoſthenes, ſeu quis alius, Epicratis adoleſcentis politus & ingenioſus buccinator, ait diuina prouidentia factum, vt per oculos mores in aſpectum venirent. Non enim, inquit, eos ad neceſ-

ſarios duntaxat vſus idoneos præbuit, ſed cùm virtus aliquorũ vix in actionibus appareat, διὰ τῶν τῆς ὄψεως σημείων τὰ κάλλιστα τῶν ἠθῶν ἐνεφάνισε, *per viſus indicia pulcherrimos tuos mores declarauit*. An non hoc ipſum voluere quondam Ægyptij, de quibus Diodorus Siculus l. 4. qui cùm iuſtum hominem exprimerent oculum adumbrabant? nam quod oculus fallere vt plurimùm non ſoleat, & qualis cuiuſq; ſit animus egregiè repræſentet, fit vt propria iuſtitiæ nota videatur. *Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana*, ait verè ſubtilitérq; D. Hieron. QuareDemoſthenes oculos appellabat *lucernas animi*, magnus autem omnium virtutum excellẽtia Gregorius *animi feneſtras* S. Chryſoſt. τῆς ψυχῆς μέλος, *membrum veluti quoddam animi*, idque ὡραιότατον, *ſpecioſiſſimum*. Noli igitur putare Iuuenis, in oculorum motu & moderatione minimum ponderis & momenti collocatum eſſe. Nam vt rem ipſam ad id quod eſt in quæſtione accommodemus, quis neſcit quantum in Oratore poſſint oculi, vel ad animos conciliandos auditorum, vel ad eoſdem permouendos, atque in omnem partem flectendos? Plinius fori lumen, cuius ætas in grauioribus cauſis fuit contrita, non dubitauit aſſerere, præcipua pronunciationis adiumenta eſſe *oculos atque manus*. Phauorinus Gallus orator, idémque rerum cognitione clariſſimus, cum preſtanti quadam auctoritate & nominis exiſtimatione teneret animos, tum coniectu oculorum plurimum efficiebat: quare Philoſtratus inter illa tria quibus eum ſcribit omnium animos conciliauiſſe, numerat τὸ σημαῖνον τοῦ βλέμματος, vertũt *deſignantem intuitum*, mallẽ *acrem, agentem & rem conficientem*. De Hippodromo Theſſalo Rhetore omnium elegantiſſimo quod dicitur, ſubit aliquando mirari. Is ἀγροικότερος ὢν τὸ εἶδος, *vultu agreſti, atque ad inſignem deformitatem compoſito*, tamen ita audiebatur lubentibus omniũ animis, vt delectaret. Cauſam prodit is quem modo nominabã Sophiſta, ἀμήχανον εὐγένειαν ἀπέδηλου τοῖς ὄμμασι, γοργόν τε καὶ φαιδρὸν, *mirificam generoſitatem ſeueritatémque ac ſerenitatem oculis præferebat*. C. Gracchus ſui tẽporis eloquentiſſimus in dolenti quondam oratione, dum priuatas familiæ ſuæ calamitates exponit, fletu & lacrymis, & cõploratione ingẽti forũ cõpleuerat. Id cùm refert L. Craſſus haud ignobilis iſtius artificij iudex & interpres, illius ipſius actionis vim atque florẽ oculis attribuit.

Demoſth. in laudat.

Diodor. Sicul. l. 4.

Epiſt 10.

D. Gregor. Homil. 6. in Euang.

Chryſoſt. 13 homil. in c. 4. ad Coloſſ.

Plin. l. 2 ep. 19.

l. 1. de vita Sophiſt.

Theoſtr.

Nam cùm eius periodum vnam attuliſſet, quam in ore fuiſſe omniũ ſignificat, *quæ ſic*, inquit, *ab illo acta conſtabat Oculis, voce, geſtu, inimici vt lacrymas tenere non poſſent.* Sed quid pluribus de re perſpicua diſputo, cùm vos mecum iuxtà videatis, oculos in oratore dominari? Te quidem certe hoc ſentire, Victor, ſat ſcio.

Cic. 3 de orat.

Ita ſane eſt Honorate, ait Victor; Illud ipſum omni prouiſione curandum oratori puto, vt oculorum moderatione præſtet, & in iis plurimum eſſe repoſitum arbitretur, & eò quidem elaborãdum accuratiùs, quò gratior erit multitudini & coronæ: nam qui amant, oculos præſertim intuentur, vt ex Ariſtotele prodit Athenæus. Galenus qui in ludo Medicorum familiam ducit, apud ſuos auditores aſſeuerabat, morbum & ſanitatem elucere in oculis, qui ſi rem ad dicendi artificium retuliſſet, dicturum mihi perſuadeo, in iiſdem vitia & virtutes orantium eminere. Itaque ſi mihi legendi eſſent homines ad dicendum, qui rebus omnibus expoliti facturi ſibi audientiam viderentur, id propemodum ſequendum exiſtimarem, quod faciendum in matrimonij ſocietate incunda monuit Nicoſtratus, vir conſilio & incredibili ſapientia nobilis; *Neque enim intemperanter* inquit, *ſed arte quadam facies futuræ vxoris conſideranda eſt, benigni enim oculi ſummam animi pulchritudinem comitantur, quæ autem maligna & odioſa fuerit, ea ſtatim & oculis tranſuersè implacidéque intuetur.* Sic in prompto & expedito illo ad agendum, contuendum eſſet imprimis, quid primo obtutu & oculorum compoſitione polliceretur. Quò auidiùs tuam Honorate diſputationem, de oculorum geſtu & moderatione expetimus: neque verò te verbum vllum in recuſando à conſueta modeſtia expreſſum mittere patiemur. Quid me aſpectas? Haud, inquam, te recuſare patiemur, ne ſi iraſcaris quidem. Pergam igitur, inquit, ea lege, vt ſi à vobis ineptire me coactum probauero, liceat poſtea actione de vi experiri. Licebit, ait Victor ridens: & lubentes in ius, vel ad ius potius tecum ambulabimus.

Athen. l. 5.

Nicoſtr. apud Stobæum.

Digitized by Google

Defixi oculi & καταπεπηγμένοι, diu patentes, aſsiduè nictantes, clauſi, immaniùs diducti, quatenus reprehenſi. SECT. II.

QVONIAM tam multę in oculis perforatæ viæ ſunt, quibus affectiones prodeunt, iam præcipitis animo & videtis, longè plurima euenire poſſe vitia, quæ in illa pulcherrima hominis parte dedeceant. Volo imprimis in oculis haberi hanc rationem, vt nec diu aperti ſint & rigentes, neque item frequentius occludantur & nictent. Imperator Caius rigentes habuit, minimè ſanè blandos & iucundos, potius horribiles & infeſtos qui terrerent: cuius in ludo etiam duo fuiſſe dicuntur Plin. l. 11. c. gladiatores, qui nunquam quidquid fuiſſet intentatũ & obiectum cõniuerent, ferocium opinor & ἀναισθήτων indicium, Stygiæque laruæ. Deos olim hoc eſt improbiſſimos Genios, cùm in aſſumptis corporibus apparerent, palpebras nunquam occludere exiſtimabãt. De qua re diſputans Heliodorus αἰθιοπικ. Heliodor. lib. 3. τοῖς δὲ ὀφθαλμοῖς, inquit, ἂν γνωσθεῖεν ἀτενὲς διόλου βλέποντες, l. 3. καὶ τὸ βλέφαρον οὔποτε ἐπιμύοντες, *ex oculis notari poſſunt* (Dij) *cum continuo obtutu intueantur, & palpebras nunquam occludant.* Contra verò ſunt, quibus naturale eſt, vt nictare non ceſſent, quos pauidiores, inquit Plinius, accepimus, Græcis nominãtur σκαρδαμυκτικοί. Vtrumque ſanè extremum fugiendum eſt, ſic vt abſit ille rigor barbariæ proprius, & hæc rurſus exaggerata nictatio, quæ ſi vt morbus quidam inſitus diuturna conſuetudine inualuit, ſtudio & induſtria priuſquam in hominum lucem prodeamus, curetur.

Qui nimiùm conniuerent, eos Ariſtoteles ἀβεβαίους, *inconſtantiæ plenos*, qui rigidos haberent oculos ἀναιδεῖς *impudentes*, l. 1. de hiſt. an c. 10. mediocritatem verò inter iſta βελτίστου ἤθους σημεῖον *laudabilium morum notam* exiſtimauit. Rectè quidem ille, ſed quod intuitus eum rigorem vni impudentiæ tribuit, parum eſt elocutus, cùm non minùs ἀπαθῶν, quique animũ à ſenſuum cõmunione auocare ſtudent, in acerrima cogitatione rerũ defixi, vel ruſticanorum etiam hominum nimium quantum aliquid miran-

SECTIO III.

Laſciui trementium oculorum flexus vitandi. ῥυθμὸς *in oculis.* ὀξυκινησία *prompta mentis & ardentis indicium.*

IAM verò quid de illis dicam, quorum oculi libidinibus geſtiunt, & perſpicua titillatione voluuntur, quiſquamne eſt qui non reprehendendos putet? niſi forte veteris Philoſophiæ maculæ atque dedecora obſiſtant, quos in homines id protritum Athenis conuicium fuit coniectum ὄμματα παιδιεράσαι, cùm vitam atque mores infami nequitia collutulaſſent. Verè dicã, non clarius eſſe impudicitiæ ſpeculum, quàm hos oculorum flexus, quos amatorios nominauerunt. Arceſilaus prudens Philoſophus cùm diuitiorum quorundam oculos eſſet intuitus ludibundos, & teneræ voluptatis plenos. *Nil intereſt*, inquit, *quibus membris cinædi ſitis.* In Sardanapali impuri hominis luxu
Iuſtin. l. 1. deſcribendo, diſertè Iuſtinus, *Cum mollicia corporis & oculorum*
Dio. or. 62. *laſciuia omnes fœminas anteiret.* Eundem pingens Dio Pruſæus τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀναστρέφοντα nominat. Et Alexandrinus Cle-
l. 3. pædag. c. 11. mens de mollitie oculorum diſputans, *Tamen*, inquit, *effœminatum Sardanapalum regem Aſſyriorum in lecto indecorè ſedentem purpuram carpentem,* καὶ τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπαναβάλλοντα, *& albuginem oculorum verſantem inducunt.* Idem ipſe à
Differt: 19. Maximo Tyrio, dicitur τὼ ὀφθαλμὼ ἐκπεπτωκώς. Contrà verò Iulianus Imperator cùm animi caſtimoniam, morum ſeueritatem, & moderatiorem præ ſe ferret, ſeſe longe ab ea laſciuia
In Miſopog. & mollitudine abfuiſſe monet, ἐμοὶ δὲ οὐχ ὁ βλέπειν ῥεμβοῦντι πανταχοῦ τὰ ὄμματα, ὅπως ὑμῖν καλὸς ὤν τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ τὸ πρόσωπον ὀφθείην, ὁ τρόπος οὐ συγχωρεῖ, *Verum enimuero mihi laſciuire oculis, eóſque molliter circumferre, quo pulchro corpore non mente vobis videar, mores mei non ſinunt.* Ariſtopha-
Suid. nes βλέψαι ἰωνικῶς dixit, *contueri ionicè* hoc eſt nequiter & delicatè.

Et ſane fuit cõmunis omnium ſapientiũ opinio, oculũ vagũ illũ & liberiorẽ indicem eſſe leuitatis, & flagitioſę cupiditatis. Harpalus Demoſthenem cùm vidiſſet, eius tacitam cupiditatem

tatem, quaſi luce palam deprehendit ex διαχύσει καὶ βολαῖς ὀμμάτων, vt Plutarchus memorauit. Et Ariſtoteles inter notas indiciáque Cinædi ponit, ὀμμάτων περιβλέψεις. At diuus Gregorius Nazianzenus cùm religioſos deſcribit verè Nazaræos, vt Chriſtianæ vitæ lumina, *Greſſus*, inquit, *conſtans, oculus minimè vagus*. Quod ego dictum vtroque modo explicem, & de vaga curioſáque oculorum circunductione, & libidinoſa motione, quam *flexum oculorum* vocat Seneca, ita enim ſcribit, Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & relatus ad caput digitus, & *flexus oculorum*. Huiuſmodi oculi Perſio nominantur, *patrantes*, *putres* Horatio, σαπροὶ Chryſoſtomo, Iuuenali *trementes*. Hinc Xenophon homini moderato & amanti καλοκαγαθίας, tribuit ἀτρεμὲς ὄμμα, *oculos non trementes*. Apuleius *vdos ac tremulos vocat*, *prona libidine marcidos, iamiámque ſemiadopertulos*. Anacreō & cæteri Poëtæ Græci ὑγροὺς: Gregorius Nazianzenus in Carmin. σφριγῶντας. Dicuntur iidem Quintiliano, *natantes & venerei*, & conſimili ratione Adamantio κλυζόμενοι καὶ κυμαίνοντες ἐν ἑαυτοῖς, *inundantes & fluctuantes in ſeipſis*, Catullo *ebrij*, hinc eleganter ſanctus Baſilius impudicos ait iuuenes μεθύειν ὀφθαλμοῖς, *ebrios eſſe oculis*, vocantur ab aliis *pæti*, de quibus ſic vetus interpres Horatij, *Dicitur pætus, qui leuiter declinatis oculis eſt, cuique huc atque illuc tremuli celeriter voluuntur: hoc autem quia venereum eſt, ideo Venus pæta*: quam etiam Poëta Heſiodus ἑλικοβλέφαρον nominat, *oculis laſciuientem*. Illo etiam nequitiæ motu agitati, *fracti* Latinis, κεκλασμένοι Græcis oculi appellantur, de quibus ſapienter Ariſtoteles in Phyſiognom. τὰ κεκλασμένα τῶν ὀμμάτων δύο σημαίνει, τὸ μὲν μαλακὸν καὶ θῆλυ, τὸ δὲ κατηφὲς καὶ ἄθυμον, *confracta oculorum duo ſignificant, hoc quidem molle & fæmineum, aliud verò demiſſum pauidúmque*. Contrà verò τὸ βλέμμα καθεστηκὸς, *vultum compoſitum & oculos moderatos* Porphyrius aiebat efficere, τὸ σεμνὸν τοῦ καταστήματος, *grauitatem illam quæ in geſtu ſpectatur*. Et Themiſtius meo iudicio ſapienter Xenophonteiam Virtutem coloribus ſuis exornans illi tribuit βλέμμα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, *aſpectum ſimplicem ac generoſum*. Atque hæc protuli omnia, vt intelligamus, cautionem eſſe adhibendam Oratori non vulgarem, in oculis moderan-

in vita Demoſthen. Ariſtot. in Phyſiog. Orat. de pac. Senec. l. 7. ep. in Conui. p. 894. l. 3. Metamorph. Baſ. in Iſa. p. 952. in vita Apoll. l. 2. c. 12. or. 3.

dis, ne quo geſtu animi vitioſitatem prodant. Tanquam enim ex tripode, illa ſunt à Philoſtrato pronunciata, πολλὰ μὲν γὰρ ὀφθαλμοὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἠθῶν ἑρμηνεύουσι, *Oculi mores hominum pleróſque indicant.*

Neque tamen omnis oculorum mobilitas reprehendenda eſt, aut in vitio poſita, vt illuſtrium hominum dicta & exempla declarant. Sunt enim numeroſæ veluti quædam in oculis motiones, quæ mirificam olim Pompeio magno gratiam tribuebant, cui ſimile quiddam in Alexandro fuiſſe volunt, de qua re ita Plutarchus, ἦν δέ τις καὶ τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης, &c. id eſt, *Oculorum lenis modulatio reddebat faciei eius vſurpatam magis ſermonibus, quàm repræſentatam, cum Alexandri regis ſtatuis ſimilitudinem.* Herodianus item libr. 1. ætate florentem Imperatorem laudans, & ſumma oris pulchritudine amabilem, inter cætera ponit ὀφθαλμῶν τε ἀρθμίας καὶ πυρώδεις βολάς, *rutilantium oculorum æquabiles, & veluti numeroſos motus.* Sic diuus Gregorius Nyſſenus Moſi tribuit ſummo viro & eximia oris dignitate præſtanti, τῶν ὀφθαλμῶν λαμπηδόνα, *dulcem oculorum ſplendorem atque lucem*, quam ſi Orator in ingenuum eruditionis hominum conſeſſum attulerit, quis non videt quanto præditus ſit inuitamento ad animorum conciliationem?

Plutarc. in Pomp.

Herod. in Commod.

de vita Moſ.

Eſt etiam nonnunquam in oculis volubilitas, quæ non quidem illuminandæ pulchritudini ſeruiat, ſed promptæ mentis acrem, & celerem agitationem vimque teſtetur. Chryſanthius apud Eunapium Sophiſta cùm in ſermone familiari, lento placidóque videretur eſſe ingenio atque natura, ſic tamen in Dialecticis eruditorum hominum diſputationibus æſtu quodam animi ferebatur, vt comæ capitis horreſcerent; τῶν ὀφθαλμῶν ἑρμηνευόντων χορεύουσαν ἔνδον τὴν ψυχὴν περὶ τὰ δόγματα, *Et oculi quoddam veluti animi tripudium circa dogmata occupati ſignificarent.* Maximum quoque magni nominis Philoſophum idem ſcriptor habuiſſe prodit oculos illa celeri motione velut geſtientes, ſi quando in ſubtili aliqua diſputatione occuparetur, nam ὁρμὰς τῆς ψυχῆς ἐδήλου τὰ ὄμματα, *acris ingenij vigor atque agilitas ex oculis elucebat.* Addit nullum cum eo diſputantem potuiſſe ferre, τὴν ὀξυκινησίαν τῶν ὀμμάτων, οὔτε τὸν δρόμον

Eunap. in Chryſant.

Eunap. in Max. p. 82.

Digitized by Google

τοῦ λόγου, aut volubilitatem luminum, aut curſum atque flumen orationis: neque vllum peritorum contra hiſcere auſum, tantùm videlicet pars illa corporis in dicendo valet, & propè dicam triumphat. Quam laudem Damaſcius minimè reticuit, cùm Iſidorum in Philoſophia maximum oratione ſua commendaret, nam cùm dixiſſet illius in oculis gratioſiſſimam Venerem, vel potiùs Mineruam ſapientiſſimam penitùs inſitam impreſſámque fuiſſe, addit illos ἐπίτροχα κινουμένους Photius. Cod. 242.
πῶς φάναι, *velociter ita moueri conſueuiſſe, vt verſari viderentur circa eandem ſpeciem, & ſimulacra eſſent, non ſolius animi, verùm & inhabitantis in ea diuinæ influentiæ.* Sed in memoria quidem vetuſtatis exemplorum magna eſt copia, quæ non eſt opus, vt faſtidiosè congeram. In vnum mihi magnum Vlyſſem mentis oculos iniicite, quem præſtantis & cumulati Oratoris ſpecimen fuiſſe volunt & exemplar. Illum autem Rhetor ingenioſus in Heroicis ait πεπλανημένον Philoſtr. in Heroic.
τοὺς ὀφθαλμοὺς διὰ τὰς ἐννοίας τε, καὶ ὑπονοίας, *oculis fuiſſe continua motione errantibus, propter varias animi cogitationes & ſuſpiciones, quæ altam illam mentem exercebant.* Itaque Menelaus apud diuinum Poëtam Telemachum agnouit Vlyſſis filium, quod ſimiles haberet manus, ὀφθαλμῶν τε βολαί, *ſimileſque oculorum coniectus.* Suetonius, *vegetos oculos* nominat, Odyſſ. 4. verſ. 150.
quos tribuit Cæſari ſymbola certè hominis δραστηρίου: nam in eodem proprium illum vigorem, celeritatémque quodam Plin. l. 7.
igne volucrem ait fuiſſe Plinius. Vetus Poëta laudans Ariſtotelem προχαλαὶ ὀπωπαὶ nominat. Καὶ προχαλαὶ σήμαινον ἀολλέα μῆτιν ὀπωπαί, *Et volubiles oculi multiplicem animi agitationem declarabant.* Caſſiodorus vir reconditæ ſapientiæ vitioſis & conſceleratis animis eum geſtum attribuit. Sic enim Antho. l. 5. ep. 2.
libro de anima, *Malis nubilus vultus eſt in qualibet gratia corporali*, &c. *Oculi interdum ſuprà quam neceſſe eſt, commouentur, iterúmque cogitantes infixi ſunt, incerti vagi fluctuantes*, &c. Caſſiodor. c. 17.
Sed hanc furentium hominum ſimilitudinem, non eſt, opinor, difficile ab illa ingenioſorum & vigentium conditione ſecernere.

Digitized by Google

Sectio IV. *Saturnius oculus & truculentus vulgò in vitio. An toruè intueri ſit illiberale. Strabonum peruerſitas indecora.*

SED eſt mihi hîc adhibenda minimè ſuperuacanea & inutilis monitio, ne recti & honeſti ſimilitudine decepti in aliquam prauitatem delabamur. Sunt enim quidam qui dum illam oculorum mollicięm laſciuiámque refugiunt, triſtem quãdam & indecoram feritatem aucupantur. Sanè vniuerſim moderata honeſtáque in oculis ſeueritudo placet, quæ neque teneritudinis & petulantiæ veſtigiũ vllum habeat, nec importunam animi duritatem ſignificet. Id opinor, ἀνδρικὸν ὁρᾷν dictum Veteribus, vt de Mauris apud Ælianũ, εἰσὶ δὲ μαυρούσιοι, καὶ καλοί, καὶ μεγάλοι καὶ ἀνδρικὸν ὁρῶσι, *Sunt Mauri, & pulchri, & procero corpore, & virili aſpectu.* Sed vt dixi, cauendum maximè eſt, ne iſtius decoris appetentes acerbitatem quandam induant, qua nihil eſt, quod magis honeſtiſſimo auditori diſpliceat. Conſtantius Imperator magni parentis cura & prouidentia liberaliſſimis ſtudiis eruditus, omninò ſapienter, οὐ βασιλικὸν ὑπελάμβανεν τὸ ταρακτικὸν τοῦ βλέμματος, ἀλλὰ μανίᾳ προσῆκεν ἡγούμενος, ἐν τοῖς νοσήμασιν ἀριθμεῖ, *minimè regium exiſtimabat, ſed potiùs furioſæ dementiæ congruens & conſentaneum immani oculorum obtutu aſpicere, idque in hominum vitio morbóque reponebat.* Eo vitio malè quidam audierunt antiquitatis Philoſophi, qui dum ſeueri potiùs videri volunt, quàm humani, ταυρηδὸν ὄμματα, vt eſt in communi prouerbio, & Saturnium quendam aſpectum, Lemniúmque præ ſe ferebant. Et quidem Plato, qui Socratis næuos omnes penitus cognitos & perſpectos habebat, eundem ait ταυρηδὸν βλέπειν, *taurinis oculis obtueri* conſueuiſſe. Quam eandem ob cauſam Pauſanias ab Academia palliatos éque Socratis familia ſapientes, βλεπεδαίμονας fuiſſe nominatos ait, *terribiliter intuentes*, qui parùm abſint ab eorum hominum conditione, qui à Geniis improbis agitantur: illos enim exiſtimat Xenophon, πρὸς τὸ γοργότερον ὁρᾶσθαι, *aſpectu eſſe truculentiores.* Quare Iulianus Chriſtianæ religionis deſertor, ab eo tempore quo nefariam in ſpecum de-

Libanius in Baſil.

Cæl l. 3. c. 28.

ſcendit ad dæmones conſulendos, rediit vt Theologiæ princeps aiebat Gregorius, τὸ μανιῶδες τῶν ὀφθαλμῶν præferens, Nazianz.
furioſo oculorum obtutu formidabilis. Alias quoque eidem attribuit ὀφθαλμὸν μανικὸν βλέποντα, ſicut & Gregorius presbyter βλέμμα θηριῶδες, *ferinum aſpectum. Truces oculos* dicunt Or. 2. in Iul. p. 122.
Latini. Salu. l. 4. *Ille reſpiciens ac vibrans in os meum truces oculos.* Salu. l. 4.
Hoc autem quàm ſit ab eo alienũ, qui placere velit, & conſeſſus beneuolentiam ſibi conciliare, nemo niſi à ratione alienus & cæcus non videt: ab iis enim publicè orantibus, non oculi modò auditorum, ſed animi multò magis ſtudiúmque abhorret. Itaque Lucianus cùm Thraſyclem pingeret philoſophum, ſapientiæ laruam, furioſæ mentis hominem, eum inter Lucian. in Timon.
alia τιτανῶδες βλέπειν, *Titanicum tueri* ait, quaſi nepotulum quendam Gigantum & terræ filium. Id verò eſſe indecorum facilè hinc colligas, quod à ſummis viris atque doctiſſimis in perfecta hominis pulchritudine oculorum quædam veluti lætitia ponatur. Sanè à D. Chryſoſtomo inter ſummæ & eximiæ in pſal. 44.
venuſtatis indicia ponitur imprimis ὀφθαλμὸς μειδιῶν, *oculus ſuauiter & blandè arridens.*

Toruè tamen aſpectare, num aliquando in oratorem quadret exiſtimationis retinentem ſuæ & honeſtatis, quæri poſſe video. Aduerſarios ſi præſentes habeat, qui innocentiæ inſultare videantur, & immani contentione ius violare, non eſſet fortè illiberale, aut abhorrens à grauitate hominis iuſta iracundia elati, toruo illos nonnunquam aſpectu verberare, ſi præſertim ad eos orationem conuertens, ante omnium oculos inſignem eorum malitiam & fraudem ponit. Id enim è cauſæ fiducia oriri videtur & animi læſi æquitate, modo ferociæ cuiuſdam agreſtiſque animi ſignificatio vitetur. Proæreſius facundia olim præſtans, quem Ἑρμοῦ λογίου τύπον, vt Eunapij verbis vtar, *Mercurij eloquentiæ præſidis typum* nominabant, cùm Athenis cauſam pro ſe ageret, ampliſſimo in theatro, Proconſule Romano audiente, cùm adeſſent plurimi eius æmuli, à quibus fuerat contumeliis intemperanter agitatus, non putauit à ſua dignitate alienum ταυρηδὸν μὲν αὐτοὺς ὑποβλέψαι,
toruis oculis eos intueri, quo geſtu opinor nonnihil aduerſario- Eunap. in Proæreſ.
rum audaciam ſpémque tardauit. Sic Poeta ſapiéns toruum aſpectum heroibus ſuis attribuit, vt de Achille in opere diui-

Iliad. a. no ſæpe, *τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.* Illius quoque non indecoræ *ὑποδρασίας* cæteri Poëtæ meminere. Ariſtophan. de Æſchylo irato, *Tauri inſtar demiſſo capite* Ammian. in l. 20. 381. *obtuebatur*, vt eſt apud Suidam. De Conſtantio Imperatore Ammian. Marcell. *Limiſque oculis eos* (legatos) *aduſque metam contuens mortis, egredi iuſſit.* Sed hoc iratorum eſt, qui terrorem ſpecie ipſa præferunt. Proximum eſt & conſimile, obliquè intueri ad contemptum aliorum, quod eaſdem ob cauſas ab honeſtis hominibus fieri poſſe decorè puto, ſed parcè tamen & moderatè, ne ſuperbientis animi faſtidium in eo appareat, eſt enim etiam arrogantium obliquare aſpectum. L. 28 p 474. Scitè Ammianus cum vitia nobilitatis graphicè delineat, *Alius*, inquit, *cum dignitate licet, ceruice tumida gradiens, notos antea obliquato contuetur aſpectu, vt poſt captas Syracuſas exiſtimes* L. 2. myth. *reuerti M. Marcellum. Limaces oculos* vocat Fulgentius.

Cæterum quod ad Strabones attinet, qui naturali vitioſitate oculorum laborant peruerſiſſimo aſpectu & diſtorto, vix mihi videntur oratorio poſſe muneri & dignitati ſatisfacere. Xenoph. in Conui. Nam profectò iocabatur & illudebat Socrates, qui contendens cum Critobulo de pulchritudine oculorum, *Tui*, inquit, *tantum directò aſpiciunt, mei autem καὶ τὸ ἐκ πλαγίου etiam tranſuerſim, propterea quod exterius promineant.* Noſter autem ille orator, quem perfectum & ſuis numeris abſolutum eſſe volumus, neque Socratem in ea re imitandum ſibi exiſtimabit, neque dogma Stoicorum ſequendum, qui aiebant ſapiẽtes ſi di- Diomed. l. 3. ſtortiſſimi ſint, eſſe formoſos. Hoc Roſius Gallus vidit hiſtrionum facilè princeps, qui cùm oculis eſſet obuerſis, neque ad tuendam dignitatem idoneis, primus omnium in agendo perſonatus in conſpectũ hominũ venit. Atq; hoc loco naturæ noſtræ imbecillitatem licet animaduertere: nam cùm tam multæ ſpecies animantium reperiantur oculis præditæ atque ſen- Plin. l. 11. ſibus, *vni tamen homini deprauari oculos conſueuiſſe* prodit Plinius. Quibus igitur ſiue à natura contigerit vt Strabones ſint, vel à mala peruersè intuendi conſuetudine: ij non ſatis ſubornati inſtructique ad dicendum prodire videntur, niſi multis magniſque ornamentis, & præſtanti quadam eruditione id vitium obtexerint. Sed omnium ineptiſſimi ſunt ad agendum ij qui ſic inuertunt oculos, vt pupilla fere omnis tegatur, & cu-

πάγλως luminum tantum album oſtentent. Notauit ſapienter S. Chryſoſtomus ſummus ipſe in dicendo atque perfectus, proprium eſſe τῶν δαιμονώντων aut μεθυόντων διαστρέφειν τὰς κόρας; *oculorum pupillas inuertere*. Neque minus mihi arcendi videntur à ſuggeſto, qui naturæ dãno, aut furoris diuturnitate; ſemper toruis ſunt oculis, aliiſque metuendi, niſi multò ante horridã illam ſpeciem lenierint. Et tamen quorundam populorum id eſſe proprium antiquæ memoriæ ſcriptores voluerunt. Ammian. Gallos pæne omnes candidos fuiſſe ait & rutilos, *luminúmque toruitate terribiles*. Id fortè dici aliquando potuit, cùm Gallia tota martia ferro victitabat & ſanguine, & omnia virorum fortium eſſe putabat: ſed iſta contuitus barbaries & luminum ferocia plurimùm abeſt ab æui noſtri humanitate.

S. Chryſ. ſerm. de reſurrect.

l. 15.

Iratus ὄμμασι φλεγόμενος. Igneus oculorum ardor & πολεμικὸν βλέμμα, non modò in prælio, verùm & in foro atque ſuggeſto plurimum valet. SECT. V.

IVVENTIO non videbatur ſatis factum ſuperiori diſputatione, qui interrumpens hîc orationem, Mihi videris, inquit, Honorate, qui truculentum aſpectum repudias, hominem eum velle deſcribere, qui nunquam iraſci debeat aut poſſit: nam cum æſtus iracundiæ in oculis maximè eluceat, neceſſe eſt, in oratore ardenti & incenſo, præſertim cùm ſtomachum in aliquem erumpit, χρόνιον illud ὄμμα exiſtere. At Honoratus, Imo tu videris Iuuenti, quæ diſſimilia ſunt & diſiuncta confundere. Neque enim ardentes repudiaui oculos & reieci, ſed truces, qui proprij magis ſunt barbarorum & belluarum. Quare Iulianus Parabates Conſtantij Imperatoris comites & amicos, qui truci aſpectu omnibus omnia minabantur, vocat θηρία πᾶσιν ὑποφθαλμιῶντα. Lucius Florus Cimbris oculos attribuit *horrendos & efferatos*: rectè. barbari enim fuerunt & milites. Et de bellante Catilina Salluſtius, *Inter hoſtium cadauera repertus eſt, ferociam animi quam habuerat viuus, in vultu reti-*

ep. ad Hermog.

Flor. l. 3.

tur, quàm de Oculis diſputatio. Honoratus illum aſpectans,
Verène, inquit, iſtuc ais & ex animi ſententia? aut ea multa
atque magna quæ à doctiſſimis viris præcipiuntur necopinan-
tem præteruolarunt? Nam ſic ego ſtatuo, in partium omnium
complexu, quæ ſapienter ſunt ab oratore moderandæ, nullam
eſſe in qua maior diligentis animi prouidentia adhibenda ſit.
In fronte aliiſque tacitæ quidem affectiones adumbrantur, te-
nui colore, atque vt ita dicam primis lineamentis expreſſæ, in
oculis autem lucet ipſe animus totus atque eminet, & in
Laert. l. 8. omnium intuentium aſpectum immittitur. Pythagoras ocu-
los appellabat ἡλίου πύλας, *Solis ianuas*, ego omnium affectionū
portas iure nuncupauerim. *Profectò in oculis animus inhabitat,*
inquit Plinius l. 11. & paulò pòſt, *Animo videmus, animo cerni-
mus, oculi ceu vaſa quædam viſibilem eius partem accipiunt, atque
tranſmittunt:* Veriſſimè dictum. Vt enim is ſenſus in capite velut
in arce principatum obtinet, ita in eum animi vis longè vehe-
mentius vberiúſque deriuatur. Et ni fallor id Plinius mutua-
tus eſt à L. Craſſo facundiæ illo Deo & Suadæ medulla, qui lib.
3. de Orat. ſic habet, *In ore ſunt omnia: in eo autem ipſo domina-
tus eſt omnis oculorum, quo melius noſtri illi ſenes, qui perſonatum
ne Roſcium quidem magnopere laudabant. Animi eſt enim omnis
actio; & imago animi vultus eſt, indices oculi. Nam hæc eſt vna pars
corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commu-
tationes poſſit efficere. Oculos enim natura nobis vt equo & leoni ſe-
tas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare
in hac noſtra actione ſecundum vocem vultus valet, is autem oculis
gubernatur.* Ita Craſſus. Et ſanè nec ipſe animus cogitatione
opinor ſua conſequatur, quot habitus oculi recipiant, qui
ſint indices occultarum affectionum: nam & blandi fiunt,
putres & amatorij, ſummiſſi, graues, torui, truces, flagrantes,
limi & tranſuerſi, in ſexcentas denique formas ſeſe induunt,
prout ipſe deliteſcens in intimo pictor colorarit, ſeque per eos
prodiderit. Nam blãdos efficit humanitas, amatorios laſciuia,
ſummiſſos pudor, graues conſtantia, barbaria truces, flagran-
tes iracundia, inuidia limos & tranſuerſos. Quare Demoſthe-
nes, ſeu quis alius, Epicratis adoleſcentis politus & ingenio-
ſus buccinator, ait diuina prouidentia factum, vt per oculos
mores in aſpectum venirent. Non enim, inquit, eos ad neceſ-

ſarios duntaxat vſus idoneos præbuit, ſed cùm virtus aliquorũ vix in actionibus appareat, διὰ τῶν τῆς ὄψεως σημείων τὰ κάλλιστα τῶν ἠθῶν ἐνεφάνισε, *per viſus indicia pulcherrimos tuos mores declarauit.* An non hoc ipſum voluere quondam Ægyptij, de quibus Diodorus Siculus l. 4. qui cùm iuſtum hominem exprimerent oculum adumbrabant? nam quod oculus fallere vt plurimùm non ſoleat, & qualis cuiuſq; ſit animus egregiè repræſentet, fit vt propria iuſtitiæ nota videatur. *Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana*, ait verè ſubtilitérq; D. Hieron. Quare Demoſthenes oculos appellabat *lucernas animi*, magnus autem omnium virtutum excellẽtia Gregorius *animi feneſtras* S. Chryſoſt. τῆς ψυχῆς μέλος, *membrum veluti quoddam animi*, idque ὡραιότατον, *ſpecioſiſſimum.* Noli igitur putare Iuuenti, in oculorum motu & moderatione minimum ponderis & momenti collocatum eſſe. Nam vt rem ipſam ad id quod eſt in quæſtione accommodemus, quis neſcit quantum in Oratore poſſint oculi, vel ad animos conciliandos auditorum, vel ad eoſdem permouendos, atque in omnem partem flectendos? Plinius fori lumen, cuius ætas in grauioribus cauſis fuit contrita, non dubitauit aſſerere, præcipua pronunciationis adiumenta eſſe *oculos atque manus*. Phauorinus Gallus orator, idémque rerum cognitione clariſſimus, cum preſtanti quadam auctoritate & nominis exiſtimatione teneret animos, tum coniectu oculorum plurimum efficiebat: quare Philoſtratus inter illa tria quibus eum ſcribit omnium animos conciliauiſſe, numerat τὸ σημαῖνον τοῦ βλέμματος, vertũt *deſignantem intuitum*, mallẽ *acrem, agentem & rem conficientem.* De Hippodromo Theſſalo Rhetore omnium elegantiſſimo quod dicitur, ſubit aliquando mirari. Is ἀγροικότερος ὢν τὸ εἶδος, *vultu agreſti, atque ad inſignem deformitatem compoſito*, tamen ita audiebatur lubentibus omniũ animis, vt delectaret. Cauſam prodit is quem modo nominabã Sophiſta, ἀμήχανον εὐγένειαν ἀπεδήλου τοῖς ὄμμασι, γοργόν τι καὶ φαιδρὸν, *mirificam generoſitatem ſeueritatémque ac ſerenitatem oculis præferebat.* C. Gracchus ſui tẽporis eloquentiſſimus in dolenti quondam oratione, dum priuatas familiæ ſuæ calamitates exponit, fletu & lacrymis, & cõploratione ingẽti forũ cõpleuerat. Id cùm refert L. Craſſus haud ignobilis iſtius artificij iudex & interpres, illius ipſius actionis vim atque florẽ oculis attribuit.

Demoſth. in laudat.

Diodor. Sicul. l. 4.

Epiſt 10.

D. Gregor. Homil. 6. in Euang.

Chryſoſt. 13 homil. in c. 4. ad Coloſſ.

Plin. l. 2 ep. 19.

l. 1. de vita Sophiſt.

Theoſtr.

Nam cùm eius periodum vnam attuliſſet, quam in ore fuiſſe omniũ ſignificat, *quæ ſic*, inquit, *ab illo acta conſtabat Oculis, voce, geſtu, inimici vt lacrymas tenere non poſſent*. Sed quid pluribus de re perſpicua diſputo, cùm vos mecum iuxtà videatis, oculos in oratore dominari? Te quidem certe hoc ſentire, Victor, ſat ſcio.

Cic. 3 de orat.

Ita ſane eſt Honorate, ait Victor; Illud ipſum omni prouiſione curandum oratori puto, vt oculorum moderatione præſtet, & in iis plurimum eſſe repoſitum arbitretur, & eò quidem elaborãdum accuratiùs, quò gratior erit multitudini & coronæ: nam qui amant, oculos præſertim intuentur, vt ex Ariſtotele prodit Athenæus. Galenus qui in ludo Medicorum familiam ducit, apud ſuos auditores aſſeuerabat, morbum & ſanitatem elucere in oculis, qui ſi rem ad dicendi artificium retuliſſet, dicturum mihi perſuadeo, in iiſdem vitia & virtutes orantium eminere. Itaque ſi mihi legendi eſſent homines ad dicendum, qui rebus omnibus expoliti facturi ſibi audientiam viderentur, id propemodum ſequendum exiſtimarem, quod faciendum in matrimonij ſocietate ineunda monuit Nicoſtratus, vir conſilio & incredibili ſapientia nobilis; *Neque enim intemperanter* inquit, *ſed arte quadam facies futuræ vxoris conſideranda eſt, benigni enim oculi ſummam animi pulchritudinem comitantur, quæ autem maligna & odioſa fuerit, ea ſtatim & oculis tranſuersè implacidéque intuetur*. Sic in prompto & expedito illo ad agendum, contuendum eſſet imprimis, quid primo obtutu & oculorum compoſitione polliceretur. Quò auidiùs tuam Honorate diſputationem, de oculorum geſtu & moderatione expetimus: neque verò te verbum vllum in recuſando à conſueta modeſtia expreſſum mittere patiemur. Quid me aſpectas? Haud, inquam, te recuſare patiemur, ne ſi iraſcaris quidem. Pergam igitur, inquit, ea lege, vt ſi à vobis ineptire me coactum probauero, liceat poſtea actione de vi experiri. Licebit, ait Victor ridens: & lubentes in ius, vel ad ius potius tecum ambulabimus.

Athen. l. 3.

Nicoſtr. apud Stobæum.

Defixi oculi & καραπτόμενοι, diu patentes, aſſiduè nictantes, clauſi, immaniùs diducti, quatenus reprehenſi. SECT. II.

QVONIAM tam multę in oculis perforatæ viæ ſunt, quibus affectiones prodeunt, iam præcipitis animo & videtis, longè plurima euenire poſſe vitia, quæ in illa pulcherrima hominis parte dedeceant. Volo imprimis in oculis haberi hanc rationem, vt nec diu aperti ſint & rigentes, neque item frequentius occludantur & nictent. Imperator Caius rigentes habuit, minimè ſanè blandos & iucundos, potius horribiles & infeſtos qui terrerent: cuius in ludo etiam duo fuiſſe dicuntur gladiatores, qui nunquam quidquid fuiſſet intentatū & obiectum cōniuerent, ferocium opinor & ἀναισθήτων indicium, Stygiæque laruæ. Deos olim hoc eſt improbiſſimos Genios, cùm in aſſumptis corporibus apparerent, palpebras nunquam occludere exiſtimabāt. De qua re diſputans Heliodorus αἰθιοπικ. lib. 3. τοῖς δὲ ὀφθαλμοῖς, inquit, ἂν γνωσθεῖεν ἀτενὲς διόλου βλέποντες, καὶ τὸ βλέφαρον οὔποτε ἐπιμύοντες, *ex oculis notari poſſunt* (Dij) *cum continuo obtutu intueantur, & palpebras nunquam occludant.* Contra verò ſunt, quibus naturale eſt, vt nictare non ceſſent, quos pauidiores, inquit Plinius, accepimus, Græcis nominātur σκαρδαμυκτικοί. Vtrumque ſanè extremum fugiendum eſt, ſic vt abſit ille rigor barbariæ proprius, & hæc rurſus exaggerata nictatio, quæ ſi vt morbus quidam inſitus diuturna conſuetudine inualuit, ſtudio & induſtria priuſquam in hominum lucem prodeamus, curetur.

Plin. l. 11. c. 37.

Heliodor. l. 3.

Qui nimiùm conniuerent, eos Ariſtoteles ἀβεβαίους, *inconſtantiæ plenos*, qui rigidos haberent oculos ἀναιδεῖς *impudentes*, mediocritatem verò inter iſta βελτίστου ἤθους σημεῖον *laudabilium morum notam* exiſtimauit. Rectè quidem ille, ſed quod intuitus eum rigorem vni impudentiæ tribuit, parum eſt elocutus, cùm non minùs ἀπαθῶν, quique animū à ſenſuum cōmunione auocare ſtudent, in acerrima cogitatione rerū defixi, vel ruſticanorum etiam hominum nimium quantum aliquid miran-

l. 1. de hiſt. an c. 10.

tiam id familiare videatur, vt quoſdam ait Dio Chryſoſtomus κερατοποιεῖν τὰ βλέφαρα, *durare corneaſque veluti reddere palpebras in intuendo*. In re tamen grauiore ſignificanda, quæ propter nouitatem aut admirabilitatem, vel quod ſit atrox & immanis non exiguum poſſit audienti ſtuporem iniicere, minimè reprehendendum oratorem putem, ſi tanquam ſtupens ipſe oculos diutius apertos habeat, ſi eam moram moderetur prudentia. Hoc enim eſt nec inſulſe nec ineleganter naturam imitari. Sic videmus Homerum ſolertem humanarum affectionum pictorem hunc ſtatum mirantis animi Vlyſſi tribuiſſe: nam cùm poſt annum demum vigeſimum in vxorem cariſſimam incidiſſet,

Odyſſ. 7. Ὀφθαλμοὶ δ᾽ ὡσεὶ κέρα ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος
Ἀτρέμας ἐν βλεφάροισι.
Non ſecus ac cornu ferrumque immota tenebat
Lumina.

In re prope ſimili è Latio princeps poëta,

Æneid. l. 1. *Dum ſtupet, obtutúque hæret defixus in vno.*

Sic apud alios auctores ſæpe admiratione aut pauore defigi: apud Græcos ὄμματα πῆξαι, οὐκ ἐπαίρειν, vel οὐκ ἀπαλλάττειν γῆς πρόσωπον, vt eſt apud Euripidem in Medea, vel denique vt paulò antè è Dione Chryſoſtomo adferebamus, κερατοποιεῖν τὰ βλέφαρα. Atque hunc quidem geſtum publica in oratione Themiſtius olim adhibuit, cùm patrium funus laude proſequeretur, ſtatim initio, *Certè*, inquit, *neceſſe eſt* ἱστᾶν μοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὥσπερ σίδηρον ἢ κέρατα καθάπερ ἐποίησεν Ὅμηρος τῷ Λαέρτου παιδὶ πεπηγέναι τὰ ὄμματα, *meos oculos tanquam ferrum aut cornu ſiſtere, quemadmodum Laertis filium Homerus facit oculos habuiſſe defixos*. Cuius hominis ſanè iudicio magni & eloquentis imitatione, poſſet Orator ἐν ἐπιταφίοις λόγοις clarorum virorum, quorum fatum mœrorem ciuibus & calamitatem attuliſſet, oculos ſuos dicendo componere. Pingit hanc quoque effigiem Heliodorus in in Amantium hiſtoria, τὸ ὄμμα δὲ ὥσπερ

l. 10. εἰ κέρας ἢ σίδηρος εἰς τὰ ὁρώμενα τείνας εἱστήκει, *oculis tanquam cornu & ferrum in ea quæ cernebantur defixis conſtiterat*. Sic aureæ lin-

Homil. 2. ad pop. Antioch. guæ Ioannes non facundia magis quàm animi ſanctitate pollens, inopiam ait & ſtuporem, κερατοποιοῦσαι τὰ βλέφαρα, *palpebras efficere corneas & immotas*.

Atque hic animo ſuggeritur, vt finitimam quandam periculoſámque Syrtim, quaſi intento digito patefaciam, ne orator in eloquentiæ hoc curſu, famæ naufragium honoriſque faciat. Aliquos enim reperias, qui oculos immaniter aperiant, aut naturæ vitio, aut animi morbo, aut prima educatione, vel quod Heroas quoſdam μεγαλοφθάλμȣς, & Iunonem βοῶπιν dictam à poeta bono vident, quorum forte æmulatione & ſimilitudine efferantur. Ij quoniam atroci illo oculorum coniectu homines ingenuos, honeſtiſſimúmque cœtũ perterrefaciunt, mihi penitus è choro humanitatis eiiciendi videntur. Albertus quidem magnus ſcribit oculos magnos, nitentes atq; pellucidos, ſignificare iuſtum, docilem & prudentem, quales Socrati Oraculi teſtimonio omnium Græcorum ſapientiſſimo tribuunt. Beroald. ad Suet. Sed vt Socrates aliquis videare, vt oculis magnis præditus atque nitentibus, quantum fieri poteſt oculos diducere, hoc eſt profecto non ſapientes imitari, ſed boues, aut monſtra in parietibus picta μορμολυκεῖα puerorum. His oppoſiti repeririuntur, qui ne opinor rerum varietate & multitudinis conſpectu à dicendi via deflectant, clauſis oculis prope omnem orationem decurrunt. Vidi ſanè religioſæ vitæ hominem bene doctum ſapientiæ candidatum, qui de more cum elegantiſſimà oratione eruditum conſeſſum dimitteret, poſt ſolennes academiæ diſputationes, tam obſtinatè iam inde ab initio clauſos habuit oculos & obſignatos, vt ne quidem cùm (Auditores) diceret aperuiſſe putem. Feſtiui homines aiebãt illum qui paulò antè in diſputatione Thrax aut Myrmillo fuiſſet, nunc Andabatam euaſiſſe. Præclarè & ſapienter Quintilianus, *Opertos*, inquit, *compreſſoſve oculos in dicendo nemo niſi planè rudis aut ſtultus habet*. Fabius l. 11. c. 3. At ſunt quidam qui alterum clauſum habeant, diductum alterum.: de quibus nihil dicam niſi videri digniſſimos qui relegentur in Siciliam, vbi monoculi Cyclopes habitauiſſe dicuntur. Si verò ex oculis θάτερος θατέρȣ ἐλάσσων γίνηται, *alter altero minor fiat*, id ominoſum malúmque Hippocrates putat lib. Prænotion. p. 4. quod rei de qua agimus lubens accommodarim.

SECTIO III.

Laſciui trementium oculorum flexus vitandi. ῥυθμὸς *in oculis.* ὀξυκινησία *promptæ mentis & ardentis indicium.*

IAM verò quid de illis dicam, quorum oculi libidinibus geſtiunt, & perſpicua titillatione voluuntur, quiſquamne eſt qui non reprehendendos putet? niſi forte veteris Philoſophiæ maculæ atque dedecora obſiſtant, quos in homines id protritum Athenis conuicium fuit coniectum ὄμματα παιδιεύεσθαι, cùm vitam atque mores infami nequitia collutulaſſent. Verè dicã, non clarius eſſe impudicitiæ ſpeculum, quàm hos oculorum flexus, quos amatorios nominauerunt. Arceſilaus prudens Philoſophus cùm diuitiorum quorundam oculos eſſet intuitus ludibundos, & teneræ voluptatis plenos. *Nil intereſt*, inquit, *quibus membris cinædi ſitis.* In Sardanapali impuri hominis luxu
Iuſtin. l. 1. deſcribendo, diſertè Iuſtinus, *Cum mollicia corporis & oculorum*
Dio. or. 62. *laſciuia omnes fœminas anteiret.* Eundem pingens Dio Pruſæus τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀναστρέφοντα nominat. Et Alexandrinus Cle-
l. 3. pædag. c. 11. mens de mollitie oculorum diſputans, *Tamen*, inquit, *effæminatum Sardanapalum regem Aſſyriorum in lecto indecorè ſedentem purpuram carpentem,* καὶ τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπαναβάλλοντα, *& albuginem oculorum verſantem inducunt.* Idem ipſe à
Differt. 19. Maximo Tyrio, dicitur τὼ ὀφθαλμὼ ἐκπεπτηκώς. Contrà verò Iulianus Imperator cùm animi caſtimoniam, morum ſeueritatem, & moderatiorem præ ſe ferret, ſeſe longe ab ea laſciuia
In Miſopog. & mollitudine abfuiſſe monet, ἐμοὶ δὲ οὐχ οἷόν βλέπειν ῥεμβομένοις πανταχοῦ τὰ ὄμματα, ὅπως ὑμῖν καλὸς ὤν τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ τὸ πρόσωπον ὀφθείην, ὁ τρόπος οὐ συγχωρεῖ, *Verum enimuero mihi laſciuire oculis, eóſque molliter circumferre, quo pulchro corpore non mente vobis videar, mores mei non ſinunt.* Ariſtopha-
Suid. nes βλέψαι ἰωνικῶς dixit, *contueri ionicè* hoc eſt nequiter & delicatè.

Et ſane fuit cõmunis omnium ſapientiũ opinio, oculũ vagũ illũ & liberiorẽ indicem eſſe leuitatis, & flagitioſę cupiditatis. Harpalus Demoſthenem cùm vidiſſet, eius tacitam cupiditatem

tatem, quaſi luce palam deprehendit ex διαχύσει καὶ βολαῖς ὀμμάτων, vt Plutarchus memorauit. Et Ariſtoteles inter no- *in vita Demoſthen.* tas indiciáque Cinædi ponit, ὀμμάτων περιβλέψεις. At diuus *Ariſtot. in Phyſiog.* Gregorius Nazianzenus cùm religioſos deſcribit verè Nazaræos, vt Chriſtianæ vitæ lumina, *Greſſus*, inquit, *conſtans*, *oculus minimè vagus*. *Orat. de pac.* Quod ego dictum vtroque modo explicem, & de vaga curioſáque oculorum circunductione, & libidinoſa motione, quam *flexum oculorum* vocat Seneca, ita enim ſcribit, Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & relatus ad caput digitus, & *flexus oculorum*. *Senec. l. 7. ep.* Huiuſmodi oculi Perſio nominantur, *patrantes*, *putres* Horatio, σαπροὶ Chryſoſtomo, Iuuenali *trementes*. Hinc Xenophon homini mode- *in Conui. p. 894.* rato & amanti καλοκαγαθίας, tribuit ἀτρεμὲς ὄμμα, *oculos non trementes*. Apuleius *vdos ac tremulos vocat*, *prona libidine marci-* *l. 3. Metamorph.* *dos, iamiámque ſemiadopertulos*. Anacreõ & cæteri Poëtæ Græci ὑγροὺς: Gregorius Nazianzenus in Carmin. σφριγῶντας. Dicuntur iidem Quintiliano, *natantes & venerei*, & conſimili ratione Adamantio κλυζόμενοι καὶ κυμαίνοντες ἐν ἑαυτοῖς, *inundantes & fluctuantes in ſeipſis*, Catullo *ebrij*, hinc eleganter ſanctus Baſilius impudicos ait iuuenes μεθύειν ὀφθαλμοῖς, *ebrios eſſe oculis*, vocantur ab aliis *pæti*, de quibus ſic vetus interpres Horatij, *Dicitur pætus, qui leuiter declinatis oculis eſt, cuique huc atque illuc tremuli celeriter voluuntur: hoc* *Baſ. in Iſa. p. 951.* *autem quia venereum eſt, ideo Venus pæta*: quam etiam Poëta Heſiodus ἑλικοβλέφαρον nominat, *oculis laſciuientem*. Illo etiam nequitiæ motu agitati, *fracti* Latinis, κεκλασμένοι Græcis oculi appellantur, de quibus ſapienter Ariſtoteles in Phyſiognom. τὰ κεκλασμένα τῶν ὀμμάτων δύο σημαίνει, τὸ μὲν μαλακὸν καὶ θῆλυ, τὸ δὲ κατηφὲς καὶ ἄθυμον, *confracta oculorum duo ſignificant, hoc quidem molle & fæmineum, aliud verò demiſſum pauidúmque*. Contrà verò τὸ βλέμμα καθεστηκὸς, *vultum compoſitum & oculos moderatos* Porphyrius aiebat *in vita Apoll. l. 2. c. 12.* efficere, τὸ σεμνὸν τοῦ καταστήματος, *grauitatem illam quæ in geſtu ſpectatur*. Et Themiſtius meo iudicio ſapienter Xenophonteiam Virtutem coloribus ſuis exornans illi tribuit βλέμμα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, *aſpectum ſimplicem ac generoſum*. *or. 5.* Atque hæc protuli omnia, vt intelligamus, cautionem eſſe adhibendam Oratori non vulgarem, in oculis moderan-

dis, ne quo geſtu animi vitioſitatem prodant. Tanquam enim ex tripode, illa ſunt à Philoſtrato pronunciata, πολλὰ μὲν γὰρ ὀφθαλμοὶ τῶν ἀνθρώπων ἠθῶν ἑρμηνεύουσι, *Oculi mores hominum pleróſque indicant.*

Neque tamen omnis oculorum mobilitas reprehendenda eſt, aut in vitio poſita, vt illuſtrium hominum dicta & exempla declarant. Sunt enim numeroſæ veluti quædam in oculis motiones, quæ mirificam olim Pompeio magno gratiam tribuebant, cui ſimile quiddam in Alexandro fuiſſe volunt, de qua re ita Plutarchus, ἦν δέ τις καὶ τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης, &c. id eſt, *Oculorum lenis modulatio reddebat faciei eius vſurpatam magis ſermonibus, quàm repræſentatam, cum Alexandri regis ſtatuis ſimilitudinem.* Herodianus item libr. I. ætate florentem Imperatorem laudans, & ſumma oris pulchritudine amabilem, inter cætera ponit ὀφθαλμῶν τε ἀρθμίας καὶ πυρώδεις βολάς, *rutilantium oculorum æquabiles, & veluti numeroſos motus.* Sic diuus Gregorius Nyſſenus Moſi tribuit ſummo viro & eximia oris dignitate præſtanti, τῶν ὀφθαλμῶν λαμπηδόνα, *dulcem oculorum ſplendorem atque lucem*, quam ſi Orator in ingenuum eruditionis hominum conſeſſum attulerit, quis non videt quanto præditus ſit inuitamento ad animorum conciliationem?

Plutarc. in Pomp.

Herod. in Commod.

de vita Moſ.

Eſt etiam nonnunquam in oculis volubilitas, quæ non quidem illuminandæ pulchritudini ſeruiat, ſed promptæ mentis acrem, & celerem agitationem vimque teſtetur. Chryſanthius apud Eunapium Sophiſta cùm in ſermone familiari, lento placidóque videretur eſſe ingenio atque natura, ſic tamen in Dialecticis eruditorum hominum diſputationibus æſtu quodam animi ferebatur, vt comæ capitis horreſcerent; τῶν ὀφθαλμῶν ἑρμηνευόντων χορεύουσαν ἔνδον τὴν ψυχὴν περὶ τὰ δόγματα, *Et oculi quoddam veluti animi tripudium circa dogmata occupati ſignificarent.* Maximum quoque magni nominis Philoſophum idem ſcriptor habuiſſe prodit oculos illa celeri motione velut geſtientes, ſi quando in ſubtili aliqua diſputatione occuparetur, nam ὁρμὰς τῆς ψυχῆς δεδήλου τὰ ὄμματα, *acris ingenij vigor atque agilitas ex oculis elucebat.* Addit nullum cum eo diſputantem potuiſſe ferre, τὴν ὀξυκινησίαν τῶν ὀμμάτων, οὔτε τὸν δρόμον

Eunap. in Chryſant.

Eunap. in Max. p. 82.

τοῦ λόγου, aut volubilitatem luminum, aut curſum atque flumen orationis: neque vllum peritorum contra hiſcere auſum, tantùm videlicet pars illa corporis in dicendo valet, & propè dicam triumphat. Quam laudem Damaſcius minimè reticuit, cùm Iſidorum in Philoſophia maximum oratione ſua commendaret, nam cùm dixiſſet illius in oculis gratioſiſſimam Venerem, vel potiùs Mineruam ſapientiſſimam penitùs inſitam impreſſámque fuiſſe, addit illos ἐπίτροχα κινουμένοις πῶς φάναι, *velociter ita moueri conſueuiſſe, vt verſari viderentur circa eandem ſpeciem, & ſimulacra eſſent, non ſolius animi, verùm & inhabitantis in ea diuinæ influentiæ.* Sed in memoria quidem vetuſtatis exemplorum magna eſt copia, quæ non eſt opus, vt faſtidiosè congeram. In vnum mihi magnum Vlyſſem mentis oculos iniicite, quem præſtantis & cumulati Oratoris ſpecimen fuiſſe volunt & exemplar. Illum autem Rhetor ingenioſus in Heroicis ait πεπλανημένον τοὺς ὀφθαλμοὺς διὰ τὰς ἐννοίας τε, καὶ ὑπονοίας, *oculis fuiſſe continua motione errantibus, propter varias animi cogitationes & ſuſpiciones, quæ altam illam mentem exercebant.* Itaque Menelaus apud diuinum Poëtam Telemachum agnouit Vlyſſis filium, quod ſimiles haberet manus, ὀφθαλμῶν τε βολαί, *ſimileſque oculorum coniectus.* Suetonius, *vegetos oculos* nominat, quos tribuit Cæſari ſymbola certè hominis δραστηρίου: nam in eodem proprium illum vigorem, celeritatémque quodam igne volucrem ait fuiſſe Plinius. Vetus Poëta laudans Ariſtotelem προχαλαὶ ὀπωπαὶ nominat. Καὶ προχαλαὶ σήμαινον ἀολλέα μῆτιν ὀπωπαί, *Et volubiles oculi multiplicem animi agitationem declarabant.* Caſſiodorus vir reconditæ ſapientiæ vitioſis & conſceleratis animis eum geſtum attribuit. Sic enim libro de anima, *Malis nubilus vultus eſt in qualibet gratia corporali*, &c. *Oculi interdum ſuprà quam neceſſe eſt, commouentur, iterúmque cogitantes infixi ſunt, incerti vagi fluctuantes*, &c. Sed hanc furentium hominum ſimilitudinem, non eſt, opinor, difficile ab illa ingenioſorum & vigentium conditione ſecernere.

Photius. Cod. 241.

Philoſtr. in Heroic.

Odyſſ. 4. verſ. 150.

Plin. l. 7.

Antho. l. 5. ep. 2.

Caſſiodor. c. 17.

SECTIO IV. *Saturnius oculus & truculentus vulgò in vitio. An toruè intueri ſit illiberale. Strabonum peruerſitas indecora.*

SED eſt mihi hîc adhibenda minimè ſuperuacanea & inutilis monitio, ne recti & honeſti ſimilitudine decepti in aliquam prauitatem delabamur. Sunt enim quidam qui dum illam oculorum mollicíem laſciuiámque refugiunt, triſtem quãdam & indecoram feritatem aucupantur. Sanè vniuerſim moderata honeſtáque in oculis ſeueritudo placet, quæ neque teneritudinis & petulantiæ veſtigiũ vllum habeat, nec importunam animi duritatem ſignificet. Id opinor, ἀνδρικὸν ὁρᾷν dictum Veteribus, vt de Mauris apud Ælianũ, εἰσὶ δὲ μαυρούσιοι, καὶ καλοί, καὶ μεγάλοι καὶ ἀνδρικὸν ὁρῶσι, *Sunt Mauri, & pulchri, & procero corpore, & virili aſpectu.* Sed vt dixi, cauendum maximè eſt, ne iſtius decoris appetentes acerbitatem quandam induant, qua nihil eſt, quod magis honeſtiſſimo auditori diſpliceat. Conſtantius Imperator magni parentis cura & prouidentia liberaliſſimis ſtudiis eruditus, omninò ſapienter, οὐ βασιλικὸν ὑπελάμβανεν τὸ ταρακτικὸν τοῦ βλέμματος, ἀλλὰ μανίᾳ προσῆκειν ἡγούμενος, ἐν τοῖς νοσήμασιν ἀριθμεῖ, *minimè regium exiſtimabat, ſed potiùs furioſæ dementiæ congruens & conſentaneum immani oculorum obtutu aſpicere, idque in hominum vitio morbóque reponebat.* Eo vitio malè quidam audierunt antiquitatis Philoſophi, qui dum ſeueri potiùs videri volunt, quàm humani, Αγρίως ὄμματα, vt eſt in communi prouerbio, & Saturnium quendam aſpectum, Lemniúmque præ ſe ferebant. Et quidem Plato, qui Socratis næuos omnes penitus cognitos & perſpectos habebat, eundem ait ταυρηδὸν βλέπειν, *taurinis oculis obtueri* conſueuiſſe. Quam eandem ob cauſam Pauſanias ab Academia palliatos éque Socratis familia ſapientes, βλεπιδαίμονας fuiſſe nominatos ait, *terribiliter intuentes*, qui parùm abſint ab eorum hominum conditione, qui à Geniis improbis agitantur: illos enim exiſtimat Xenophon, πρὸς τὸ γοργότερον ὁρᾶσθαι, *aſpectu eſſe truculentiores.* Quare Iulianus Christianæ religionis deſertor, ab eo tempore quo nefariam in ſpecum de-

Libanius in Baſil.

Cæl l. 3. c. 18.

ſcendit ad dæmones conſulendos, rediit vt Theologiæ princeps aiebat Gregorius, τὸ μανιῶδες τῶν ὀφθαλμῶν præferens, *furioſo oculorum obtutu formidabilis.* Alias quoque eidem attribuit ὀφθαλμὸν μανικὸν βλέποντα, ſicut & Gregorius presbyter βλέμμα θηριῶδες, *ferinum aſpectum. Truces oculos* dicunt Latini. Salu. l4. *Ille reſpiciens ac vibrans in os meum truces oculos.* Nazianz. Or. 2. in Iul. p. 122. Salu. l 4.

Hoc autem quàm ſit ab eo alienũ, qui placere velit, & conſeſſus beneuolentiam ſibi conciliare, nemo niſi à ratione alienus & cæcus non videt: ab iis enim publicè orantibus, non oculi modò auditorum, ſed animi multò magis ſtudiúmque abhorret. Itaque Lucianus cùm Thraſyclem pingeret philoſophum, ſapientiæ laruam, furioſæ mentis hominem, eum inter alia τιτανῶδες βλέπειν, *Titanicum tueri* ait, quaſi nepotulum quendam Gigantum & terræ filium. Id verò eſſe indecorum facilè hinc colligas, quod à ſummis viris atque doctiſſimis in perfecta hominis pulchritudine oculorum quædam veluti lætitia ponatur. Sanè à D. Chryſoſtomo inter ſummæ & eximiæ venuſtatis indicia ponitur imprimis ὀφθαλμὸς μειδιῶν, *oculus ſuauiter & blandè arridens.* Lucian. in Timon. in pſal. 44.

Toruè tamen aſpectare, num aliquando in oratorem quadret exiſtimationis retinentem ſuæ & honeſtatis, quæri poſſe video. Aduerſarios ſi præſentes habeat, qui innocentiæ inſultare videantur, & immani contentione ius violare, non eſſet fortè illiberale, aut abhorrens à grauitate hominis iuſta iracundia elati, toruo illos nonnunquam aſpectu verberare, ſi præſertim ad eos orationem conuertens, ante omnium oculos inſignem eorum malitiam & fraudem ponit. Id enim è cauſæ fiducia oriri videtur & animi læſi æquitate, modo ferociæ cuiuſdam agreſtiſque animi ſignificatio vitetur. Proæreſius facundia olim præſtans, quem Ἑρμοῦ λογίου τύπον, vt Eunapij verbis vtar, *Mercurij eloquentiæ præſidis typum* nominabant, cùm Athenis cauſam pro ſe ageret, ampliſſimo in theatro, Proconſule Romano audiente, cùm adeſſent plurimi eius æmuli, à quibus fuerat contumeliis intemperanter agitatus, non putauit à ſua dignitate alienum ταυρηδὸν μὲν αὐτοῖς ἀποβλέψαι, *toruis oculis eos intueri,* quo geſtu opinor nonnihil aduerſariorum audaciam ſpémque tardauit. Sic Poeta ſapiens toruum aſpectum heroibus ſuis attribuit, vt de Achille in opere diui- Eunap. in Proæreſ.

Iliad. a. no ſæpe, *τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.* Illius quoque non indecoræ *ὑποδρασίας* cæteri Poëtæ meminere. Ariſtophan. de Æſchylo irato, *Tauri inſtar demiſſo capite* Ammian. m *obtuebatur*, vt eſt apud Suidam. De Conſtantio Imperato- l. 20. 381. re Ammian. Marcell. *Limiſque oculis eos* (legatos) *aduſque metam contuens mortis, egredi iuſſit*. Sed hoc iratorum eſt, qui terrorem ſpecie ipſa præferunt. Proximum eſt & conſimile, obliquè intueri ad contemptum aliorum, quod eaſdem ob cauſas ab honeſtis hominibus fieri poſſe decorè puto, ſed parcè tamen & moderatè, ne ſuperbientis animi faſtidium in eo appareat, eſt enim etiam arrogantium obliquare aſpectum. l. 28 p 474. Scitè Ammianus cum vitia nobilitatis graphicè delineat, *Alius*, inquit, *cum dignitate licet, ceruice tumida gradiens, notos antea obliquato contuetur aſpectu, vt poſt captas Syracuſas exiſtimes* l. 2. myth. *reuerti M. Marcellum. Limaces oculos* vocat Fulgentius.

Cæterum quod ad Strabones attinet, qui naturali vitioſitate oculorum laborant peruerſiſſimo aſpectu & diſtorto, vix mihi videntur oratorio poſſe muneri & dignitati ſatisfacere. Xenoph. in Conui. Nam profecto iocabatur & illudebat Socrates, qui contendens cum Critobulo de pulchritudine oculorum, *Tui*, inquit, *tantum directò aſpiciunt, mei autem καὶ τὸ ἐκ πλαγίου etiam tranſuerſim, propterea quod exterius promineant.* Noſter autem ille orator, quem perfectum & ſuis numeris abſolutum eſſe volumus, neque Socratem in ea re imitandum ſibi exiſtimabit, neque dogma Stoicorum ſequendum, qui aiebant ſapiētes ſi di- Diomed. l. 3. ſtortiſſimi ſint, eſſe formoſos. Hoc Roſius Gallus vidit hiſtrionum facilè princeps, qui cùm oculis eſſet obuerſis, neque ad tuendam dignitatem idoneis, primus omnium in agendo perſonatus in conſpectū hominū venit. Atq; hoc loco naturæ noſtræ imbecillitatem licet animaduertere: nam cùm tam multæ ſpecies animantium reperiantur oculis præditæ atque ſen- Plin. l. 11. ſibus, *vni tamen homini deprauari oculos conſueuiſſe* prodit Plinius. Quibus igitur ſiue à natura contigerit vt Strabones ſint, vel à mala peruersè intuendi conſuetudine: ij non ſatis ſubornati inſtructique ad dicendum prodire videntur, niſi multis magniſque ornamentis, & præſtanti quadam eruditione id vitium obtexerint. Sed omnium ineptiſſimi ſunt ad agendum ij qui ſic inuertunt oculos, vt pupilla fere omnis tegatur, & cæ-

πάγλως luminum tantum album oſtentent. Notauit ſapienter S. Chryſoſtomus ſummus ipſe in dicendo atque perfectus, proprium eſſe τῶν δαιμονώντων aut μεθυόντων διαστρέφειν τὰς κόρας; *oculorum pupillas inuertere*. Neque minus mihi arcendi videntur à ſuggeſto, qui naturæ dãno, aut furoris diuturnitate; ſemper toruis ſunt oculis, aliiſque metuendi, niſi multò ante horridã illam ſpeciem lenierint. Et tamen quorundam populorum id eſſe proprium antiquæ memoriæ ſcriptores voluerunt. Ammian. Gallos pæne omnes candidos fuiſſe ait & rutilos, *luminúmque toruitate terribiles*. Id fortè dici aliquando potuit, cùm Gallia tota martia ferro victitabat & ſanguine, & omnia virorum fortium eſſe putabat: ſed iſta contuitus barbaries & luminum ferocia plurimùm abeſt ab æui noſtri humanitate. S. Chryſ. ſerm. de reſurrect. l. 15.

Iratus ὄμμασι φλεγόμενος. Igneus oculorum ardor & πολεμικὸν βλέμμα, non modò in prælio, verùm & in foro atque ſuggeſto plurimum valet. SECT. V.

IVVENTIO non videbatur ſatis factum ſuperiori diſputatione, qui interrumpens hîc orationem, Mihi videris, inquit, Honorate, qui truculentum aſpectum repudias, hominem eum velle deſcribere, qui nunquam iraſci debeat aut poſſit: nam cum æſtus iracundiæ in oculis maximè eluceat, neceſſe eſt, in oratore ardenti & incenſo, præſertim cùm ſtomachum in aliquem erumpit, χρόνιον illud ὄμμα exiſtere. At Honoratus, Imo tu videris Iuuenti, quæ diſſimilia ſunt & diſiuncta confundere. Neque enim ardentes repudiaui oculos & reieci, ſed truces, qui proprij magis ſunt barbarorum & belluarum. Quare Iulianus Parabates Conſtantij Imperatoris comites & amicos, qui truci aſpectu omnibus omnia minabantur, vocat θηρία πᾶσιν ὑποφθαλμιῶντα. Lucius Florus Cimbris oculos attribuit *horrendos & efferatos*: rectè. barbari enim fuerunt & milites. Et de bellante Catilina Salluſtius, *Inter hoſtium cadauera repertus eſt, ferociam animi quam habuerat viuus, in vultu reti-* ep. ad Hermog. Flor. l. 3.

nens. In oratore verò niſi humanitas in geſtu emineat, vix mihi ferendus videatur. Neque verò hæc quæ dixi eidem officiunt, quominus quantũ prudentiæ ratio poſtulet, ardōrẽ animi ſui prodere queat, & per oculos emittere. Trachallo præſtantiſ-
Fab.l.11. c.5. ſimo ſui temporis oratori tribuit Fab. *oculorũ ardorem*. Viuidã opinor vim intelligit acrem & agentem, ſplendidi ingenij animíq; præſentis argumentum, qui certè habitus dignitatis plus habet, quàm qui vulgo in ſemiſomnis apparet, cùm languent oculi & deiiciuntur. Iam eoſdem eſſe iracundiæ miniſtros, quis tam hoſpes & peregrinus eſt in natura rerum qui neſciat? Hic
Philo Iud. memini Caij Imperatoris, qui oculorũ veluti fulmine Agrippam ita Regem perterrefecit, vt pæne ſolo timidum afflixerit cui ipſe regiè & inſolenter, *ἠγνόησας ὅτι οὐ τῇ φωνῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄμμασι φθέγγομαι μᾶλλον, ἢ οὐχ ἧττον ἕκαστα διασημαίνων*, *Ignoras me non minus oculis quàm voce loqui ſolere?* Nolim tamen ſic efferri dicentem iracundia, animóque inflammari, vt quemadmodum ait Ouidius,

Lumina Gorgoneo ſæuius igne micent.

Aut vt horrifico illi ſeni apud Maronem,

——ſtent lumina flamma.

Laërt.l.2. Longius paulò hac in re Menedemus prouehebatur, quem aiunt in doctis ſubtilium rerum concertationibus tam pugnacem fuiſſe, *ὥσθ' ὑπώπια φέρειν*, *vt ardentis ſpiritus indicia in oculis ferret*. Ita vituperans hæc de quodam magnus orator profe-
7.Verr. rebat, *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* Sic de milite ferociente S. Chryſoſtomus in homil. de Eutropio ſiue in Pſ. 44. *καὶ πῦρ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἠφίει*, *ex ipſa oculorum acie ignem eiaculabatur*. Mimo & hiſtrioni eo licet vti ardore liberius, & flagrantia oculorum audientium mentes commouere. De illis
2.de Orat. hominibus Antonius, *Vidi*, inquit, *cùm ex perſona mihi ardere oculi hominis hiſtrionis viderentur.* Orator autem cùm moderationem adhibuerit, prudentium hominum conſilio dignam & communi honeſtate, tum demum intelliget, quantam vim habeat, quámque mirificam igneus ille motus oculorum ad per-
Paneg.3. ſuadendum. Iulianus Imperator ait Homerum laudes Achillis eximij Græcorum Herois proſequentem, dixiſſe illum ita inuictum & præſtantem in prælio fuiſſe, vt hoſtes voce ipſa & geſtu, *καὶ τῶν ὀμμάτων ταῖς προσβολαῖς*, *oculorum conictu*,

vt

Digitized by Google

vt intorto ſpiculo in fugam immitteret. Sanè quidē D. Chryſoſtomus, qui rerum infinitatem animo comprehenſam variegata orationis pictura in omnium oculis poſuit, ad fundendos & debilitandos hoſtes, in præliorum contentionibus, valere plurimum ait βλέμματα πολεμικὰ, καὶ ἀντιπάλων ἐκψυχίας. Id autem opinor Græci dicunt βλεμεαίνειν, quod Euſtathius leonum proprium eſſe ait, & ſignificare vel ſolo aſpectu terrere, vt apud Coryphæum in Iliade σθένεϊ βλεμεαίνων. Atque hunc aſpectum video à doctiſſimis viris notatum & animaduerſum fuiſſe, in Telamonio Aiace illo, quem propter inclytum animi robur & fortitudinem μέγαν nominauerunt, de quo produnt, ſolitum eſſe βλέπειν χαροποῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς ὑπὸ τὴν κόρυν, οἷον οἱ λέοντες ἐν ἀναβολῇ τοῦ ὁρμῆσαι, *glaucis oculis atque micantibus intueri ſub galea, vt cùm leones magni ſubſident mox in prædam ruituri*. Talis quoque mea opinione fuit mora fatorum & Troiæ præſidium Hector, quem Sophiſta Lemnius ait, ἐκπληκτικώτατα βλέψαι, *terribilem & formidandam oculorum aciem ſolere coniicere*. Hoc igitur erecti animi præſidium in oratore nihil valiturum exiſtimemus? Cùm Periclem audimus fulgurare, & tonare conſueuiſſe, quid aliud intelligimus, quā ſcintillantem ex oculis vim & micantem, cum ſplendido & magnifico ſono orationis coniunctam? Ponite vobis ante oculos M. Tullium in media Curia fulminantem, nefarios imperij magni prædones oratione cruentantem: nuſquā in externo duce tam expreſſa βλέμματα πολεμικὰ reperietis, quam in togato illo Imperatore, aduerſus patriæ hoſtes, incredibili robore & totius animi contentione pugnante. Hic idem eſt *oculorum vigor* quem Valerius Maximus in Demoſthene eloquentiæ Rege in nobiliſſimis cauſis triumphante, ſumma commendatione prædicat. Hinc etiam in tēplis noſtri Concionatores ad perditorum animos perterrefaciendos, grauem illum & ſeuerum aſpectum, vt Dices ac Nemeſis oculum adhibere ſolent. Talis quidem certè fuit D. Hilarius, qui hæreticos & perduelles religionis non modò Gallicano cothurno, vt cum S. Hieronymo loquar, verùm & aſpectu ipſo fractos & domitos conficiebat. Itaque in illius Epitaphio verè poſitum,

Iſtius aſpectum ſerpentes ferre nequibant,
Neſcio quæ in vultu ſpicula ſanctus habet.

Chryſ. συχ. orat. 1.

Philoſtr. in Heroic.

idem Philoſt. in Heroic.

Valer. l. 8. c. 10.

Or. 10. Talis Baſilius ter maximus, cui doctiſſimus Gregor. Nazianz. attribuit ῥητορικὴν πυρὸς μένος πνέουσαν, eloquentiam ipſis oculis atque ore toto fulgurantem & euomentem incendium, cuius in eo genere victoriarum gratam & vtilem memoriam, nullius vnquam temporis obliuio inobſcurabit. Atque hoc tamen intelligendum eſt tum decere, cum iraſci commodum eſt, & rei dignitas atque magnitudo poſtulat vt àgamus vehementer. Nam vt in pictura non ſemper læta & colluſtrata delectant, nec in muſicis ſumma vocum intentio; ſic ille ardor luminibus intermicans niſi opportunè adhibeatur non placet. Cornificius ad Herennium prudenter, *Si contendemus*, inquit, *per continuationem, acri aſpectu vtemur*. Sed vniuerſim hæc ſatis.

SECTIO VI. *Hilaritas, mæror in oculis expreſſus. Clariſſimi Oratores olim in Iudiciis fleuerunt. Lacrymæ fortium virorum conſtantiam non dedecent.*

QVOD paulò antè aiebam, oculorum acrem & vehementem contuitum eſſe ad genus quæſtionis accommodandum, id in omni affectione debet intelligi. Nam in lætis triſtibúſq; rebus, ſæpè hæret & iactatur oratio. De qua re monens Craſſus, *Oculi*, inquit, *ſunt, quorum tum intentione, tum remiſſione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum ſignificemus aptè cum genere ipſo orationis*. (Cic. l. 3. de Orat.) Igitur cùm de iucundis amœniſque rebus erit dicendum, vt de ſplendore virtutis, de pompa, de illuſtrium facinorum dignitate, de laude, de magnificentia, de hominum ornamentis, de fama, de nominis prædicatione, de victoria, de beata vita, déque ſimilibus, oculi nitere quodãmodo, & hilareſcere debent, Theocritus opinor ὄμματα μειδιόωντα nominat, *oculos renidentes*. (Idyl. 7. v. 20.) Quod eò facilius erit oratori, quod illud ipſum ſine vllo geſtu & motione conſequi poſſit, Quintiliano teſte, cuius ni memoria me fallit, illud eſt Axioma, *Per oculos maximè animus emanat, vt citra motum quoque & hilaritate eniteſcant, & triſtitia quoddam nubilum ducant*. (Fab. l. 11.) In mœrore deiici eos par eſt, & ipſum animum quaſi fluctu calamitatis abiectum inuolutúmque teſtari. D. Baſilius ora-

tione percurrens eorum hominum habitus, qui vel fortunæ acerbitate, vel propria animi inductione, à communi hominum lætitia & iucunditate abeſſent, inter cætera illis attribuit ὄμμα ςυγνὸν ϗ εἰς γῆν συννενευκὸς, *oculum mœrore ſuffuſum depreſſúmque humi.* Valet hoc maximè in cõmiſerationibus, in certo & præſenti periculo, in luctuoſiſſimis temporibus, in patriæ calamitate, in funeribus reip. in eorum fato acerbo deplorando, quorum vita communi rei atque ſaluti neceſſaria videbatur, in miſerorum fortuna deſcribenda: in iis denique memorandis, quibus audientium animi ad miſericordiam & humanitatem vocantur, quo tempore animo demitti contrahique iuſtum eſſe videtur. Itaque languet geſtus oratoris, manus veluti fit tardior, immotum corpus, oculorum argutiæ cõquieſcunt. Ex hoc dolore & mœrori ſignificationibus ſæpe conſequitur, vt etiam copia lacrymarum è dicentis oculis emanet. Sed quid tu rides Iuuenti, dum de fletu dicere incipio? Rideo, inquit, quod doctores Rhetoricos ea præcipere videã, quæ nec fieri ſolent, nec etiam commodè poſſunt. Quoties enim tu vidiſti Honorate, vel in foro vel in ſuggeſto oratorem qui fleret, aut ſine riſu auditorum ſimularet? *Cito areſcit lacryma præſertim in alienis malis*, ait verè & ſcienter M. Tullius. Hiſtriones ipſi cum frequenti exercitatione naturam habeant ad omne genus affectionum commouendum, promptam & expeditam, præſtare id ipſum pro arbitrio non poſſunt, quod Rhetores in grauioribus cauſis monent eſſe faciendum oratori. Hinc ille de ſcena politus & theatro, cùm in luctuoſiſſima cataſtrophe actionis flere vellet, vrnam adferri in Orcheſtram curauit, qua cineres demortui filij continebantur, vt illius cõſpectu non ſimulatum iam atque falſum, ſed veriſſimum fletũ cieret. Igitur oratori Biantis ego vellem monitionem obiicere, qui Alyatti regi mandauit χρόμμυα ἐσθίειν, *cepas edere*, cũ ad lacrymas profundendas cohortaretur. Præterea iidem ipſi dicendi magiſtri effœminationem inducunt animorum, à generoſæ mentis excellentia longe alienam, & vt breuiter dicam viro non congruentem. Puerorum eſt atque mulierculærum lacrymas profundere, quarum habent à natura magnam quãdam facilitatem, ſic vt habere in poteſtate videantur. *--plorat*

Vberibus ſemper lacrymis, ſempérque paratis

ep. ad Gregor.

Cæl.l.11.c. 4.

Iuuenal. ſat. 6. v. 273

In ſtatione ſua, atque expectantibus illam;
Quo iubeat manare modo.

Hinc illud Poëtæ quoq; nō mali, *--& iuſſæ proſiliunt lacrymæ.* Catullo proinde *falſæ lacrymulæ* appellantur, præſertim earum quæ in Gameliis, *—parentum*
Fruſtrantur falſis gaudia lacrymulis.

D. Hieron. ep. 3.

Prudenter vt multa Vates Ennius, *Plebes*, ait, *in hoc Regi anteſtat loco, licet lacrymare plebi, regi honeſte non licet.* Illud ipſum forti animo & altæ mentis conſtantia indignum, in Atheneo Tuſculano M. Tullius clariſſimis olim rationibus & excellenti prudentia oſtendit.

Hîc Honoratus, Erras, inquit, Iuuenti, & leui manu tuū oratorem peruolutaſti, & facilè poſſem orationem tuam refellere. Ais fletum non ſuſcipi ab Oratore conſueſſe, & indecorum magnanimo eſſe viro & conſtanti. Vtrúmque perſpicuè eſſe falſum Græca iuxta Romanáque hiſtoria conuincit. Ecquem enim in totius complexu antiquitatis præſtantem Oratorem, dicendo nobilem inuenire poſſumus, qui permouendis auditorum animis, cùm res & cauſa poſtularet, non à ſe primùm vim lacrymarum & copiam expreſſerit? Pericles magnus quidem vir fuit & diuina quadam facundia præditus, ſed tamen Aſpaſiam religionis violatæ ream; à Iudicum ſeueritate & legum pœna, non tonando, vt aiebat Eupolis, & fulgurando ſeruauit, ſed ἀφεὶς ὑπὲρ αὐτῆς δάκρυα, cùm in iudicio *in illius mulieris calamitate fletum edidiſſet.* Græciæ lumen Demoſthenes tam id habebat conſuetum & ſolenne, vt eo vno cauſas eripere, & Attico in theatro victricia linguę trophæa collocare videretur. Itaque æmuli illius gloriæ, qui cum eo de præmio eloquentiæ palmáque certarunt, nullum ipſius in dicendo artificium magis horrebant, quàm ſi fletu animos incenderet, & Iudicum ſententiam ea doloris ſignificatione captaret. Dinarchus in iudicio capitis aduerſus Demoſthenē, monet Iudices, ne eius lamētis & cōploratione moueantur, μὴ οὖν ἀνέχεσθε αὐτοῦ κλαίοντος καὶ ὀδυρομένου, &c. Æſchines in eundem oratorem inuehens, cùm vellet iſtius machinationis vim potentiámq; retundere, οὗτος κλάει ῥᾷον, ἢ ἄλλοι γελῶσιν, *Facilius*, inquit, *hic plorat, quā alij rident.* Demades Orator vt memoriæ prodidit Tzetzes, eundē προσποιητὰ δάκρυα δακρύοντα ſolebat illu-

Plutarc. in Pericl.

Dinarch. p. 187.

Æſch. cōtr. Cteſiph.

Tzetz: Chiliad. 6.

dere. An excidit quod eſt apud facundiæ Romanæ ducem de Antonio, qui in cauſa M. Aquilij ſuis lacrymis fletu & lamentatione forum compleuit? Is autem Cottam & Sulpitium egregios adoleſcentes, qui ad perfectam eloquentiæ ſpem alebantur, ſuis præceptis artificióque inſtruens, monet, *vt in dicendo iraſci, vt dolere, vt flere* diſcant. Fronto Catius Traiani Imperatoris æuo, compoſitus, grandis & concinnus Orator, non alio prope ariete iudicum acerbitatem quatiebat, ſenſum molliebat. De eo Plinius ſecundus, *Fronto Caſſius omnia actionis ſuæ vela vir mouendarum lacrymarum peritiſſimus quodam veluti vento miſerationis impleuit.* Dicerem de M. Tullio, niſi in epilogis admirabilium orationum, vberes etiamnum lacrymæ tanti Oratoris ſtillarent. 2. de Orat. Plin. l. 2 ep. 11.

Neque verò nimis id arduum atque operoſum eſſe putandum, libro de Oratore ſecundo, M. Antonius egregia diſputatione comprobat. Nam tametſi lacrymula citiùs in aliena calamitate areſcat, alieni certè exiſtimandi non ſunt, qui in Oratoris patrocinium atque fidem ſe contulerunt, cùm & ſalus amicorum, & ipſius dicentis exiſtimatio in diſcrimen vocetur. Exercitati eſt Oratoris, & in ſe quoddam veluti imperium habentis, in triſtiſſimis, calamitoſiſſimiſque rebus memorandis, amplificandiſque moueri, ad quod naturæ vis quædam & animi comparatio iuuat plurimùm. Ion Poëta hoc apud diuinum Platonem de ſe profitetur, vt gloriandum, & merita prædicatione ferendum, ἐγὼ γὰρ, inquit, ὅταν ἐλεεινόν τι λέγω, δακρύων ἐμπίπλανταί μου ὀφθαλμοί, *Cùm ego aliquid miſerabile loquor, lacrymis mihi complentur oculi.* Et ne prophanos tantùm Oratores attuliſſe videar, quid Chryſoſtomo vni omnium in dicendo politiſſimo grauiſſimóque euenerit, ex illius ipſius ore poteſt intelligi. Nam cùm fortè Ieroſolymam lamentantem pro concione induxiſſet, ſuarum calamitatum vim & magnitudinem exponentem, εἶδον, inquit, ὑμῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς τότε ὠδίνοντας πηγὰς ἀφιέναι δακρύων, &c. *Vidi oculos veſtros turgidos lacrymarum flumina parturire: vidi non ſine conſimili animi commotione mentes omnium afflictionibus confundi & turbari: ſtatim igitur orationis meæ vela contraxi: eo enim progredi videbatur luctus, vt omnium corda ruptum iri planctu & lamentis putarem.* Potuítne igitur tantum flumen ex om- Plat. in Ion. Chryſoſt. ſerm. 21. de diuerſ.

nium oculis audientium erumpere: niſi magnus ille Orator ſuarum lacrymarum fontes aperuiſſet?

Fortè quibuſdam mollioris hoc animi eſſe videatur, quàm vt in virum ſapientem & grauem, atque magnanimum cadere poſſit. At non ita eſt: nam alioqui neque in monumentis annalium, neque in ſcriptis Poëtarum, Heroum fletus dolorémque videremus. Eleganter ille de ſcena, Homo ſum, humani à me nihil alienum puto; nec enim virtus aut animi excelſi magnitudo, naturales affectiones, & humanitatem, ex hominum animis exterminat & exurit. Verè fortaſsè Menelaus apud Euripidem, communem hanc omnium gentium opinionem ait, eſſe viri generoſi in acerbis rebus & calamitoſis, lacrymas ex oculis emittere,

In Helen.

Καί τοι λέγουσιν ὡς πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς
Ἐν ξυμφοραῖσι δάκρυ' ἀπ' ὀφθαλμῶν βαλεῖν.

Itaque videmus lumina antiquitatis vbertim aliquando fleuiſſe, Xerxem, Alexandrum magnum, Scipionem Africanum, Marcellum, Stoicum etiam & auſterum Catonem, Titum Veſpaſianum, innumerabiles alios, quod vel hoſtes ſuos afflictos, & omni honore & vita ſpoliatos, vel dites olim ampliſſimáſque ciuitates funditus euerſas, & exinanitas viderent. Agamemnon apud ſonorum illum buccinatorem, ἵστατο δακρυχέων; & pius Æneas apud geminum, *ſic fatur lacrymans*: etiam Vlyſſem mortuo cani illacrymaſſe ferunt, adeò nimirùm conteſtatum ſemper fuit illud è Græcia commune dictum, Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες, *Viri probi in lacrymas proni ſunt & faciles*. Tantùm rigidi Manes humanitatis expertes flere non poſſunt, & miſeratione non capiuntur. Illud ſanè quod permirum videri debet, à pluribus notatum fuit, Magos & maleficos & mulieres ſagas, quacunque tandem ſuppliciorum aſperitate vexentur, lacrymulam oculis nullam emittere; quo iudices tanquam certo præiudicio vti ferunt apud Germanos, ad impietatem eorum hominum explorandam. Sed hæc extra lineam. Oſtendere hoc ſolùm volui, fletum & lacrymas, nec Heroibus fortiſſimis indecoras, nec ab officio & dignitate Oratoris alienas videri. Sunt tamen vnicuique tentandæ vires, luſtranda omnis amplificationum regio atque ſylua, diſponendi priùs animi auditorum, nec ea ra-

Zenob. prou. 14. cent. 1.

Digitized by Google

ra temerè vſurpanda, ne Tragœdia in nugis induci videatur.

Caninus oculus, impudens, & κυνοθρασὴς fugiendus. Pudor in oculis. Demittere oculos grati pudoris, modeſtiæque indicium. SECTIO VII.

PERGO ad alia, moneóque imprimis caninum obtutum eſſe Oratori fugiendum: impudentiam dicere me ſatis intelligitis, quæ propria canum. Hinc Græci κυνοβλῶπας & κυνῶπας, *caninum intuentes*, & κυνοθρασεῖς, *inſtar canum impudentes atque audaculos* nominant. Agamemnon omnia pro libidine ſua agebat, os ſuum liberè oſtentabat, illi igitur non ſine cauſa magnanimus Achilles in contentione κυνὸς ὄμματα, *canis oculos impudentéſque* attribuit. Quem Poëtæ locum memini à Critico magno Dionyſio Longino prolatum fuiſſe, vt oſtenderet, ex communi opinione nulla re magis ἐνσημαίνεσθαι τὴν τινῶν ἀναίδειαν, ὡς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς. Atque hanc Longin. περὶ ὕψ. etiam impudentiam, vt fœdam oculorum lemam video poſſe dicenti adhæreſcere, ni honeſtatis moderatione vtatur, ſi præſertim à natura promptior ardentiórque in dicendo fuerit, neque ſatis verecundæ inſtitutionis. Nolim equidem de magno & incomparabili Demoſthene quidpiam atrociùs ſuſpicari, Æſchines tamen contumeliæ loco illi obiicit, ἀναισχύντοις ὀφθαλμοῖς, *oculos impudentiæ nota ſuffuſos*. Or. περὶ παραπρ. Quod ſanè vitium à præſtantis ſtudioſique hominis ſapientia, & virtute longiſſimè remouetur, qui aureis veluti retinaculis ſenſus omnes in officio continet ſuo. Virtus, ait diuus Ioannes Chryſoſtomus, vir ingenij verè ſtupendi, & elegantiſſimæ varietatis, S. Chryſo. l. de Virg. virtus ταῖς χρυσαῖς τῆς εὐκοσμίας ἐπιβάλλουσα πᾶσιν ἡνίαις, ἐν πολλῇ τῶν ἵππων ἕκαστον εὐρυθμίᾳ διατηρεῖ, *aureis modeſtiæ frenis omnibus* (ſenſibus) *iniectis, equos ſingulos in ſumma moderatione tuetur*. Addit, *neque permittit*, τὸν ὀφθαλμὸν μόνον ἀναισχύντως ἢ ὑπόπτως εἰδεῖν, *aliquid impudẽter aut ſuſpicioſè ſpectare*. Scribit Ariſtoteles, ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ, *in oculis pudorẽ eſſe*, quod dictum & ſapiens acroama, Orator ſi me audit,

Digitized by Google

menti inuret, vt hoc lætum & iucundum domicilium, vel potiùs auguſtiſſimum templum pudoris circunferat. Eo inſigni moderati animi fuit ornatus Lycei decus & lumen Xenocrates, quem Syneſius, σεμνοπροσωπεῖν ſolitum ait, hoc eſt, incredibili oris modeſtia intuentium animos afficere.

Pars huius modeſtiæ ſita eſt in oculis demittendis, in quo pueri ſapienti Veterum conſilio, ſtudioſè quondam excolebantur. Nam ita eos à pædagogis inſtitui conſueuiſſe, Plutarchus memorat, ὥστε κεκυφότας ἐν ταῖς ὁδοῖς περιπατεῖν, *vt demiſſo vultu incederent*. De ſe quidem id commemorat Iulianus
Iul. in Miſopog. Imperator, dum ſe genio naturáque ſua, atque liberali educatione, à petulantia longè alienum impudentiáque vult oſtendere. Ἐμὲ ὁ παιδαγωγὸς ἐδίδασκεν εἰς τὴν γῆν βλέπειν εἰς διδασκάλους φοιτῶντα, *me pædagogus demiſſo in terram vultu itare in ſcholam docuit*. Diogenes quem ad imperandum regendóſque homines natum aiebant. Xeniadæ liberos inſtituit, cùm in publicum progrederentur, καθ' αὐτοὺς βλέπειν ἐν ταῖς ὁδοῖς, vt
Laert. l. 6. Eubulus hominum memoriæ prodidit. Hanc modeſtiam, & animi ingenui & excellentis moderationem, diuiniſſimi Patres in hominum Seruatore animaduertunt, & meritis laudibus ferunt. Beda imprimis doctus ſcriptor atque pius, magni Ioannis partem hiſtoriæ illam interpretans, vbi mundi vindicem ait *oculos ſubleuaſſe*, *Hoc*, inquit, *memorauit, vt diſceremus, quod*
Themiſt. or. 11. *oculos non erigebat huc atque illuc*, &c. Themiſtius Gratiani Imperatoris modeſtiam laudans, & reuerentiam qua doctorem in literis ſuum proſequebatur, ait eum clariſſimo virtutis teſtimonio, tametſi Gallis & Germanis formidabilem, iúſque barbaris ſumma gloria tribuentem, coram eo tamen à quo diſciplinis imbueretur, demiſſis in terram oculis ſtare κάτω δὲ ὁ-
Themiſt: or. 7. ρᾶν φανερῶς τοῦ τῶν μαθημάτων καθηγεμόνος. Idem quoque ſcriptor elegantiſſimus, eruditionis veræ genium ſuis coloribus adumbrans ei tribuit mitem & demiſſum aſpectum, τῷ γὰρ ὄντι, inquit, παιδείας ἀληθινῆς μείλιχον, καὶ ταπεινὸν, καὶ πρᾶον τὸ ὄμμα. Et eam quidem modeſtiæ rationem in oculis componendis, ſi quis eſſet tam otioſus atque diligens, vt totius antiquitatis memoriã cõplecteretur, inueniret profectò à doctiſſimis hominibus ſæpe animaduerſam, & laudatam fuiſſe. Lucianus cùm modeſtum adoleſcentem domo egredientem deſcribit,

Digitized by Google

deſcribit, ἐξέρχεται κάτω κεκυφὼς, καὶ μηδένα τῶν ἀπαντῶν) lego ἀπαντώντων) ἐξ ἐναντίου προσβλέπων, *à paternis ædibus egreditur demiſſo in terram vultu, ac neminem ex omnibus qui occurrunt ex aduerſo intuens.* Xenophon de Spartanorum verecundia diſputans, ἐκείνων γοῦν ἧττον ἂν ὄμματα μεταστρέψαις, ἢ τῶν χαλκῶν αἰδημονεστέρους δὲ ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένων, *Illorum oculos minus flexeris, quàm ſi eſſent ænei, atque omninò eos pudentiores & verecundiores eſſe dixeris, quàm ſint illæ quæ in oculis ſunt virgines.* Luſit vir magnus, vt opinor animaduertitis in nomine, & κόρας *oculorum pupillas* nominauit παρθένους. Quod tamen vt frigidum, & aurea illa mente non dignum veru transfixit Longinus. Et ne prophanos tantùm in ea re ſapientes audiamus, Ioannes Chryſoſtomus, qui facundiam perilluſtri ſanctimonia cumulauit, cùm vnius hominis modeſtiam oratione perſequitur: κάτω, inquit, νεύων οὕτω μετὰ σιγῆς τὰ παρ᾽ ἐκείνων ἤκουσεν ἅπαντα, *oculis in terram deiectis, quæ ab illis dicerentur auſcultauit.* Et aliàs de magno Paulo, qui omnium propè orantium gloriam dicendo ſuperauis, ἐπὶ γῆς, inquit, εἱστήκει κατεχόμενος, καὶ κάτω νεύων, *ſtabat oculis in humum deiectis*, cùm tamen glorioſiſſimum Neronem & ſuperbiſſimum imperij dominum abiiceret. Diuus Ambroſius de Satyro fratre, *In cœtu virorum rarus attollere os, eleuare oculos, referre ſermonem, quod pudico quodam mentis pudore faciebat.*

Lucian. in Amor. t. 4.

Xenoph. de repub. Laced.

Paræn. ad Theod. lap.

In Oratore verò quantùm pudoris illa honeſti ſignificatio valeat, tametſi experientia quotidiana, communíque omnium ſenſu minimè cognoſceretur, dicta Veterum & exempla probarent. Neque enim aliud opinor ſignificare voluit diuini poëmatis auctor Homerus, cùm de Vlyſſe perfecto nimirùm & iam numeris omnibus abſoluto Oratore illa cecinit,

Στάσκεν. ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε.

Conſtitit atque oculos demiſit, priuſquam nimirùm illam eloquentiæ procellam niuis ritu effunderet. Imitatus Græcum Poëtam Latinus, de eodem Heroë ita infit,

Aſtitit atque oculos paulum tellure moratos
Suſtulit ad proceres.

In quo modeſtiam animi ſingularem, in oculis tanquam in bono lumine collocare voluit. Cùm autem multa huiuſmodi

Digitized by Google

è veterum monumentis erui poſſint, vnius Euſtathij exemplo contentus ero, de quo prodit Eunapius, tam ſuauem, támque melleam eius effloruiſſe orationem, vt qui vocem hominis audirent, obliti ſui tanquam qui lotum deguſtaſſent, à verbis illius admiratione obſtupefacti penderent. Hic lectus inter omnes à Romano Imperatore Legatus ad Saporem Perſarum Regem, qui multis & ornatiſſimis copiis Antiochiam obſidebat, incredibili vi dicendi atque modeſtia omnium ſpem & opinionem ſuperauit. Nam Sapores cùm eſſet à natura ferox, & opinione ſua elatus, cúmque ſemper adeuntibus difficilis aſpérque fuiſſet, barbaro quodam immaníque terrore verborum illuſurus, & eiecturus hominem videbatur. Sed vbi Euſtathius loqui cœpit eo pudore & gratia, quæ in oculis elucebat, captus fuit Rex Perſarum ille inſolens & formidandus, & compreſſa animi ferocia manſuefactus, adeò ille, τλώ τε ὑποψίαν τλὼ ἐν τοῖς ὄμμασι, καὶ τὸ μείλιχον ἐθαύμασε, *deiectionem oculorum placidúmque vultum ſuſpexit*: itaque Euſtathium menſæ communione paulò pòſt & inuidioſo honore dignatus eſt.

Eunap. in Ædeſ. p. 50.

Neque tamen cùm de modeſta oculorum demiſſione diſputo, de ea me loqui putato te, quam Græci κατήφειαν nominant, cùm ſubruſtico pudore quodam oculi deiiciuntur, à quo ſanè plurimùm abeſſe debet Orator, cuius opus eſt cumprimis liberale, & in iucundo quodam cum hominibus commercio verſatur: neque decet eum ſemper, aut etiam nimium, terram aut pedes intueri, in cuius os atque vultum omnium ora ſunt conuerſa. Et etiam ætatum habẽda ratio, vt præſertim adoleſcentes ita compoſitos habeãt oculos, vt modeſtiam ſibi cùm maximè commendatã putent. Sapienter enim S. Baſilius, cùm in Libanij Scholam veniſſet, & à Sophiſta illo magno fuiſſet inuitatus, vt ad gregem florentium adoleſcentum, quos ad eloquẽtiam inſtituebat, cohortationem haberet, inter alia monuit, *pudore ornari, deorſum viſum habere, ſurſum animam*, vt autor eſt Amphilochius. Addo ad extremũ, ſi pudor in oculis tabernaculum ſuum collocare debet, id maximè in exordiis faciendũ videri, vel cùm Orator de ſuis rebus honeſto aliquo fine glorioſè loquetur. Niſi enim tum modeſtiæ illa ſignificatio eluceat, vix ille arrogantis animi ſuſpicione eos ſcopulos prætervehi poterit, & inſolẽtis ſuperbiæ opinionem à ſe depellere.

Digitized by Google

Notatus imperitorum vitioſus obtutus : importuna in quenquam oculorum defixio; circunſpectu emiſsitij oculi vertiginare. Vis honeſti & compoſiti obtutus. SECTIO VIII.

EST ne aliquid quod prꝛterea his monitionibus addendum videatur? Eſt opinor: nuper enim vidi quoſdam adoleſcentes non ſat peritos nec paratos ad dicendum, qui quàſi in pariete legerent, ita ſemper eum vnum in locum oculos haberent conuerſos. Quin & reperti ſunt, qui non ſecus quàm ſi animus ſub tegulis habitaret, tabulatum & laquearia contueantur: qualem nuper vidi ſubtilem argutúmque Theologum, qui cùm aliquid reſponderet acutius, ſublatis in aërem oculis id explicabat, quaſi à Luna graues argumentorum ſolutiones, & aurea illa dicta peteret. Id Tauriſcum actorem quendam feciſſe didicimus, quem Theophraſtus auerſum conſueuiſſe dicere aiebat, quod in agendo contuens aliquid pronuntiaret. Fuerunt etiam, qui cùm de cœlo cœlitibúſque dicerent, cùm Deum Optimum Maximum nominarent, aut domicilium beatorũ: cùm item ſolum, cùm manes, cùm Stygio prædoni mancipatos exprimerẽt, quaſi illa eſſent in medio omnia atque in conſpectu, ſine vlla obtutus varietate, vno ſemper in loco defigerentur. Putidius verò quidam poſtremarum partium Rhetor, cùm de orbium cœleſtium conuerſione, déque æthere aſtrorum luminibus vt opere Phrygio picturato diceret, ſolum aſpectabat, cùm agrorum viriditatem amœniſſimóſque floſculos depingeret, vultum attollebat. Sed illa quidem ſunt errata puerorum atque flagitia, quæ in bonorum Oratorum grauitatem non cadunt. Pergo verò, moneóque oculos diutiùs in quenquam figere, eſſe odioſum, ruſticani animi ſignum, aut inuidi, aut nimium quantum appetentis, mangonis aut laniſtæ proprium, de quo Valerius Martialis, Cicer. 3. de Ora.

Quidam me modo Rufe diligenter
Inſpectum velut emptor aut laniſta, &c. Mart. lib. 6. epiſt. 82.

Suetonius, *diligenter ac lentè mercantium more conſiderare dixit.* Sic *oculis deuorare*, dixit Iuſtinus de Dionyſio tyranno in Caligul. c. 36. Iuſt. l. 21.

Digitized by Google

loquens, cum vehementiſſima contentione oculos ad multa adiiceret, *quæ emere*, inquit, *non poterat*, *oculus deuorare* E-tiam inter notas aſſentationum id viri magni poſuerunt So-lent enim homines leuiſſimi, qui alicuius gratiam ſtudioſè aucupantur, in eum fixis oculis intueri, tametſi alios in fre-quenti cœtu conueniant. Ita certè adulatorem deſcribit, magni vir animi dulci quodam flumine vtens orationis Theo-
Char. de adul. phraſtus, εἰς ἐκεῖνον ἀποβλέπων τοῖς ἄλλοις λαλῶν, *in eundem oculos defixos habet, etiam dum alios alloquitur.*

Eſt autem Oratori omni cura ſtudióque prouidendum, ne dum vitia reprehenduntur, aut dicuntur ea, quæ nemo ſibi dicta velit agnoſcere, in aliquem certum intueatur, quem con-iectu oculorum deſignari cæteri putent. Eſt enim tacita quæ-dam & peracerba accuſatio non ferenda, quam vix deinde vlla excuſatione imprudentiæ declamator eluat. Hoc Home-
Iliad. 2. rus, δενδίλλων ἐς ἕκαστον dixit, loquens de Neſtore, qui ocu-los in vnumquémque vertendo, ſingulis nutu imperium ſigni-
l.1. Sat. 9. ficabat. Horatio eſt *diſtorquere oculos*, ---- *nutans*

Diſtorquens oculos vt me eriperet.

l. de Pall. Plaut. in Aſin. Tertulliano, *acie figere*. Atque in hoc maximè genere velim, id è Comœdia præceptum ſeruari. *Neque ille vlli homini nutet, ni-ctet, annuat.* Vidi quendam aliquando nobilem Chriſtianæ e-loquentiæ adminiſtrum & eccleſiaſten, qui cum æſtu quodam animi, vt aſſolet, vehementiùs elatus, in flagitioſos hominum mores inueheretur, communéſque peſtes religionis, quod in ea exaggeratione, vnam in partem conuerſus hæreret diutius, in grauem nobilium quorundam offenſionem incurrerit, quod ab eo ſe oculis deſignari, notaríque exiſtimarent. Grauius illud quod nuper in quadam ciuitate Galliæ ho-neſtiſſimis viris affluente contigiſſe didici. Nam cùm ibi Concionator ageret multitudini gratus atque iucundus, & in illius multi ſapientia & religioſæ vitæ grauitate con-quieſcerent, perutili alioqui digreſſione in eum ſermonem incidit, vt mulierum præſertim nobilium luxum, & deli-catos veſtium ornatus laſciuiámque reprehenderet: non iam mediocrem in moribus vanitatem, ſed intolerandam propè impudentiam verſari, cùm etiam in ea frequentia concionis reperirentur, quæ cùm eſſent familiæ conditione

infimæ, nulla commendatione maiorum generiſve claritate, tamen inſtructu & elegantia multo auro & vnionibus collucentes, non æquarent modò Reginas, ſed Circenſis pompæ ſimulachra viderentur: nec eſſe obſcurum de quibus illa capienda eſſent, cùm in omnium oculos faſtidiosè incurrerent. Quæ cùm diceret conuerſis in vnam partem oculis atque defixis, tanta conſecuta eſt omnium ordinum inuidia, ita factus eſt odioſus, vt non modò illa quæ in crimen vocari videbatur, ſed honeſtiſſimi quique ciues ab eo tempore eum aditu & cõgreſſione prohiberent. Itaque hic audiendum foret ſapiens illud admonitum D. Auguſtini, *Oculi noſtri etſi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem.* ep.109.

Nec mihi fere minus reprehendendi illi videntur, qui non quidem in vno aliquo diutius hærent, ſed in cœtu & circunfuſa corona quaſi vnum aliquem depoſcerent, ita ſingulos tacitis luminibus deſignant, & ſtudiosè circunſpiciunt, aquilæ nõ diſſimiles, quæ ab aëre prædam oculis inueſtigare ſolet acutéque deligere. Talem deſcribit Menelaum Poëta Græcus in omnem partem intuentem, ſi fortè in ea frequentia quæ obiiciebatur Antilochum animaduerteret.

Πάντοσε παπταίνων ὥς αἰετὸς ὅν ῥά τέ φασιν.
Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν.

Hoc eſt, *quoquouerſus circunſpiciens tanquam aquila quam omnium auium acutiſſimè cernere aiunt*. Id *circunſpectu emiſſitij oculi vertiginare* dicit Tertullianus. In hoc vitium poſſunt ij maximè incurrere, qui cùm minimè formidoloſi ſint in dicendo, propter naturam audaciorem potius, quàm pudoris verecundiæque retinentem, nullius aſpectu aut varietate auditorum, à curſu orationis & inſtituta contentione auocari poſſunt. Ij ſi ſparſos habeant familiares & amicos in conſeſſu, quaſi affari vnumquémque, ſinguliſque annuere, & geſtire oculis ſolent, ſéque venditare, præſertim ſi quid exeat dictum eleganter & concinnè, ſi rotundè, ſi artificiosè, ſi cum acumine atque ſale, quod ab illis tacita gratulatione probari laudaríque videatur. Zeno Cittieus opinor ὄμμα ἀναπεπταμένον vocabat: nam præſtantis adoleſcentulæ imaginem cùm repręſentaret, Sit, inquit, ſupercilium non demiſſum, μηδὲ ὄμμα ἀναπεπταμένον μηδὲ κεκλασμένον. Plutarchus βλέμμα ῥεμβῶδες nominat, *vagum &* De pall. c.3 Laërt.

1.10.p.503. *in gyrum actum oculum*, quē ait maximè fugiendū. Heliodorus in Æthiop. ὑπέροπλόν τε καὶ σοβαρὸν περισκοπεῖν, *ſuperbè & arroganter oculis circunſpicere*, inter ſigna hominis elati & glorioſi ponit. Caueat ad extremum orator ne in rebus lætiſſimis deſcribendis, quæque ſint omnium auribus iucundæ, dum blandiente argumento effertur, hilariùs, more tyronum quibus toga virilis,

---tota impune ſaburra,
Permiſit ſparſiſſe oculos.

Ita liberè per auditorium omne volitet, vt oculi ad petulantiæ metam adhæreſcant. Id quoniam facilè in cognitionem prudentium auditorum venire poteſt, fieri nequit ſine ſuſpicione leuitatis pæne puerilis, & effuſæ inanitatis, quam nondum iudicij maturitas in gyrum modeſtiæ compulit. Atque his detractis vitiis, quæ breui orationis curſu notata à nobis ſunt, & hactenus expoſita, facilè quiuis intelligat, quæ ſit illa oculorum moderatio honeſtiſſimo oratori quærenda. Exiſtet enim grauitas atque humanitas ſingulari modeſtia illuminata, quæ veluti muta ipſius commendatio omnium animos & beneuolentiam conciliet. Illius compoſiti intuitus quanta ſit vis declarauit, qui omnium elegātiſſimè potuit magnus Chryſoſtomus, ait enim etiam impuriſſimos & flagitioſiſſimos homines αἰσχύνεσθαι καὶ ἐρυθριᾶν καὶ τῆς οἰκείας ἐνδιδόναι μανίας, ὅταν πρὸς αὐτὴν ἴδωσιν ἀκριβῶς, *pudefieri & erubeſcere, ac furorem ſuum remittere, ſi in eum vultum accuratè intueantur*. Magnum Æneam conſilio meliorem quam manu, vt veriſſimè nobis hiſtoriæ prodiderunt, aiunt fuiſſe ea grauitate & moderatione oculorum, vt ad eos qui ab officio recederent coërcendos, ſufficeret αὐτὸ τὸ βλέψαι, *ipſe tantum viri ſapientis & diuini conſpectus*.

[Margin notes: "I. de Virg." beside "clarauit…"; "Philoſtr. in Heroic." beside "rum, vt ad eos…"]

DE SVPERCILIIS.

CAPVT V.

In ſuperciliis pars animi. Quemadmodum abditam mentem inſinuent. SECT. I.

SVPERCILIA veteres in Iunonis ſeu Lucinæ tutela eſſe voluerunt, ego prudentiæ dicari malim, ſanè quidem in dicendo, ne in hominum excellentium conſeſſu, vt in Theatro ampliſſimo, notas prodant animi non ſatis ad virtutis officia moderati. Eſt enim in ſuperciliis *pars animi*, vt veriſſimè tradit Plinius, *negamus, annuimus*, &c. Parum dixit, non enim Plin.l.11.c. 37.
duntaxat partem animi, ſed animũ vniuerſum in iis conſtare puto, ſi verum eſt quod Philoſtratus in Apollonio memorat, Philoſt.l.1. c.12.
Multa, inquit, *in ſuperciliis geniſque poſita ſunt, ex quibus ſapientes & natura periti homines imagines, velut in ſpeculo aſpicientes, quæ mens illis quodque ſit ingenium contemplantur.* Quare Demetrius Phalereus ſapienter, μὴ μικρὸν εἶναι μέρος τὰς ὀφρῦς, ὅλῳ Laërt.l.5.
γοῦν ἐπισκοτῆσαι δύνασθαι τῷ βίῳ, ait *non paruũ aut negligendum eſſe membrum ſupercilia, poſſe etenim vitam omnem obſcurare.* Quo modo autem eorum aditu ad animum penetretur, ſi quis roget, ecce in manibus vir grauiſſimus & eloquentiſſimus Theodoretus, qui rem breuiter in hunc modum explicat, *Animi motibus non modò faciei color, ſed & oculorum motus, & ſuperciliorum contractio remiſſióque reſpondent. Et iræ quidem inſolentiam oculorum terribilis viſus notat, eiuſdem verò gratioſam remiſſionem palpebrarum ruga riſum ſimulantes arguunt: curas autem ſuperciliorum in medio coitus prodit, & eorundem in altum reflexus faſtum oſtendit.* Theod. ſer.8. de prouid.
Quintilianus autem earum rerum perueſtigator diligens & ingenioſus, *Oculos*, inquit, *ſupercilia formant aliquatenus, & fronti imperant.* Hoc primùm: addit paulò poſt, *ira contractis, triſtitia diductis, hilaritas remiſſis oſtenditur.* Igitur ſiue oculis & faciei imperent, ſiue intimos animorum ſenſus proferant in aſpectum, eorum habenda ratio eſt omnibus, l.11.c.3.

qui diſplicere minimè cupiunt, nec abalienare contuentes. Facio penè impudenter, qui vobis audientibus in iis rebus diu atque multùm exercitatis præcepta ponam: ſed quoniam ruere me voluiſtis, ferâmur. Veſtrum erit λεπτολογίαι hanc meam & inconſideratæ mentis leuitatem præſtare. Nunc igitur monita quædam videamus.

SECT. II.

Supercilia immota, Eorum motus æqualis, inæqualis, alternus. παλμὸς & frequens geſticulatio ominoſa.

QVÆ in ſuperciliis animaduertuntur vitia, quàm quod in eis conueniens ſit & decorum, facilius poſſum dicere. Neque verò cùm dico vitia, quæ naturæ ſunt intelligere me putatote: ſcio enim quoſdam fuiſſe nimium fortè in affectionibus rerum perueſtigandis curioſos, qui naturam exiſtimabant in ſuperciliis quaſdam notas impreſſiſſe maleuolentiæ & improbitatis, quibus certo in cognitionem aliorum deueniremus. Hîc memini maiorum gentium Philoſophi Stagiritæ, quem Trogus deinde ſecutus eſt, & ex Trogo Plinius, cuius verba ſubiiciam, *Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles ſignificant, quibus iuxta naſum flexa ſunt, auſteros: quibus iuxta tempora inflexa, deriſores, quibus in totum demiſſa maleuolos & inuidos*. Hæc otioſorum hominum deliria, commenta ſunt, & vt verè appellat Plinius *friuola*: nec enim ſupercilia mores efficiũt ſceleratos, ſed voluntas, quæ neque pilos pro internunciis habet, nec iiſdem mancipatur. Quod ſi tamen illa communis opinio ita hominum mentes occupauiſſet, vt natura machinata vultum exiſtimaretur ad animi labes indicandas, quæ ſpeciem impotentis animi in vultu relinquerent, ſi qua ratione fieri poſſet, obtegenda diſſimulãdáque putarem. Sed vt dixi quod naturæ eſt in hac quidem parte omittamus, veniamúſque ad ea quæ vitioſæ animi cupiditates aſciſcunt. Quintiliani mihi monitio videtur perutilis, *Vitioſum*, inquit, *in ſuperciliis, ſi aut immota ſunt omnino, aut nimium mobilia, aut inæqualitate diſſident, aut contra id quod dicimus finguntur.* Hæc Fabius: ſen-

Ariſt. de hiſt. an. Plin. l. 11. c. 37.

Digitized by Google

 SVPERCILIA.

ſententia mea quidem opinione facilis: vult enim ſupercilio-rum motum eſſe moderatum nec inæqualem: nam ſupercilia eſſe homini & pariter & alternis mobilia docet Plinius. Vnum autem attollere, alterum deprimere arrogantis impudentiæ argumentum eſt, quod in Piſone M. Tullius ſalſo & acerbo σαρχασμῷ in medio Senatu irriſit. Id pluribus euenire ſolitum Quintilianus ſic oſtendit l.1.c.11. *Vidi ſupercilia multorum diſſidentia, cùm altero in verticem tenderent, altero pæne oculus ipſe premeretur.* Paridem quidem Alexandrum ſibi nimium placentem, elatum, ambitioſum ita pingunt, vt duntaxat alterum ſupercilium erectum habeat, ἑτέρα ὀφρὺς ὑπερῆρε τῦ ὄμματος, vt Sophiſta Lemnius meminit in Heroicis. Motus etiam eorum frequens atque nimius, veterum ſuperſtitioni linquendus eſt: omen etenim fortunatum exiſtimabant, & ſibi omnia ex animi ſententia euentura quæ optarent, & præſertim vt Melampus ait Ægyptius, ἐχθρὺς ὑποχειρίυς ἕξειν, ſi palpitarent, ſaliréntque ſupercilia. Id παλμικὸν οἰώνισμα dictum, auctore Suida: cuius rei ſpeciem luculentam expreſſit doctus æquè & facetus in antiqua Comœdia Plautus,

plin l.11. c. 37.

Omen è ſupercilijs.

in Pſeudol.

Atque id futurum vnde? vnde dicam neſcio,
Niſi quia futurum eſt, ita ſupercilium ſalit.

Idem forte ſibi ille voluit apud Theocritum, qui ſibi dextrum oculum identidem ſalire gaudet. Idyl.3.

Ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός.

Quod quamuis leuiſſimum eſſe videatur, neque huiuſmodi vt conſiderati hominis voluntatem mouere poſſit, erat tamen ſic in vſu apud Veteres, ex hoc motu coniecturam capere latentium rerum, vt ea curioſorum hominum vanitas, grauiſſimo Eccleſiæ decreto, è moribus eiicienda, coërcendáque fuerit. Extat Edictum ea de re eorum hominum, qui columina fuerunt, ſatoréſque piæ religionis apud Clementem l.8. Conſtitutionum Apoſtolicarum. De eadem & D. Iuſtinus Martyr quæſt.19. vbi phyſicam eius motus cauſam proſequitur, & in ſpiritus naturales refert, proinde concludit eam omnem παλμῶν obſeruationem eſſe inanem & irridendam. Diuus item Epiphanius in Panario, inter ea quæ numinis auctoritate prohibentur, poſuit τῶν παλμῶν παρατηρήσεις. Non ſum ego quidem παλμοσκόπος, ſed ſi tamen hoc in oratoris actione

Conſt. Ap. l.8. c.32.

Iuſt. Mart. quæſt. 19.

Epiphan.

Digitized by Google

contingat, hoc eſt vt frequenti ſuperciliorum motu indecorè geſticuletur, non victoriæ felix augurium, ſed contemptus & irriſionis omen futurum aio. Nam antiqui id etiam lacrymarum ſignum fuiſſe volunt, vt animaduertit omnium elegantium doctiſſimus Pater Chryſoſtomus, ἔξω δὲ ἐξελθόντι ὁ ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιὸς κάτωθεν ἀναπηδᾷ. δακρύων τοῦτο τεκμήριον, *foris autem egreſſo dexter mihi oculus inferne ſalit. Hoc eſt indicium lacrymarum.* Sed hæc vitia forte leuiora, grauius id quod explicatum eo, de quo multi autores meminere.

SECT. III

Supercilium ſedes arrogantiæ. Sophiſtæ & Philoſophi ὀφρυανασπασίδαι. Σπουδαῖαι ὀφρύες. Χαριτοβλέφαροι.

MVLTA ſunt quæ indicari ſupercilio queant: illi ſane vocem veluti quandam ad ſignificandum Poëtę attribuunt. Heroina quædam apud Ouidium.

in Epiſt. Helen.

——quoties ego tecta notaui
Signa ſupercilio pæne loquente dari.

Et primo libro ματαιοτεχνίας.

Multa ſupercilio, multa loquare notis.

Sed nihil eſt meo quidem iudicio, quod reſonet clarius, quàm faſtidium, arrogantiam, & inſolentem contumaciam. Elegantiſſimè polyhiſtor Plinius, vbi de ſuperciliis, *Hæc maximè indicant faſtum. Superbiæ alubi conceptaculum, ſed hîc ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hîc pendet. Nihil altius ſimul abruptiúſque inuenit in corpore vbi ſolitaria eſſet.* Hinc ſupercilium apud elegantiſſimos auctores pro faſtu ſuperbiáque poſitum, quo modo *grande ſupercilium* dicit Iuuenalis, Cicero *Campanum ſupercilium*, Martialis *Palatinum*, Gellius *arduum*, Catullus etiam *rubrum*, cùm tumentis arrogantiæ flatus crepat in iram.

Plinius l. 11. Iuuen. ſat. 2. Cic. de leg. Agr. Mart. l. 9. ep. 81.

——quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.

Catull ep. 62.

Apud Græcos eadem ratione τῆς ὀφρύος nomen ſumitur, plena ſunt exemplorum omnia tum poëtarum tum aliorum ſcriptorum monumenta. Iulius Pollux Onomaſt. l. 2. τὰς ὀφρῦς αἴρων ὁ ὑπερήφανος *ſupercilia*, inquit, *tollens, ſuperbus.* Inde ὀφρυάζειν gran-

Iulius Poll. l. 2.

di ſupercilio tumere. Eleganter D. Greg. Nazianz. *putrefactum ſupercilium* dicit elatam ſuperbiam, quæ morte & ſepulchro euanuerit: nam Heronem laudans, ait ſe non prædicare nobilitatem, & mirari τὴν ἐκ μύθων ἐκ τάφων ἐρχομένην, ἐκ πάλαι σεσηπυίας ὀφρύος. S. Gregor. Naz. or. 23.

Hoc vitio glorioſi olim ſophiſtæ, & Philoſophi, vt cum S. Hieronymo loquar, gloriæ animalia, maximè laborauerunt. Quam ob cauſam nominati à Græcis σοβαροβλέφαροι, *arrogantes & ſuperbi*, & qui omnium aliorum faſtidio inſolentiáq; efferrentur. Irridet bellè Syneſius, qui Nilus quidam eruditionis, Ægyptiorum mentes fœcundauit, Ἡ γὰρ ὀφρὺς, βάβαι τῆς ἀνατάσεως, εἰς ὅσον ἦρται, &c. *Superciliũ papæ quàm eſt minax! quàm eſt elatum, & manus ſuffulcit mentum, inque cæteris vultus grauitatem affectát ſupra Xenocratis imagines.* Quibus maximè reprehendit ſuperciliorum ἀνάτασιν ἐκ ἄρσιν, *extenſionem*, *ſublationem*, quemadmodum in eadem re Iulius Pollux, τὰς ὀφρῦς ἀνατείνειν ὑπὲρ τὰ νέφη, *ſupercilia extendere ſuper nubes.* Iidem ſophiſtæ venuſtiſſimè dicti ab Hegeſandro poëta ὀφρυανασπάσιδαι, *Silonicaperones*, quod ſuperciliorum contractione grauitatem ementirentur. Sanè de Protagora & Gorgia, qui parentes veluti fuere Sophiſtarum ita Libanius, Πρωταγόρου μᾶλλον ἐκ Γοργίου τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακώς. Hinc bella apud Comicos ſimilium hominũ irriſio. Alexis poëta feſtiuus & elegans Satrapæ vnius ſupercilia vocat ὀφρῦς χιλιοταλάντους, *quæ mille talenta pendant ſurſum replicata.* & alias quoſdam homines ſuperbia inflatos contumacia, habere ſupercilia ἐπάνω τῆς κορυφῆς, *vertice capitis altiora*, vt eſt apud Athenæum. Contra Socrates moderatum hominem deſcribens, qui honeſtatis amore caperetur, dat illi σεμνὰς ὀφρύας, ita enim ille de Hermogene apud Xenophõtem, *Nonne videtis ὡς σεμναὶ μὲν αὐτοῦ αἱ ὀφρύες, ἄτρεμες δὲ ὄμμα, μέτριοι δὲ οἱ λόγοι, πραεῖα δὲ ἡ φωνή, ἱλαρὸν δὲ τὸ ἦθος, quàm ſeuera ſint & plena dignitate ſupercilia, oculi minimè lubrici atque volubiles, oratio moderata, vox lenis, mores hilares.* Quam ego effigiem verſari ante oculos noſtri oratoris velim, vt illam arrogantiæ laruã & deformitatem abominetur, & multò magis in grauiori contentione, illam effugiat τραχεῖαν ὀφρῦν, vt eam appellat doctus & pius Iſidorus Peluſiota, quam vix Regi aut dynaſtæ irato concederemus. Demetriũ ſane Phalereum elegãtem hominem &

in Anthol. Gr. — Syn. ep. 154. — Pollux l. 2. — Lib. Decl. 9 — Athen. l. 6. — in Sympoſ. — Iſidor. l. 2. ep. 165.

Digitized by Google

diſertum eo præditum ornamento reor, quem ea cauſa χαριτοβλέφαρον indigitarunt, vt palpebris & ſupercilij moderatione gratioſum. Ingenioſus in Iconibus ſuis Philoſtratus iunior ſic quoque pingit Apollinem regem quendam humanitatis, ἀκειροκόμης μὲν τὸ εἰωθὸς, φαιδρὰν τι ὀφρὺν ὑπὲρ ὀφθαλμῶν ἐγείρων ὧν ἀκτῖνες οἷον ἐκλάμπουσι, intonſus pro more, *ſerenum ſupercilium* ſuper oculis excitat, in quibus radij velut quidam collucent.

SECT. IV. *Maieſtas in ſuperciliis: item ſeueritas. Cenſorium, Catonianum ſupercilium. Iiſdem mœror & lætitia ſignificatur.*

EST etiam in ſuperciliis quædam maieſtas, grauitáſq; à dignitate minimè aliena, quæ cùm abeſt à contumacia, in principibus reip. viris commendatur. Quæ cauſa eſt, cur poëtę ſupercilium ſummo omnium rerum moderatori Deo tribuāt, quem Homerus ἐπ' ὀφρύσι νεῦσαι *ſuperciliis annuere*, iiſdemque treme-
Horat. l. 3. od. 1. facere Olympum, Horatius autem, *cuncta ſupercilio mouere* dixit, cùm eius incredibilem vim & maieſtatem vellet exprimere.
l. 1. epiſt. 5. Hinc Martialis Romano Imperatori qui proximè ad Numinis potentiam & maieſtatem hominum opinione accedit, haud veretur *terrarum dominum ſupercilium* concedere, hoc eſt nutum & maieſtatem, qua imperium orbis terræ adminiſtrat. Hæc autem magnifica ſpecies & amplitudinis ſignificatio, tantùm ab iis decore exhiberetur, qui vel generis ſplendore lucent, vel rebus geſtis, aut reipubl. honoribus & potentia ſunt illuſtres, & qui magnam partem auditorum dignitate & amplitudine anteeunt: ab inferioris notæ hominibus non rectè aſſumeretur.

Præterea ſupercilium honeſtæ grauitatis ſeueritatíſque notam habet, animúmque moderatum ſignificat, impuræ voluptatis inimicum, qui vitioſas appetitiones virtute compreſſerit. Quo modo *ſupercilium Cenſorium* Valerio Maximo dicitur, & paſſim poëtis *triſte*, *ſeuerum*, aliáque ſimilia. Magnum hoc ornamentum eſt non vitæ modò, verùm etiam & actionis, & in eos quadrat maximè, qui in ſtudiis

grauioribus verſantur, & vitam agunt populari & communi ratione ſuperiorem, quales Theologi, ſapientiæ duces & magiſtri, religioſi, magiſtratus, rectoréſque cæterorum, quibus oculi & ſupercilij grauitas autoritatem conciliat. Hinc Catonianum ſupercilium quaſi communi prouerbio notum: Epigrammatarius illud poëta.

Triſte ſupercilium duríque ſeuera Catonis
Frons. Martial. l. 11. ep. 2.

Et elegantiſſime Sidonius Apollinaris, *Tantum tu vtcunque moderere Catonianum ſuperciliosæ frontis arbitrium.* Sidon. l. 9. ep. 9. Pari elegantia Tertullianus lib. de pall. *Cenſoriæ intentionis epiſcynium* Tertul. lib. de pall. c. 4. dixit. In Zenone continentiſſimo Philoſopho Stoicus Zenodotus haud inuenuſtè id laudabat. Laert. l. 7.

Ζήνων σὺν πολιῷ σεμνὸς ἐπισκυνίῳ
Canus honorando Zeno ſupercilio.

Id decus & inſigne grauitatis L. Piſo improbè æmulabatur, homo ſi M. Tullio credimus fœdus & ganeo, & domi in libidinibus volutatus, qui tamen in ciuium ore atque luce ad ſeueritatem oculos & ſupercilium componebat. Deripit eam laruam Cicero aliquoties. Pro Seſtio, *Tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio tanquam Atlante cælum niti videretur.* Et alias, *Hic vos rugis ſupercilióque decepit.* Non abſimili ratione futilem Cauſſidicum & indoctum illudit Martialis, Martial. l. 5. ep. 52.

Epiſtolíſque commodat grauem vultum
Similis Catoni, Tullióque, Brutóque.

Fuit aliorum indecora penitus & ruſticana imitatio, qui quod forte audiuiſſent, eſſe grauitatis & ſeueritatis attollere ſupercilia vel contrahere, id in ſingulis prope dictionibus putarunt eſſe faciendum. De illis ita Quintilianus lib. 1. *Vidi multos quorum ſupercilia ad ſingulos vocis conatus alleuarentur, aliorum conſtricta, aliorum diſſidentia,* &c. Fab. l. 1. c. 11. Claudam hanc diſputationem admonito neceſſario, prouidendum nimirum oratori, vt hanc oris partem ad orationis genus accommodet, præſertim ad mœſtitiam & hilaritatem ſignificandam, quibus maximè declarandis affectionibus ſupercilia inſeruire, docet primo libro de officiis M. Tullius, nam lætitia in explicatione exprimitur, in contractione mœror & triſtitia. Contrahuntur

l. 6. Meta-morph. & contorquentur in iracundia. Graphicè Apuleius de Venere ſtomachante, *Contortis ſuperciliis, ſubridens amarum ſic inquit*, &c.

DE AVRIBVS NARIBVSQVE Oratoris.

CAPVT VI.

SECT. I. *Aures quibuſdam mobiles. Ἀμφώτιδες nunc indecora. Flores in auribus. Aurem foratu effœminatus.*

PAVLVM hîc hæſit Honoratus, & ſocios aſpectans, Veſtræ, inquit, ſum in nugis proferendis voluntati obſecutus, non meæ, quæ iampridem in Sigæi portum imminebat. Nunc reliquum eſt, vt vos dicatis, & albus hic aſinus à piſtrino releuetur. Quid tu nobis, ait Victor, Oratorem deſcribis tanquam furem quendam atque maleficum, truncatum certè auribus naribúſque? aut illæ fortè partes in capite non ſunt, de quo tamen te ab initio dicturum te receperas? Hîc Honoratus, Odi memorem combibonem aiebat ille neſcio quis, ſed tam memorem congerronem vix ego te fero, Victor, qui non Idibus, ſed ſingulis pænè momentis releges Calendaria, debitúmque expoſcas. Enimuerò de Auribus vix monendum, aut præcipiendum quidquam eſſe videtur de geſtu & motu agenti: Solius enim hoc hominis eſſe proprium notat Euſtathius ad Iliad. 11. *μὴ κινεῖν τὰ ὦτα, aures non mouere*, quod
Ariſt. l. 1. c. 11. ſumit ab Ariſtotele de hiſtor. anim. *μόνον*, inquit, *ἄνθρωπος ὦτα οὐ κινεῖ*; ſubiicit paulò pòſt, *τὰ δ' ἄλλα κινεῖ πάντα*. Atqui, inquit Iuuentius, nonnulli exiſtimant, Flaccos Romanis fuiſſe
S. Aug. l. 4. de ciu. Dei. nominatos ab aurium mobilitate. Et D. Auguſtinus l. 4. de ciuitate Dei quoſdam eſſe ait, qui aures moueant vel ſingulas, vel ambas ſimul, & qui ſuis temporibus hoc faceret fuiſſe non neminem perſpicuè teſtatur. Scio, inquit Honoratus, quoſ-
in Mida. Ariſtot de hiſt. anim. l. 1 c. 11. dam ſimiles Satyrorum eſſe, quos fuiſſe *περιττοὺς τὰ ὦτα, magnis auribus præditos* Philoſtratus ait in Iconibus: cuiuſmodi res putauit Lycæi doctor ſigna eſſe *μωρολογίας καὶ ἀδολεσχίας, ſtul-*

titiæ & loquacitatis, & ab eo ſumens Trogus apud Plinium l. Plin.l. 11.
11. Illas autem longas & magnas aures motum aliquem ſuſci- c. 52.
pere, non eſſet fortè incredibile, ſed oratori certè quidem eſ-
ſet indecorum in conuentu ſapientum, ne id Galeni de medi- Galenus.
co dictum inſciente quiſpiam de populo inſuſurraret, *ὥσπερ
ὄνος οὗτος σείει τὰ ὦτα*, *hic vt aſellus auriculas commouet*, aut illud
è penu ſatyrico promeret, *Auriculas aſini Midas habet.* Adhi-
bebant olim *ἀμφώτιδας*, ſeu focalia & aurium ligamenta, quæ *Oratores o-*
Fabius Oratori concedit, ſed aduerſa tantùm valetudine la- *lim tulere*
boranti, ne alioqui extra morbum ſi adhibeat, mollior videa- *focalia.*
tur. Verùm ea res vt à moribus & conſuetudine huius tem-
peſtatis, ita longè ab hominum noſtrorum elegantia & hone-
ſtate abhorret. Et mea quidem opinione comperendinandum
eſſet, & in alium diem cauſa potiùs differenda, ſi ratio ſanita-
tis haud pateretur Oratorem, niſi lana faſciiſque obuolutum,
& medico illo apparatu in cœtum prodire. Quid quod etiam
quidam reperiuntur in grege patronorum adoleſcentes, qui
floſculos aut alia quædam huiuſmodi ad aures ferant, poteſt-
ne vobis aut cuiquam probari, qui vereatur in prudentium of-
fenſionem incurrere? Hoc facere mihi quidã videntur, quod
conſuetudine aſſuefacti minimè id ſentiãt, aut quod forma &
ætate florẽtes, aliquid etiam ex eo ornatu venuſtatis cupiunt
colligere. Sed vt Polemo coronatus iuuenili fretus audacia, cũ
in Xenocratis ſcholã veniſſet, animaduerſa hominis grauitate,

Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas, Horatius
Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri. l.2. ſat. 3.

vt de illo canit Horatius: ita illi in doctorum hominum cœ-
tum ingredientes, me auctore flores ponant, inſitámq; animo
leuitatem, ne dum vinnuli eſſe cupiunt & venuſti, iam inde ab
initio inuenuſti & inepti iudicẽtur. Atq; hoc iunioribus magis
prouidendũ eſſe video, quàm viris, qui iam ætatis ſunt benefi-
cio, prudentiáq; moderati, qui quod domitas habeãt cupidi-
tates, non tam gloriæ & inanis oſtẽtationis cauſa id facere cre-
derentur, quã quod rebus grauioribus intenti minus de exiguis
cogitarent. Neq; verò hîc monebo eloquẽtiæ candidatos (vos
quidem certè Victor & Iuuenti, ſupra ætatem ſapiẽtes, & con-
ſideratos minimè eſt neceſſe) vt quorundam leuiorum inanita-
tem deuitent, qui ſpecioſum eſſe putant infimas auriculas auro

Digitized by Google

immiſſo lacerare, quod mollioris ego quidem animi eſſe puto, effœminatæque naturæ: iiſque bellis Veneris amaſiis haud leuius exprobrare velim, quam Apollonidi quondam vir ſumma grauitate & eloquentia Xenophon, τετρῆσθαι τὰ ὦτα, *perforatas aures habere*. Non enim gynecæum dicturus ingreditur, vt Achilles quondam, qui vt ait Tertullianus, *aurem foratu effœminatus*, inter puellas ſexum ementiebatur, ſed in cœtum eorum hominum, quorum oculi atque mentes in ingenua tantùm & honeſta ſpecie conquieſcunt. Platoni dum adhuc eſſet adoleſcens, aurem genitor perforauit, inaurémque ferre iuſſit, vt mos tum fuit aliquorum. Sed deinde melior ætas puerilem iſtam vanitatem repudiauit.

Laert. in Xenoph.

l. de pall. c. 4.

Sext. Empir. aduerſ. Mathem. c. 16.

SECT. II. *Morum coniectura è naribus. Aquilini regij atque magnanimi. Iracundia naſo declarata.*

DE naribus atque naſo, vix audeo quidquam adiungere homo minimè naſutus, præſertim vobis audientibus, quos cum Poëta, *emunctæ naris* appellare poſſum. Sed quoniã vos Euryſtheos habeo noua ſemper imperantes, ne recuſando ſim moleſtior, aliquid dicam. E naribus tulere iudicium Veteres de ingenio, & hoc etiam ſuſpitionis introitu ad animum penetrarunt. Nam quibus *acutæ eſſent nares*, eos non modò ſagaces & faciles ad odorandum, verùm etiam & ingenioſos & intelligentes opinabantur. Hinc illud Horatij,

—— minùs aptus acutis
Naribus horum hominum rideri poſſit.

Horat. ſat. 4. l. 1.

Contra verò *naris obeſæ*, tardiores, quemadmodum apud Calpurnium obeſæ aures hebeti attribuuntur, & nullius iudicij viro. Id forte factum eſt ea cauſa, quod pulpæ quíque pinguiores ſunt, minùs apti videantur ad notiones capiendas, & ſubtilium rerum intelligentiam. Sed cumprimis *aquilinos* fuiſſe probatos ab omni antiquitate video, quos ſanè regios exiſtimatos Platonis auctoritate cognoſcitur, τοῦ δὲ, inquit, τὸ γρυπὸν βασιλικόν φατε εἶναι, *illius naſum aquilinum dicitis regium eſſe*. & Paridem regium puerum atque

Plat. l. 5 de rep.

 SVPERCILIA.

atque formoſiſſimum, ὑπόγρυπον *ſubadunco naſo fuiſſe* docta Veterum monumenta ſignificant. Ariſtoteles niſi me ratio fugit, τὴν γρυπὴν ἔχοντας ait eſſe vulgo μεγαλοψύχους.

Fortunatum (inquit Iuuentius) te natura genióque tuo eſſe Honorate puto, qui aduncum habes aquilinúmque naſum, quem non modò regiam indolem atque magnanimam ſignificare puto, quod etiam ſcriptum eſt à Xenophonte, & in communi exiſtimatione poſitum olim fuit, verùm etiam notam eloquentiæ dixerim atque prudentiæ. Sanè Herculem quem præſidem eruditionis atque facundiæ in Gallia fuiſſe volunt, non alia ratione Græci Latiníque pingebant quàm γρυπόν: famáque eſt M. Antonium vehementer ſibi plurimiſque aliis placuiſſe, quod propter γρυπότητα μυκτῆρος, Herculi non abſimilis eſſe videretur. Scio vulgus id ſentire, ait Honoratus, & peruagatam illam eſſe morum & animi coniecturam, quam ego vt neque repudiandam aut inanem ſemper eſſe puto, ſic incertam & minimi faciendam aio. Noui enim quoſdam, vt de me nihil dicam, qui cùm naſum eum habeant, vt de Cyri proſapia geniti videantur, bardi tamen ſtupidíque audiunt apud omnes, támque leuiter ſunt eruditione tincti, & ſapientia imbuti, aut tam parum ad agendum accommodati, vt à prima eos congreſſione minimè naſutos queas agnoſcere. in Cyrop. Plutar. in Anton. Philoſt l. 2.

Sed vt ad vsũ & præcepta veniamus, cupio generatim hoc animaduerti, partem hanc oris prodendis animi affectionibus inſeruire, & maximè iracundiæ ſignificandæ, dum nimirum præ indignatione, qui intimo in pectore inflammatur, ſpiritus per nares cum impetu eiicitur, vnde neceſſe eſt in vultu ſequi haud obſcuram commutationem. Videre hoc Poëtæ & expreſſere, vt Satyricus,

Diſce ſed ira cadat naſo rugoſáque ſanna. Perſ. ſat. 5.

Sic apud Theocritum δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται, Idyll. 1. v. 18

---naſo grauis inſidet ira.

Hinc irato dat *fumantem naſum* Martialis: *igneum* Maro, ſic enim præferocem equum pingit, *Collectúmque premens voluit ſub naribus ignem.* Hoc idem video animaduerſum apud Ariſtotelem l. 3. de moribus, vbi magni Homeri teſtimonio probat fortes & animoſos eſſe θυμοειδεῖς. Ex quo, inquit, & Homerus δριμὺ δ᾽ ἀνὰ ῥῖνας μένος, *per nares ſubit ira grauis.* In hoc ta- 3. Georg. 3. Ethic. c. 11.

men, illius Philoſophi μνημονικὸν ἁμάρτημα fuiſſe quidam ſuſpicantur. Nam laudata Poetæ verba ſic ponuntur Odyſſeæ vltimo, vbi Laërtem deſiderio filij collacrymantem cùm vidiſſet Vlyſſes,

Τοῦ δ' ὠρίνετο θυμὸς ἀνὰ ῥῖνας δέ οἱ ἤδη
Δριμὺ μένος προὔτυψε φίλον πατέρ' εἰσορόωντι.

Huius autem motus eſt animus, ad nares verò ei iam
Acutum robur erupit dilectum patrem inſpicienti.

Quibus ſanè miſericordia potiùs quàm ira declaratur: niſi fortè dicere libeat, mixtam fuiſſe indignationem, quòd bonus ſenex indigno vitæ genere conficeretur. Apud Hebræos id eſt frequentiſſimum, vt naſus iram & contemptum ſignificet, quos affectus tum certa quadam conformatione, tum naſi capitiſque proiectione vulgò homines prodere conſueuerũt. Pſal. 9. Sic apud regium Vatem vbi legimus, *Secundum multitudinem iræ ſuæ non quæret*, in Hebræo propriè, *ſecundum altitudinem naſi.* Vbi deſcribit arrogantis hominis impudentiam, qui ſecundum altitudinem naſi non quærat Dominum, id eſt, qui præ ſuperbia quam naſi elatione motúque ſignificet, Numinis cogitationem repudiet, & aſpernetur. Ita quidem certè magni viri & ſapientes interpretati ſunt. Ἡ ῥὶς ἐνεπαγγελία θυμοῦ καὶ οἱ μυκτῆρες ἐλευθέρως τὸν ἀέρα εἰσπνέοντες, *Naſus & nares liberè aërem trahentes ſignum iræ & impetus*, ait Heliodorus in Aethiop. l. 2. Theſſalum quendam iuuenem oratione delineans. Hoc niſi in æſtu ipſo orationis decere oratorem haud putem, ſapit enim animi impotentiam, quæ honeſtæ moderationis imperium non audiat, ſed impetu quaſi ardoris feratur, videtúrque ſcenæ potiùs & ſtrenuo bellatori, quàm muſarum & ſapientiæ alumno conuenire. Fieri tamen aliquãdo poteſt vt minimè dedeceat, præſertim cùm ſumma rei indignitas atque abiectio id requiret: nam & cauſæ fiduciam ſignificare poteſt, & iuſtum liberi animi atque magni contemptum.

Digitized by Google

Μυκτηρισμὸς in naſo. vncis naribus ſuſpendere. criſpare nares irriſionis, aut ſuperbi faſtidij ſignum. quos id deceat. SECTIO III.

NASO itē irridere atque illudere ſolemus: Quare Plinius lib. 11. nouos mores ait *ſubdolæ irriſioni naſum dicauiſſe*; Plin. l. 11. c. 32. Eam autem illudendi rationem eâ gratiâ, *μυκτηρισμὸν* Græci vocant, nam à Quintiliano ita definitur, *μυκτηρισμὸς, ſimulatus quidam, ſed non latens deriſus.* dicunt & *μυκτῆρα*. τὸ ἦδὸ, inquit Eunapius, καὶ κεχαρισμένον in dicendo, Attici *μυκτῆρα* καὶ *ἁλισμὸν*, *naſum & ſales vocabant*. Hinc *naſum Atticum* appellauit Seneca pater Suaſoria prima: & ex eodem fonte illa protrita ſunt apud elegantiores, *naribus vti, ſuſpendere naſo*, hoc eſt omnium irriſioni ludendo proponere. Inde apud Græcos *ῥινοκλυπία* ſanna eſt. Lucilius in Satyra præſtans atque Italo perfuſus aceto, eleganter à Plinio præfatione operis ſui dicitur primus, *naſum ſtyli condidiſſe*, propter aculeum & *μυκτῆρα*, quo in irridendis hominibus vtebatur.

Fab. l. 8.

Eunap. in Liban.

Naſus Atticus.

Eſt autem certa quædam naſi conformatio ad irridendum accommodata, quam non modò in quotidiano vſu videmus, ſed in ſcriptis quoque veterum adumbratam. Solent enim ij præſertim qui contumelioſè ludificantur, in rugas nares contrahere, quòd eſſe proprium cachinnonum, & inſolentius alios contemnentium, docent Poëtæ. Vnde à Perſio *ſanna rugoſa* ſcitè nominatur, quòd ipſum eſt *criſpare naſum* eidem poëtæ alio in loco,

Criſpare naſum contemptus aut faſtidij indicium.

Perſius ſat. 1

Ingeminant tremulos naſo criſpante cachinnos.

Hinc doctiſſimo Gregorio 2. στηλιτ. in impium Iulianum, *μυκτὴρ ὕβριν πνέων* dicitur. *Contorquere narem*, dixit Apuleius, ita enim l. 7. Aſini, *Ille contorta & vituperante nare diſceſſit. Contrahere narem* S. Hieronymus, *Quem cùm legeris, aut ipſe pro nobis cæteris ſatisfacies: aut ſi tu quoque narē contraxeris.* Expreſſius autem id ludibrium contumeliæ iunctum declaratur, cùm rugatus eò modo naſus attollitur: videtur enim is qui dicit quaſi vncis naribus homines arripere, eóſque attollere ſuſpenſos, atque in media luce omnibus irridendos locare. *Doctè & graphi-*

S. Hier. ep. 52.

Digitized by Google

cè Horatius, ——— *Naſo ſuſpendis adunco.*
Geminus & germanus Perſius.

------ rides ait , & nimis vncis
Naribus indulges.

Ad ſuperbum faſtidium hoc etiam quidam reuocarunt. D. Hieron. Apolog. I. in Ruffin. *Contractis rugatiſque naribus concaua verba trutinantur.* Idem in Oſee cap. 10. *Deſinant rugare frontem , adducere ſupercilium , criſpare nares.* Hunc geſtum malim ego in theatrum ad comœdos, quàm in forum curiámque inducere, quòd leuitatem quandam è triuiis hauſtam habere videatur: niſi fortè is ſit orator qui proprio veluti genio ſit fictus atque natus ad illudendum. Sunt enim quidam εἴρωνες à natura, ſic vt in vultu illius rei clara quædam veſtigia hæreant, qualis pingitur Socrates à Platone, Iulianus Imperator à Nazianzeno, M. Tullius à Fabio, Macrobio, aliis, qui propterea nimium quantum dicaces & in irridendo feſtiui habiti ſunt, Iulianus tamen non tam naſo facetus, quàm contumeliam ſpirans & contemptum. Huiuſmodi homines rugas penè ſemper aliquas habent in naſo, atque gelaſinum, qui nec dedeceat, nec improbari ſoleat, niſi eo intemperantius abutantur. Sed qui aliam oris compoſitionem habent, ſi corrugent ſæpè nares, vereor vt inſtrumentum ſit illis adhibendum, quod πτιλώθρον vocat Dioſcorides, Latini veteres *ſtrictipellam* aut *tentipellium* dixerunt, quo nimirum rugas in facie extendebant, de quo Titinnius.

S. Hieron. Apol. I. in Ruffin. idem in Oſee.

Coniect. ad Varron.

----- tentipellium
Inducis , rugæ in ore extenduntur tuæ.

SECT. IV *De nare loqui fæmineum. Sonitus naribus expreſſus Cinædorum aut iratorum. mucoſi ῥέγχοντες. alia notata.*

SED vitia quædam ſunt in naribus diligenter animaduertenda , & præcipuo quodam ſtudio vitanda , de quibus iam eſt conſequens vti moneam. Imprimis *loqui de*

Digitized by Google

nare. fœmineum eſt, & politis hominibus ad audiendum ſanè graue & iniucundum. Contigit autem id nonnunquam vitium aliorum æmulatione, cùm cereus ad omnia puer cum iis diu familiariter agit, auditque ſæpè loquentes, qui eo morbo inficiuntur: quo fit vt ſenſim, ſine ſenſu, malum ſerpat imitatione, & necopinantibus adhæreſcat. Interdum id euenit ſponte naturæ, cùm ſpiritus qui per nares exit, ob anguſtiorem viam parciùs emittitur, ore ipſo quaſi indignante aditúſque occludente. Atque hoc quàm ingratum ſit eruditis auribus, declarat Poëta Satyricus, cùm id totum quod hoc modo pronunciatur vocat *rancidum*,

Rancidulum quiddam balba de nare locutus. Perſius Sat. 1.

Nam qui odorè corruptione rerum diutiùs aſſeruatarum vt apri apud Horatium, vt olei ſimiliúmque rerum exoritur, diciturq; propriè rancor, quo modo Arnobius aduerſus gentes l. 1. olearum fluenta ranceſcere dixit; ad res alias minùs ſuaues, ſenſuum iudicio permoleſtas, & ἀηδῶς, certa ſimilitudine transfertur. Sic opinor dixit Martialis, *rancidulo ore loqui*, hoc eſt ἀηδῶς καὶ δυσχερῶς, eo more modóque, quem teretes aures ferre nequeant. Id etiam in malam partem fuiſſe acceptum, docet Polemo in Phyſiognomonicis, nam qui de nare loquerentur: eos ait vulgò, ψευδεῖς, κακοήθεις, φθονερούς, *mendaces, malignos, inuidos*, à natura factos, induſtria fictos, omnium opinione compoſitos videri. In id vitium putidúmque genus pronunciandi ſurdos incidere, video proditum ab Ariſtotele, cauſámque explicatam; quam ſi tanti res videatur legetis in Problematis.

Horat. l. 2. Sat 2.

Polem. in Phyſiog.

Sect. 11. probl. 2. & 4. & ſect. 33. probl. 14.

Iam verò triplicem quendam ſonum fieri naribus, eúmque reprehendendum animaduerti. Eſt enim ſonitus quidam flagitioſorum hominum proprius & cinædorum, de quo Alexandrinus Clemens lib. 3. Pædagogi, qui reprehendit τὸ πορνικὸν ἀναιδῶς εἰς ἀσέλγειαν διὰ ῥινῶν ἐπιψοφοῦντας ἐπικιναίδισμα, *impudicè ridentes, impurum & cinædicum ad laſciuiam ſonum per nares edentes.* Eum ſonum Dio Chryſoſtomus oratione 33. μιαρὸν nominat, & τῆς ἀσελγοῦς πράξεως, ὥσπερ αὖ φθεγγόμενον, *laſciuiæ & nequiſſimi actus imitationem continentem:* & eam impudentiam Tarſenſium penè omnium communem bellè ea tota oratione exagitat. Grauiter ſanè Tatianus ora-

Narium ſonus triplex in vitio.

Clem Alexand. l. 3. Pædag c. 4.

Dio Chryſoſt. or. 33.

Digitized by Google

tione contra Græcos, id Gentilibus exprobrat. *Quid*, inquit, *obſecro ſit apud vos egregium?* ῥιναυλοῦσι τὰ αἰσχρὰ, *obſcœna verba naſo reſonante effutiunt*, *& motus indecentes mouentur*, &c. Illam ipſam narium turpitudinem Vates pius, & cœleſti afflatu potens Ezechiel in Iudæis animaduertit, qui in ſua impietate inexpiabili Numinis contemptu laſciuiebãt. Capite enim 8. vbi legimus: *Et ecce applicant ramum ad nares ſuas*, Symmachus vertit, *quaſi emittentes ſonitum in ſimilitudinem cantici per nares ſuas*. Et in eum locum ſanctus Hieronymus, *Symmachi*, inquit, *interpretatio fœdum raucúmque ſonitum de naribus procedentem in Dei contemptum ſignificat*. Et rectè doctiſſimus Pater, *fœdum* interpretatur *ſonitum*, hoc eſt, vt ego quidem intelligo πορνικὸν, *& impudicum*. Quod expreſſit luculentiùs ſanctus Athanaſius Epiſt. ad Solitar. vbi de petulantiſſimo & turpiſſimo iuuene loquitur; [S. Athanaſ. ep. ad Solit.] *Sedens*, inquit, *per laſciuiam in throno Epiſcopi*, διὰ τῶν ῥινῶν τι πορνικὸν ἀπήχησεν ὁ ἄθλιος, *libidinoſos ronchos de naribus meretricióſque inſonuit*. Ea verò petulantis animi ſignificatio, tantùm abeſt vt in Oratorem cadat, vt à quolibet honeſtatis amico ſit velis quod aiunt remíſque fugienda. Eſt alius quidam ſonus naribus expreſſus, præcipitis iracundiæ argumentum, quem etiam à laudato Pædagogo Alexandrini Clementis & notatum, & repudiatum video. Sunt illius hæc verba, ἐπικροτοῦσι τῇ ῥινὶ βατράχων δίκην, καθάπερ ἔνοικον τοῖς μυκτῆρσι τὴν χολὴν κεκτημένοι, *Naribus non ſecus ac ranæ plauſum edunt*, *vt qui in naſo bilem veluti inhabitantem habeant*. Eſt denique indecorus alius ſonus emiſſus per nares, qui rus olet & agreſtem inſtitutionem, eorum maximè proprius, qui muco ſordibúſque abundant, quas ſordes ingrata penitùs & inamabili ſymphonia reciproco ſpiritu modò retrahunt atque ſorbent, modò quaſi conantur egerere. De iis dixerim quod Dio Pruſæus de Tarſenſibus aiebat eos ſtantes ambulantéſque dormire, quippe ῥέγχειν, *ſtertere aſſiduè*, *& reſonare*: & vt ait Iuuenalis, *Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo*. Sanè inter ſapientes vix mucoſo Oratori locum aliquẽ eſſe poſſe video, eſtque illud diligenter prouidendum, vt qui humoribus abundant, priuſquam in medium progrediantur, nares purgent; quod quamuis etiam à dicente fieri poſſit, id tamen frequentiùs ſi fiat, merito auditori diſpli-

Iuuenal. Sat. 1.

cet, vt animaduertit Quintilianus. Eo vitio laborabat Socrates, quantùm è Platonis monumentis licet intelligere, apud quem Thraſymachus bonam ſedulámque nutricem optat illi Philoſopho, nam tua, inquit, *σὲ περιορᾷ κορυζῶντα, καὶ οὐκ ἀπομύττει δεόμενον αὐτῆς, te mucoſum negligit, nec emungit, quum ea tibi ſit opus*: Idipſum Lucianus vicanis hominibus & indoctis, & vt ipſe loquitur, *τοῖς ἰδιώταις* attribuit. Et ſanè inelegantium hominum eſt & inficetorum, quemadmodum & id quod à pleriſque fieri vidi, qui cum impetu aliquando in fine periodorũ ſpiritum è naribus eiiciunt: fit illud aliquando in contemptu, cùm videlicet compreſſis labris, ſonitus è naribus emittitur, quem *μυγμὸν* Græci vocant, vt *μύζειν* ita clauſis labris è naribus ſonum emittere, quod aliqui in gemitu fieri volunt. Sed indecorum eſſet maximè, ſi quis plana manu naſum reſupinaret. De quibus, ſimilibúſque vitiis ita monere Quintilianum memini: *Corrugare nares, vt Horatius ait, & inflare & mouere, & digito inquietare, & impulſu ſubito ſpiritum excutere, & diducere ſæpiùs, & plana manu reſupinare indecorum eſt: cùm emunctio etiam frequentior non ſine cauſa reprehendatur.* Quod ait inflare nares & mouere, ad eos maximè ſpectat, qui laxiores habent & naturæ ſponte mobiles, Apuleius *nares follicantes & languidas* vocat.

Fab. l. 11. c. 3.

Apuleius l. 9. Aſin.

Sternutatio Oratori fugienda. Ea quondam ſalutis augurium & Διὸς σωτῆρος. Cinædorum nota. Eius moderandæ ratio.

Sectio V.

AD nares quoque pertinet, quod ad extremum hîc monere mihi viſum, vt Orator à ſternutatione abſtineat, & titillantis, atque erumpere geſtientis ſpiritus impetum, quantùm fieri poteſt comprimat. Hic Iuuentius demirans, Non ſatis, inquit, video cur ſternutationem comprimendam putes: nam mihi quidem potius optanda videretur, quippe quæ ſit iucundi cuiuſdam honoris cauſa. Videmus enim velut in auguſto augurio ſalutantes homines, cùm quis ſternuit, & benè apprecantes, cuius cauſam dedit Ariſtoteles, quod

ſpiritus è capite, hoc eſt ex ea hominis parte, quæ ſit omnium ſacerrima ſe eiiciat. Bonum id omen fuiſſe Veteres opinabantur, ſalutíſque auſpicium, atque adeò rem diuinitus fortunare: Vnde id Catulli: *Dextram ſternuit adprobationem:* & ille amoribus irretitus amabiliter ludens canit, *Sternuit omen Amor*, quod à Sicula muſa decerptum eſt, cui Ερωτες ἐπέπταρον, *Amores ſternutauerunt.* Cùm Xenophon inter Græcos aliquando ſuauiſſimè de more politiſſiméq; loqueretur, contigit fortè, vt de auditoribus vnus ſternutaret: id cùm cæteri audiiſſent, effuſi in lætitiam vno omnes impetu Deum venerati ſunt. Quo tēpore gratulatus quoque publicè ipſe Orator, idque οἰωνὸν τοῦ Διός, τοῦ σωτῆρος, *ſeruatoris Iouis augurium* appellauit: & quidem ſcimus olim fuiſſe in more poſitum, vt cùm quis ſternueret, qui adeſſent Ζεῦ σῶσον dicerent. Quin & ſolebant τοὺς πταρμοὺς προσκυνεῖν ὡς ἱεροὺς *adorare ſternutamenta veluti rem ſacram*, vt me docuit Polyhiſtor Athenæus. Quod ſi orante Xenophonte tam ſalutare atque iucundum fuit habitum, quod de iis vnus qui audiebant ſternueret, quantò felicius id fuiſſet, ſi dicenti ipſi eueniſſet? Et ni me mei Poëtæ deceperunt, non id modò Iouis augurium fuit, ſed etiam Apollinis victoriam pollicentis: ita enim præſtanti ingenio Poëta Nonnus Panopolit.

Catull. ep. 46.

Propert. l. 2. & 3.

Theocrit. Idyl. 7.

de Exped. Cyr. l. 3.

in Anthol. Gr.

Athen. l. 2.

in Dionyſ. l 13 verſ. 81

---ἐπὶ νίκῃ

Πατροπάτωρ δαφναῖος ἐπέπταρε μάντις Ἀπόλλων

---in victoriam

Auus paternus laureus ſternutabat Vates Apollo.

Sic Penelope apud regem Poëtarum,

Οὐχ ὁράας ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσι,

Nonne vides dictis vt natus ſternuit omen?

Origen. in Philo. c. 19.

Quem verſum ab Origene laudatum, & penè conſecratum video. Quid igitur infauſtum tibi videatur, ſi Orator dextram ſternuit approbationem, non ſecus ac Athenienſibus aduerſus innumerabiles Perſarum copias dimicaturis, πταρμὸς ἐκ τῶν δεξιῶν ἐσήμηνε, *dextrum omen ſternutamento eſt datum?* An eſt quidquam, quod ſit gratius auditori ſapienti, quàm Iouis & diei filia Alethia? atqui ſternutamentum ſymbolum eſſe veritatis, exquiſita rerum admirabilium cognitione præditus Albertus magnus aſſeruit. Quid Ariſtoteles, ne recentes proferre

Beroald. in Propert.

ferre ſophos tantùm videamur: an non diſertè libris de Hiſtoria animalium ſternutationem σημεῖον ἱερὸν nominauit? Certè adeo cum diuinitate coniunctam olim putauerunt, vt Socratis nobilem illum Genium, de quo tam multa nobis annales & veteris æui memoria reliquerunt, non fuiſſe aliud quàm ſternutationem plurimi opinarentur.

Ariſtot. de hiſtor. ant. l. 1. c. 11.

Plutarc. de Deo Socr.

Honoratus cum æquo animo Iuuentium diſſerentem audiiſſet, Neſcio, inquit, an ex animi ſententia Iuuenti, illa dixeris, an elegantiæ ſtudio elatus plus Veterum ſuperſtitioni, quàm par ſit tribuere, an denique imperitiæ me notare volueris, qui neſcierim quæ modò eruditè in medium protuliſti. De me nihil dicam, de re pauca; ſic enim exiſtimo te inane illud augurium eſſe putare, quod M. Tullius doctor tuus ſcitè ſubtilitérque irridet, quod melioribus diſciplinis exculti, quod diuini homines repudiant, & è moribus eiiciendum monent. Philemon Comicus clarè in theatro illa olim protulit, quæ beatus Theodoretus ſcriptis ſuis ad perpetuam memoriam commendauit,

Theodor. l. 6. de cur. Græc. affe.

Οἷαν ἴδω παρατηροῦντα τίς ἔπταρεν

Η τίς ἐστιν ὁ πορευόμενος σκοποῦντα, ἀπολῶ·

Τοῦτον εὐθὺς, &c.

Cùm videro, inquit, *obſeruantem qui ſternutat, aut ſpeculantem ſi quis accedat, perdam hunc ego hominem è veſtigio*, &c. Sanctius etiam diuus Auguſtinus, *ſternutationes ſacrilegas & ridiculoſas* appellat. Clemens item Alexandrinus Stromat. lib. 7. à quo Theodoretus magnam partem orationis 6. de prouidentia mutuatus eſt, in eandem rem variè, vt ſolet, copioſéque diſputat, & eoſdem Philemonis Comici verſus adducit, qui cùm eos falsè illuderet, qui ſternutamenta obſeruarent, ait vnumquémque ſibi non aliis & loqui & ſternutare,

D. Auguſt. ſerm. 241. de temp.

Clemens Alex. l. 7. Strom.

Εαυτῷ βαδίζει, καὶ λαλεῖ, καὶ πτάρνυται

Εκαστος ἡμῶν.

Irridet & magnus Origenes doctiſſimis ſuis in librum Iobi Commentariis, *Quidam*, inquit, *ſternutamentis adhuc obſeruiunt*, &c. quos non dubitat *miſeros*, *& ſpe vacuos* nominare. Illa enim ſuperſtitio Chriſtianorum etiam mentes ita occupauerat, vt ſi quis ſternuiſſet in concione, id porten-

Origen. in Iob. l. 3.

Dd

Digitized by Google

S. Baſilius in Eſa. dere quidpiam exiſtimarent. Sanctus Baſilius in Eſaiam, ἐπτάρη τὶς φησιν, ἐπὶ τῷ λόγῳ, ἢ τόδε σημαίνει, *ſternutauit aliquis in concione, nimirum inquit deſignat hoc quidpiam.* Iam verò quod dicebas auguſtum & honorificum ſemper id videri, & dicenti optandum, vnius Oratoris de ſchola politi & elegantiſſimi teſtimonio poſſem refellere. Is eſt Dio, qui ab aurea fandi copia Chryſoſtomi nomen tulit, qui oratione 33. quæ prior eſt Tarſica memorat ad Philoſophum, in ea ſcientia præſtantem quam Phyſiognomi profitentur, adductum fuiſſe hominem, corpore durum & ſqualentem, fuſca indutum veſte, piloſum, tonſu ruſticanum, de hoc rogabant honeſti viri, vt pronunciaret. Ille cùm diutius oculos in homuncionem intendiſſet, cunctatus tum ſententiam dicere, ſe neſcire dixit, iuſſitque illum abire. Qui cùm recederet, ſternuit, tum ille ſubitò exclamauit eſſe illum cinædum: & hac ratione τοῦ ἀνθρώπου μὲν ὁ πταρμὸς ἐξήλεγξε τὸν τρόπον, *hominis mores ſternutatio redarguit.* Philoſophum autem illum de quo Dion, fuiſſe Cleanthem prodit in eius vita Laërtius. Itaque haud vereor ne deinceps Iuuenti adhibenda tibi exiſtimes, quæ ſternutatoria medici vocant, ad proliciendum & pruritum excitandum, vt inter agendum tuis auditoribus cinædus videaris. Et ſi is fores, qui Dionis auctoritatem minimi faciendam arbitrareris, obiicerem Pædagogi diuini monitionem apud Stromateum Clementem, cuius illa ſunt verba, τῶν πταρμῶν οἱ ἐρεθισμοὶ, ὑώδεις εἰσὶ κνησμοὶ πορνείας ἀκολάστου μελετητικοί, *ſternutamentorum irritationes ſunt ſuilli pruritus & confricationes, quæ intemperantem impurámque nequitiam meditantur.* Vnum verò præ omnibus te monitum velim (hoc ridens aiebat) ne ſi quando dolueris è dentibus, aut ætate fueris prouectior, in ampliſſimo dicendi loco ſternutes. Scis enim

Suidas in Hippia. quid Hippiæ quondam Athenienſi contigit, qui cùm ſenio eſſet debilitatus, & vacillantes haberet dentes, è vehementi ſternutationis quaſſu & capitis commotione, vnus ei dens ab ore excuſſus eſt, quem medio in puluere vix deinde inuenire potuerunt.

Sed hæc fuerit ſpecioſa magis quàm neceſſaria velita-

Digitized by Google

tio. Aio igitur quod initio dicebam, curandum eſſe Oratori, quantum id quidem poteſt conſequi, ne ſternutet, nam & curſus orationis interrumpitur, & auertitur mens auditoris, ídque maximè in amplificationibus cauendum, quod inflammati animorum motus, illa mora quaſi vnda infuſa reſtinguantur. Periculum item eſſet, ne ſpiritus vi erumpens muco & ſordibus, aut finitimos reſpergeret, aut ipſius Oratoris veſtem, quod latere non poteſt, nec honeſtiori vlli probari. Quod ſi tamen id naturæ diſpoſitione aut caſu eueniret, tria quædam Alexandrini Clementis admonita intimo in animo inurenda, & ſequenda putarem: *Sernutatio*, inquit, *ſi cui euenerit, ſicut etiam ructus, non oportebit ſono proximos ciere, qui de mala educatione ferant teſtimonium.* Subdit paulò pòſt moderandæ ipſius rationem, *Sternutationis qui conturbat ſtrepitus, reſpiratione leniter repreſſa ac retenta auferendus eſt: hac enim ratione quàm honeſtiſſimè fieri poterit, conglobatæ ſpiritus minæ intus ſunt extinguendæ, prouidendo vt ita tranſeat, vt etiam cæteros latere conetur, ſi vi expreſſus aër aliquod ſecum excrementum eduxerit.* Tertiò illos reprehendit, qui in eo ipſo exclamant, *Arrogantiæ autem & inſolentiæ ſignum eſt, ipſis velle ſonis aliquid addere, non autem detrahere.* Hæc vir ille diuinus & ſapiens: quibus nihil habeo quod addam, niſi hoc audire velitis, eſſe Oratori præuertendam ſternutationem, & ſudarium ori admouendum, quo decore fiant omnia. Sed hæc puerilis animaduerſio, minimè in vos cadere poteſt, qui ad vnguem facti eſtis, & ipſius honeſtatis manu compoſiti.

Clemens Alexand. l. 2. pædag. c. 7.

Digitized by Google

DE ORIS COMPOSITIONE.

CAPVT VII.

SECTIO I. *Os Oratoris debet eſſe οἰκητήριον τῶν χαρίτων. Os probum plurimum in dicente poteſt. quale illud ſit explicatur.*

Orat. pro Quint. DE Ore iam aggredior dicere, ore profectò nullo, aut potiùs impudenti. *Ore duriſsimo eſt*, inquit M. Tullius, *qui præſente Roſcio geſtum agere conatur:* quale igitur os meum eſſe dicetis, qui nugari pergo, hoc Victore, hoc Iuuentio audientibus, planè Roſciis, quos diu atque multùm doctis in vmbraculis Muſæ expoliuerunt? nonne durum, ferreum, importunum, cui meritò Grippus ille occinat è comœdia, *Os calet tibi, linguam frigefactus.*

Plaut. in Rudent. Pergis tu quidem, ait Victor, Honorate, os tuum nobis oſtendere quaſi modeſtiæ quoddam Semneum, quod vterque imitari debeamus: & niſi coram hìc adeſſem, & laus tibi tua diſpliceret, illa vere in te conuenire pronunciarem, quæ Damaſcius de Aſclepiodoro præſtabili ingenio & doctrina viro aiebat, τὸ στόμα αὐτοῦ, καὶ τὸ ἄλλο πρόσωπον, οἰκητήριον εἶναι αὐτῶν τῶν χαρίτων, *os eius & reliquam faciem, domicilium fuiſſe Gratiarum.* Reſpondet ille, ſe nunquam ea limina Gratiarum attigiſſe, ſed in veterum hiſtoriam intuentem animaduertere, quantum oris honeſtiſſimi dignitas & compoſitio valeat in dicendo, ad tenendum auditorem. Nam cùm, inquit, illud ſit opifex orationis, illiúſque ſuauitatis, quæ è pectore educi, & in animos audientium debet influere, cùm ſit os, vt cum Apuleio dicam, *animi veſtibulum, & orationis ianua, & cogitationum comitium, eáque pars hominis loco celſa, viſu prompta, vſu fœcunda*, neceſſe eſt conniti Oratorem, vt quantum fieri poſſit, os habeat, quod tu modò aiebas, Victor, οἰκητήριον τῶν χαρίτων. Id decus mihi conſecutus videtur olim Alcibiades, ſi modo verum Æmilius Probus retulit, à quo ſcitis

Photius.

Apul. Apol. 1.

Æmilius Prob. in Alcibiad.

Digitized by Google

id commendari elogium, *Tanta erat commendatio oris atque orationis, vt nemo ei dicendo poſſet reſiſtere.* Gemina ponit gemineáque ornamenta, *ſpecioſum os*, *vimque ſuadelæ*, quæ ſeptas vndíque voluntates chalybéque munitas capere queant, & læto pæne dicam triumpho in capitolium adducere. Paria vir doctus de Tito Pomponio Attico recenſuit, *Erat*, inquit, *in eo ſumma ſuauitas oris ac vocis, ſic vt excellenter pronunciaret.* Quòd etiam ornamētum prædicat in filio ſuo mœrens Quintilianus, quem ad ſpem ſingularis eloquentiæ nutritum morte amiſerat, eſt enim hæc eius nænia, *Illa fortuita aderant omnia, vocis iucunditas claritáſque, oris ſuauitas &c.* Atque ex hac laude ſuſpicati aliqua ratione poſſumus, quale ſibi os fingere oratorem & componere oporteat; id complecti vno verbo licet, *os probum* eſſe debere, quale in Pompeio M. fuit, quem virum ſpecimen fuiſſe puto laudis & humanitatis. Nam in eo qui naturæ vim omnem comprehendit Plinius, laude & prædicatione celebrat *Os probum, & honorem eximiæ frontis.* Os probum meo iudicio nominauit, honeſtate inſignitum, diuiniori quodam luto, non Promethei ſubito artificio, ſed dædala naturæ manu factum, gratiæ coloribus tinctum, vndíque numeroſe tornatum, modeſtiæ honoro limbo vt tenui purpura litum, non tortum, non vaſtum & agreſte, non ſimiæ rictu, non tumore Mauro, non horrore barbarico, non alio vitio deformatum: denique perfectum & decens, & oſtendi è ſuperiore loco dignum. Huiuſmodi os primis quidem & natiuis lineamentis, in iis hominibus effingitur, qui ad omnem excellentiam nati ſunt, & à rerum omnium opifice liberaliſſimè ſubornati, iudicio deinde prudentiáque retinetur, quique naturam tuentur ſuam ingenuè compoſitam & perfectam, non poſſunt non habere os rectum, os probum, & ſpecie honeſtatis illuminatum, vnde quàm minimè id eſſe mutandum viri ſapientes admonent.

Corn Nepos.

Procem. l. 6

Plin. l. 7.

SECTIO II.

Vultus nitentis, facies improba. Os ducere, torquere, διέλκειν, peruertere. Id cauendum in affectibus commouendis.

Cicero 3. de orat.

GRAVE eſt illud & conſideratæ mentis effatū ſuauiſſimæ apud Tullium Sirenis, L. Craſſum puta tote me dicere, *Oris*, inquit, *non eſt nimium mutanda ſpecies, ne ad ineptias aut ad prauitatem aliquam deferamur*. Hoc mentis aureæ bracteatum oraculum, dignum profectò eſt vncialibus notis inſcribi in fori aditu, in propylæo Curiæ, in Phrontiſteriis ſapientum, Rhetorum ſcholis, Declamantium auditoriis, Iuuenum Diatribis, ſtudiodoſorum omnium zotheculis & muſeis. Quot enim oris ineptiæ, quot prauitates eueniunt, dum eloquentiſſimi hominis dictum monitióque deſpicitur? Quidam haud minus quàm Diſcobolos Myronis os in dicendo contorquent, qui feſtiuis & elegantiſſimis hominibus ſæpe ludi & iocorum materiam ſuppeditauerunt. Facetum illud ſanè fuit M. Antonij oratoris, qui Teſtio Panario mentum in dicendo intorquenti, tum vt diceret, ſi quid vellet concedebat, *ſi nucem fregiſſet*. Notabilis in ea re fuit Imperator Veſpaſianus, quem fuiſſe vultu velut nitentis prodit Suetonius, vnde quidam vrbanorum non inſulsè, eidem petenti vt & in ſe aliquid diceret, *Dicam*, inquit, *cùm ventrem exonerare deſieris*. In Phœbum etiam conſimili ore nitentem, luſit minus verecundè Martialis.

Cic. 2. de orat.

Suet. c. 20.

Martialis l. 3. ep. 83.

Vtere lactucis & mollibus vtere maluis
Nam faciem durum Phœbe cac. habes.

Faciem illam *improbam* nominaret Plautus, inuenuſtam & repugnante veluti genio compoſitam, quemadmodum hominem turpiculum & immanē Suetonius dixit *improbius natum*. M. Tullius in eadem re ſignificanda *ducere os* dixit, cùm de ſummiſſo dicendi genere loqueretur, *Vultu*, inquit, *multa conficiens, non hoc quo dicuntur os ducere, ſed illo quo ſignificant ingenuè, quo ſenſu quidque pronuncient*. Magnum auctorem imitatur Quintilianus, quem l. 9. ita loqui memini, *Si quis ducere*

Suet in Veſp. c. 23:

in or. perf.

Digitized by Google

os exquiſitis modis & frontis ac luminum inconſtantia trepidare non deſinat, rideatur. Eſt eodem ſignificatu apud eundem *tor-* Fab.l.10.
quere vultum, quod eodem quoque modo ridiculum eſſe con- c.5.
tendit, niſi cùm ſolus eſt Orator. Id vitium habuit Stoicorum pater Zeno, quem aiunt in dicendo πρόσωπον συνεσπασμένον Laert.
habuiſſe, *os nimirum & vultum contorſiſſe*. Sed ille quidem eam oris prauitatem ſcholæ vmbraculis, & operto Philoſophiæ continuit, neque nimio quæritur opere, vt illi ſophiæ interpretes ſupercilio grandi, ſeueri, & ore quodam Catoniano horrentes, pulchelli ſint, & communi honeſtate læti & florentes, cùm ſermonem etiam, vt cum Sidonio dicam Apollina- Sidon.l 4.
ri, *propter hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum habeant*, bar- ep.
barie infuſcatum, minus certè oratorium & elegantem. Solet enim doctrinæ magnitudo & opinio ſapientiæ, illam oris turpitudinem veluti obtegere, vt minus dedecere videatur, præſertim cùm ea eſt naturalis, nec inducta vitio, aut aſſumpta voluntate. Quanquam & in Philoſophis quoque, illam oris contorſionem virorum ſapientum voce reprehenſam video, nam Zeno ipſe iis qui diſputarent concedebat quidem, Laert.l.6.
vt vires & vocem aliquando intenderent, inſtar eorum hiſtrionum qui negotioſiſſimam rem conficiunt: at minus conſentaneum exiſtimabat τὸ στόμα διέλκειν, *os ducere aut immodicè aperire*, quod hominum proprium eſſe aiebat, qui plurima loquuntur quidem, ſed ea benè dicere non poſſunt. Id ſanè minus honeſtum, & à decoro alienum Seneca exiſti- Seneca l. 2.
mauit, cuius ſunt illa aculeata & auſtera, *quid vultum habi-* de benef.
túmque oris peruertis, vt malis habere perſonam, quàm faciem? Itaque placet Auicennæ iudicium, qui eos iubebat homines, quibus os diſtortum eſſet, intueri in ſpeculum frequentius, vt obtegere oris ignominiam verborum honeſtate cornitcrentur. Sed vt propriè Oratorem moneam, videndum eſt illi diligenter, ne in affectibus commouendis os ducat, & vitioſè contorqueat; quod eſſe pronum in metu & trepidatione, & contentione quadam corporis animaduertimus. *Plerúmque*, ait Ambroſius ſanctiſſimus doctor, *feſtinantes anhelos videmus* S. Ambroſ.
torquere ora. quod ille quidem, næuum iuſtæ offenſionis eſſe l.1.offi.c.18
monuit. Sed contingere id in ira maximè ſolet, ſi præſertim impotentis animi ferocia non cohibeatur, qualem nobis Ca-

Philo de leg ad Cai.

ium Imperatorem Philo Iudæus expreſſit, σαρκάζων γὰρ ἅμα καὶ σεσηρώς, ὑμεῖς εἶπεν, ἐστὲ οἱ θεομισεῖς, &c. hoc eſt, *ringendo fædúmque in morem os ducendo rogauit, Voſne eſtis illi Diis inuiſi,* &c. Sed præſertim id cauẽdum eſt oratori, cùm adſunt ij quos accúſat, quos infandis ſceleribus coopertos, Deo & hominibus infeſtos, communi hoc aëre indignos opinatur, tum ſi illos vt fieri amat dicendo intueatur, iracũdiæ forte vis & æſtuãtis animi indignatio, illum oris ductum exprimet, luem & vomicam reipubl. auerſantis.

SECTIO III.

Immaniter os diductum. Mattici. περιχάσκοντες. Φυσίγναθοι buccas inflantes reiiciuntur. Nudare dentes an deceat.

AGE vero etiam alias oris ineptias prauitatéſque notemus. Sunt quidam grandi rictu magniſque malis, & ore latè patenti, quos *Matticos* appellarunt veteres, vt docti animaduertunt. *Macci* mendosè dicuntur in Apologia Apuleiana. *Orici* etiam olim dicebantur. Periculum ſanè eſt, ne huiuſmodi homines vaſtè omnia pronuncient, & deformes habeantur, præſertim inueſtes & nudo mento, cùm hiatus oris tantus quantus eſt animaduertitur. Vidi ego in ſcholis puer adoleſcentes quoſdam duos, quorum alter pænè fatuus habebatur, alter impudens: rictu plane canino fuerunt, ore ita fiſſo, vt pænè ad aures pertineret: ſimias prope dixiſſes manuleatas, aut hiantem è turbida tragœdia perſonam, στόμα κεχηνὼς παμμέγα, vt cum Luciano loquar, ad grande carmen anhelandum. Sed in ſimiles bene multos eloquentiſſimus vir Nazianzenus Gregorius, ſcientia princeps & religione quondam inciderat, quos aiebat illudens περιχάσκειν ὡς κύνας ὑλακτοῦντας, *hiare vt canes oblatrantes magno rictu.* Iuſtruendi illi mihi quidem viderentur, ne vaſtè os diducerent, aut à laude bene orantium & ampliſſimo dicendi loco abſtinerent. Nyſſenus enim Gregorius vir excellenti iudicio & ſanctimonia διάχυσιν στόματος ἀπρεπῆ *oris dilatationem indecorã*, non dubitauit propriam eſſe dicere amentium. Finitimi opinione quidem mea ſunt habendi,

Paulus è Feſto. Gloſſ. Iſid.

Lucianus.

Greg. Naz. Orat. 30.

di, qui mirabiliter buccas inflant, quod ineptæ vanæque inſulſitatis, aut non ferendæ ſuperbiæ eſt indicium. Eas eloquentiæ germanæ princeps corypheúſque Demoſthenes in Æſchine bellè reprehendit, *Per forum*, inquit, *ambulat veſte ad talos demiſſa, pari cum Pythocle gradu incedens*, τὰς γνάθους φυσῶν *buccas inflans*. In hoc vitium proni illi barbati ſophiſtæ, Philoſophiæ columina, qui ampullata quaſi è cortina pronunciant, & acroamata iaciunt ponderoſa, piperata, Pythia: de quibus non ſine felle & aceto quidam ὀφρῦς ἀνασπῶντες, καὶ γνάθους φυσῶντες, *ſupercilia attollentes, & buccas inflantes*: quemadmodum *buccas typho crepantes*, acutè ſua oratione pungit magnus Auguſtinus, & alias, *Suam ſapientiam buccis concrepantibus ventilantes*. Sic Hieronymus ſanctiſſimus deſcribit Iouinianum *loquentem buccis tumentibus & inflata verba trutinantem*. Quin & inepti quidam oratores & faſtidioſi, dum affectant in dicendo tumorem atque ſonum, non minus quàm Minerua buccas inflant, quod ab honeſti hominis conſuetudine abhorrere fabulæ eruditæ oſtendunt, quæ Mineruam literarum præſidem aiunt, cùm ſe in vndis indecorè tibias inflare buccis tumentibus animaduertiſſet, & impetu magni animi id δυσόφθαλμον αἶσχος, *oris dedecus & turpitudinem*, vt Teleſtes Poëta nominabat, auerſaretur, fœdæ protinus illius artis inſtrumenta repudiaſſe, cùm diceret, ἔρρετε αἴσχεα σώματι λύμα, *Abite in malam rem probra corporis turpia*. Sapientem hanc Deam priſci æui, noſtri illi ſi me audiunt φυσίγναθοι glorioſuli imitentur, & tumorem ponant, & ne quidem in æſtu iracundiæ id liberum ſibi eſſe putent, quod neſcio an idoneè ſatis ſummo Ioui tribuit Horatius, quem animo incitatum & exardeſcentem, *inflaſſe buccam vtrámque* cecinit, vt mihi quidem pictus fuiſſe rabioſus, neque omnino ſui compos videatur. Sed præſertim id ſtudioſius cauere illi debent, qui diuiduam vtrinque lunam in vultu circunferunt, qualis prope videtur fuiſſe bellator inclytus, idémque eximius Orator Iulius Cæſar, eum enim *ore paulo pleniore* fuiſſe, prodit Suetonius, hoc eſt vt rectè Beroaldus interpretatur ſucculentiore, cui ſi tumor ab arrogantia ſuperbóque animi motu accederet, iam prouidetis, quanta ſit oris turpitudo futura. Itaque in buccas docti nonnunquam orantium ſales & lepidorum hominum facetiæ & dicta incur-

Greg. Nyſſ. hom. 2. in Eccl.

Suid.

S. Aug. lib. Cõfeſſion.

Tract. 45. in Ioan.

L. 1. in Iou.

Athen. l. 14.

Horatius l. ſerm. 1.

Suet. in Iul. c. 45.

Ee

Digitized by Google

runt. Cicero quidem in Piſone calamiſtratiſque patriæ prædonibus & luxu perditis, *fluentes buccas* & ceruſſatas inſimulat, vt molle quiddam & effœminatum. Sextus Pompeius Rhetor ingenioſus & politus non rem acu tetigiſſe, ſed argutè dicto pupugiſſe videtur, qui de vxore M. Antonij Fuluia quæ alteram buccam habebat inflatiorem, *acumen ſtyli tentare* illam dicebat. Theodoretus miſerrimam ſuperbientium hominum conditionem in morte futuram oratione denuntians, iam illa grauiter & magnificè, ὁ γαυριῶν τράχηλος οὐ κάμπτεται μόνον, ἀλλὰ καὶ διαλύεται, καὶ ἡ φυσωμένη γνάθος οὐ συστέλλεται μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς ὀλίγην κόνιν συνέσταται. *Hic ferocientis & elatæ ceruicis faſtus, non modò inflexus deprimitur, ſed & totus diſſoluitur: inflata illa tumidáque bucca non modò contrahitur, ſed in tenuem puluerem abit.*

Quid verò de illis ſtatuemus, qui vt opinor dentes eburneos habere videantur, identidem eos nudant & oſtendunt? Atqui idem quem ſuperius nominaui Nyſſæ Paſtor elegantiſſimus, γύμνωσιν ὀδόντων τε καὶ οὔλων *dentium & gingiuæ nudationem*, in iis quæ reprehendi in hominibus ſolent reponit. Sanè quidem canum eſt furentium, nudare dentes atque ringi, quos nemo niſi oblitus ſui imitari velit. Plautus euſchemè atq; ſcitè.

Plaut in Capt.

Ne canem quidem irritatam voluit quiſpiam imitarier,
Saltem ſi non arriderent, dentes vt reſtringerent.

Appius Clauſus egregia mente præditus à litera Z. vehementer abhorruiſſe dicitur, quod dentes mortui dum exprimitur, imitatur, dentes enim illius elementi pronunciatione nudari eſt neceſſe. Huius tanti viri conſilium introſpiciendum eſſe putem oratori, & ita ſequendum, vt non tam ab vnius literæ ſono, quàm ab inepta oris compoſitione refugiat. Et maximè ſi luridi ſint, fetidi & carioſi, & ſcabri rubigine dentes, quos æquis oculis intueri nemo queat. Tum enim aut quam minimè oſtentandi forent, aut prouidendum vt Apuleianum illud munus quod donauit Calpurniano alicunde aſſequeretur.

Apul. in Apolog.

——munditias dentium.
Nitelas oris ex Arabicis frugibus
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum
Complanatorem tumidæ ginginulæ
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes dentium. Vel audienda potius

Digitized by Google

philoſophia cuius præceptum hoc Epictetus enunciat, Πλύνον τοὺς ὀδόντας, *Dentes ablue.* Videndum tamen in eo ipſo ne quid nimis, ne præ deliciis & mollitie orator τοὺς ὀδόντας λαμπρύνειν nitorem dentium quærere nimium videatur, quod Sophiſtæ Alexandro Romanus quondam Imperator obiecit apud Philoſtratum. σὺ γὰρ, inquit, ὁ τὴν κόμην ἀσκῶν, καὶ τοὺς ὀδόντας λαμπρύνων, &c. Sic inter notas blandi & glorioſi ſoſtentatoris poſuit Theophraſtus τοὺς ὀδόντας λευκοὺς ἔχειν, *dentes candidos & nitidos habere.* Theophr. in Charac.

Stridere dentibus, aut eos collidere, quorum ſit hominum proprium, quibus è cauſis eueniat, num cadat in Oratorem. SECTIO IV.

AN autem ſtridere dentibus, ſit à foro alienum, & Curia ſede æquitatis, dubitari fortè poteſt, ſi apud nos reputemus, eſſe viris magnis aliquando iram concipiendam, qui in frænanda perditorum hominum audacia, maleficióque accuſando verſantur, quos acriter agere par eſt, & vt fieri ſolet iracundè. Ille verò dentium crepitus atque ſtridor, proprius iratorum eſt, & eorum qui odio incenſo feruntur. Eleganter Seneca ſophus iram ſuis coloribus adumbrans, *dentium inter ſe arietatorum ſonitum* vocat, qualis in apris eſſe conſueuit. Pari elegantia D. Chryſoſtomus, τρίζειν ὀδόντας, διαστρέφειν ὀφθαλμούς, &c. Iratus, inquit S. Baſilius, apri inſtar τὸν ἔνδοθεν θυμὸν διὰ τῆς τῶν ὀδόντων διατρίψεως ὑπεκφαίνει, *intimum animi furorem prodit dentium attritu*, ita malo, quàm vt vulgò vertunt, *aſtrictu.* Eius frater Nyſſenus Gregorius τῇ τῶν ὀδόντων συμπλήσει *dentium colliſione* præ ſe ferre animi ſæuitiam acerbitatémque dixit. Et quidem Gallum Cæſarem eo geſtu concionem habuiſſe ad milites, monumentis ſuis reliquit Ammianus in hæc verba, *Colligi omnes iuſſit armatos, & cùm ſtarent attoniti, diſtricta dentium acie ſtridens, Adeſte*, inquit, *viri fortes*, &c. Idipſum Coryphæus Poëtarum Achilli tribuit in hoſtes eunti.

Seneca. l 3. de ira. Chryſ. ho. 2. in ep. ad Timoth. S Baſil. hom. 21. S. Greg. Nyſſ. or de S. Stephan. Ammian. l. 14.

----κορύσσετο δῖος Ἀχιλλεύς
Τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε, &c.
---*armatur dius Achilles,* *Cui ſtrident dentes.*

Ariſtides ſummus orator Græciæ, hos diuini Poëtæ verſus ponderans, *Vides*, inquit, *vt omnia viro ſimul tribuat*, ὀδόντων κρότον, πῦρ ἐν ὀφθαλμοῖς, ὀργὴν εἰς τοὺς πολεμίους, *dentium ſonitum & ſtridorem, flammam in oculis*, &c. Dixerit ſanè quiſpiam Homeri teſtimonio fretus, & clariſſimorum hominum quos nominaui, id eſſe Heroicum & Achilleum; ego penitus oratorium eſſe negarim. Aliter enim dux militaris cui rubra ira dominatur, ad premendos conficiundóſque hoſtes incedit, aliter orator iuſta indignatione commotus ad nefarij cuiuſpiam hominis inſolentiam coërcendam. Illis omnia licent, furere, bacchari, dentibus etiam cùm arma deſunt in aduerſarios inuolare, quod à Laconibus factum aliquando fuiſſe videmus, qui Leonum inſtar in diſcrimen atque in hoſtium globos irruebant. Orator autem conſilio vti debet & ratione, neque abripi ſe ita patietur, quin ſui rationem habeat & communis honeſtatis. Quin idem ipſe quem laudaui ſupra eloquentiſſimus Chryſoſtomus, tantum in dæmonem eum geſtum vſurpandum cenſuit, ita enim loquitur, ὥσπερ τι κέντρον ἔγκειται ἡμῖν ὁ θυμὸς, ἵνα κατὰ τοῦ διαβόλου βρύχωμεν τοὺς ὀδόντας, ἵνα σφοδροὶ ὦμεν πρὸς αὐτὸν, οὐχ ἵνα κατ' ἀλλήλων στῶμεν, *Ira nobis ineſt tanquam ſtimulus quidam, vt aduerſus diabolum dentibus ſtrideamus, & in eum ſimus vehementes, non vt alter in alterum ſtemus.*

S. Chryſ. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ.

Dentium colliſio in metu.

Senec. ep. 11

Alio verò quodam modo euenire homini poſſe video, vt dentes inter ſe collidat, metu nimirum & trepidatione. *Quibuſdam*, ait Seneca, *tremunt genua dicturis, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat.* Dicturis inquit: nam profectò eum oportet Damarum eſſe è genere, quas *timidas* Poëta bonus appellat, & verò etiam luce indignum & corona, qui in ipſo pulpito aut ſubſelliis, cùm auditor eſt vultu & voce, & totius corporis dignitate conciliandus, ſic animo debilitatur & concidit, vt & genua defluant, & dentes collidantur. Illam ergo dentium muſicam, & haud ſatis dulce & iucundum oris tympanum repudiemus.

Digitized by Google

Linguam exertare illudendi vel ſignificandi gratia. σαρκάζειν. loqui labiis. ductu labiorum irridere, eorum diſtorſio non nimia eſſe debet. in mœrore demiſſa. SECTIO V.

SI eos reprehendimus anteà, qui dentes ineptè nudarent, rideréntque, vt ait ille albis dentibus, nolitote putare, mihi vllo modo poſſe probari, vt quis linguam in dicendo exertet. Et tamen ab omni antiquitate morem eum in Gallia fuiſſe conſtat, vt alios irridendo linguam exererent. Id enim coloſſeum illum feciſſe militem Gallum, qui Romanos ad duellum prouocabat, annalium veterum monumenta ſigni- Gell. l. 9.
ficant. Quadrigarius enim in hiſtoria ſic prodit, *Deinde Gallus irridere cœpit atque linguam exertare.* Eodem modo pingebatur Gallus in ſcuto Mariano Cimbrico, *ſub nodis* Cicer. 2 de
videlicet diſtortus, eiecta lingua, buccis fluentibus. Quanquam Orat.
non vnius prouinciæ id proprium, ſed latè patens & commune fuit. Nam grauiſſimus auctor Hieronymus cùm monet non eſſe aures iis commodandas, qui pictæ tectoria linguæ circunferunt, teque nimiis laudationibus efferunt; fieri poſſe ait, vt ſi diligentiùs intuearis, poſt te videas ad illuden- Hierony.
dum *æſtuantem canis protendi linguam.* Quod genus quoque ir- ep. 4.
riſionis Poëta Satyricus bellè expreſſit,

Nec linguæ quantum ſitiat canis appula tanta. Perſ. ſat. 1.

vbi vetus ait Interpres, *ſannæ genus fuiſſe linguam ſitientis canis imitari*, hoc eſt validè educere. Is quem modò nominabam eruditiſſimus Hieronymus, aliàs *obtorquere linguam* di- S. Hieron.
xit, *Non magnopere*, inquit, *pertimeſcamus ſupercilium Iudæo-* in c. 3 ep. ad.
rum, ſolutis labiis, & obtorta lingua, & ſtridente ſaliua, & Titum.
raſa fauce gaudentium. Scio in Gallia etiamnum id habere locum, in eorum hominum cœtu, qui petulanti licentia quadam elati nullam partem honeſtatis verecundiæque retinent: ſed nemo tamen ita eſt triuiis ſordibúſque aſſuetus, tam proiectæ nemo impudentiæ, vt in conſeſſu virorum ſapientum linguam exerere ad alios irridendos audeat. Sed neque

honeſto Oratori id conceſſerim, quod Theophraſtus nimium in dicendo geſtuoſus aliquando vſurpauit, vir alioqui in omni genere ſermonis, in omni parte eruditionis perfectus, & vnus omnium in dicendo ſuauiſſimus, quem ferunt, helluonem quendam natum abdomini cùm exprimere voluiſſet,
Athen. l. 1. ἐξαραίτα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη, *exerta lingua labra circunlinxiſſe*. Id ſanè à Philoſophi grauitate alieniſſimum, multò meliùs vir ſapiens reliquiſſet Paraſitis Comœdiarum, & βωμολόχοις, & impuro gregi ſeruulorum, qui laurum è muſtaceo quærunt, & ab inſigni quadam impudentia gloriolam aucupantur.

Labia repandere ad illudendũ. Eſt aliud irridendi genus, multò quidem honeſtius, ſed in quo tamen multa cautione opus eſt, ne ad eundem ineptiarum ſcopulum adhæreſcamus. Solent enim illudentes quidam ducere os labiáque repandere, σαρκάζειν Græci nominant, Galli *facere moam*, Hebræi, *loqui labiis*, quod doctiſſimus Hieronymus eſſe ait ſubſannando dimittere labium, & geſtu diducti labij palam & contumelioſè illudere. Antiquiſſimi Latinorum *Valgia* nominauerunt: *Valgia*, inquit Fulgentius, *ſunt labellorum obtortiones in ſupinatione vel ſublatione peractæ, ſicut & Petronius ait, Abroſo valgiter labello*. Agellius *ductum labiorum* appellat, ita enim de ſciolo quodam oſtentatore, *Tum ille rictu oris, labiorúmque ductu contemni à ſe oſtendens, & rem de qua quæreretur, & hominem ipſum qui quæreret*, &c. Id ſi rarò & modicè fiat, & exiguo motu labiorum, cùm vt ſit contemptionis certo indicio caput attollitur, non magnopere inſimulandum fortè videatur: ſi exiguo, inquam, motu, & non nimia deprauatione oris fiat: nam labia quaſi proiicere & vehementer reſupinare, vt ineptum & ruſticanum in familia tantùm Labeonum & Brocchorum fieri velim, de quibus Plinius meminit Polyhiſtor, στρεβλοχείλους ἄφρονας iure quis appellet cum Gregorio Nazianzeno.

D Hieron. in Pſal. 20.

Fulgent. de vocib.

Agell. l. 18.

Plin. l. 11.

or. 26.

Et quidem ab eo vitio tanquam à certo eloquentiæ ſcopulo, ingenioſiſſimi Oratores & concinni ſtudio omni refugerunt, & cumprimis Ariſtides, quem vnum omnium facilè præſtantiſſimum cum illo æuo multi graues & ornati homines & copioſi forent, communis omnium fuit opinio. Is cùm nouam & politam habuiſſet orationem, ſuauitudine plenam,

Digitized by Google

& varietate, in qua Mineruæ commendationem cum rerum ſuarum excellentia, atque ingenij magnitudine coniunxerat, & ob eam inanitatem & non ferendam inſolentiam, à quibuſdam argueretur, alia quadam oratione ſuum facinus conſiliúmque defendit, atque adeò gloriari auſus eſt, nihil in geſtu & totius corporis motione in dicendo fuiſſe peccatum. ποίαν, inquit, ἢ χειρῶν ἐγὼ κίνησιν, ἢ χειλῶν παραγωγὴν ἐξεπίτηδες περαιτέρω τοῦ μετρίου γενόμηκα ; *quam ego vel manuum motionem, vel labrorum diſtortionem iuſto maiorem vſurpaui.* In hunc hominem intuentes, Victor, & Iuuenti, ſi me auditis, in agendo moderabimur ipſi nobis, ne fortè eueniat aliquando vt propriè labra nos habere dicamur: eſt enim axioma Grammaticorum *Labra Aſinorum propriè dici*: Ita quidem Donatus in Terentium, apud quem labia repanda nominantur *demiſſa*, ſed ea refert ad mœrorem atque formidinem: Hæc illius in Eunucho verba ſunt: *Incuruus, tremens, labiis demiſſis gemens.* Verùm hic geſtus vix in oratorem cadere poteſt, ne quidem triſtium rerum & calamitoſarum internuncium, niſi tanta ſit doloris magnitudo, fletus & lacrymarum copia, vt curſum impediat orationis, & vocem intercludat. Sic videmus pios in templis Concionatores, & ad lenitatem animíque mollitiem factos à natura, in iis rebus memorandis, quæ mœrorem audientium & complorationem eliciant, manantibus lacrymis hærere nonnunquam, & ſilere tantiſper, vultum commutare, os ita fingere, vt quati labia & micare videantur, quod cùm accidit, neceſſe omninò eſt hærere pronunciationem, atque vt in arduo cliuo interiungere.

Or. de Paraphtheg.

Act. 2. ſc. 3.

SECTIO VI.

Labiorum temperamentum muſico inſtrumento adumbratum. decor in eo ſignificatus. Ira & timor labia comprimunt.

QVIS autem ſit optimus labiorum ſtatus in dicendo, cùm orantium quotidiana animaduerſio, tum ſcriptorum egregiæ monitiones haud obſcurè docere poſſunt. Idem la-

bra in pronunciando faciunt, quod admoti hominum digiti ad foramina tibiarum, quorum compreſſio aut diductio cantum & harmoniam, & ſonorum varietatem moderatur. χειλέων δὲ, ait doctiſſimus è Cappadocia Præſul, διαστολῇ τε ἐπιμύσει ταὐτὸν ποιεῖ τοῖς διὰ τῶν δακτύλων ἐπιλαμβάνουσι τοῦ αὐλοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ τὴν ἁρμονίαν τοῦ μέλους, hoc eſt, *labiorum diductione, & eorundam viciſſim compreſſione ſic vtimur, vt Muſici digitorum opera ſpiritum in fiſtulis, & cantus adeo harmoniam moderantur.* Hinc videor poſſe dicere quem motum labiorum eſſe oporteat, vt nihil ſit, quod homines conſiderati, & excellentium rerum æſtimatores arguendum & putidum in dicente putent. Nemeſi opinor Theologorum veterum ſapientia frænum tribuit, cauſam vos ſæpè audiiſtis: ego prudentiæ tribui habenas velim ad os & labra gubernanda, nimio ne preſſu puerili more aſtringantur, & ne vaſtius diducantur, χειλέων ἀταξίαν, opinor Gregorius Nazianzenus appellauit carmine de vita ſua. Modus autem & ratio iſtius prudentiæ à neceſſitate petenda eſt & decoro. Nam vt cùm opus grauiori eſt tono & maiori, tibicines tollere altius digitos ſolent, quibus Symphoniam modóſque temperent: compriment autem ſi tenuem exire ſonum & ſuauiorem cupiunt. Sic Orator cùm planè, tùm diſtinctè, cum maiori quadam voce pronunciare vult quidpiam, cùm in Rhetorum illo campo reſonanti, mouendiſque Tragœdiis elaborát, os oportet aperiat, quantum neceſſe eſt ad pleniorem illam vocem fundendam, & clariſſimam dictionum omnium expreſſionem: ſi leniùs ſit agendum atque humaniùs, non apertis omninò tibiis erit perſonandum.

S. Gregor. Nyſſen. de opif. hom. c. 9.

Gregor. Nazianz.

Hanc autem moderationem, qui ſecutus in dicendo foret, eam partem eximiæ venuſtatis meo iudicio exprimeret, quam Salomon Hebræorum dominus viuis coloribus, & regio illo penicillo delineauit. Ita enim ille canebat, *Labia tua ſicut funiculus coccineus*; quibus verbis inter Græcos Patres oratione magnificus, in docendo, diſſerendóque ſubtilis magni Baſilij frater quaſi ænigmate ſignificari dixit, μεμετρημένην τοῦ λόγου διακονίαν, menſura quadam normáque prudentiæ circunſcriptam in loquendo pronunciationem, & quaſi diſpenſationem verborum: liceat enim vobis lubentibus illorum ſapientum

S Gregor. Nyſſ. hom. 15. in Cant.

pientum doctrinam ad hanc meam diſputationem accommodare. Ac nimirum hæc labiorum plena mentis & conſilij effictio eſt pars illius oris eximia, quod antea *probum* dici audiiſtis, & omnium prædicatione celebrari. Tum verè pendent ab ore audientes, cùm eiuſmodi eſt, vt formoſitate illos ſua & ſpecie pulcherrima teneat. Id veluti animi veſtibulum honeſtiſſimis ornamentis diſtinctum & elaboratum omnes ſuſpiciunt, & amicè beneuoléque tuentur. Sanè Ennodius gemma Epiſcoporum nobilium atque doctorum, in Epiphanio ſummo viro & Ennod. in
religionis duce id reuerens, & humaniſſima animi voluptate vita Epiph.
laudabat, *Nitida*, inquit, *ſimul labia commendabant dupliciter mella ſermonum*. Antiquior ſanctimoniáque longè ornatior Dauid, cùm Meſſiam animo intueretur, dotibus Oratoris plenè & perfectè cumulatũ, hanc gratiam labiis illius affuſam, hunc decorem illitum, hanc impreſſam dignitatem aurea teſtudine canebat. Sit igitur in monitionibus noſtris hoc edictum, *Non eſſe nimium comprimenda labia, neque immodicè aperienda*. Qui ſunt enim timidi aut verecundi, iis facilè labra coeunt, & ægrè diducuntur, quod Latini ſcriptores, *os concurrere* Senec. ep.
ſiue labra dicere ſolẽt. Annæus Seneca id peritè in epiſtolis, *lin-* 11.
gua titubat, labra concurrunt. Quintilianus lib. 11. *Eſt & alius concurſus oris*, &c. Sunt autem huiuſmodi homines in periculo, ne Fab. l. 11. c. 3.
compreſſa nimium labia, dum volunt poſtea diducere, ſonitum edant, quod Græcæ eruditionis autores βαμβάλζειν dicunt, hoc eſt, ψοφεῖν τοῖς χείλεσι, vt docti monuerunt.

Quandonam eueniat vt labia tremant & quatiantur. Ea mordere in dicendo an honeſtum. SECTIO VII.

ETIAM quati & tremere labia in ira conſueuerunt. Diuus Hieronymus in epiſt. ad Titum, iratum hominem deſcribens, *Toruo*, inquit, *vultu, trementibus labiis, rugata fronte*. Romanus ſapiens *quati labia*, in eadem re aiebat his verbis, *Labia qua-* Senec. l. 1. de ira.
tiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli. Lactantius Firmianus, *os tremere* dixit, vbi docet æſtum iracundiæ Lactant. de
illum furentem & immoderatum, non decere virum ſapiẽtem: ita Dei c. 5.
Cùm enim, inquit, *in animam cuiuſquam incidit, velut ſæua tempe-*

ſtas tantos excitat fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet. Seneca etiã propter iracundiam trementia fieri labia dicit, & interdũ cõpreſſa. Flodoardus de quodã Antiſtite memorans, venuſtè & ſcienter eũ deſcribit, *trementibus labiis & inflammatis verbis petitionem reſpuentem.* Id autem ne aliquando eueniat prouidere omnino debet Orator, ſi præſertim pronus ad iraſcendum animi impotentia ferri ſolet: nam alioqui manca ſit oportet, atq; mutila vocum enunciatio, aut in medio curſu hæreat, quod vix ſine totius ſententiæ incõmodo fieri poteſt. Iã verò cùm mordere labra homines multas ob cauſas vulgò aſſueuerint, tum fieri illud poſſe video in dolore, in motu inuidię, in ſtomacho, in depoſiti negotij deſperatione, cũ animus æſtu violento abreptus in rémque imminens, & qui tamẽ extricare è media difficultate ſe non poteſt, aut ex animi ſententia, quæ impediunt diſiicere & vlciſci, vim & impetũ in ſe quodãmodo vertit ſuum. Hinc dentibus frendere homines, hinc linguam atq; labra mordicus apprehendere, conſtringere digitos in pugnũ, corpore omni incitari, moliri alia quæ deuij à mente, inopeſq; rationis facere poſſunt. Is morbus (πάθος enim nominare ita lubet) is motus inuidiæ ſiue iracundiæ, is aculeus deſperationis incidere in orantẽ poteſt. Cuius rei memoria vetuſtatis exempla nobis ſuppeditat: vno ero contentus explicãdi huius loci cauſa, quod in capitis iudicio Athenis, diſceptante Proconſule Romano contigit, cùm Sophiſtæ omniũ in agendo celeberrimi inter ſe diſſiderent. Petulantes enim doctoris vnius diſcipuli, in ciuili diſſenſione, Iulianũ eloquentiæ ducem indignis modis impiè verberauerãt. Res venit in Procõſulis viri grauiſſimi cognitionẽ. Qui manum illam audaciũ adoleſcentium tuebatur patronus, Themiſtocles dicebatur Lacedæmonius homo promptus & proiectus ad audendũ, ſed nõ ſatis ab eloquentia paratus, qui cùm tandẽ ad cauſam accederet, viderétque iure ac lege agi omnia, & adeſſe coronã doctiſſimis hominibus refertam, fraudi & audaciæ interclusam eſſe ianuam, tum cœpit ægritudine confici, reſpectare ſuos, animum deſpõdere, mutare vultum, ringi, καὶ τὰ χείλη διέδακεν ἀπορούμενος, *dubiúſque & anceps labra ſua momordit.* Videtíſne iram, æſtum, inuidiam in labra irruiſſe? Id verò an ſit honeſtati & verecundæ modeſtiæ conſentaneum, malo ex Eubulo prudentiſſimo Co-

l. 3. de ira c. 4.

Flodoard. hiſt. l. 3. c. 21.

Os. mico, quàm ex me cenſente audiatis. Sic verò ille pronunciabat δάκνεί τὰ χείλη παγγέλαιός ἐστιν ἰδεῖν, *aſpectu certè omnino ridiculus homo eſt, labra mordicus premens.* Athen. l. 10.

De riſu Oratoris Scholaſtica & liberior velitatio.

SECTIO VIII.

Contendit Victor riſum ab Oratore alienum videri.

HÆC de labris Honoratus cùm dixiſſet, & conſequi iam videretur, vt de riſu Oratoris adiungeret, eſt enim riſus motu animi certa ipſius oris cõformatio, fingit de induſtria dubium ancipitémque ſe hærere, vt Victor & Iuuentius in hac veluti eruditionis palæſtra ſplendidiſſimum ingenium exprimerent. Illum enim ſciebat eſſe maturum, vt Philoſophum, geſtientis lætitiæ non nimis amicum atque riſus, hunc contra naturæ genio & diluti ſanguinis abundantia lætum, & quod euenit, iam animo præcipiebat eos in hac diſputatione diſſenſuros. Sic igitur callidè exſuſcitauit, De riſu volebam adiungere, ſed tam multa mihi veniunt in mentem, quæ modò riſum à dicente minimè alienum ſuadeant, modò rem plenam eſſe leuitatis confirment, vt ſtatuam non progrediendum mihi eſſe vlterius, quin veſtram ſuper ea re opinionem priùs audiam.

Malim ego, ait Victor, quid magni quondam ſapientia & virtute viri ſenſerint, quàm meam ea de re ſententiam interponere. Sic autem mihi notaſſe videor, communi propè doctiſſimorum hominum opinione riſum eiectum ἔξω τοῦ θείου χοροῦ, & exterminatum. Plato imprimis cùm ciuium ſuorum vitam atque inſtitutionem informat, negat eos oportere eſſe φιλογέλωτας, qui auri pluſculum habituri ſint in animo, & habenas reipub. moderaturi. Quod non modò ſcriptis ille ſuis, verùm etiam clariſſimo exemplo docuit: refert enim Heraclides iuuenem Platonem adeò fuiſſe verecundum, adeò compoſitum, ὥστε μηδέποτ᾽ ὀφθῆναι γελῶν ὑπεράγαν, *vt nunquam ridere immodicè deprehenſus fuerit.* In legem abiit illa viri magni conſuetudo atque modeſtia: nam memoriæ proditum eſt nefas & inuſitatum fuiſſe, vt quis in Academia rideret.

A riſu abſtinendum magni viri cenſuere. Plato πολιτει. γ. Laert. l. 3.

SECTIO II.

Vultus nitentis, facies improba. Os ducere, torquere, διέλκειν, peruertere. Id cauendum in affectibus commouendis.

GRAVE eſt illud & conſideratæ mentis effatũ ſuauiſſimæ
Cicero 3. de orat. apud Tullium Sirenis, L. Craſſum puta tote me dicere, *Oris*,
inquit, *non eſt nimium mutanda ſpecies, ne ad ineptias aut ad prauitatem aliquam deferamur.* Hoc mentis aureæ bracteatum oraculum, dignum profectò eſt vncialibus notis inſcribi in fori aditu, in propylæo Curiæ, in Phrontiſteriis ſapientum, Rhetorum ſcholis, Declamantium auditoriis, Iuuenum Diatribis, ſtudiodoſorum omnium zotheculis & muſeis. Quot enim oris ineptiæ, quot prauitates eueniunt, dum eloquentiſſimi hominis dictum monitióque deſpicitur? Quidam haud minus quàm Diſcobolos Myronis os in dicendo contorquent, qui feſtiuis & elegantiſſimis hominibus ſæpe ludi & iocorum materiam ſuppeditauerunt. Facetum illud ſanè fuit M. Anto-
Cic. 2. de orat. nij oratoris, qui Teſtio Panario mentum in dicendo intorquenti, tum vt diceret, ſi quid vellet concedebat, *ſi nucem fregiſſet.* Notabilis in ea re fuit Imperator Veſpaſianus, quem
Suet. c. 20. fuiſſe vultu velut nitentis prodit Suetonius, vnde quidam vrbanorum non inſulsè, eidem petenti vt & in ſe aliquid diceret, *Dicam*, inquit, *cùm ventrem exonerare deſieris.* In Phœbum etiam conſimili ore nitentem, luſit minus verecundè
Martialis l. 3. ep. 83. Martialis.

Vtere lactucis & mollibus vtere maluis
Nam faciem durum Phœbe cac. habes.

Faciem illam *improbam* nominaret Plautus, inuenuſtam & repugnante veluti genio compoſitam, quemadmodum homi-
Suet in Veſp. c. 23. nem turpiculum & immanẽ Suetonius dixit *improbius natum.* M. Tullius in eadem re ſignificanda *ducere os* dixit, cùm de
in or. perf. ſummiſſo dicendi genere loqueretur, *Vultu*, inquit, *multa conficiens, non hoc quo dicuntur os ducere, ſed illo quo ſignificant ingenuè, quo ſenſu quidque pronuncient.* Magnum auctorem imitatur Quintilianus, quem l. 9. ita loqui memini, *Si quis ducere*

os exquiſitis modis & frontis ac luminum inconſtantia trepidare non deſinat, rideatur. Eſt eodem ſignificatu apud eundem *torquere vultum*, quod eodem quoque modo ridiculum eſſe contendit, niſi cùm ſolus eſt Orator. Id vitium habuit Stoicorum pater Zeno, quem aiunt in dicendo πρόσωπον συνεσπασμένον habuiſſe, *os nimirum & vultum contorſiſſe*. Sed ille quidem eam oris prauitatem ſcholæ vmbraculis, & operto Philoſophiæ continuit, neque nimio quæritur opere, vt illi ſophiæ interpretes ſupercilio grandi, ſeueri, & ore quodam Catoniano horrentes, pulchelli ſint, & communi honeſtate læti & florentes, cùm ſermonem etiam, vt cum Sidonio dicam Apollinari, *propter hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum habeant*, barbarie infuſcatum, minus certè oratorium & elegantem. Solet enim doctrinæ magnitudo & opinio ſapientiæ, illam oris turpitudinem veluti obtegere, vt minus dedecere videatur, præſertim cùm ea eſt naturalis, nec inducta vitio, aut aſſumpta voluntate. Quanquam & in Philoſophis quoque, illam oris contorſionem virorum ſapientum voce reprehenſam video, nam Zeno ipſe iis qui diſputarent concedebat quidem, vt vires & vocem aliquando intenderent, inſtar eorum hiſtrionum qui negotioſiſſimam rem conficiunt: at minus conſentaneum exiſtimabat τὸ στόμα διέλκειν, *os ducere aut immodicè aperire*, quod hominum proprium eſſe aiebat, qui plurima loquuntur quidem, ſed ea benè dicere non poſſunt. Id ſanè minus honeſtum, & à decoro alienum Seneca exiſtimauit, cuius ſunt illa aculeata & auſtera, *quid vultum habitúmque oris peruertis, vt malis habere perſonam, quàm faciem?* Itaque placet Auicennæ iudicium, qui eos iubebat homines, quibus os diſtortum eſſet, intueri in ſpeculum frequentius, vt obtegere oris ignominiam verborum honeſtate conniterentur. Sed vt propriè Oratorem moneam, videndum eſt illi diligenter, ne in affectibus commouendis os ducat, & vitioſè contorqueat; quod eſſe pronum in metu & trepidatione, & contentione quadam corporis animaduertimus. *Plerúmque*, ait Ambroſius ſanctiſſimus doctor, *feſtinantes anhelos videmus torquere ora*. quod ille quidem, næuum iuſtæ offenſionis eſſe monuit. Sed contingere id in ira maximè ſolet, ſi præſertim impotentis animi ferocia non cohibeatur, qualem nobis Ca-

Fab. l. 10. c. 3.

Laert.

Sidon. l. 4. ep.

Laert. l. 6.

Seneca l. 2. de benef.

S. Ambroſ. l. 1. offi. c. 18

Philo de leg ad Cai. ium Imperatorem Philo Iudæus expreſſit, σαρκάζων γὰρ ἅμα καὶ σεσηρώς, ὑμεῖς εἶπεν, ἐστὲ οἱ θεομισεῖς, &c. hoc eſt, *ringendo fædúmque in morem os ducendo rogauit, Voſne eſtis illi Diis inuiſi,* &c. Sed præſertim id cauẽdum eſt oratori, cùm adſunt ij quos accùſat, quos infandis ſceleribus coopertos, Deo & hominibus infeſtos, communi hoc aëre indignos opinatur, tum ſi illos vt fieri amat dicendo intueatur, iracũdiæ forte vis & æſtuãtis animi indignatio, illum oris ductum exprimet, luem & vomicam reipubl. auerſantis.

SECTIO III.

Immaniter os diductum. Mattici. σεσηρὼς χάσκοντες. Φυσήγναθοι buccas inflantes reiiciuntur. Nudare dentes an deceat.

AGE vero etiam alias oris ineptias prauitatéſque notemus. Sunt quidam grandi rictu magniſque malis, & ore Paulus è Feſto. latè patenti, quos *Matticos* appellarunt veteres, vt docti ani-Gloſſ. Iſid. maduertunt. *Macci* mendosè dicuntur in Apologia Apuleiana. *Orici* etiam olim dicebantur. Periculum ſanè eſt, ne huiuſmodi homines vaſtè omnia pronuncient, & deformes habeantur, præſertim inueſtes & nudo mento, cùm hiatus oris tantus quantus eſt animaduertitur. Vidi ego in ſcholis puer adoleſcentes quoſdam duos, quorum alter pænè fatuus habebatur, alter impudens: rictu plane canino fuerunt, ore ita fiſſo, vt pænè ad aures pertineret: ſimias prope dixiſſes manuleatas, aut hiantem è turbida tragœdia perſonam, στόμα κεχηνὸς πάμμεγα, vt cum Luciano loquar, ad grande carmen anhelandum. Lucianus. Sed in ſimiles bene multos eloquentiſſimus vir Nazianzenus Greg. Naz. Orat. 30. Gregorius, ſcientia princeps & religione quondam inciderat, quos aiebat illudens σεσηρὸς χάσκειν ὡς κύνας ὑλακτοῦντας, *hiare vt canes oblatrantes magno rictu.* Iuſtruendi illi mihi quidem viderentur, ne vaſtè os diducerent, aut à laude bene orantium & ampliſſimo dicendi loco abſtinerent. Nyſſenus enim Gregorius vir excellenti iudicio & ſanctimonia διάχυσιν στόματος ἀπρεπῆ *oris dilatationem indecorã,* non dubitauit propriam eſſe dicere amentium. Finitimi opinione quidem mea ſunt habendi,

di, qui mirabiliter buccas inflant, quod ineptæ vanæque inſulſitatis, aut non ferendæ ſuperbiæ eſt indicium. Eas eloquentiæ germanæ princeps coryphęúſque Demoſthenes in Æſchine bellè reprehendit, *Per forum*, inquit, *ambulas veſte ad talos demiſſa, pari cum Pythocle gradu incedens*, τὰς γνάθους φυσῶν *buccas inflans*. In hoc vitium proni illi barbati ſophiſtæ, Philoſophiæ columina, qui ampullata quaſi è cortina pronunciant, & acroamata iaciunt ponderoſa, piperata, Pythia: de quibus non ſine felle & aceto quidam ὀφρῦς ἀνασπῶντες, καὶ γνάθους φυσῶντες, *ſupercilia attollentes, & buccas inflantes*: quemadmodum *buccas typho crepantes*, acutè ſua oratione pungit magnus Auguſtinus, & alias, *Suam ſapientiam buccis concrepantibus ventilantes*. Sic Hieronymus ſanctiſſimus deſcribit Iouinianum *loquentem buccis tumentibus & inflata verba trutinantem*. Quin & inepti quidam oratores & faſtidioſi, dum affectant in dicendo tumorem atque ſonum, non minus quàm Minerua buccas inflant, quod ab honeſti hominis conſuetudine abhorrere fabulæ eruditæ oſtendunt, quæ Mineruam literarum præſidem aiunt, cùm ſe in vndis indecorè tibias inflare buccis tumentibus animaduertiſſet, & impetu magni animi id δυσόφθαλμον αἶσχος, *oris dedecus & turpitudinem*, vt Teleſtes Poëta nominabat, auerſaretur, fœdæ protinus illius artis inſtrumenta repudiaſſe, cùm diceret, ἔρρετε αἴσχεα σώματι λύμα, *Abite in malam rem probra corporis turpia*. Sapientem hanc Deam priſci æui, noſtri illi ſi me audiunt φυσίγναθοι glorioſuli imitentur, & tumorem ponant, & ne quidem in æſtu iracundiæ id liberum ſibi eſſe putent, quod neſcio an idoneè ſatis ſummo Ioui tribuit Horatius, quem animo incitatum & exardeſcentem, *inflaſſe buccam vtrámque* cecinit, vt mihi quidem pictus fuiſſe rabioſus, neque omnino ſui compos videatur. Sed præſertim id ſtudioſius cauere illi debent, qui diuiduam vtrinque lunam in vultu circunferunt, qualis prope videtur fuiſſe bellator inclytus, idémque eximius Orator Iulius Cæſar, eum enim *ore paulo pleniore* fuiſſe, prodit Suetonius, hoc eſt vt rectè Beroaldus interpretatur ſucculentiore, cui ſi tumor ab arrogantia ſuperbóque animi motu accederet, iam prouidetis, quanta ſit oris turpitudo futura. Itaque in buccas docti nonnunquam orantium ſales & lepidorum hominum facetiæ & dicta incur-

Greg Nyſſ. hom. 2. in Eccl.

Suid.

S. Aug. lib. Cōfeſſion.

Tract. 45. in Ioan.

l. 1. in Iou.

Athen. l. 14.

Horatius l. ſerm. 1.

Suet in Iul. c 45.

runt. Cicero quidem in Piſone calamiſtratiſque patriæ prædonibus & luxu perditis, *fluentes buccas* & ceruſſatas inſimulat, vt molle quiddam & effœminatum. Sextus Pompeius Rhetor ingenioſus & politus non rem acu tetigiſſe, ſed argutè dicto pupugiſſe videtur, qui de vxore M. Antonij Fuluia quæ alteram buccam habebat inflatiorem, *acumen ſtyli tentare* illam dicebat. Theodoretus miſerrimam ſuperbientium hominum conditionem in morte futuram oratione denuntians, iam illa grauiter & magnificè, ὁ γαυριῶν τράχηλος οὐ κάμπτεται μόνον, ἀλλὰ καὶ διαλύεται, καὶ ἡ φυσωμένη γνάθος οὐ συστέλλεται μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς ὀλίγην κόνιν συνίσταται. *Hic ferocientis & elatæ ceruicis faſtus, non modò inflexus deprimitur, ſed & totus diſſoluitur: inflata illa tumidâque bucca non modò contrahitur, ſed in tenuem pulnerem abit.*

Quid verò de illis ſtatuemus, qui vt opinor dentes eburneos habere videantur, identidem eos nudant & oſtendunt? Atqui idem quem ſuperius nominaui Nyſſæ Paſtor elegantiſſimus, γύμνωσιν ὀδόντων τε καὶ οὔλων *dentium & gingiuæ nudationem*, in iis quæ reprehendi in hominibus ſolent reponit. Sanè quidem canum eſt furentium, nudare dentes atque ringi, quos nemo niſi oblitus ſui imitari velit. Plautus euſchemè atq; ſcitè.

Plaut in Capt.

Ne canem quidem irritatam voluit quiſpiam imitarier,
Saltem ſi non arriderent, dentes vt reſtringerent.

Appius Clauſus egregia mente præditus à litera Z. vehementer abhorruiſſe dicitur, quod dentes mortui dum exprimitur, imitatur, dentes enim illius elementi pronunciatione nudari eſt neceſſe. Huius tanti viri conſilium introſpiciendum eſſe putem oratori, & ita ſequendum, vt non tam ab vnius literæ ſono, quàm ab inepta oris compoſitione refugiat. Et maximè ſi luridi ſint, fetidi & carioſi, & ſcabri rubigine dentes, quos æquis oculis intueri nemo queat. Tum enim aut quam minimè oſtentandi forent, aut prouidendum vt Apuleianum illud munus quod donauit Calpurniano alicunde aſſequeretur.

Apul. in Apolog.

——munditias dentium.
Nitelas oris ex Arabicis frugibus
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum
Complanatorem tumidæ ginginulæ
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes dentium. Vel audienda potius

Digitized by Google

philoſophia cuius præceptum hoc Epictetus enunciat, Πλῦνον τοὺς ὀδόντας, *Dentes ablue.* Videndum tamen in eo ipſo ne quid nimis, ne præ deliciis & mollitie orator τοὺς ὀδόντας λαμπρύνειν nitorem dentium quærere nimium videatur, quod Sophiſtæ Alexandro Romanus quondam Imperator obiecit apud Philoſtratum. σὺ γὰρ, inquit, ὁ τὴν κόμην ἀσκῶν, καὶ τοὺς ὀδόντας Theophr. λαμπρύνων, &c. Sic inter notas blandi & glorioſi ſoſtentatoris in Charac. poſuit Theophraſtus τοὺς ὀδόντας λευκοὺς ἔχειν, *dentes candidos & nitidos habere.*

Stridere dentibus, aut eos collidere, quorum ſit hominum proprium, quibus è cauſis eueniat, num cadat in Oratorem. SECTIO IV.

AN autem ſtridere dentibus, ſit à foro alienum, & Curia ſede æquitatis, dubitari fortè poteſt, ſi apud nos reputemus, eſſe viris magnis aliquando iram concipiendam, qui in frænanda perditorum hominum audacia, maleficióque accuſando verſantur, quos acriter agere par eſt, & vt fieri ſolet iracundè. Ille verò dentium crepitus atque ſtridor, proprius iratorum eſt, & eorum qui odio incenſo feruntur. Eleganter Seneca ſophus iram ſuis coloribus adumbrans, *dentium inter ſe arietatorum ſonitum* vocat, qualis in apris eſſe conſueuit. Pari elegantia D. Chryſoſtomus, τρίζειν ὀδόντας, διαστρέφειν ὀφθαλμοὺς, &c. Iratus, inquit S. Baſilius, apri inſtar τὸν ἔνδοθεν θυμὸν διὰ τῆς τῶν ὀδόντων διατρίψεως ὑπεκφαίνει, *intimum animi furorem prodit dentium attritu*, ita malo, quàm vt vulgò vertunt, *aſtrictu.* Eius frater Nyſſenus Gregorius τῇ τῶν ὀδόντων συμπλήσει *dentium colliſione* præ ſe ferre animi ſæuitiam acerbitatémque dixit. Et quidem Gallum Cæſarem eo geſtu concionem habuiſſe ad milites, monumentis ſuis reliquit Ammianus in hæc verba, *Colligi omnes iuſſit armatos, & cùm ſtarent attoniti, diſtricta dentium acie ſtridens, Adeſte*, inquit, *viri fortes*, &c. Idipſum Coryphæus Poëtarum Achilli tribuit in hoſtes eunti.

Seneca. l. 3. de ira. Chryſ. ho. 2. in ep. ad Timoth. S. Baſil. hom. 21. S. Greg. Nyſſ. or. de S. Stephan. Ammian. l. 14.

----κορύσσετο δῖος Ἀχιλλεύς
Τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε, &c.
----*armatur dius Achilles, Cui ſtrident dentes.*

SECTIO V.

Linguam exertare illudendi vel ſignificandi gratia. σαρκάζειν. loqui labiis. ductu labiorum irridere, eorum diſtorſio non nimia eſſe debet. in mœrore demiſſa.

SI eos reprehendimus anteà, qui dentes ineptè nudarent, rideréntque, vt ait ille albis dentibus, nolitote putare, mihi vllo modo poſſe probari, vt quis linguam in dicendo exertet. Et tamen ab omni antiquitate morem eum in Gallia fuiſſe conſtat, vt alios irridendo linguam exererent. Id enim coloſſeum illum feciſſe militem Gallum, qui Romanos ad duellum prouocabat, annalium veterum monumenta ſignificant. Quadrigarius enim in hiſtoria ſic prodit, *Deinde Gallus irridere cœpit atque linguam exertare.* Eodem modo pingebatur Gallus in ſcuto Mariano Cimbrico, *ſub nodis videlicet diſtortus, eiecta lingua, buccis fluentibus.* Quanquam non vnius prouinciæ id proprium, ſed latè patens & commune fuit. Nam grauiſſimus auctor Hieronymus cùm monet non eſſe aures iis commodandas, qui pictæ tectoria linguæ circunferunt, teque nimiis laudationibus efferunt; fieri poſſe ait, vt ſi diligentiùs intuearis, poſt te videas ad illudendum *æſtuantem canis protendi linguam.* Quod genus quoque irriſionis Poëta Satyricus bellè expreſſit,

Gell. l. 9.

Cicer. 2 de Orat.

Hierony. ep. 4.

Perſ. ſat. 1.

Nec linguæ quantum ſitiat canis appula tanta.

vbi vetus ait Interpres, *ſannæ genus fuiſſe linguam ſitientis canis imitari*, hoc eſt validè educere. Is quem modò nominabam eruditiſſimus Hieronymus, aliàs *obtorquere linguam* dixit, *Non magnopere*, inquit, *pertimeſcamus ſupercilium Iudæorum, ſolutis labiis, & obtorta lingua, & ſtridente ſaliua, & raſa fauce gaudentium.* Scio in Gallia etiamnum id habere locum, in eorum hominum cœtu, qui petulanti licentia quadam elati nullam partem honeſtatis verecundiæque retinent: ſed nemo tamen ita eſt triuiis ſordibúſque aſſuetus, tam proiectæ nemo impudentiæ, vt in conſeſſu virorum ſapientum linguam exerere ad alios irridendos audeat. Sed neque

S. Hieron. in c. 3 ep. ad. Titum.

honeſto Oratori id conceſſerim, quod Theophraſtus nimium in dicendo geſtuoſus aliquando vſurpauit, vir alioqui in omni genere ſermonis, in omni parte eruditionis perfectus, & vnus omnium in dicendo ſuauiſſimus, quem ferunt, helluonem quendam natum abdomini cùm exprimere voluiſſet, *Athen. l. 1.* ἐξαραίτα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη, *exerta lingua labra circunlinxiſſe.* Id ſanè à Philoſophi grauitate alieniſſimum, multò meliùs vir ſapiens reliquiſſet Paraſitis Comœdiarum, & βωμολόχοις, & impuro gregi ſeruulorum, qui laurum è muſtaceo quærunt, & ab inſigni quadam impudentia gloriolam aucupantur.

Labia repandere ad illudendũ. Eſt aliud irridendi genus, multò quidem honeſtius, ſed in quo tamen multa cautione opus eſt, ne ad eundem ineptiarum ſcopulum adhæreſcamus. Solent enim illudentes quidam ducere os labiáque repandere, σαρκάζειν Græci nominant, Galli *facere moam*, Hebræi, *loqui labiis*, quod doctiſſimus Hieronymus eſſe ait ſubſannando dimittere labium, & geſtu diducti labij palam & contumeliosè illudere. *D Hieron. in Pſal. 20.* Antiquiſſimi Latinorum *Valgia* nominauerunt: *Valgia*, inquit Fulgentius, *ſunt labellorum obtortiones in ſupinatione vel ſublatione peractæ, ſicut & Petronius ait, Abroſo valgiter labello.* *Fulgent. de vocib.* *Agell. l. 18.* Agellius *ductum labiorum* appellat, ita enim de ſciolo quodam oſtentatore, *Tum ille rictu oris, labiorúmque ductu contemni à ſe oſtendens, & rem de qua quæreretur, & hominem ipſum qui quæreret,* &c. Id ſi rarò & modicè fiat, & exiguo motu labiorum, cùm vt ſit contemptionis certo indicio caput attollitur, non magnopere inſimulandum fortè videatur: ſi exiguo, inquam, motu, & non nimia deprauatione oris fiat: nam labia quaſi proiicere & vehementer reſupinare, vt ineptum & ruſticanum in familia tantùm Labeonum & Brocchorum fieri velim, de quibus Plinius meminit Polyhiſtor, στρεβλοχείλους ἄφρονας iure quis appellet cum Gregorio Nazianzeno. *Plin. l. 11. Or. 26.*

Et quidem ab eo vitio tanquam à certo eloquentiæ ſcopulo, ingenioſiſſimi Oratores & concinni ſtudio omni refugerunt, & cumprimis Ariſtides, quem vnum omnium facilè præſtantiſſimum cum illo æuo multi graues & ornati homines & copioſi forent, communis omnium fuit opinio. Is cùm nouam & politam habuiſſet orationem, ſuauitudine plenam,

& varietate, in qua Mineruæ commendationem cum rerum ſuarum excellentia, atque ingenij magnitudine coniunxerat, & ob eam inanitatem & non ferendam inſolentiam, à quibuſdam argueretur, alia quadam oratione ſuum facinus conſiliúmque defendit, atque adeò gloriari auſus eſt, nihil in geſtu & totius corporis motione in dicendo fuiſſe peccatum. *ποίαν*, inquit, *ἢ χειρῶν ἐγὼ κίνησιν, ἢ χειλῶν παραγωγὴν ἐξεπίτηδες περαιτέρω τοῦ μετρίου νενόμικα; quam ego vel manuum motionem, vel labrorum diſtortionem iuſto maiorem vſurpaui.* In hunc hominem intuentes, Victor, & Iuuenti, ſi me auditis, in agendo moderabimur ipſi nobis, ne fortè eueniat aliquando vt propriè labra nos habere dicamur: eſt enim axioma Grammaticorum *Labra Aſinorum propriè dici*: Ita quidem Donatus in Terentium, apud quem labia repanda nominantur *demiſſa*, ſed ea refert ad mœrorem atque formidinem: Hæc illius in Eunucho verba ſunt: *Incuruus, tremens, labiis demiſſis gemens.* Verùm hic geſtus vix in oratorem cadere poteſt, ne quidem triſtium rerum & calamitoſarum internuncium, niſi tanta ſit doloris magnitudo, fletus & lacrymarum copia, vt curſum impediat orationis, & vocem intercludat. Sic videmus pios in templis Concionatores, & ad lenitatem animíque mollitiem factos à natura, in iis rebus memorandis, quæ mœrorem audientium & comploratione eliciant, manantibus lacrymis hærere nonnunquam, & ſilere tantiſper, vultum commutare, os ita fingere, vt quati labia & micare videantur, quod cùm accidit, neceſſe omninò eſt hærere pronunciationem, atque vt in arduo cliuo interiungere.

Or. de Paraphtheg.

Act. 2. ſc. 3.

Labiorum temperamentum muſico inſtrumento adumbratum. decor in eo ſignificatus. Ira & timor labia comprimunt. SECTIO VI.

QVIS autem ſit optimus labiorum ſtatus in dicendo, cùm orantium quotidiana animaduerſio, tum ſcriptorum egregiæ monitiones haud obſcurè docere poſſunt. Idem la-

Digitized by Google

bra in pronunciando faciunt, quod admoti hominum digiti ad foramina tibiarum, quorum compreſſio aut diductio cantum & harmoniam, & ſonorum varietatem moderatur. χειλέων δὲ, ait doctiſſimus è Cappadocia Præſul, διαστολῇ τε ἐπι-

S. Gregor. Nyſſen. de opif. hom. c. 9.

μύσει ταὐτὸν ποιεῖ τοῖς διὰ τῶν δακτύλων ἐπιλαμβάνουσι τοῦ αὐλοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ τὴν ἁρμονίαν τοῦ μέλους, hoc eſt, *labiorum diductione, & eorundam viciſſim compreſſione ſic vtimur, vt Muſici digitorum opera ſpiritum in fiſtulis, & cantus adeo harmoniam moderantur.* Hinc videor poſſe dicere quem motum labiorum eſſe oporteat, vt nihil ſit, quod homines conſiderati, & excellentium rerum æſtimatores arguendum & putidum in dicente putent. Nemeſi opinor Theologorum veterum ſapientia frænum tribuit, cauſam vos ſæpè audiiſtis: ego prudentiæ tribui habenas velim ad os & labra gubernanda, nimio ne preſſu puerili more aſtringantur, & ne vaſtius diducantur, χειλέων εὐταξίαν, opinor Gregorius Nazianzenus appellauit carmine de vita ſua. Modus autem & ratio iſtius prudentiæ à neceſſitate petenda eſt & decoro. Nam vt cùm opus grauiori eſt tono & maiori, tibicines tollere altius digitos ſolent, quibus Symphoniam modóſque temperent: compriment autem ſi tenuem exire ſonum & ſuauiorem cupiunt. Sic Orator cùm planè, cùm diſtinctè, cum maiori quadam voce pronunciare vult quidpiam, cùm in Rhetorum illo campo reſonanti, mouendiſque Tragœdiis elaborat, os oportet aperiat, quantum neceſſe eſt ad pleniorem illam vocem fundendam, & clariſſimam dictionum omnium expreſſionem: ſi leniùs ſit agendum atque humaniùs, non apertis omninò tibiis erit perſonandum.

Gregor. Naziauz.

Hanc autem moderationem, qui ſecutus in dicendo foret, eam partem eximiæ venuſtatis meo iudicio exprimeret, quam Salomon Hebræorum dominus viuis coloribus, & regio illo penicillo delineauit. Ita enim ille canebat, *Labia tua ſicut funiculus coccineus*; quibus verbis inter Græcos Patres oratione magnificus, in docendo, diſſerendóque ſubtilis magni Baſilij frater quaſi ænigmate ſignificari dixit, μεμετρημένην τοῦ λόγου διακονίαν, menſura quadam normáque prudentiæ circunſcriptam in loquendo pronunciationem, & quaſi diſpenſationem verborum: liceat enim vobis lubentibus illorum ſapientum

S Gregor. Nyſſ. hom. 15. in Cant.

pientum doctrinam ad hanc meam diſputationem accommodare. Ac nimirum hæc labiorum plena mentis & conſilij effictio eſt pars illius oris eximia, quod antea *probum* dici audiiſtis, & omnium prædicatione celebrari. Tum verè pendent ab ore audientes, cùm eiuſmodi eſt, vt formoſitate illos ſua & ſpecie pulcherrima teneat. Id veluti animi veſtibulum honeſtiſſimis ornamentis diſtinctum & elaboratum omnes ſuſpiciunt, & amicè beneuoléque tuentur. Sanè Ennodius gemma Epiſcoporum nobilium atque doctorum, in Epiphanio ſummo viro & religionis duce id reuerens, & humaniſſima animi voluptate laudabat, *Niiida*, inquit, *ſimul labia commendabant dupliciter mella ſermonum*. Antiquior ſanctimoniáque longè ornatior Dauid, cùm Meſſiam animo intueretur, dotibus Oratoris plenè & perfectè cumulatū, hanc gratiam labiis illius affuſam, hunc decorem illitum, hanc impreſſam dignitatem aurea teſtudine canebat. Sit igitur in monitionibus noſtris hoc edictum, *Non eſſe nimium comprimenda labia, neque immodicè aperienda*. Qui ſunt enim timidi aut verecundi, iis facilè labra coeunt, & ægrè diducuntur, quod Latini ſcriptores, *os concurrere ſiue labra* dicere ſolēt. Annæus Seneca id peritè in epiſtolis, *lingua titubat, labra concurrunt*. Quintilianus lib. 11. *Eſt & alius concurſus oris*, &c. Sunt autem huiuſmodi homines in periculo, ne compreſſa nimium labia, dum volunt poſtea diducere, ſonitum edant, quod Græcæ eruditionis autores βαμβαλίζειν dicunt, hoc eſt, ψοφεῖν τοῖς χείλεσι, vt docti monuerunt.

Ennod. in vita Epiph.

Senec. ep. 11.

Fab. l. 11. c. 3.

Quandonam eueniat vt labia tremant & quatiantur. Ea mordere in dicendo an honeſtum.

SECTIO VII.

ETIAM quati & tremere labia in ira conſueuerunt. Diuus Hieronymus in epiſt. ad Titum, iratum hominem deſcribens, *Toruo*, inquit, *vultu, trementibus labiis, rugata fronte*. Romanus ſapiens *quati labia*, in eadem re aiebat his verbis, *Labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli*. Lactantius Firmianus, *os tremere* dixit, vbi docet æſtum iracundię illum furentem & immoderatum, non decere virum ſapiētem: *Cùm enim*, inquit, *in animam cuiuſquam incidit, velut ſæua tempe-*

Senec. l. 1. de ira.

Lactant. de ira Dei c. 5.

ſtas tantos excitat fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet. Seneca etiã propter iracundiam tre- l. 3. de ira c. 4. mentia fieri labia dicit, & interdũ cõpreſſa. Flodoardus de quo- Flodoard. hiſt. l. 3. c. 21. dã Antiſtite memorans, venuſtè & ſcienter eũ deſcribit, *trementibus labiis & inflammatis verbis petitionem reſpuentem.* Id autem ne aliquando eueniat prouidere omnino debet Orator, ſi præſertim pronus ad iraſcendum animi impotentia ferri ſolet: nam alioqui manca ſit oportet, atq; mutila vocum enunciatio, aut in medio curſu hæreat, quod vix ſine totius ſententiæ incõmodo fieri poteſt. Iã verò cùm mordere labra homines multas ob cauſas vulgò aſſueuerint, tum fieri illud poſſe video in dolore, in motu inuidię, in ſtomacho, in depoſiti negotij deſperatione, cũ animus æſtu violento abreptus in rémque imminens, & qui tamẽ extricare è media difficultate ſe non poteſt, aut ex animi ſententia, quæ impediunt diſiicere & vlciſci, vim & impetũ in ſe quodãmodo vertit ſuum. Hinc dentibus frendere homines, hinc linguam atq; labra mordicus apprehendere, conſtringere digitos in pugnũ, corpore omni incitari, moliri alia quæ deuij à mente, inopéſq; rationis facere poſſunt. Is morbus (πάθος enim nominare ita lubet) is motus inuidiæ ſiue iracundiæ, is aculeus deſperationis incidere in orantẽ poteſt. Cuius rei memoria vetuſtatis exempla nobis ſuppeditat: vno ero contentus explicãdi huius loci cauſa, quod in capitis iudicio Athenis, diſceptante Proconſule Romano contigit, cùm Sophiſtæ omniũ in agendo celeberrimi inter ſe diſſiderent. Petulantes enim doctoris vnius diſcipuli, in ciuili diſſenſione, Iulianũ eloquentiæ ducem indignis modis impiè verberauerãt. Res venit in Procõſulis viri grauiſſimi cognitionẽ. Qui manum illam audaciũ adoleſcentium tuebatur patronus, Themiſtocles dicebatur Lacedæmonius homo promptus & proiectus ad audendũ, ſed nõ ſatis ab eloquentia paratus, qui cùm tandẽ ad cauſam accederet, viderétque iure ac lege agi omnia, & adeſſe coronã doctiſſimis hominibus refertam, fraudi & audaciæ interclusam eſſe ianuam, tum cœpit ægritudine confici, reſpectare ſuos, animum deſpõdere, mutare vultum, ringi, ϗ τὰ χείλη διέδακνεν ἀπορούμενος, *dubiúſque & anceps labra ſua momordit.* Videtíſne iram, æſtum, inuidiam in labra irruiſſe? Id verò an ſit honeſtati & verecundæ modeſtiæ conſentaneum, malo ex Eubulo prudentiſſimo Co-

mico, quàm ex me cenſente audiatis. Sic verò ille pronunciabat δάκνεὶ τὰ χείλη παγγέλοιός ἐστιν ἰδεῖν, *aſpectu certè omnino ridiculus homo eſt, labra mordicus premens.* Athen. l. 10.

De riſu Oratoris Scholaſtica & liberior velitatio. SECTIO VIII.

Contendit Victor riſum ab Oratore alienum videri.

HÆc de labris Honoratus cùm dixiſſet, & conſequi iam videretur, vt de riſu Oratoris adiungeret, eſt enim riſus motu animi certa ipſius oris cõformatio, fingit de induſtria dubium ancipitémque ſe hærere, vt Victor & Iuuentius in hac veluti eruditionis palæſtra ſplendidiſſimum ingenium expromerent. Illum enim ſciebat eſſe maturum, vt Philoſophum, geſtientis lætitiæ non nimis amicum atque riſus, hunc contra naturæ genio & diluti ſanguinis abundantia lætum, & quod euenit, iam animo præcipiebat eos in hac diſputatione diſſenſuros. Sic igitur callidè exſuſcitauit, De riſu volebam adiungere, ſed tam multa mihi veniunt in mentem, quæ modò riſum à dicente minimè alienum ſuadeant, modò rem plenam eſſe leuitatis confirment, vt ſtatuam non progrediendum mihi eſſe vlterius, quin veſtram ſuper ea re opinionem priùs audiam.

Malim ego, ait Victor, quid magni quondam ſapientia & virtute viri ſenſerint, quàm meam ea de re ſententiam interponere. Sic autem mihi notaſſe videor, communi propè doctiſſimorum hominum opinione riſum eiectum ἔξω τοῦ θείου χοροῦ, & exterminatum. Plato imprimis cùm ciuium ſuorum vitam atque inſtitutionem informat, negat eos oportere eſſe φιλογέλωτας, qui auri pluſculum habituri ſint in animo, & habenas reipub. moderaturi. Quod non modò ſcriptis ille ſuis, verùm etiam clariſſimo exemplo docuit: refert enim Heraclides iuuenem Platonem adeò fuiſſe verecundum, adeò compoſitum, ὥστε μηδέποτ' ὀφθῆναι γελῶν ὑπερέχων, *vt nunquam ridere immodicè deprehenſus fuerit.* In legem abiit illa viri magni conſuetudo atque modeſtia: nam memoriæ proditum eſt nefas & inuſitatum fuiſſe, vt quis in Academia rideret.

A riſu abſtinendum magni viri cenſuere.

Plato πολιτει. γ.

Laert. l. 3.

Ælian. l. 3. ποικιλ. Cauſam attulit eruditiſſimus Ælianus, ὕβρει γὰρ, καὶ ῥᾳθυμίας ἐπειρῶντο τὸ χωρίον ἄβατον φιλαχθῆναι, *ab iniuria enim & contumelia animique diſſolutione purum & inacceſſum eum locum ſeruare conabantur*: Itaque Platonici illi heroes, qui vt Triptolemi munifici quidam & alati, non frumentum, ſed ambroſiam & inuenta ſapientiæ per vniuerſum orbem terrarum feliciſſimè propagauerunt, à riſu abhorrebant. Iamblicus, οὐ μάλα Eunap. in Iamblic. γελαστείων, *ad riſum non perinde pronus*, vt ait vitæ ſcriptor Eunapius. Quanquam non ea decoris commendatio vnius modò familiæ propria fuit ſapientum, & diſciplinæ vnius modeſtia, quam ferè omnibus commendatiſſimam fuiſſe accepimus. Sanè Pythagoras ille ſator, fundatórque magnæ Græ- Laertius. ciæ, ἀπείχετο καταγέλωτος, *à riſu abſtinuit*, ſi Laërtio fidem adhibemus. Etqui poſtea conſecutus eſt mentis aureæ & immenſæ Anaxagoras, paulò etiam Platone antiquior, nunquam riſit. Ariſtonem plurimi quidem ego facio, vt in dicendo longè grauiſſimum, & in Philoſophia nobilem, quantum Senec. ep. 36. è Veterum ſcriptis licet colligere, ſed in eo præcipuè efferendum & laudandum puto, quod diceret, malle ſe adoleſcentem triſtem, quàm hilarem & amabilem turbæ. Quid illud quod fieri olim conſuetum ab Indorum Gymnoſophiſtis audiuimus, an non ſatis, Honorate, dubitationem hanc omnem definiſſe videatur? Nam apud illos probati tantùm adoleſcentes admittebantur, qui nimirum & ingenio præditi eſſent, at- Philoſtr. in Apollon. l. 2. c. 12. que memoria, quique ab omni vitioſitate abhorrerent, ſed præſertim qui φιλόγελως deprehenſus fuiſſet, longè ab illis Philoſophiæ arcanis atque myſteriis amouebatur.

Hæc igitur eſt cõmunis & veriſſima Philoſophiæ vox, quã in dicendo grandiloquus, ſummo ingenij & religionis ſplendore Greg. Naz. or. 23. clariſſimus Nazianzenus, ſuo etiã iudicio cõprobauit, ait enim fructum eſſe Philoſophiæ non exiguum, γέλωτος ἀκρασίαν, *nimij riſus immoderationem compeſcere*. Talem fuiſſe magnum Heliam ſanctiſſimorum hominum commentarij prodiderunt, eum videlicet, qui pollenti vocis imperio & auguſta religione, cœlum pro arbitrio ſuo claudebat, aperiebat, qui flamma diuinitùs immiſſa, fortiſſimos Centuriones cum delecta cohorte perdebat, quem ad dubia religionis tempora neceſſarium curru igneo Deus ab hominibus eduxit: illum autem, σεμνὸν καὶ ἀμειδῆ τῷ προσώπῳ, *aſpectu venerandum & riſus penitus expertem*

deſcribit Gregorius Nyſſen. Sed ne tantùm Philoſophos per- Or. in laud. Baſil.
ſequi videar, & heroas quos vitæ eximia quædam virtus ac di-
gnitas à communi hominum conditione ſecreuit, nam de ora-
tore maximè hic quæris, Honorate, parem ego ſententiam
fuiſſe puto eorum omnium, qui dicendi gloria præſtiterunt.
Periclem illum tonantem & Olympium quãtum fuiſſe orato-
rem putatis? quam poſteritati omni propoſitum ad imitan-
dum? viros autem habeo duos facile principes, qui ab omni
illum riſu vehementer abhorruiſſe confirment. Erat in Pericle
προσώπου σύστασις ἄθρυπτος εἰς γέλωτα, *vultus ad riſum immotus*
ait φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη ἐν λόγῳ Plutarchus. Lumen Plutar. in Pericl.
idem Græciæ laudans Ariſtides, A forenſi, inquit, temeritate Eunapius.
& iactantia plurimùm abfuit, ὥστε οὐδὲ γελῶν οὐδ' ὑφ' ἑνὸς πώ- Ariſtid t. 3.
ποτε ὀφθῆναι, *quippe qui ne ridere quidem ſit vnquam viſus*. Ab ea- Platon. 2.
dem Græcia Phocion, quem orantem & inſtar magni Impe-
ratoris ſtrages cientem, vt frameam, vt aſciam, vt acrem & lu-
centem gladium exhorreſcebat Demoſthenes, ſemper riſum
continuiſſe dicitur. Apud Romanos autem ad eorum homi-
num laudem acceſſerunt Craſſus & Cato, aliíque omni virtu-
te & humanitate ornati, qui à riſu tanquam ab ineptiis & inde-
cora leuitate abſtinuerunt, tantùm abeſt vt in populi concio-
nem aut Curiam aliquando immitterent. Quare illud quid-
quid eſt, è laudabili dictione ad ſcurras, ad copreas, ad γελωτο-
ποιοὺς amandum & reiiciendandum exiſtimarem.

Contrarium tuetur Iuuentius, & riſum in dicente commendat. SECTIO IX.

NIHIL etiam impedit, ait Iuuentius, quo minus tu Victor
ſolem ipſum principem luminum deripiendum è cœlo
exturbandúmque cenſeas, quod Apharantes Libyæque po- Stob. ſer.
puli Deum lucis oderint, & petulantius ſint abominati. Homi- 42. Solin.
nes tu mihi nominas è Græcia philoſophos, quos verius Ma- c. 34.
gos appellauiſſes, qui cum eſſent nefaria cùm dæmone ſocie-
tate irretiti, non eſt mirum, ſi trucem vultum atque horribi- Greg. Naz.
lem præ ſe ferrent, quod Iuliano euenisse Imperatori dicitur. or. 1. in Iul.
Ita ſanè veteres aiunt qui Trophonij ex antro procederent, Athen l. 14. *Agelaſti.*

fuiſſe poſtea in omnem vitam ἀγελάστοις. Ab iis doctus ille quẽ nominauiſti Pericles, fuit quidem in vita ſeuerior retinénſque dignitatis, & vt erat eximia natura & politus omni genere humanitatis, non profectò abhorruiſſet à riſu, ſi in paulò meliora tempora & pacatiora incidiſſet. Sed nimirum perpetuó illi fuit aut caſtiganda ciuium ſuorum temeritas & inconſtantia, aut animi ad ſuſcipiendum bellum inflammandi, ſcelus hominum audacium omni copia orationis perſequendum, deflendi mortui, quos bellantes vita defeciſſet. Qua in rerum grauitate atque luctu, nec riſum, nec quod dicitur Muſicam cómmodè ab illo induci potuiſſe non diffiteor. At Romanos etiam Catonas attuliſti qui non riſerint: quod cùm à te diceretur ad riſum labefactandum, vix equidem paulò antè riſum continebam. A Stoicis tu Victor conſilium petes & exemplum, an ridendum politiſſimo oratori videatur? ab iis, inquam, qui omnem animi lætitiam, qui lenitatem, qui miſericordiam, ſcelus immane & prope parricidium putant? Oculos potius extuliſſes in Coryphæos, in clariſſima lumina reipub. Craſſos, Antonios, Cicerones, qui in dicendi ratione omnium conſenſu

Riſus Oratori opportunus.

primas tenuerunt. Eorum autem ſi quaſi loco prætorio ſententiam rogemus, opinor reſpondebunt, riſu nihil eſſe accommodatius ad leuandum auditorum faſtidium & ſatietatem, ad leniendos animos, ad conciliandam beneuolentiam, ad infringendam ſummorum hominum auctoritatem, ad inimicorum petitiones eludendas. Hinc præſtantes è Græcia viri περὶ γελοίων libros emiſerunt, quorum vſum & vtilitates conſtat eſſe permagnas, cùm peritè & ſubtili artificio in iudiciis adhibentur. Cicero quidem ea ratione ſæpè cauſas è manibus Iudicum extorſit, ſæpè inimicorum vim debilitauit, tuum etiam Stoicum illum Catonem, Victor, in Murænæ cauſa illuſit & ſuperauit. Qui cùm doleret M. Tullij facetiis atque riſu ſibi ius ereptum atque rei damnationem, quam iam animo ſpéque deuorauerat, vt ſtoicè credo loqui, & non modò ſentire videretur, eum γελοῖον ὕπατον, *Conſulem ridiculum* appellauit. Æmuli illius gloriæ conati idem ſunt, cùm Ciceronem *frigidum in ſalibus* dicerent, quod memini à Quintiliano fuiſſe notatum: alij grauius appellarent *Conſularem ſcurram.* Et fortè ipſe genio indulſit hac in re ſuo, quæ cauſa fuit, cur Fabius in commentarios ſuos referret, eum habitum eſſe *nimis riſus affectatorem.*

Cic. 2. de orat.

Plutar. in Caton.

Fab. l. 12. c. 10.

Macrob. l. 2. Satur.

Quod ſi Græcis auctoritatibus eſt pugnandum, vnicum lubens ego Neſtorem obiiciam, qui maieſtate quadam ſua ſcholas omnium philoſophorũ conturbet, de quo profecto negari non poteſt, quin perfectus in agendo fuerit mellea eloquentia, generoſo pectore, incocta ſapientia & eruditione. Quid igitur doctiſſimi viri de illo nobis reliquerunt? φαιδρὸς μὲν ἀεὶ ἐφαίνετο, καὶ ἐν ὁρμῇ μειδιάματος, *ſemper hilaris videbatur, atque in riſum procliuis*, vt Proteſilaus memorabat. Polemon fuit temporibus M. Antonini orator, ea in dicendo gloria, vt non modò Imperatorum amicitia, verùm etiam maximis honoribus dignus haberetur: eius ideã orationis Philoſtratus ait fuiſſe Olympicæ tubæ modo clarè ſonantẽ, Demoſthenicæ parem, & Apollinis quaſi è tripode inſpiratã. Hunc autem tantum virũ accepimus, lætiorem nunquam periodum circunduxiſſe in agendo, quin rideret. In hac luce exemplorũ, quid Philoſophi illi pallidi moroſique faciant, ſuperciliosi, toruo vultu, barba horrifica & comanti? qui mihi quidẽ digni videantur, qui perpetuò in eo ſaxo hæreant Athenienſium, quod ἀγέλαστον appellabant, quod Theſeus ad inferos deſcenſurus in eo conſederit. Philoſtr. in Heroic. Philoſt. de Soph. Apollodorus. Brodæ. l. 1. c. 33.

Sed ne quidem Philoſophi omnes inamœnam illam ſeueritatem, & expertem ſuauitudinis tuentur & defendunt. Eſt Biõ in manibus in gremio Philoſophiæ educatus, πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ, vt Laërtij verbis vtar, qui cùm vndique riſum in dicendo aucuparetur, nuncupatus fuit θεατρικός, ſcenæ & theatro & ampliſſimæ hominum coronæ, quàm ſcholæ aptior, & fortaſſe in eo ipſo plus paulò quàm deceret fuit effuſus. *Democritum aiunt nunquam ſine riſu in publico fuiſſe*, ait togatæ philoſophiæ columen Seneca. M. Antoninus Imperator, cui propter eximiam grauitatem & vitæ conſtantiam Philoſophia nomen dedit, cũ haberet concionem ad populum in clariſſimo domicilio imperij, déq; ſua diuturna peregrinatione loqueretur, populus Romanus tot aureos nummos in congiarium popoſcit, quot ille annos abfuiſſet: διεμειδίασε, *riſit* in ea frequentia & multitudine vir ea dignitate, ætate, ſapientia, nec à nomine illud ſuo, cũ Philoſophus diceretur, alienum eſſe putauit. Quin & Stoici qui duritiem in laude ponebant animíque acerbitatem, à riſu minimè abſtinuerunt. An venit vnquam tibi in mentem Victor ea cogitare, quæ Seneca de ſe profitetur, & ſcripta eſſe voluit ad memoriam ſempiternam? nam Stoicorum Laert l. 4. Senec. l. 2. de ira. Dio Caſſ.

runt. Cicero quidem in Piſone calami ſtratiſque patriæ prædonibus & luxu perditis, *fluentes buccas* & ceruſſatas inſimulat, vt molle quiddam & effœminatum. Sextus Pompeius Rhetor ingenioſus & politus non rem acu tetigiſſe, ſed argutè dicto pupugiſſe videtur, qui de vxore M. Antonij Fuluia quæ alteram buccam habebat inflatiorem, *acumen ſtyli tentare* illam dicebat. Theodoretus miſerrimam ſuperbientium hominum conditionem in morte futuram oratione denuntians, iam illa grauiter & magnificè, ὁ γαυριῶν τράχηλος οὐ κάμπτεται μόνον, ἀλλὰ καὶ διαλύεται, καὶ ἡ φυσωμένη γνάθος οὐ συστέλλεται μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς ὀλίγην κόνιν συνίσταται. *Hic ferocientis & elatæ ceruicis faſtus, non modò inflexus deprimitur, ſed & totus diſſoluitur: inflata illa tumidáque bucca non modò contrahitur, ſed in tenuem puluerem abit.*

Quid verò de illis ſtatuemus, qui vt opinor dentes eburneos habere videantur, identidem eos nudant & oſtendunt? At qui idem quem ſuperius nominaui Nyſſæ Paſtor elegantiſſimus, γύμνωσιν ὀδόντων τε καὶ οὔλων *dentium & gingiuæ nudationem*, in iis quæ reprehendi in hominibus ſolent reponit. Sanè quidem canum eſt furentium, nudare dentes atque ringi, quos
Plaut. in Capt. nemo niſi oblitus ſui imitari velit. Plautus euſchemè atq; ſcitè.

Ne canem quidem irritatam voluit quiſpiam imitarier,
Saltem ſi non arriderent, dentes vt reſtringerent.

Appius Clauſus egregia mente præditus à litera Z. vehementer abhorruiſſe dicitur, quod dentes mortui dum exprimitur, imitatur, dentes enim illius elementi pronunciatione nudari eſt neceſſe. Huius tanti viri conſilium introſpiciendum eſſe putem oratori, & ita ſequendum, vt non tam ab vnius literæ ſono, quàm ab inepta oris compoſitione refugiat. Et maximè ſi luridi ſint, fetidi & carioſi, & ſcabri rubigine dentes, quos æquis oculis intueri nemo queat. Tum enim aut quam minimè oſtentandi forent, aut prouidendum vt Apuleianum illud munus quod donauit Calpurniano alicunde aſſequeretur.

——munditias dentium.
Nitelas oris ex Arabicis frugibus
Apul. in Apolog. *Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum*
Complanatorem tumidæ gingiuulæ
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes dentium. Vel audienda potius

philoſophia cuius præceptum hoc Epictetus enunciat, Πλῦνον τοὺς ὀδόντας, *Dentes ablue.* Videndum tamen in eo ipſo ne quid nimis, ne præ deliciis & mollitie orator τοὺς ὀδόντας λαμπρύνειν nitorem dentium quærere nimium videatur, quod Sophiſtæ Alexandro Romanus quondam Imperator obiecit apud Philoſtratum. σὺ γὰρ, inquit, ὁ τὴν κόμην ἀσκῶν, καὶ τοὺς ὀδόντας Theophr. λαμπρύνων, &c. Sic inter notas blandi & glorioſi oſtentatoris in Charac. poſuit Theophraſtus τοὺς ὀδόντας λευκοὺς ἔχειν, *dentes candidos & nitidos habere.*

Stridere dentibus, aut eos collidere, quorum ſit hominum proprium, quibus è cauſis eueniat, num cadat in Oratorem. SECTIO IV.

AN autem ſtridere dentibus, ſit à foro alienum, & Curia ſede æquitatis, dubitari fortè poteſt, ſi apud nos reputemus, eſſe viris magnis aliquando iram concipiendam, qui in frænanda perditorum hominum audacia, maleficióque accuſando verſantur, quos acriter agere par eſt, & vt fieri ſolet iracundè. Ille verò dentium crepitus atque ſtridor, proprius iratorum eſt, & eorum qui odio incenſo feruntur. Eleganter Seneca ſophus iram ſuis coloribus adumbrans, *dentium inter ſe arietatorum ſonitum* vocat, qualis in apris eſſe conſueuit. Pari elegantia D. Chryſoſtomus, τρίζειν ὀδόντας, διαστρέφειν ὀφθαλμοὺς, &c. Iratus, inquit S. Baſilius, apri inſtar τὸν ἔνδοθεν θυμὸν διὰ τῆς τῶν ὀδόντων διατρίψεως ὑπεκφαίνει, *intimum animi furorem prodit dentium attritu*, ita malo, quàm vt vulgò vertunt, *aſtrictu.* Eius frater Nyſſenus Gregorius τῇ τῶν ὀδόντων συμπλήσει *dentium colliſione* præ ſe ferre animi ſæuitiam acerbitatémque dixit. Et quidem Gallum Cæſarem eo geſtu concionem habuiſſe ad milites, monumentis ſuis reliquit Ammianus in hæc verba, *Colligi omnes iuſſit armatos, & cùm ſtarent attoniti, diſtricta dentium acie ſtridens, Adeſte*, inquit, *viri fortes*, &c. Idipſum Coryphæus Poëtarum Achilli tribuit in hoſtes eunti.

Seneca. l 3. de ira. Chryſ. ho. 2. in ep. ad Timoth. S Baſil. hom. 21. S. Greg. Nyſſ or de S. Stephan. Ammian. l. 14.

----κορύσσετο δῖος Αχιλλεύς
Τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε, &c.
----*armatur dius Achilles,* *Cui ſtrident dentes.*

SECTIO V.

Linguam exertare illudendi vel ſignificandi gratia. σαρκάζειν. loqui labiis. ductu labiorum irridere, eorum diſtorſio non nimia eſſe debet. in mœrore demiſſa.

SI eos reprehendimus anteà, qui dentes ineptè nudarent, rideréntque, vt ait ille albis dentibus, nolitote putare, mihi vllo modo poſſe probari, vt quis linguam in dicendo exertet. Et tamen ab omni antiquitate morem eum in Gallia fuiſſe conſtat, vt alios irridendo linguam exererent. Id enim coloſſeum illum feciſſe militem Gallum, qui Romanos ad duellum prouocabat, annalium veterum monumenta ſignificant. Quadrigarius enim in hiſtoria ſic prodit, *Deinde Gallus irridere cœpit atque linguam exertare.* Eodem modo pingebatur Gallus in ſcuto Mariano Cimbrico, *ſub nodis videlicet diſtortus, eiecta lingua, buccis fluentibus.* Quanquam non vnius prouinciæ id proprium, ſed latè patens & commune fuit. Nam grauiſſimus auctor Hieronymus cùm monet non eſſe aures iis commodandas, qui pictæ tectoria linguæ circunferunt, teque nimiis laudationibus efferunt; fieri poſſe ait, vt ſi diligentiùs intuearis, poſt te videas ad illudendum *æſtuantem canis protendi linguam.* Quod genus quoque irriſionis Poëta Satyricus bellè expreſſit,

(Gell. l. 9. — Cicer. 2 de Orat. — Hierony. ep. 4.)

Nec lingua quantum ſitiat canis appula tanta. (Perſ. ſat. 1.)

vbi vetus ait Interpres, *ſanna genus fuiſſe linguam ſitientis canis imitari*, hoc eſt validè educere. Is quem modò nominabam eruditiſſimus Hieronymus, aliàs *obtorquere linguam* dixit, *Non magnopere*, inquit, *pertimeſcamus ſupercilium Iudæorum, ſolutis labiis, & obtorta lingua, & ſtridente ſaliua, & raſa fauce gaudentium.* Scio in Gallia etiamnum id habere locum, in eorum hominum cœtu, qui petulanti licentia quadam elati nullam partem honeſtatis verecundiæque retinent: ſed nemo tamen ita eſt triuiis ſordibúſque aſſuetus, tam proiectæ nemo impudentiæ, vt in conſeſſu virorum ſapientum linguam exerere ad alios irridendos audeat. Sed neque

(S. Hieron. in c. 3 ep. ad Titum.)

honeſto Oratori id conceſſerim, quod Theophraſtus nimium in dicendo geſtuoſus aliquando vſurpauit, vir alioqui in omni genere ſermonis, in omni parte eruditionis perfectus, & vnus omnium in dicendo ſuauiſſimus, quem ferunt, helluonem quendam natum abdomini cùm exprimere voluiſſet, Athen. l. 1. ἐξαραῖτα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη, *exerta lingua labra circunlinxiſſe*. Id ſanè à Philoſophi grauitate alieniſſimum, multò meliùs vir ſapiens reliquiſſet Paraſitis Comœdiarum, & βωμολόχοις, & impuro gregi ſeruulorum, qui laurum è muſtaceo quærunt, & ab inſigni quadam impudentia glorıolam aucupantur.

Labia re- pandere ad illudendū. Eſt aliud irridendi genus, multò quidem honeſtius, ſed in quo tamen multa cautione opus eſt, ne ad eundem ineptiarum ſcopulum adhæreſcamus. Solent enim illudentes quidam ducere os labiáque repandere, σαρχάζειν Græci nominant, Galli *facere moam*, Hebræi, *loqui labiis*, quod doctiſſimus Hieronymus eſſe ait ſubſannando dimittere labium, & geſtu diducti labij palam & contumelioſè illudere. Antiquiſſimi Latinorum *Valgia* nominauerunt: *Valgia*, inquit Fulgentius, *ſunt labellorum obtortiones in ſupinatione vel ſublatione peracta, ſicut & Petronius ait, Abroſo valgiter labello*. Agellius *ductum labiorum* appellat, ita enim de ſciolo quodam oſtentatore, *Tum ille rictu oris, labiorúmque ductu contemni à ſe oſtendens, & rem de qua quæreretur, & hominem ipſum qui quæreret*, &c. Id ſi rarò & modicè fiat, & exiguo motu labiorum, cùm vt fit contemptionis certo indicio caput attollitur, non magnopere inſimulandum fortè videatur: ſi exiguo, inquam, motu, & non nimia deprauatione oris fiat: nam labia quaſi proiicere & vehementer reſupinare, vt ineptum & ruſticanum in familia tantùm Labeonum & Brocchorum fieri velim, de quibus Plinius meminit Polyhiſtor, στρεβλοχείλοις ἄφρονας iure quis appellet cum Gregorio Nazianzeno.

D Hieron. in Pſal. 20. Fulgent. de vocib. Agell. l. 18. Plin. l. 11. or. 26.

Et quidem ab eo vitio tanquam à certo eloquentiæ ſcopulo, ingenioſiſſimi Oratores & concinni ſtudio omni refugerunt, & cumprimis Ariſtides, quem vnum omnium facilè præſtantiſſimum cum illo æuo multi graues & ornati homines & copioſi forent, communis omnium fuit opinio. Is cùm nouam & politam habuiſſet orationem, ſuauitudine plenam,

& varietate, in qua Mineruæ commendationem cum rerum ſuarum excellentia, atque ingenij magnitudine coniunxerat, & ob eam inanitatem & non ferendam inſolentiam, à quibuſdam argueretur, alia quadam oratione ſuum facinus conſiliúmque defendit, atque adeò gloriari auſus eſt, nihil in geſtu & totius corporis motione in dicendo fuiſſe peccatum. ποίαν, inquit, ἢ χειρῶν ἐγὼ κίνησιν, ἢ χειλῶν παραγωγὴν ἐξεπίτηδες περαιτέρω τοῦ μετρίου γενόμενα; *quam ego vel manuum motionem, vel labrorum diſtortionem iuſto maiorem vſurpaui.* In hunc hominem intuentes, Victor, & Iuuenti, ſi me auditis, in agendo moderabimur ipſi nobis, ne fortè eueniat aliquando vt propriè labra nos habere dicamur: eſt enim axioma Grammaticorum *Labra Aſinorum propriè dici*: Ita quidem Donatus in Terentium, apud quem labia repanda nominantur *demiſſa*, ſed ea refert ad mœrorem atque formidinem: Hæc illius in Eunucho verba ſunt: *Incuruus, tremens, labiis demiſſis gemens.* Verùm hic geſtus vix in oratorem cadere poteſt, ne quidem triſtium rerum & calamitoſarum internuncium, niſi tanta ſit doloris magnitudo, fletus & lacrymarum copia, vt curſum impediat orationis, & vocem intercludat. Sic videmus pios in templis Concionatores, & ad lenitatem animíque mollitiem factos à natura, in iis rebus memorandis, quæ mœrorem audientium & comploratione m eliciant, manantibus lacrymis hærere nonnunquam, & ſilere tantiſper, vultum commutare, os ita fingere, vt quati labia & micare videantur, quod cùm accidit, neceſſe omninò eſt hærere pronunciationem, atque vt in arduo cliuo interiungere.

Or. de Paraphtheg.

Act. 2. ſc. 3.

Labiorum temperamentum muſico inſtrumento adumbratum. decor in eo ſignificatus. Ira & timor labia comprimunt.

SECTIO VI.

QVIS autem ſit optimus labiorum ſtatus in dicendo, cùm orantium quotidiana animaduerſio, tum ſcriptorum egregiæ monitiones haud obſcurè docere poſſunt. Idem la-

pientum doctrinam ad hanc meam diſputationem accommodare. Ac nimirum hæc labiorum plena mentis & conſilij effictio eſt pars illius oris eximia, quod antea *probum* dici audiſtis, & omnium prædicatione celebrari. Tum verè pendent ab ore audientes, cùm eiuſmodi eſt, vt formoſitate illos ſua & ſpecie pulcherrima teneat. Id veluti animi veſtibulum honeſtiſſimis ornamentis diſtinctum & elaboratum omnes ſuſpiciunt, & amicè beneuoléque tuentur. Sanè Ennodius gemma Epiſcoporum nobilium atque doctorum, in Epiphanio ſummo viro & religionis duce id reuerens, & humaniſſima animi voluptate laudabat, *Nitida*, inquit, *ſimul labia commendabant dupliciter mella ſermonum*. Ennod. in vita Epiph. Antiquior ſanctimoniáque longè ornatior Dauid, cùm Meſſiam animo intueretur, dotibus Oratoris plenè & perfectè cumulatũ, hanc gratiam labiis illius affuſam, hunc decorem illitum, hanc impreſſam dignitatem aurea teſtudine canebat. Sit igitur in monitionibus noſtris hoc edictum, *Non eſſe nimium comprimenda labia, neque immodicè aperienda*. Qui ſunt enim timidi aut verecundi, iis facilè labra coeunt, & ægrè diducuntur, quod Latini ſcriptores, *os concurrere ſiue labra* dicere ſolẽt. Annæus Seneca id peritè in epiſtolis, *lingua titubat, labra concurrunt*. Senec. ep. 11. Quintilianus lib. 11. *Eſt & alius concurſus oris*, &c. Sunt autem huiuſmodi homines in periculo, ne compreſſa nimium labia, dum volunt poſtea diducere, ſonitum edant, quod Græcæ eruditionis autores βαμβάλειν dicunt, hoc eſt, ψοφεῖν τοῖς χείλεσι, vt docti monuerunt. Fab. l. 11. c. 3.

Quandonam eueniat vt labia tremant & quatiantur. Ea mordere in dicendo an honeſtum. SECTIO VII.

ETIAM quati & tremere labia in ira conſueuerunt. Diuus Hieronymus in epiſt. ad Titum, iratum hominem deſcribens, *Toruo*, inquit, *vultu, trementibus labiis, rugata fronte*. Romanus ſapiens *quati labia*, in eadem re aiebat his verbis, *Labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli*. Senec. l. 1. de ira. Lactantius Firmianus, *os tremere* dixit, vbi docet æſtum iracundiæ illum furentem & immoderatum, non decere virum ſapiẽtem: Lactant. de ira Dei c. 5. *Cùm enim*, inquit, *in animam cuiuſquam incidit, velut ſæua tempe-*

Digitized by Google

ſtas tantos excitat fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant ocu-li, os tremat, lingua titubet. Seneca etiã propter iracundiam tre-mentia fieri labia dicit, & interdũ cõpreſſa. Flodoardus de quo-dã Antiſtite memorans, venuſtè & ſcienter eũ deſcribit, *tremen-tibus labiis & inflammatis verbis petitionem reſpuentem.* Id autem ne aliquando eueniat prouidere omnino debet Orator, ſi præ-ſertim pronus ad iraſcendum animi impotentia ferri ſolet: nam alioqui manca ſit oportet, atq; mutila vocum enunciatio, aut in medio curſu hæreat, quod vix ſine totius ſententiæ incõmo-do fieri poteſt. Iã verò cùm mordere labra homines multas ob cauſas vulgò aſſueuerint, tum fieri illud poſſe video in dolorē, in motu inuidię, in ſtomacho, in depoſiti negotij deſperatione, cũ animus æſtu violento abreptus in rémque imminens, & qui tamẽ extricare è media difficultate ſe non poteſt, aut ex animi ſententia, quæ impediunt diſiicere & vlciſci, vim & impetũ in ſe quodãmodo vertit ſuum. Hinc dentibus frendere homines, hinc linguam atq; labra mordicus apprehendere, conſtringere digitos in pugnũ, corpore omni incitari, moliri alia quæ deuij à mente, inopéſq; rationis facere poſſunt. Is morbus (*πάθος* enim nominare ita lubet) is motus inuidiæ ſiue iracundiæ, is aculeus deſperationis incidere in orantẽ poteſt. Cuius rei memoria ve-tuſtatis exempla nobis ſuppeditat: vno ero contentus explicã-di huius loci cauſa, quod in capitis iudicio Athenis, diſceptante Proconſule Romano contigit, cùm Sophiſtæ omniũ in agen-do celeberrimi inter ſe diſſiderent. Petulantes enim doctoris v-nius diſcipuli, in ciuili diſſenſione, Iulianũ eloquentiæ ducem indignis modis impiè verberauerãt. Res venit in Procõſulis viri grauiſſimi cognitionẽ. Qui manum illam audaciũ adoleſcen-tium tuebatur patronus, Themiſtocles dicebatur Lacedæmo-niùs homo promptus & proiectus ad audendũ, ſed nõ ſatis ab eloquentia paratus, qui cùm tandẽ ad cauſam accederet, vide-rétque iure ac lege agi omnia, & adeſſe coronã doctiſſimis ho-minibus refertam, fraudi & audaciæ intercluſam eſſe ianuam, tum cœpit ægritudine confici, reſpectare ſuos, animum deſpõ-dere, mutare vultum, ringi, ϗ τὰ χείλη διέδακνεν ἀπορούμενος, *du-biúſque & anceps labra ſua momordit.* Videtíſne iram, æſtum, in-uidiam in labra irruiſſe? Id verò an ſit honeſtati & verecundæ modeſtiæ conſentaneum, malo ex Eubulo prudentiſſimo Co-

l. 3. de ira c. 4.

Flodoard. hiſt. l. 3. c. 21.

Digitized by Google

mico, quàm ex me cenſente audiatis. Sic verò ille pronunciabat δάκνει τὰ χείλη παγγέλοιος ἐστὶν ἰδεῖν, *aſpectu certè omnino ridiculus homo eſt, labra mordicus premens.* Athen. l. 10.

De riſu Oratoris Scholaſtica & liberior velitatio. SECTIO VIII.

Contendit Victor riſum ab Oratore alienum videri.

HÆc de labris Honoratus cùm dixiſſet, & conſequi iam videretur, vt de riſu Oratoris adiungeret, eſt enim riſus motu animi certa ipſius oris cōformatio, fingit de induſtria dubium ancipitémque ſe hærere, vt Victor & Iuuentius in hac veluti eruditionis palæſtra ſplendidiſſimum ingenium expromerent. Illum enim ſciebat eſſe maturum, vt Philoſophum, geſtientis lætitiæ non nimis amicum atque riſus, hunc contra naturæ genio & diluti ſanguinis abundantia lætum, & quod euenit, iam animo præcipiebat eos in hac diſputatione diſſenſuros. Sic igitur callidè exſuſcitauit, De riſu volebam adiungere, ſed tam multa mihi veniunt in mentem, quæ modò riſum à dicente minimè alienum ſuadeant, modò rem plenam eſſe leuitatis confirment, vt ſtatuam non progrediendum mihi eſſe vlterius, quin veſtram ſuper ea re opinionem priùs audiam.

Malim ego, ait Victor, quid magni quondam ſapientia & virtute viri ſenſerint, quàm meam ea de re ſententiam interponere. Sic autem mihi notaſſe videor, communi propè doctiſſimorum hominum opinione riſum eiectum ἔξω τοῦ θείου χοροῦ, & exterminatum. Plato imprimis cùm ciuium ſuorum vitam atque inſtitutionem informat, negat eos oportere eſſe φιλογέλωτας, qui auri pluſculum habituri ſint in animo, & habenas reipub. moderaturi. Quod non modò ſcriptis ille ſuis, verùm etiam clariſſimo exemplo docuit: refert enim Heraclides iuuenem Platonem adeò fuiſſe verecundum, adeò compoſitum, ὥστε μηδέποτ᾽ ὀφθῆναι γέλων ὑπερέχοντα, *vt nunquam ridere immodicè deprehenſus fuerit.* In legem abiit illa viri magni conſuetudo atque modeſtia: nam memoriæ proditum eſt nefas & inuſitatum fuiſſe, vt quis in Academia rideret.

A riſu abſtinendum magni viri cenſuere. Plato πολιτ. γ. Laert. l. 3.

Ælian. l. 3. ποικιλ. Cauſam attulit eruditiſſimus Ælianus, ὕβρει γὰρ, καὶ ῥαθυμίᾳ
ἐπειρῶντο τὸ χωρίον ἄβατον φιλαχθῆναι, *ab iniuria enim & con-
tumelia animique diſſolutione purum & inacceſſum eum locum
ſeruare conabantur*: Itaque Platonici illi heroes, qui vt Tripto-
lemi munifici quidam & alati, non frumentum, ſed ambro-
ſiam & inuenta ſapientiæ per vniuerſum orbem terrarum feli-
ciſſimè propagauerunt, à riſu abhorrebant. Iamblicus, οὐ μάλα
Eunap. in Iamblic. γελαστικὸς, *ad riſum non perinde pronus*, vt ait vitæ ſcriptor Eu-
napius. Quanquam non ea decoris commendatio vnius mo-
dò familiæ propria fuit ſapientum, & diſciplinæ vnius mode-
ſtia, quam ferè omnibus commendatiſſimam fuiſſe accepi-
mus. Sanè Pythagoras ille ſator, fundatórque magnæ Græ-
Laertius. ciæ, ἀπείχετο χαΐαγέλωτος, *à riſu abſtinuit*, ſi Laërtio fidem
adhibemus. Et qui poſtea conſecutus eſt mentis aureæ & im-
menſæ Anaxagoras, paulò etiam Platone antiquior, nun-
quam riſit. Ariſtonem plurimi quidem ego facio, vt in dicen-
do longè grauiſſimum, & in Philoſophia nobilem, quantum
Senec. ep. 36. è Veterum ſcriptis licet colligere, ſed in eo præcipuè efferen-
dum & laudandum puto, quod diceret, malle ſe adoleſcen-
tem triſtem, quàm hilarem & amabilem turbæ. Quid illud
quod fieri olim conſuetum ab Indorum Gymnoſophiſtis au-
diuimus, an non ſatis, Honorate, dubitationem hanc omnem
definiſſe videatur? Nam apud illos probati tantùm adoleſcen-
tes admittebântur, qui nimirum & ingenio præditi eſſent, at-
Philoſtr. in Apollon. l. ỳ c. 12. que memoria, quique ab omni vitioſitate abhorrerent, ſed
præſertim qui φιλόγελως deprehenſus fuiſſet, longè ab illis
Philoſophiæ arcanis atque myſteriis amouebatur.

Hæc igitur eſt cõmunis & veriſſima Philoſophiæ vox, quã in
dicendo grandiloquus, ſummo ingenij & religionis ſplendore
Greg. Naz. or. 23. clariſſimus Nazianzenus, ſuo etiã iudicio cõprobauit, ait enim
fructum eſſe Philoſophiæ non exiguum, γέλωτος ἀκρασίαν, *ni-
mij riſus immoderationem compeſcere*. Talem fuiſſe magnum
Heliam ſanctiſſimorum hominum commentarij prodiderunt,
eum videlicet, qui pollenti vocis imperio & auguſta religione,
cœlum pro arbitrio ſuo claudebat, aperiebat, qui flamma di-
uinitùs immiſſa, fortiſſimos Centuriones cum delecta cohor-
te perdebat, quem ad dubia religionis tempora neceſſarium
curru igneo Deus ab hominibus eduxit: illum autem, σεμνὸν καὶ
ἀμειδῆ τῷ προσώπῳ, *aſpectu venerandum & riſus penitus expertem*

deſcribit Gregorius Nyſſen. Sed ne tantùm Philoſophos perſequi videar, & heroas quos vitæ eximia quædam virtus ac dignitas à communi hominum conditione ſecreuit, nam de oratore maximè hic quæris, Honorate, parem ego ſententiam fuiſſe puto eorum omnium, qui dicendi gloria præſtiterunt. Periclem illum tonantem & Olympium quãtum fuiſſe oratorem putatis? quam poſteritati omni propoſitum ad imitandum? viros autem habeo duos facile principes, qui ab omni illum riſu vehementer abhorruiſſe confirment. Erat in Pericle προσώπου σύστασις ἄθρυπτος εἰς γέλωτα, *vultus ad riſum immotus* ait φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη καὶ λύρα Plutarchus. Lumen idem Græciæ laudans Ariſtides, A forenſi, inquit, temeritate & iactantia plurimùm abfuit, ὥστε οὐδὲ γελῶν οὐδ᾽ ὑφ᾽ ἑνὸς πώποτε ὀφθῆναι, *quippe qui ne ridere quidem ſit vnquam viſus*. Ab eadem Græcia Phocion, quem orantem & inſtar magni Imperatoris ſtrages cientem, vt frameam, vt aſciam, vt acrem & lucentem gladium exhorreſcebat Demoſthenes, ſemper riſum continuiſſe dicitur. Apud Romanos autem ad eorum hominum laudem acceſſerunt Craſſus & Cato, aliíque omni virtute & humanitate ornati, qui à riſu tanquam ab ineptiis & indecora leuitate abſtinuerunt, tantùm abeſt vt in populi concionem aut Curiam aliquando immitterent. Quare illud quidquid eſt, è laudabili dictione ad ſcurras, ad copreas, ad γελωτοποιοὺς amandum & reiiciendandum exiſtimarem.

Or. in laud. Baſil.

Plutar. in Pericl. Eunapius. Ariſtid t. 3: Platon. 2.

Contrarium tuetur Iuuentius, & riſum in dicente commendat.

SECTIO IX.

NIHIL etiam impedit, ait Iuuentius, quo minus tu Victor ſolem ipſum principem luminum deripiendum è cœlo exturbandúmque cenſeas, quod Apharantes Libyæque populi Deum lucis oderint, & petulantius ſint abominati. Homines tu mihi nominas è Græcia philoſophos, quos verius Magos appellauiſſes, qui cum eſſent nefaria cùm dæmone ſocietate irretiti, non eſt mirum, ſi trucem vultum atque horribilem præ ſe ferrent, quod Iuliano eueniſſe Imperatori dicitur. Ita ſanè veteres aiunt qui Trophonij ex antro procederent,

Stob. ſer. 42. Solin. c. 34.

Greg. Naz. or. 1. in Iul. Athen l. 14. *Ageſilaſi.*

Digitized by Google

fuiſſe poſtea in omnem vitam ἀγελάςους. Ab iis doctus ille quē nominauiſti Pericles, fuit quidem in vita ſeuerior retinénſque dignitatis, & vt erat eximia natura & politus omni genere humanitatis, non profectò abhorruiſſet à riſu, ſi in paulò meliora tempora & pacatiora incidiſſet. Sed nimirum perpetuò illi fuit aut caſtiganda ciuium ſuorum temeritas & inconſtantia, aut animi ad ſuſcipiendum bellum inflammandi, ſcelus hominum audacium omni copia orationis perſequendum, deflendi mortui, quos bellantes vita defeciſſet. Qua in rerum grauitate atque luctu, nec riſum, nec quod dicitur Muſicam cōmodè ab illo induci potuiſſe non diffiteor. At Romanos etiam Catonas attuliſti qui non riſerint: quod cùm à te diceretur ad riſum labefactandum, vix equidem paulò antè riſum continebam. A Stoicis tu Victor conſilium petes & exemplum, an ridendum politiſſimo oratori videatur? ab iis, inquam, qui omnem animi lætitiam, qui lenitatem, qui miſericordiam, ſcelus immane & prope parricidium putant? Oculos potius extuliſſes in Coryphæos, in clariſſima lumina reipub. Craſſos, Antonios, Cicerones, qui in dicendi ratione omnium conſenſu

Riſus Oratori opportunus.

primas tenuerunt. Eorum autem ſi quaſi loco prætorio ſententiam rogemus, opinor reſpondebunt, riſu nihil eſſe accommodatius ad leuandum auditorum faſtidium & ſatietatem, ad leniendos animos, ad conciliandam beneuolentiam, ad infringendam ſummorum hominum auctoritatem, ad inimicorum petitiones eludendas. Hinc præſtantes è Græcia viri περὶ

Cic. 2. de orat.

γελοίων libros emiſerunt, quorum vſum & vtilitates conſtat eſſe permagnas, cùm peritè & ſubtili artificio in iudiciis adhibentur. Cicero quidem ea ratione ſæpè cauſas è manibus Iudicum extorſit, ſæpè inimicorum vim debilitauit, tuum etiam Stoicum illum Catonem, Victor, in Murænæ cauſa illuſit & ſuperauit. Qui cùm doleret M. Tullij facetiis atque riſu ſibi ius ereptum atque rei damnationem, quam iam animo ſpéque deuorauerat, vt ſtoicè credo loqui, & non modò ſentire videretur, eum γελοῖον ὕπατον, *Conſulem ridiculum* appellauit. Æmuli illius gloriæ conati idem ſunt, cùm Ciceronem *frigidum in ſalibus* dicerent, quod memini à Quintiliano fuiſſe notatum: alij grauius appellarent *Conſularem ſcurram*. Et fortè ipſe genio indulſit hac in re ſuo, quæ cauſa fuit, cur Fabius in commentarios ſuos referret, eum habitum eſſe *nimis riſus affectatorem*.

Plutar. in Caton.
Fab. l. 12. c. 10.
Macrob. l. 2. Satur.

Quod ſi Græcis auctoritatibus eſt pugnandum, vnicum lubens ego Neſtorem obiiciam, qui maieſtate quadam ſua ſcholas omnium philoſophorũ conturbet, de quo profecto negari non poteſt, quin perfectus in agendo fuerit mellea eloquentia, generoſo pectore, incocta ſapientia & eruditione. Quid igitur doctiſſimi viri de illo nobis reliquerunt? φαιδρὸς μὲν ἀεὶ ἐφαίνετο, καὶ ἐν ὁρμῇ μειδιάματος, *ſemper hilaris videbatur, atque in riſum proclivis*, vt Proteſilaus memorabat. Polemon fuit temporibus M. Antonini orator, ea in dicendo gloria, vt non modò Imperatorum amicitia, verùm etiam maximis honoribus dignus haberetur: eius ideã orationis Philoſtratus ait fuiſſe Olympicæ tubæ modo clarè ſonantẽ, Demoſthenicæ parem, & Apollinis quaſi è tripode inſpiratã. Hunc autem tantum virũ accepimus, lætiorem nunquam periodum circunduxiſſe in agendo, quin rideret. In hac luce exemplorũ, quid Philoſophi illi pallidi moroſique faciant, ſuperciliosi, toruo vultu, barba horrifica & comanti? qui mihi quidẽ digni videantur, qui perpetuò in eo ſaxo hæreant Athenienſium, quod ἀγέλαστον appellabant, quod Theſeus ad inferos deſcenſurus in eo conſederit. Philoſtr. in Heroic. Philoſ. de Soph. Apollodorus. Brodæ. l. 1. c. 33.

Sed ne quidem Philoſophi omnes inamœnam illam ſeueritatem, & expertem ſuauitudinis tuentur & defendunt. Eſt Biõ in manibus in gremio Philoſophiæ educatus, πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ, vt Laërtij verbis vtar, qui cùm vndique riſum in dicendo aucuparetur, nuncupatus fuit θεατρικὸς, ſcenæ & theatro & ampliſſimæ hominum coronæ, quàm ſcholæ aptior, & fortaſſe in eo ipſo plus paulò quàm deceret fuit effuſus. *Democritum aiunt nunquam ſine riſu in publico fuiſſe*, ait togatæ philoſophiæ columen Seneca. M. Antoninus Imperator, cui propter eximiam grauitatem & vitæ conſtantiam Philoſophia nomen dedit, cũ haberet concionem ad populum in clariſſimo domicilio imperij, déq; ſua diuturna peregrinatione loqueretur, populus Romanus tot aureos nummos in congiarium popoſcit, quot ille annos abfuiſſet: διεμειδίασε, *riſit* in ea frequentia & multitudine vir ea dignitate, ætate, ſapientia, nec à nomine illud ſuo, cũ Philoſophus diceretur, alienum eſſe putauit. Quin & Stoici qui duritiem in laude ponebant animíque acerbitatem, à riſu minimè abſtinuerunt. An venit vnquam tibi in mentem Victor ea cogitare, quæ Seneca de ſe profitetur, & ſcripta eſſe voluit ad memoriam ſempiternam? nam Stoicorum Laert l. 4. Senec. l. 2. de ira. Dio Caſſ.

Sen.ep.113. perabſurdas opiniones & flagitia cùm apud ſe reputaret, *Diſſilio*, inquit, *riſu, cùm mihi propono ſolœciſmum animal eſſe* &c. Noli igitur repudiare, quòd à tanto viro vſurpatum vides, & Suet. lætam illam humanitatem Oratoribus inuidere. Tyrannicum eſt riſum prohibere, & Imperatore Caio dignō facinus, qui iuſtitium ſorore ſua demortua ſic indixit, vt ridere capitale foret.

SECT. X. *Duæ cauſæ proferuntur, cur improbandus riſus videatur. Quis ſit riſus philoſophicus.*

Riſus Philoſophicus. SCIO, ait Victor, riſiſſe aliquando Philoſophos, nec ſine cauſa, cùm futiles hominũ ineptias, cùm mores fatuos, cùm ſummã animi leuitatem intuerentur, quod eo modo ſi orator ſapiens & optimo iudicio præditus efficiat, minimè ego quidem repugno. Sic Democritum quem modo nominabas feciſſe conſtat, ſic laternarium illum ſophum homines de die quæritantem, ſic alios claros viros, qui cùm viderent non neminem voluptatibus furenter inhiantem, hunc inſana quadam ambitione pænè cœlo minitantem, alium fortunæ in rota, Ixionis in morem, fœde & miſerabiliter diſcerptum, ridebant ſcilicet hominũ eam ſtultitiam, & humanarum rerum mutabilitatem. Simonides Philoſophus addictus morti ſub Valente Imperatore, adoleſcens vita ſeueriſſimus & nobili cõ- Ammian. l. 26. ſtantia, *Vitam vt dominam fugitans rabidam, ridens ſubitas momentorum ruinas ducebatur ad mortem*, ait Ammianus. Sultanus captus olim fuit à Rege Franciæ, & longiſſimo temporis interuallo habitus in cuſtodia, quem nulla Regis optimi ſingularis beneuolentiæ indicia, nulla procerum hilaritas, non varietas multiplicium voluptatum, quæ quotidie largè affluebãt, ad riſum animíque lætitiam impellere potuerunt. Cùm id omnes vehementiſſimè ſuſpicerent, euenit aliquando, vt oculos in publicam viam intendens, poſt duos tandem annos maximum riſum ederet. Purpurati eueſtigiò ad Regem, captiuum riſiſſe nunciant, gaudet ille, iubet aduocari hominem, cau- Zonaras t.3 ſam rogat. Vidi, ait Sultanus, rotas in via in orbem agitatas, & incidit menti cogitatio expreſſam illam eſſe fortunæ imaginem: quoſdam enim affligi ad terram atque deprimi, modò attolli

attolli, ſubliméſque fieri dignitate & potentia, iterum labi &
humi corruere, iterum fortunę beneficio erigi. Non potui
non riſu proſequi vagam & volubilem & inconſtantiſſimam
vitæ humanæ temeritatem. Prudens ſanè barbari hominis a-
croama, riſus omnium approbatione digniſſimus, qualem O-
rator vt paulò antè aiebam, ſi ita velit, poteſt exprimere, ad
pungendam hominum leuitatem, & humanæ mentis imbe-
cillitatem illudendam. Sed hominem ſeriis in rebus explican-
dis occupatum, geſtienti efferri lætitia, & in riſum effundi,
pauci opinor ſapientes approbauerunt.

Et ne fortè tibi hoc nouum & admirabile, Iuuenti, videa-
tur, doctiſſimi homines eum riſum duplici è cauſa manare di-
xerunt, ſcilicet *vecordia* & *impudica impudicitia*, & has duas a- *Duplex*
nimi labes haud obſcurè ſignificare. Quid frontem ducis? an *cauſa riſus*
imprimis inſaniam negabis riſus opificem? Nec te illud tuus *leuioris &*
Iſocrates docere potuit, cuius dicta aurea ſæpè audientibus *improbati.*
nobis recitauiſti? Quid igitur ille dicit? audi oraculum, προ-
πετὴς γέλως μανικὸν, *effuſior riſus vecordium eſt & inſanorum.*
Hinc αἰάντειος γέλως in commune prouerbium abiit, cuius
notus in theatro furor & amentia. Hinc voluptatum amato-
res dicuntur elegantiſſimè à Seneca, *hilarem inſaniam inſanire,* Senec. l. de
ac per riſum furere. Et alio loco, *Improbum,* inquit, *riſus, inſa-* beat. vit.
num vultus habitúſque demonſtrant. Hinc illuſi populorum om- Id. ep. 52.
nium conuicio Tirynthij, petulantes, φιλογέλωτες, leuiculi, qui
ne quidem id ſacrificium quod ad riſum amoliendum inſti-
tuebant, ſine riſu perficere potuerunt. Et ne tibi ſit leuior eo-
rum hominum quos nominaui autoritas, eſt effatum Sapientis
diuinitus afflati quod diuinis in Commentariis ponitur his ver-
bis, *Riſum reputaui errorem,* quod Hieronymus doctus & intel- Eccleſ. 2.
ligens & imprimis ſacro ſtudio eruditus ita vertit, *Riſui dixi
amentiam,* cùm diuina mens ſignificare vellet, ab inſania riſum,
vt ex fonte atque origine manare.

Iam verò aliam quoque habere cauſam nimirum impudici- *Ex impu-*
tiam ita notum eſt, vt à docto ſcientéque literarum dubitari *dicitia pro-*
nequeat. Nam propterea is qui nobis ſua in poëſi, vt diuiniſſi- *cax riſus.*
mo in peplo rerum omnium naturam inſigniuit Homerus, φι-
λογέλωτας procos nominat, pudicitiæ fœminæ lectiſſimæ inſi-
diantes.

G

Odyſ. ϭ. ——αὐτὰρ μνηςῆρες ἀγαυοὶ

Χεῖρας ἀναχόμενοι γέλῳ ἔκθανον.

Cupido ipſe nequitiæ dux & indomitæ libidinis auctor ridens pingitur: ſapienter quidem in eo effigiando Calliſtratus *ἐγαυροῦτο δὲ εἰς γέλωτα ἔμπυρόν τι καὶ μείλιχον ἐξ ὀμμάτων διαυγάζων, iactabat ſe profuſus in riſum, ignitum quiddam & mellitum ex oculis irradians,* & de eodem antiquus poëta,

apud Suid. ——λαμυροῖς ὄμμασι πύκνα γελᾷ.

Lætis oculis ridet aſſiduè.

Plutarch. Quare Poſthumia διὰ τὸ γελᾶν προχειρότερον, *quod ſe lubens in riſum effunderet*, malè audiit vt laſciuiens & impudica, fama omnium ciuium & opinione, vt Plutarchus ait. Diuinè proinde more ſuo Nazianzenus, *meretricium* appellat riſum, cúmque monet remis, quod aiunt, atque velis eſſe fugiendum, ſic enim apis illa ſuauiter ſonans concinnuit.

Greg. tetraſt. 20. Γέλως γέλωτος εὖ φρονοῦσιν ἄξιος

Μάλιςα μὲν πᾶς, τὸ πλέον δ᾽ ὁ πορνικός.

Vide, Iuuenti, quid vir tantus pronunciet, ait enim riſum omnem apud ſapientes riſu dignum exiſtimari, ſed præſertim meretricium & procacem. Itaque non debes optare vehementius, vt orator, quem honeſtum & perfectum eſſe cupimus, libidinis aut væcordiæ ſuſpicionem auditoribus ſuis relinquat.

Pergis Victor, inquit Iuuentius, nobis illudere, quaſi nos cinædum ad dicendum velimus inducere: tu profectò qui riſum omnem exterminas, mortuum inducis oratorem atque Suidas. laruam, vmbrarum de gente quaſi cum Theſeo ab inferis redeuntem: Lemures enim quos ſub terris Proſerpina moderatur, communi olim ſapientum omnium iudicio dicti fuerunt ἀμείδητοι, *riſus expertes.* Contra verò cœleſtes Genios feliciſſima Numina, Iouem, Mineruam, Apollinem, alióſque, ſapiens Homerus, quandoquidem eum etiam audiendum putas, delibutos gaudio & ridentes effinxit, vt Plato etiam animaduertit.

Lemures ἀμείδητοι.

πολιτ. γ.

Iliad. α. Ἄσβεςος δ᾽ ἄρ᾽ ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσι.

Inextinguibilis riſus Diis concitatus eſt.

Quare non deſinam tibi accinere quod vir magnus Philoſopho nimium auſtero & ſeueritudine caperato, θῦε ταῖς χάρισι,

lita Gratiis, etiam & Muſis, quas bonus & intelligens poëta φιλομειδεῖς nominauit. Sed ne rapi ſtudio contentionis videar hic ſilebo, atque in iis quæ dicentur ab Honorato lubens acquieſcam.

Definitur & terminatur inſtituta quæſtio. Riſus oratoris non debet eſſe latiſsimus, Syncruſius, tamque effuſus vt orario ſit opus: non Ionius, effœminatior, χειμώπομα: ſed lenis, concinnus, atque μειδίαμα. SECTIO. XI.

VELIM potius, ait Honoratus, in ipſa honeſtate, quàm in meis verbis acquieſcas, & perfacilis meo quidem iudicio via mihi oſtenditur, ad vtriuſque opinionem conciliandam, & veluti moderandam. Nam vterque mihi σοφιστικῶς agere viſus, dum ſibi nimis ſumit ad probandum, & riſum omnem hic admittit, ille repudiat. Hoc imprimis cùm ſerio, Victor, ages, (nam te puto exercendi potius cauſa ingenij, quàm ſtabiliendæ veritatis hæc diſſeruiſſe) hoc, inquam, mihi dabis & concedes, riſum aliquem eſſe poſſe in oratore minimè reprehendendum, ſed nonnunquam vtilem & opportunum, quem à magnis præſtantibúſque viris adhibitum fuiſſe videmus. Hinc de riſu oratoris atque facetiis, doctæ & copioſæ τεχνιτῶν Rhetoricorum diſputationes, è quibus florem ipſum libauit M. Tullius 2. de Oratore. Qui cùm omnes in dicendo numeros, atque omnem iudicij perfectionem, diuinitus conſequutus fuiſſet, in Curia tamen, in purpuratorum patrum conſeſſu, atque illo orbis terræ conſilio, *valde aliquando riſit*, vt prodit Agellius, atque oris hilaritate atque lætitia, facinoris ſui inuidiam imminuit. Sed qualis eſſe debeat ille riſus, ego breuiter atque dilucidè, quoniam ita vultis, explicabo. Agell. l. 2. c. 12.

Duo genera eſſe video riſus inopportuna dicenti, à quibus nobiles & laudati cauſarum actores vehementiſſimè abhorruerunt. Quidam enim vaſtè & inconditè & pleniori quodam ore effunditur: Græci πλατὺν γέλωτα vocant, ſcitè Apuleius verbum ex verbo dixit *latiſsimum*, *Riſu*, inquit, *latiſsimo aduſque inteſtinorum dolorem redactus*, *Duo genera riſus vitanda Oratori.* Apul. l. 10. metamor.

Perſ.ſat.5. & paulò pòſt, *liberalem cachinnum*; Perſius *craſſum ridere*, Veronenſis poëta *ridere catuli ore Gallicani*. Conſimili elegantia Catull. ep. 39. facundus Præſul Nyſſenus Gregorius κατασυρεῖν πρὸς τὸν γέλωτα. Alio quodam modo riſum eundem Græci nominant Nyſſ. cont. Eunom. συγκρούσιον, quo vehementius corpus ipſum agitatur, Suidas eum definit *immodeſtum qui ſit cum plauſu pedum & manuum*; Cornu- Cornut. ad Perſ. tus *riſum laſciniorem cum voce* interpretatur, & μωρογέλωτα etiã vocari dicit. Latini Syncruſium illum *quatientem* nominant, quem poëtæ Græculis attribuunt, quorum natio peridonea aſſentationi: ita enim Iuuenalis.

Natio comœda eſt. rides? maiore cachinno
Concutitur.

Eò reſpicit Horatianum illud,

ep.2. l.2. ——*riſu populum quatit.*

Fab.l.6 c.3. Sed elegantiſſimè Fabius Quintilianus expreſſit lib.6. *Erumpit*, inquit, *inuitis ſæpe, nec fultus ope; nec vultus modo ac vocis exprimit confeſſionem, ſed totũ corpus vi ſua concutit.* Iſocrates προπετῆ ad Demonic. vocat *effrænatum & immodeſtum*, Libanius λαμπρότερον, *clarè ſonantem*, Liban. declam 8. de lauto enim inſolentium hominum conuiuio, ἀεισῶσιν, inquit, σὺν λαμπροτέρῳ τῷ γέλωτι: Plato ἐξαίσιον, *profuſum* Plat. 5. de leg. *& intempeſtiuum*, cui opponit εὐσχημονεῖν *decori habitus modeſtiam*: alias nominat ἰσχυρὸν, ab eóque ait fieri in corpore ἰσχυρὰν μεταβολὴν, *vehementem quandam mutationem*. S.Baſilius de eodem dixit ἐγκαγχάζειν τῇ φωνῇ καὶ ἀναβράζεσθαι τὸ σῶμα, *prorumpere in effuſiſſimos riſus & corpore omni concuti*. Hoc genus importunæ lætitiæ atque riſus, non eſt dubium quin ſummo ſtudio vitari oporteat, niſi quis ſe illudendum velit obiicere: nam dici non poteſt quantum incommodet orationi & bonam auditorum opinionem infringat, beneuolentiam extenuet. Claudius Cæſar cum magno hominum cœtu aduocato publicè declamitaret, atque ex fracto vnius ſubſellio læta corona obſtrepuiſſet, ipſe primùm maximos riſus edidit, & ſubinde etiam cachinnos reuocauit: itaque Suetonio teſte *refrigeratus ipſe à ſemetipſo eſt*: ardor ipſe in dicendo, atque alacritas & ſtudium Suet. in Claud.c.41 audiendi defecit. Et ſanè turpe videri debet atque inepti hominis indicium, ſi orator tam profuſus, tam non compos ſui foret, vt ad riſum cohibendum, veſtis ad os admouenda, aut linteolum eſſe videretur. Mimicum id eſt, ab eo quem perfe-

ctum & ſpectandum ſine cuiuſquam reprehenſione eſſe volu-
mus, repudiandum, quem geſtum adulatorum fuiſſe pro-
prium eruditi homines tradiderunt. Ita enim in Characteri- Theophr.
bus ſuis is qui à diuinitate loquendi nomen habuit, τότε ἱμά- περὶ κολακ.
τιον ὦσαι εἰς τὸ στόμα ὡς δὴ οὐ δυνάμενος κατασχεῖν τὸν γέλωτα,
veſtémque ad eos admouebit, quaſi riſum tenere non queat. Et
tamen ſi erumperet inuitis, quod nonnunquam fieri poſſe
monet Quintilianus, ſi forte caſu, quidpiam ridiculum obiice-
retur, in quo cœtus omnis audientium rideret, ſi non ſatis ſibi
moderari poſſet orator; commodum eſſet meo iudicio & ab
honeſtate minimè alienum, tum orario tantiſper os contege-
re, donec impetus ille deferueſcat, & ſubitos illos motus te-
meritatis prudentia conſilióque temperet. Dixi de primo
genere.

Eſt alius quidam riſus laſciuiam redolens & flagitioſi animi 2. *genus Oratori vitandum.*
teneritudinem, mulierum proprius mollitie fluentium, ne-
que ſatis pudicarum, quem modeſtiæ amantes viri æquè fuge-
re, atque haud ſcio an etiam vehementius debent. Ionium
Græci nominant, πορνικὸν, ἄτακτον, ἁπαλὸν, quemadmodum
Vlyſſes apud diuinum poëtam, vinum ait impellere hominem
ἁπαλὸν γελάσαι. Et Lucianus Rhetorem pingens qui laſciuiat, Odyſſ. 14.
effœminatè, indecorè, muliebriter agat, καὶ ὑπομειδιᾶ[illegible]γλα- Lucian. in
φυρὸν ἐκεῖνο καὶ ἁπαλὸν, οἷον εἴωθε, *ſubridens iucundũ illud molli & te-* Rhet. præc.
nerum vt aſſueuit. Eundem Clemens Alexandrinus appellauit Clem. Alexandr.
κιχλισμὸν, & omni copia orationis à Chriſtianorum hominum
cœtu amoliendum contendit: Macedonius poëta Græcus
ſcienter & feſtiuè χρεμέτισμα, *hinnitum*, quem præuium eſſe
ait nuptiarum.

Κιχλίζεις, χρεμέτισμα γάμου προκέλευθον ἱεῖσα. Anthol. l. 7.

Sancti Patres ridendi hoc genus omnino abiudicauerunt, vt
non ſatis cõgruens modeſtiæ & pudori. Eloquentiſſimus Chry- l. quod regul. fœm.
ſoſtomus cùm minùs caſtas, potius libidinoſas mulierculas
deſcribit, γελῶσιν ἀτάκτως, *intempeſtiuè*, inquit, *rident*, quod
luxuriem arguit. Alias autem Virgines inſtituens ad omnem l. de Virginit.
caſti animi verecundiam, monet μὴ διαχεῖσθαι τῷ γέλωτι, ἀλλὰ
μηδὲ ἠρέμα μειδιᾷν, ἀλλ' ἐπισκύνιον αἰδέσιμον ἀεὶ καὶ αὐστηρὸν ἐπι-
δείκνυσθαι, *ne riſu diffluant, imo ne leuiter quidem rideant, ſed
graue ſemper & auſterum ſupercilium repreſentent.* Quæ cauſa

l. 1. offic. c. 23. fuit cur D. Ambroſius ſuauia ioca repudiaret, ne fortè mens in laſciuiam vt in aliquem libidinis ſcopulum incurreret.

Hæc igitur ridendi genera, noſter ille orator gloriam & decus in loco dicendi ampliſſimo contuens pro virili parte fugiat, habeat in vultu epiſcynium grauitatis, non adhinniat voluptati atque luxuriæ, non ſit denique petulanti ſplene cachinno. S. Chryſoſtom. l. 3. de Sacerd. S. Ioan. Chryſoſtomus ait omnes vulgo in Epiſcopum oculos intendere, & excutere diligenter eius vocis in dicendo menſuram, oris compoſitionem, καὶ ποσότητα γέλωτος; *& riſus quantitatem.* De ſe idem fieri ab audientibus Orator putet. Cùm res & cauſa poſtulat, in lætiſſima re explicanda, in minuenda auditorum ſatietate, in illudendis nonnunquam inimicis ioco eleganti & honeſto, in noua quadam excitanda audientia, ſic riſu vtetur, vt ab æquo rerum æſtimatore accuſari non poſſit.

Qualis in dicente riſus probatur. Is autem qualis eſſe debeat, nunc eodem orationis curſu dicendum.

Eſt qui peruerſo diſtorqueat ora cachinno,

l. 3. Nequit. ait Ouidius. & paulò pòſt,

Ille ſonat raucum quiddam atque inamabile ridet,
Vt rudit à ſcabra turpis aſella mola.

Hæc planè longè abſunt ab ea moderatione quam petimus. Quæ ſequuntur apud eundem poëtam, quamuis ille quidem de honeſtiſſimis viris non loquatur, ſed de grege ſequiori, mihi tamen bellè in Oratorem quadrare videntur,

Sint modici rictus, ſint paruæ vtrinque lacunæ
Et ſummos dentes ima labella tegant.

l. 2. Pædag. c. 5. Deſcribit omnino μειδίαμα, quod diuinus quoque Pædagogus apud Alexandrinum Clementem vel Chriſtianis hominibus concedit. Eſt autem vt eo loco ponitur μειδίαμα vultus vt aureæ teſtudinis modulata & concinna remiſſio, lenis videlicet riſus atque moderatus, in quo pudor modeſtiáque eluceat, decorus quidam gelaſinus, lætitiæ hilaritatiſque ſignificatio. Hunc riſum adhibuere ſapientes & tui illi, Victor, Philoſophi, quos nunquam paulò antè aiebas riſiſſe. Aelianus 4. ποικιλ. ἱστρ. c. 9. Platonem quidem in more poſitum habuiſſe ἠρέμα ὑπομειδιᾷν, *leniter ſubridere* memorat Aelianus. Ab hoc riſu abeſt ſonitus & nimia oris diſtorſio, adeſt decor, Venus

Digitized by Google

& gratia, quæ capit intuentium oculos & ſuauiſſimè oblectat. Memini Ariſtidis cuius diuinum atque incredibile genus orationis admirationi olim fuit; is Apellam ſingulari iudicio commendans, οὐκοῦν, inquit, οὔτε ἐμειδίασε ἄλλος, σὺν ἀφροδίτῃ τοσαύτῃ, οὔτε μὴν ἔστησεν ἐρυθρήματι κινούμενον ἤδη τὸν γέλωτα. *Itaque nemo tanta cum venuſtate, nec riſit, nec orientem riſum rubore compeſcuit.* Sic ridet ipſa virtus cùm hilareſcit, cui Philoſophus & Orator Themiſtius excogitata prudentia, μειδίαμα ἑστηκὸς, καὶ οὐ μεταστρεπόμενον, id eſt, *conſtantem & non mutabilem riſum* tribuit. Quare videmus diuiniſſimos homines, quorum pietas atque religio ſumma laude & annuis honoribus conſecrata eſt, ob hoc decus atque oris honeſtatem præconio celebratos, & Græcis Latiniſque literis ornatos fuiſſe. Gregorius Nyſſenus Meletium Epiſcopum Antiochenum virum ſanctiſſimum, nota ſua mirabilique facundia prædicans, ait illum τὸ φαιδρὸν ἐπὶ τοῦ χείλους μειδίαμα, *iucundum & venuſtum in labiis riſum* habuiſſe. Nepotiani vitam atque mores grauitate ſua cohoneſtans magnus Hieronymus, *Grauitatem*, inquit, *morum hilaritate frontis temperabat, gaudium in riſu non cachinnum intelligeres.* Hos ergo imitetur Orator, ad horum ſe conſilium prudentiámque accommodet, in riſu lætitiáque moderanda in iis viris tanquam in ſpeculo, illud τὸ πρέπον, illud *Aptum* quod oculi ménſque in omnibus rebus quærunt intueatur. Sed tempus iam eſt, vt alia, quæ ad os Oratoris pertinent, vel ab eo manare in dicendo poſſunt, pro inſtituti ratione conſideremus.

Ariſtid.to.1 *Riſus Sanctorum.* Hieron.ep. 3.

SECTIO XII.

Ne ſcreator ſputatórque ſit orator. ἐκπλύσαι τὸν λόγον. πλατὺ χρέμψασθαι. In templis olim & theatris prohibitum ſpuere.

MONEO imprimis connitendum eſſe oratori, vt ne ſputatilicam habuiſſe orationẽ videatur. Hic non vereor ne vt quidam apud M. Tullium, vos circumueniri exclametis in hac

verbi nouitate: volo dicere quàm minimum oratori ſpuendum eſſe in dicendo, quod multò antè prouidere debet, & quantum fieri conſilio poteſt, induſtriáque prohibere. Sunt enim quidam ita cibi & potionis intemperantia madidi, ita humoris abundantia pleni & diſtenti, vel naturæ imbecillitate laborantes, vt tria verba vix eloqui poſſint quin excreent. Hoc ego dixerim eſſe propriè ἐκπλύσαι τὸν λόγον, & κατασιελίζειν τὸν λόγον, quę Nyſſenus Antiſtes vir eloquentiſſimus de Eunomio dicit aliquoties, cùm eum quidlibet imprudenter aut impudenter effutire ſignificare vellet orationem expuentem: qui ſermonis aculeus verendum eſt ne merito in dicentem coniiciatur ſputo redundantem. Velim igitur vt qui vnus multis audientibus verba eſt facturus, hoc iure ſuo prædicare de ſe poſſit, quod Periplectomenes apud Comicum in Milite glorioſo.

Greg Nyſſ. lib. 3. cont. Euno.

Plaut. ſc. Cohibet. *Minime ſputator & ſcreator ſum, itidem minime mucidus.*

Vitioſa hic ponit duo ab honeſti hominis dignitate aliena. Nã

Lambin in Plaut. *ſcreare* vt doctiſſimi viri animaduertunt, eſt pituitam quæ defluxit in fauces cum valido ſonitu extractam mittere, *ſputare* verò ſeu ſpuere, eſt ſaliuam in os delapſam ſine ſonitu aut certe exili labiorum ſono emittere. Vtrumque fœdum, maximè iteratum & frequens, vtrumque indecorum & importunum in corona ſapientum, ſed præſertim πλατὺ χρέμψασθαι, vt loquitur Lucianus in Cataplo, hoc eſt validè & ore fœdo exſcreare. Itaque illi omnes qui laudẽ & claram nominis exiſtimationem obtinere in dicendo voluerunt, ita vitam inſtituere ſuam, vt vix vnquam, aut rarius ſane expuerent. Antiquitatis ſcriptores inter laudes Conſtantij Imperatoris reponunt, *quod nec ſpuiſſe aliquando ſit viſus, neque nares in publico exterſiſſe:* quod voluptatum ſtudioſa moderatione & temperantia conſecutum volunt. Iulianus παραβάτης cùm vndique laudem & gloriolam aucuparetur, ita fuit temperantiæ ſtudioſus, atque omnes vitæ voluptates ſic edomitas habere voluit, vt illa etiam quæ naturæ comitantur, *ructus & ſputa*, ſumma cura & animi prouiſione vitaret: dicebat enim *Philoſopho ſi fieri poſſet, ne reſpirandum quidam eſſe.*

Lucian. in Catapl.

Ammian. Marcel. l. 21

Zonar. to. 3.

Hanc oris turpitudinem ſiue morbũ, iis oculis quibus communem honeſtatem, plurimæ nationes viderunt. In Perſide iam

iam inde à Cyro cuius incredibilem animi vim, ingenium, pru-
dentiam fuiſſe conſtat, ἀποπτύειν καὶ τὰ ἀπομύττεσθαι καὶ τὸ φύσης
μεστοὺς φαίνεσθαι, *expuere & emungi & flatu refertos eſſe* αἰσχρὸν fuiſ-
ſe, melleus in dicendo ait Xenophon. Ea gratia vulgò ad ci- l.1. Cyropæd.
bos atque ſobriam menſam naſturtium adhibebant, quod vri-
nam & ſputum inhibere ſolitum prodit Suidas. Fuítque illa Suid. in καρδαμ.
vitæ inſtitutio tam publica, tam communis omnium & fami-
liaris, vt ſeruis conuiuiorum adminiſtris, & adſtantibus
officij cauſa *ſpuere non licuerit, quam ob cauſam roſtratis pellibus* Ammian. l.23.
labra omnium vinciebantur, quod me docuit Ammianus. Et
quidem præter ipſam rei deformitatem & impuræ cuiuſdam
intemperantiæ ſuſpicionem, incredibile dictu eſt, quantum id
honeſto auditori faſtidium offenſionémque procreet. Pluri-
mi ſunt enim quibus moleſtiſſimum eſt, ſi quis in graui & ela-
borata diſputatione excreet aut tuſſiat, præſertim cùm vel at-
tentiſſimè audiunt, vel ipſo flumine orationis perenni veluti
ſuauitate capiuntur, moroſo illi non diſſimiles, quem elegan-
ter pinxit Libanius ſummus vir in dicendo. Aiebat enim tole- Liban. Declam.6.
rare ſe nullo modo poſſe οὔτε χρεμπτόμενον, οὔτε βηχὶ κατεχό-
μενον, *vel exſcreantem, vel tuſsi laborantem.* Quibus hominibus
minimè dubium mihi eſt, quin ingratum & iniucundum ſit
futurum, ſi pro dulci aureóque illo melle, quod Poëtæ à fa-
cundis hominibus manare aiunt, Orator ex putri & penitiſſi-
mo pectore graueolentem mephitim expuat. Imò verò quaſi
liquida voluptate ſpoliati qua in audiendo fruebantur, dicen-
tem forte tacito conuicio apud ſe ferient, & vt agreſtem, puti-
dum, & inurbanum accuſabunt.

Abſtineat igitur actor quantum prudentiæ valetudiniſque
ratio patietur à ſputando, & ne quidem in male ominatis re-
bus ſignificandis, vt in ſcena & theatro fieri ſolet, deſpuat, vt ſi
morbum comitialem nominet, ſi labes hominum & ſordes, ſi
odioſiſſima quædam alia, quæ nauſeam honeſtiſſimo cuique
pariunt. In morbo enim Herculeo morem fuiſſe illum acce-
pimus, vti palam inſputaretur: hinc Plautinus Ariſtophontes in Captiu.
adoleſcens dicti contumelia punctus,

-----ain' verbero

Eum morbum mihi eſſe, vt qui me opus ſit inſputarier.

Cùm dicturus in pulpitum aſcendet, quaſi in templum religio-

ſiſſimum & theatrum eruditionis venire ſe opinetur, & anti-
in Epict. l. 4. c. 11. quæ legi ſiue conſuetudini pareat. *In templis*, ait Arrianus, πλύσαι οὐ νενόμισται οὐδὲ ἀπομύξασθαι, *excreare aut mungere nefas.* Id ſanctiùs & religioſiùs obſeruatum, olim à Chriſtianis, quorum ea pietas fuit in templis & veneratio, μὴ καταπτυσθῆναι θεῖον ἔδαφος; *non expuere in diuinum pauimentum*, quam religionem
G. Naz. or. 19. in matre ſua Nonna Gregorius Nazianzenus prædicat. Sic
Tacit. l. 16. Tacitus ſcribit Nerone͂ Imperatorem citharæ legibus obtemperantem, in theatrum ita venire ſolitum, *vt nulla oris aut narium excrementa viſerentur.*

Quod ſi tamen naturæ neceſſitas, aut inualetudo humoris copiam euocaret, tum dicentis fuerit modeſtiæ & pudoris conſiderataque prudentiæ, obiecta honeſtè manu, aut ſudariolo, intuentium oculis & faſtidio conſulere, ne quid minus honeſtum appareat.

SECTIO XIII.

Deſpuere alios aut in ſinum proprium in dicendo turpe. Σιάλοχοι. *Antimachus* ψακάς. *Qui olim dicebantur* εἰς κόλπον πτύειν.

SED cauere opere maximo & ſtudioſiſſimè debent, qui ſublimi è ſuggeſto dicunt, vel etiam è ſubſelliis ne ſuos auditores deſpuant, & ſaliua aſpergant. Vidi enim qui hoc aliquando facerent, ſeu labentis humoris copia, ſiue oris vitio, ſiue alia cauſa non bona nec honeſta. Σιαλόχεις eiuſmodi homines o-
Heſychius. lim indigitarunt, ita enim Heſychius, σιαλόχους, τοὺς προσεχίοντας σίαλον ἐν τῷ προσδιαλέγεσθαι, *qui ſaliua alios differendo conſpergunt.* Sed eum rorem minimè καθάρσιον, & id genus imbris odorari, qui habent cum humanitate commercium, omnino repudiant & aſpernantur; neque debet expectare orator, vt parem cum Dionyſio auctoritatem habeat in eos qui audiunt. Nam cùm ſputator in loquendo eſſet ille tyrannus, & tanquam ὑετὸς Iuppiter humorem ſpargeret, aſſentatores quos
Athen. l. 6. Dionyſocolacas nominabant, ſputo faciem conſpergendam illi obiiciebant, quæque ex ore ille emiſiſſet, melle aiebant dulciora videri. Id quàm ſit fœdum & abhorrens à docti ho-

Digitized by Google

minis inſtitutione, tum experientia, tum effatis hominum ſapientum poteſt intelligi. Magnus certè vir Theophraſtus inter Theophr. ſigna δυσχερείας & fœditatis, προσπτύσαι τοῖς ἄλλοις ponit, *cæteros deſpuere*, & ἀποῤῥίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος. Id vitium Antimacho nomen peperit vt ψακὰς diceretur, ἐπειδὴ προσέῤῥαινε τοὺς συνομιλοῦντας διαλεγόμενος, vt feſtiui Poëtæ ſcholiaſtes Ariſtoph. ſcholiaſt. notauit, id eſt, *quod eos cum quibus loqueretur ſputo & ſaliua conſpergeret*. Quod nomen dedecoris & infamiæ prope adhæſit magno alioqui & callido in agendo Æſchini, quem inſimulans illudénſque princeps Demoſthenes aiebat διαπτύειν τοὺς ἅπαντας, *omnes inſputare*. Id Ariſtides elegantiſſimo quondam & magnanimo ioco nominabat *improbè oſcitare*. Nam cùm ille diuina & ſingulari virtute vir ſpecimén que iuſtitiæ per teſtulam Athenis emitteretur, in ipſa vrbe petulans quidam & impuri oris adoleſcens illum conſpuit. Ariſtides fœdo contumeliæ genere nihilo commotior, cùm linteolo ſputum amouiſſet ad Magiſtratum, in cuius tum erat comitatu hoc tantum, *Admone*, inquit, *iſtum, ne poſtea tam improbè oſcitet*. Abſit verò vt Senec. Cõſol. ad Hel. iſthæc monitio neceſſaria oratori noſtro videatur, qui ſi minus mihi auſcultat, quid eximius Rhetor Quintilianus in præceptis ſuis poſuerit, audire poteſt, nam *expuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humoris proximos ſpargere*, vitia eſſe putat inficeto & ruſticano ingenio digna. Fab. l. 11. c. 3

Sed quo in loco illos ponemus, qui non modò irrigant proximos, verùm etiam & in ſinum deſpuunt ſuum, ſic vt manu identidem aut ſudario tergere ſit neceſſe? an dicemus quod de Socrate ille apud diuinum Platonem, opus adhuc videri eſſe nutrice, quæ puellum emungat, quæ lineum amiculum properè ad pectus accommodet, ne tunicula maculetur? Id proprium eſt ſuperbientium garrulorum, qui in fœda ſui prædicatione aliiſque nugis, cum ſermone ſputum & ſaliuam eiiciunt, quos eleganter à re ipſa Galli noſtri vocant *Bauardos*, more opinor Græciæ, vbi dicitur εἰς κόλπον πτύειν, *in ſinum ſpuere*, ἐπὶ τῶν μεγαλαύχων, *in glorioſos nugatores*, vt monet Diogenianus. Diluit eam maculam mordaci aceto Iuuenalis. Diogenia.

Tunc immenſa caui ſpirant mendacia folles, Iuuenal.
Conſpuitúrque ſinus.

S.Gregor. Nyſſen.l. 12. contr. Eunom.

& ſanctiſſimus Gregorius Nyſſenus Eunomium arguens, qui ore inceſto multa inſolenter & impiè blaterabat, An non tibi, inquit, ſoluta eſt mollis ſophiſmatis complexio? *ἆρα συνῆκας τοῖς ἰδίοις κόλποις ἐνσιελίσας; non ſentis te in proprios ſinus deſpuere?* Et quidem erudito in conſeſſu nemo opinor æquo animo ferat Oratorem, qui hoc geſtu vtatur, & ne quidem ſi torpeat in dicendo: nam video dicere Plinium, *torporem ſedari quocumque membro inſtupente, ſi quis in ſinum expuat.* Imò eſſet verendum, ne faceti vrbaníque homines ſuos in ſinus tum etiã ſpuere inciperent, ad illudendam fœdi oratoris turpitudinem, & indecoram pronunciationem. Nam fieri olim id conſuetum in irridendo, Poëta ſignificat, cùm de vetulo amatore loquitur.

Cur antiqui in ſinũ ſpuerent.

Plin.l.28.c. 43.

Tibull.l. 1.

Hunc puer, hunc iuuenis turba circunſtetit arcta,
Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.

Ferri id quidem & diſſimulari aliqua ratione poſſet, ſi priſcorum vana ſuperſtitio leuitáſque etiamnum vigeret, qua in ſumma fortunæ claritate, rebúſque ex animi ſententia fluentibus, ad inuidiam amoliendam placandámque Nemeſin, ſpuere in ſinus conſueuerunt. Hinc Lucianus quem doctus lepos & feſtiuitas orationis commendat, vrbaniſſimè Adimantum monet, εἰς κόλπον πτύειν, quod propter domus elegantiam & aſſectantium copiam & multitudinem, aliáque fortunæ aureæ dona, efferretur, tumidúſque incederet. Sic fortè non nemini veniret in mentem præſtanti hominum exiſtimatione florenti & gloria, qui dicendi genus adferret pictum & plauſibile, in quo omnes verborum eſſent, omnes ſententiarum illigati lepores, qui vt Sophiſtæ quondam venuſta & elaborata varietate in audientibus θάμβος excitaret, tum videri commodum, ad inuidiam quæ è ſumma laude oriri ſolet minuendam & auerruncandam, luſtralem ſaliuam adhibere. Sed quoniam illa inanis ſuperſtitioſorum hominum religio, aniléſque nugæ exoleuerunt, nullam cauſam video, quæ dicentem excuſet, qui in agendo ſe aut alios deſpuat.

Lucian: Εὐχαῖς.

Themiſt. or 1.

Digitized by Google

Tuſsire crebrò, aut cum ſaliuæ ſparſione; importunum. Tuſsis φάρμακον. Eſt nonnunquam index ἀπορίας. In quibus diſsimuletur. Spumas ore agere, aut luxus, aut furioſæ iracundiæ ſpecimen. SECTIO XIV.

QVOD de ſpuendo iaciendóque humore dixi, id in tuſſim pari quoque ratione conuenit: ſunt enim vitia illa duo eodem iugo deuincta, eodem carbone notata, repudiata ex æquo à doctiſſimis, qui momentis quæque ſuis & iudicio ponderant. Magnus dicēdi magiſter Quintilianus, cùm vitia oris perſequitur, *Iam*, inquit, *tuſsire & expuere crebro*, &c. Atque in hoc fugiendo eo maiorem adhibendam induſtriam Oratori puto, quod qui tuſſiunt, ſæpè etiam rorem illum inamœnum aſpergant, de quo modò loquebamur, inſtar Næuiæ, de qua in Epigrammatis, (Fab. l. 11. c. 3.)

---acerbum Næuia tuſsit, (Martial. l. 2.)
Inque ſuos mittit ſputa ſubinde ſinus.

Cui ſimilis ille neſcio quis apud alium Poëtam,

Cum tuſsi miſer expuo ſaliuam. (in Catalect.)

Si quid verò huiuſmodi eueniat necopinanti Oratori, debet omninò prouidere, ne quid vel ipſe indecorè faciat, vel cæteri ab illo patiantur. Sed nonnulli reperiuntur, qui nullo coacti morbo, aut neceſſitate inuitati, ſed imbuti mala conſuetudine tuſſiunt. Quoſdam ego notaui aliquando, qui opinor, vt explerent interualla reſpirationum, quæ Rhetores ἀναπαύσεις dicunt, tuſſiebant ad ſingula propè membra orationis, non ſine graui audientium faſtidio & offenſione. Quidam etiam priuſquam loqui incipiant, in ea mora qua parantur audientium animi ad auſcultandum, tenui & arguta & muliebri omnino voce tuſſiunt ſine cauſa. Quod feciſſe olim Demoſthenem eruditiſſimi viri monent, Ἔβηττε δὲ, καὶ κεφαλὴν ὑπέκνηθε τὸ πρῶτον, ait Tzetzes, *Tuſsiebat autem, & caput ſcabebat in principio.* Alij totius corporis commotione vehemētius latrant & baubantur, raucum ingeminantes, & muſica ἀμούσῳ aures (Tzet. Chiliad. 6.)

omnium obtundentes. Quos neſcio an æquo animo dicentes audire queatis, ego ſanè quoties in eos incidi, toties radi & peruelli aures mihi exiſtimaui.

Non ſolus in eo faſtidio es, ait Iuuentius, Honorate, impatientiùs ferre id conſueui atque moleſtiùs: & quoſdam eò tuſſire voluiſſe puto, vt ſcutellam dulciculæ potionis capiant melleáſque placentas, quemadmodum in Parthenopeum luſit venuſtiſſimus Martialis, cui medicus

l. 11. ep. 87. *Mella dari nucleóſque iubet dulcéſque placentas.*

atque alia ſcitamenta dulciariorum ad os leniendum:

At tu non ceſſas totis tuſſire diebus:

Non eſt hæc tuſsis Parthenopae, gula eſt.

Quos homines ſtudiis humanitatis imbutos, mirum eſt, ſi minùs libuit aut licuit excellentium medicorum ſcholas diſputantes excipere, non ſaltem ad Poëtarum cantus admouere aures voluiſſe, ad iſtius vim morbi minuendam. Nam Phrynicus verè opinor illud pronunciauit ἀμυγδάλη τῆς βηχὸς ἀγαθὸν φάρμακον, *Amygdala tuſsis remedium optimum eſt.* Samonicus id etiam bellè & ſapienter, (Athen. l. 2.)

Seren. Sam. c. 18.

Ouum melle teres domitum feruentibus vndis

Marrubiumve potens, hæc faucibus optima ſumes,

Frenabíſque grauem facili medicamine tuſsim.

Hîc Honoratus, Iſtis Iuuenti, non tam medicamenro fuerit opus, quàm iudicio, vt qui ſine inualitudine, vt aiebam, fauces aliquando irritent. Lubens ego ſuaderem, vt non modò politorum hominum ſenſum in ea re exquirant, verùm etiam omnium nationum opinionem, quò fiat vt rem eſſe odioſiſſimam intelligant. Scitis enim apud Romanos ſi quis è familia conuiuij tẽpore tuſſim edidiſſet, verberibus eum accipi ſolitum, quod memini apud Senecã legere. Conuiuator veluti quidam eſt, qui dicit, & vocatos habet ingenuos, qui velut auidam ſitim explere cupientes illius orationem expectent, Sanè ab illo non minùs quã veteri illo famulitio tuſſim abeſſe par eſt, ni velit moleſtiſſimi oris inamœnam illam minuritionem tacito conuicio, & iuſta omnium reprehenſione verberari. Quid quod nonnunquam ſuſpicionem id præbet turbati animi confuſæque memoriæ, ſic vt Orator dictionis ſuæ oblitus videatur? Sic enim euenire vulgò videmus, vt qui à (Senec. ep. 47.)

ſcriptis & à propoſito ſuo excidit, ſubitò ad tuſſim, vt claudus ad canterium confugiat, dum excutit memoriæ ſinum & ſcrutatur. In quem, mea opinione meritò commune illud Græcorum Adagium torqueatur, ἀπορία ψάλτου βήξ, *Tuſsis hæſitationem cantoris arguit*. Ferri id poſſet moleſtiæ genus aliqua ratione in ſenibus, quos Iulius Firmicus genio quodam ſuo *tuſsicos* appellaret, copia etenim pituitæ redundant, quæ perenni ſtillicidio labens, non ſinit eſſe tacitos & quietos, donec tandem ad ſilentum locum abducat. Hinc illa ſunt ingenioſi Poëtæ, Suidas.

Vidi ego rugoſo tuſsim concreſcere collo,
Sputáque per dentes ire cruenta cauos. Propert. l. 4. eleg. 5.

Itaque iſtæ rugæ nonnihil excuſent, vt & pietas quædam ſingularis, atque religio eorum hominum, qui communis vtilitatis cauſa, pias habent conciones ad populum, & ne quidem ægra valetudine à præſtanti illo officio deterrentur. Ætas & virtus in hoc hominum genere perficiunt, vt illa ingrata & odioſiſſima deuoremus. Alij verò quos nulla vrget vehementiùs ad dicendum neceſſitas, magnum Græciæ lumen Demoſthenem imitentur, qui angina malè aliquando affectus à theatro pulpitóque abſtinuit. Non enim video cur tantus orandi pruritus in quoquam eſſe debeat, vt gratis coronæ patientiam tentare, & nauſeam politiſſimis hominibus parere velit.

Iam quod finitimum huic vitio eſt ſpumas ore agere, ne quidem irato, & omnibus neruis orationis in ſæuitiam & ſeueritatem imminenti, moderati opinor viri concedent. Id furioſo per contumeliam tribuit M. Tullius, Actione 6. in Verrem, & Lucianus iracundis Sophiſtis, *Ira*, inquit, *vehementia*, ἀφρῦ μᾶλλον δὲ ἰῦ μεςὸν αὐτοῖς ἢ τὸ ςόμα, *os ſpuma vel potiùs veneno redundabat*. Proprium enim eſt efferueſcentis iracundiæ candidum humorem in os ingerere, quare exiſtit quoque in belluis ignea vi præditis atque ferocia. De apro æſtuante doctiſſimus Nazianzenus, *An deceat ſpumas ore agere.* Lucianus ἐν δραπ. Carm. ad Nicobul.

---γένυς δέ τε βάλλεται ἀφρῷ.
Spuma genæ obducuntur.

Et diuinus Poëta,

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem. Virg 1. Æn

Valet idem in hominibus, quos animi ardor rabiéſque incendit. Eteocles & Polynices ruunt in prœlium, *ἀφρῷ διάβροχοι γενειάδας*, *ſpumis genas & ora perfuſi*, vt ait Euripides in Phœniſſis. Itaque Gellius iracundiæ ſpecimina delineans, eruditè *in ſpumam ruborem dixit efferueſcere*. Nec abs re eſt quod docti viri animaduertunt, ab Hebræis quorum princeps videtur fuiſſe olim ſapientia, *Ceſeph* vocabulo & ſpumam & iram ſignificari. Peritè Auctor ad Heren. *Iſte ſpumans ex ore ſcelus, anhelans crudelitatem*. Et ſanctus Hieronymus, quem bonarum literarum nihil effugit, *Quid prodeſt*, inquit, *ſpumantibus labiis, & latratu garrire canum*, &c. vbi fortè legendum *hirrire*. Videas, inquit ſanctus Baſilius, *τὸν θυμούμενον ἀφρίζοντα*, *elatum iracundia ſpumas in ore agentem*.

S. Hieron. in c. 3. ep. ad Titum.

S. Baſilius hom. 21.

Sed & ſpumæ quoddam genus ab eruditis notatum video, quod mollitiem animi effœminati proderet. Quidam enim vt vegetum os habeant, aliquid dentibus mandunt. Vnde propter elicitum humorem, quandam habent in ore ſpumam teneritudinis indicem, quod laſciuarum olim fuit muliercularum proprium, quæ ciendæ ſaliuæ cauſa, fruſtula quædam fortè rerum dulcium ſæpè dentibus ſuis mandebant, vnde in vdis labellis ſpuma. Alexis Comicus apud Athenæum, *μυῤῥίνης λεπτὸν ὀρθὸν*, *fruſtulum in ore myrteum* vocat. Rem totam Chriſtiana & elegantiſſima muſa reprehendit θεολογώτατος Gregorius, cùm in muliebrem leuitatem inuehitur. Nihil, inquit, tibi venuſtatis ex eo accedit, quod neſcio quid in ore tuo verſes & emollias,

Athen. l. 13.

Greg Naz.

--- ἐκ δ' ἄρ' ὀδόντων
Πέμπειν, ἐκ διερῶν ἀφρὸν ἀπὸ στομάτων.
Quod dentibus humidóque ore ſpumam emittas.

Quomodo id cúmque tandem eueniat, ab eo cenſeo penitus abſtinendum eſſe Oratori.

Suſpirium

Suſpirium morbus aut affectionum indicium. ex mollitie indecorum. quando adhiberi laudabiliter queat. SECTIO XV.

SVBTEXO quædam, quæ ad oris conformationem quoque pertinent atque geſtus, vt quatenus ea ab Oratore admitti oporteat, aut repudiari, intelligamus. Huiuſmodi autem ſunt ſuſpiria, ſingultus, oſcitationes. *Suſpirium* aliquando in morbis ponitur, teſte Iſidoro, eſtque ſpirandi difficultas, Græci nominauêre δυσπνοίας, vnde *ſuſpirioſi* ἀσθματικοί: nonnunquam verò animi affectiones ſignificat. Priùs illud ſanè plurimùm oratorio muneri aduerſatur, & benè dicendi laudem imminuit, dum laboris contentionem debilitatus pulmo recuſat, vox hebet, languet tota pronunciatio, & præſertim in fine ambitus verba debiliùs exeunt. Quæ cauſa fuit cur præſtantes eloquentia viri, ſæpè olim dicendi laborem, docendíque remitterent; quod ſibi eueniſſe memorat doctiſſimus Auguſtinus, cùm in tradendo Rhetoricæ artificio, quotidianis ſtudiis atque vigiliis, robur animi & pectoris exhauſiſſet. Tanti viri ſapiens conſilium Oratori ſequendum exiſtimarem, vt nimirum laboris vacuitate atque ocio, imminutam priùs valetudinem confirmet, quàm ad penſum & laborioſum munus reuertatur. Hoc idem poëtica venuſtas cauto imperio expreſſit,

Solue ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus & ilia ducat.

Simillimũ huic ægrotationi vitiũ notat Fabius Quintilianus, Fab.lib. 11. cap. vlt.
& inſimulat his verbis; *Sunt qui crebro anhelitu & introrſum etiã clarè ſonante, imitentur iumenta onere & iugo laborantia*, &c.

Sed vt alterum ſuſpirij genus attingam, quod in motibus animi ſignificandis educitur, tres ob cauſas, vt ſapientiæ doctores aiunt, ſuſpirare homines conſueuerunt, vel quod anguntur, vel quod iraſcuntur, vel quod amant. Huius initium affectionis eſt in pectore, eminet in ore: nam στενάζειν, quod eſt *ſuſpirare*, ab anguſtia cordis veteres Sophi è *Tres ob cauſas ſuſpirium.* Al. Aphrodiſ. l. 1. Pro. 21.

Græcia, teſte Aphrodiſiæo dixerunt, vbi de cauſis atque origine huius rei acutè, vt ſolet, & eleganter diſputat. Meminere Poëtæ ſæpè naturæ myſtagogi, qui intimos animi motus ſuis coloribus ſolent pingere, atque in bono lumine collocare, præſertim cùm dolorem, amorémque repræſentant. Cui malè eſt, ſuſpirare ſolet, hinc illud Epigrammatum ſcriptoris,

Martial. l. 10. *Vrere non miſerum ceſſant ſuſpiria pectus.*

Pari ſenſu Horatius lib. 3. Carm. Oda 11.

Horatius. *Illum è mœnibus hoſticis*
Matrona bellantis tyranni
Proſpiciens & adulta virgo
Suſpiret. Eheu, &c.

In amore verò id fieri tam eſt omnibus expoſitum atque ratum, vt *ſuſpirare* ſit apud elegantiſſimos ſcriptores *amare*; deſiderio vehementi appetere, concupiſcere. Hinc illud, *Suſpirare Chloen: alios ſuſpirat amores*, & mille talia. Iam verò cùm in his ipſis affectibus explicandis & efficiendis, Orator dictionis ſuæ partem, artificioſique laboris ſæpè inſumat, cúmque idem, non vt Hiſtrio, actor ſit alienæ perſonæ, ſed auctor ſuæ, & in effingenda veritate verſetur; ſanè à ſuſpirio minimè abhorrebit, ſi modò res poſtulet, atque omnia iudicio moderetur. Iudicium requiro propter ineptias, quæ plurimæ nouis & inexercitatis, neque ſatis naturæ humanæ motus intuentibus euenire poſſunt. *An dicendi initio ſuſpirandũ.* Imprimis nolim eum in ſermonis principio ſuſpirare mollitie quadam fracta & effœminata, quemadmodum delicatuli ſolent in viola mollibúſque roſis educati, qui laborem vel tenuiſſimum reformidantes, ipſo agendi initio ſuſpirant. Id facere Mecœnatem conſueuiſſe prodit bonus & locuples auctor Seneca, cùm eius ſolutum animum & nimia luxurie fluentem ita explicat: Senec. ep. 114. *Incipítque ſuſpirans vt laxa ceruice fertur.* Hoc, inquam, non faciet noſter ille Orator quem fingimus, niſi fortè ab optatione ducat exordium, & maximè in re triſti & luctuoſa: quale illud eſt Perpiniani, eximij doctoris eloquentiæ ſuis numeris abſoluti, cùm magnum Principem funebri laudatione cohoneſtat, *Feciſſet vtinam princeps ille Deus, viri ornatiſſimi, vt vel id nunquam accidiſſet*, &c.

Eſt tamen animaduertendum, eſſe duplex genus ſuſpirij, placidum vnum & quietum, alterum vehemens, turbidum,

& concitatum crebro anhelitu & ſingultu. Prius illud initiis conuenit, vbi dolor mœrentis animi ſignificatur, vt paulò antè aiebam; poſterius autem in augendo & amplificando luctu & dolore, in explicanda miſera & funeſta calamitate, in incendendis auditorum animis, & miſeratione commouendis adhiberi poteſt. Neque minus frequens ſuſpirium eſt in amore, in appetitione, votis & deſiderio exprimendo, cuius rei quotidiana exempla videmus, in limatis & perfectis Concionatoribus, quorum voce ad omnem pietatem incendimur. Solent enim cùm acerba grauiáque mala ſub oculis omnium poſuerunt, & funeſtam eorum hominum conditionem, qui vel peccati labe contaminantur, aut eius ſunt apud inferos ſempiternas pœnas luituri, cùm perennes humanæ vitæ miſerias, fortunæ inconſtantiam, conſcientiæ metuentis angores, infirmitatem conſilij, tam faciles, tótque apertas ad exitium & peccatum vias; ſolent, inquam, deſiderium in animis audientium excitare ad hæc tot & tanta fugienda, quod non ſine ſuſpirio fieri amat. Ita grandiloquus orator Paulus, qui diuino & cœleſti quodam cantu innumerabilem hominum multitudinem ad fidei lucem euexit, illa meo iudicio pronunciabat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24. Nonnunquam verò admirabilia bona oratione percenſent, quæ diuinitus nobis, aut in hac vita donantur, aut ſperantur in alia, inexplicabilem animi ſuauitudinem & tranquillitatem, in rebus aduerſis incommodíſque præſidium, humaniſſimam quandam voluptatem è piæ mentis fiducia redundantem, vberem gratiam, beatarum mentium ſocietatem, domicilia beatorum illa aurata, vnionum gemmarúmque omnium ſplendore lucentia, Oceanum bonorum omnium interminatum, in quem mens & cogitatio intuens nullam oram vltimi videt in qua conquieſcat. Tum denique optando, deſiderando, exclamando ſuſpirant, ô quando illuceſcet illa dies, quam nox & tenebræ nullæ conſequentur! Feliciſſima, inquam, dies, quæ ad vitam bonorum omnium aggregatione perfectam, aditum nobis miſeris & calamitoſis aperiet, &c. De ſuſpirio hactenus.

Digitized by Google

SECTIO XVI.

Singultus verba interficiens an vſui Oratori. Oſcitatio reprehenſa. ἀχεὶς βέβρωχας. Arceſilaus χάσκων.

SINGVLTVS maius quoddam eſt ſuſpirium, & ideo nonnunquam apud doctos ſcriptores iunguntur, vt in Epigrammate Græco,

Suidas.

Καὶ γοερὸν λύζων ἐστενάχιζεν ἔρως.
Flebiliter ſingultiens ſuſpirabat amor.

Tantum in dolentibus & mœrore confectis eſſe conſueuit, vt apud Ciceronem, *Non modò lacrymulam, ſed multas lacrymas & ſingultum cum fletu videre potuiſti.* Itaque minus quadrat in dicentem Oratorem, quod pronunciationem impediat, vocabula ipſa carpat & deuenuſtet. Eleganter & graphicè Apuleius, *Singultu crebro ſermonem interficiens, & verba deuorans aio:* & aliàs, *Singultu lacrymoſo ſermonem incertans.* Propertius idem exprimit,

Cicer. Or. pro Plan.
Apuleius l. II. Aſin.
Apul. l. 5.

Et tibi ſingultu fortia verba cadent.

hoc eſt magnifica oratio excutietur præ doloris magnitudine. De Liuia quoque Albinouanus, *--ſic flebilis orſa eſt*
Singultu medios impediente ſonos.

Propert. l. 1. el. 5.

Inter priuatos parietes id valet, vno & altero audiente, vbi flebilis & interrupta illa miſeriarum expoſitio ferri poteſt. Sic Horatius,

l. 1. ſat. 6.

Vt veni coram ſingultim pauca locutus.

Sed in amplo & erudito hominum cœtu, qui auidiſſimè audiunt, ita hærere, ſic diſcerpere orationem & vorare, & ſubito luctu quaſi fluctu obrui, non nemo fortè inſimularet, & verendum eſſet, ne quiſpiam id ſubiiceret,

Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua ſilentio?

Horat. od. 1. l. 4.

Quando ſingultus non alienus ab Oratore.

Vſum tamen eſſe aliquem poſſe video in Oratore artificio excellenti atque iudicio, cùm nimirum graui & accommodata amplificatione flens ipſe audientibus fletum & commiſerationem expreſſerit: tum enim illo vlteriùs orationem

prouehente, plangore & ſingultu complente omnia, audito. res motu illo animi tenentur, iámque ad rem potius, quàm ad verba reſpectant, libet cum oratore mœrere, animóque affligi, & ſilere, & conquieſcere. Hoc modo vſum fuiſſe puto M. Tulliũ in Epilogis, quibus ait præ copia & multitudine lacrymarum iam ſe loqui non poſſe. Aptè quoque vterentur Eccleſiaſtæ in Chriſti morte & cruciatibus amplificandis, eo die, quo fit omnium concurſus ad eos piè & religioſè audiendos. Sed vt verùm fatear, illa τραγῳδήματα magnum virum poſtulant, & veteranum, quémque Pitho arcana omnia ſua docuerit.

Eſt & aliud genus ſingultus, conuulſio nimirum pectoris & ventriculi, quæ vi magna ſpiritum & non ſine ſonitu expellit. Delineat rem Ouidius, l. 5. Nequit.

Oráque ſingultu concutiente ſonant.

Hunc ſingultum illudit Plato in Ariſtophane, eiúſque moderandi rationem comprimendique tradit: ſed quoniam nihil aut parum ad Oratorem ſpectat, lubens ſilentio prætereibo, vt ad tertium quod mihi propoſueram veniam, ad oſcitationem. Plato in Sympoſ.

Illa vix poteſt in loquentem oratorem cadere, in ſilentem poteſt: cúmque ſemper ſit mea quidem opinione in eo indecora, maximè tamen in ea mora dedecet, qua ſe ipſe ad dicendum, alij ad audiendum parant, atque adeo omnium oculi in eum intenduntur. Eſt autem faſtidij moleſtiæque ſignum & lentæ ſommolentiæ oſcitare, cuius cauſa piperato Martialis dicto vſtus fuit Seuerus, qui vix lectis duabus exiguis paginis languet, *De Oſcitatione.*

Et longas trahit oſcitationes. Mart. l. 2. ep. 6.

De conſimili alio Satyricus,

——laxúmque caput compage ſoluta,

Oſcitat.

Eſt etiam ineptorum hominum genus quoddam maximè inuenuſtum, qui cùm alios attentiſſimè audiunt diſſerentes, non minus quàm Larus auicula ore hiant, quaſi pridiana cœna ferinam ediſſent; in quos bellè vetus id Græcorum adagium cõciciatur, ἀγρίου βέβρωκας, ſolent enim qui ferina veſcuntur oſcitare. Huius notæ Arceſilaum fuiſſe volunt Philoſophum, natura inertem, & ruſticana inſtitutione ſemper oſcitabundum, Zenob.

Digitized by Google

ſed qui tamen in mathematicis diſciplinis plurimùm intellige-
Suidas. re putaretur. Quare faceti homines & ingenioſi aiebant, τὴν γεωμετρίαν αὐτοῦ χάσκοντος εἰς τὸ στόμα ἐμπτῆναι, *Geometriam in eius oſcitantis os inuolaſſe.* Id quantum non modò in Oratore, verùm etiam in quolibet ciue honeſto olim diſplicuerit, è Cen-
Gellius. ſorio viri grauiſſimi iudicio facilè intelligimus, de quo multi ſuis monumentis reliquerunt. Si morbus eſt, curandum cen-
Seren. c. 15. ſeo, & Hygiæ litandum: Q. Serenus è myrothecio ſuo benigniſſimè humaniſſiméque promit alexipharmacum,

Manſus item prodeſt ſuccis Oleaſter amaris,
Hinc oſcedo fugit.

SECTIO XVII.

Ructus an & quomodo Oratori poſſit contingere. Stoici in ea re inuerecundi. Φυσῶντες, inhalantes.

VNVM adhuc mihi hæret in memoria, de quo neſcio an monendum videatur, quod honeſto nunquam oratori niſi inuito contingat: Ructum dico atque oris exhalationes,
2. Philipp. quas inuehens in Antonium M. Tullius iure turpes & ab hominis ingenui dignitate longè alieniſſimas opinatur. Et rectè
Charact. ingenio politus & oratione Theophraſtus inter ſigna impuri
πρ. βδελυρ. hominis impudentíſque reponit, in aliorum cœtu & frequentia ἐρυγεῖν. Poſſet tamen euenire aliquando propter varietatem negotiorum, vt cauſarum patronus ſtatim à prandio dicat, vt Porcius quondam Latro mirabili curſu vitæ & eloquentiæ, *qui ſæpè cùm per totam lucubrauerat noctem, ab ipſo cibo ſtatim ad*
Senec. Prooem. Controu. *declamandum perueniebat*, Senecæ patris orationem credo agnoſcitis. In quo ſi πλησμονὴ fuit aut cruditas, neceſſe eſt huiuſmodi quidpiam contingere, quod grauem ſapientémque cœtum offendat: nam ex ea ſaturitate grauis & redundans ſtomachus ἐρεύγεται δυσωδίας, vt loquitur diuinus Chryſoſtomus. Simile quidpiam attingit in toga Philoſophus Naturalium quæſt. l. 5. *In noſtris corporibus*, inquit, *ex cibo fit inflatio, quæ non*
Modi duo ructus. *ſine narium iniuria emittitur*, &c. Modi ſunt duo illius turpitudinis minus honeſti, ſed ille ſanè turpiſſimus, cùm ſonitus ru-

Digitized by Google

ctum adſignificat: tū enim velut aperto cloacæ epiſtomio, delicatulæ hominum aures offenduntur. Non eſſet quidem magnoperè metuendum Oratori, ne is ructus & malè affecti pectoris exhalatio, non ſat æquam in partem acciperetur, ſi omnes docti ad aſſentandum forent, & in paraſitica ſchola eruditi, vbi laudari vitioſiſſima quæque & præconiis efferri conſueuerunt. Scitè etenim Diodorus Sinopenſis τοὺς κόλακας ſuis coloribus adumbrans,

---ἐπειδὴ προσερύγοι, Athen. l. 6.
Ῥαφανῖδα ϗ σαπρὸν σίλουρον καταφαγών,
Ἴα ϗ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ἠρεσιηκέναι.
---in faciem ſi quis ructet
Radicula vorata aut ſiluro putri,
Roſam ipſam, & violas dicent pranſum eſſe.

Vel vt dicam cum Latino Poëta,

---laudare paratus Iuuenal. ſat. 3.
Si bene ructauit.

Sed alia ratio eſt fori, alia triclinij, nec ſi multa in conuiuio permittuntur, vbi Ioci Bacchúſque laſciuiunt, ideo quiſquam ſimilia ferri poſſe in publico loco putet. L. Piſonem iure ſuo M. Tullius, vt fœdum ganeonem reprehendit, quod ciuibus longè ornatiſſimis ore fœtido teterrimam popinam inhalaſſet. Abſit ergo vt modeſtiſſimi oratores hunc gurgitem & opimum helluonem imitentur: lateāt Aſoti in gurguſtiis & γλωσσογάστορες, quorum guttur vt feſtiuè magnus ait Hieronymus, *meditatorium efficitur latrinarum*, aut ſi lubet in conuentu Stoicorum diſſerant, de quibus hæc memini legere apud Ciceronem, *Stoici crepitus aiunt aquè liberos ac ructus eſſe oportere.* Huius autem ſiue morbi ſiue turpitudinis cauſas, tu Victor, qui in media philoſophia tabernaculum ſtudiorum collocauiſti, cùm libuerit explicabis, nam memini ſapientem Ariſtotelem vſpiam ea de re benè, vt ſolet, & perſpicuè diſputauiſſe.

adverſ. Iouin.
1 9 ep. fam.
Sect. 33. probl. 45.

Cæterum moneo non modò è ſaturitate & copia, verùm etiam è nimia ieiunitate ructum nonnunquam ſolere exiſtere. Id video prodidiſſe S. Hieronymum in epiſtolis, *Ad orationem*, inquit, *conſurgenti, non indigeſtio cibi ructum faciat, ſed inanitas.* Sed vndecúnque tandem oriatur, ſi dicenti fortè aliquando eueniret, audienda eſſet monitio ſapiens eruditiſſimi Clemen- Epiſt. 22.

Digitized by Google

Clem. Alexãd. l. 2. c. 8 tis Alexandrini in Pædagogo ſuo, ἡ δ' οὖν περὶ τὰς ἐρυγὰς ἀναπλωτάζουσα τοῦ ἀέρος ἐφέπειξις, ἡσυχῇ παραπεμπτέα, *aeris impulſus qui redeunte quadam fluctuatione incitat ad eructandum, eſt ſenſim tranſmittendus.* Prudens ſanè hoc conſilium, ſi perfici modo queat, neque enim ructum nos habere in poteſtate quidam opinantur. Homines ait eloquentiſſimus Chryſoſt. continere ſermonem poſſe, cùm libet, ἐρεύγεσθαι δὲ οὐχ' ὁμοίως, *eructationẽ autem non item.* Huc denique reuocari poſſe puto id vitium, quo præ iracundia quidam & ſuperbo faſtidio ſpiritum ore eiiciunt, haud obſcuro impetu & contentione, φυσᾶν Græci dicunt, hoc eſt *inhalare.* Gregorius Nazianz. vir omnigenæ eruditionis compos de ſuis æmulis qui furioſè volitabant,

Chryſ. in Pſ. 44.

Carm. de vit. ſua p. 28

> φυσῶντες ἡμῖν ἐσπέρεόν τι καὶ τραχύ,
> *Aſperum quiddam in nos inhalantes.*

Apello vitium, quando modeſtia & moderatio abeſt digna ſapiente, atque animus vltra limites rationis impotenti quodam æſtu abripitur.

SECTIO XVIII. *Mulcere barbam & ſollicitare quos deceat.* Σφηνοπώγωνες. *Rex barbæ. Iulianus dictus Capella.*

HIc inſtitutam de ore diſputationem finire cupientem, monet tua iſta lanugo, Iuuenti, primuláque barba, quã non vt Achilles Sperchio, ſed opinor modeſtiæ conſecrauiſti, vt de barba etiam Oratoris verbum vnum attexam, res erit ab inſtituto minimè aliena. Vtrum enim Orator barbam attingere manu debeat, an non debeat, quæri video poſſe ab iis, qui ſtudioſiſſimi ſunt decori & dignitatis. Sunt enim quidam primo in ætatis flore adoleſcentes, qui pænè inueſtes, & tenui lanugine mentum inumbrati, manum tamen ſubinde ad os admouent, barbulam hinc inde ſuam mulcent, labium ſuperius comunt atque ſollicitant, ſeu purigine quadam caloris & conſuetudinis inuitamento, ſiue incredibili decoris illius cupiditate, quo viri cenſeri poſſint. Quos ſæpius id in dicendo iuueniliter faciẽtes, τριχολογεῖν, mea quidem opinione, iure dixeris. Ego certè inaniſſimum illud ſtudium leuiorum probare nunquam potui, qui comæ ἀπαρχὰς non vt quondam fieri conſue-

uit

Digitized by Google

uit Numinibus dicant, ſed vanitati & arrogantiæ: cenſerémque in aditu Curiæ atque fori Lacedæmonium Edictum collocandũ, quo ſtatim ipſo initio Magiſtratus Ephori prodicebant *κείρεσθαι τὸν μύστακα*, *ori imminentem attondere barbam*, ne in eo ſtructo curioſè nidulo, ſuperbia deliteſceret. Reperias qui & mentum ipſum ita ſtudioſè attrectent, vt acuere veluti clauum videantur, quo aduerſos deinde cruentent & defigant: quod equidem reliquendum Comœdiæ puto. Memini enim Lucianum prodere ſolitas olim induci perſonas in Comœdia, barba in acutum effictа & cunei ſpeciem, quam ob rem *σφηνοπώγωνες* *Cuneibarbi* dicebantur.

Aristotel. Cœlus l. 3. c. 25. Plutar. de tard. Dei V.

Neque tamen auſterus ita eſſe cupio & faſtidioſus, vt nunquam putem niſi vitioſe manum ad barbam admoueri: *ſapientem barbam* doctus & ingenioſus Poëta iure ſuo nominauit, ego mentem ſapientem hic eſſe velim, conſideratúmque iudicium, nihil vt fiat, quod manus leuioris temeritatem prodat. Quare nonnunquam ſi os ipſum è dicendi contentione pilis impediatur, extremis digitis quaſi aliud agens poteſt eos orator componere, ducta leuiter manu, nulla ſuſpicione quæſitæ vanitatis. Neque enim minus id decorè faciet, quàm ſi os, quod fieri amat aliquando, ſaliua reſpergatur, quam ſine iactura honeſtatis licet honeſtè detergere. Qui verò prouectioris ætatis ſunt, & cum annis maturitatem quandam grauitatémque ſibi quæſierunt, minimè opinor reprehendantur, ſi barbam aliquando veluti mulceant, quod neſcio quo naturæ genio fieri videmus ab iis, qui *βαθυπώγωνες* ſunt, & pilorum ſerpentium atque fluentium magnitudine ſapientiam pollicentur, præſertim ſi quid probent, ſi conſilij ſui lucem aperiant, ſi quaſi intimo ex animo edant oraculum, ſi denique grauiter aliquid repudient. Deſcribit cœtum hominum ſapientum Eunapius, qui ad nouum & inuſitatum ea tempeſtate ſacrificium vndique fuerant euocati, cúmque Iuſtus tum Præfectus è victimæ poſitione diuinandum eſſe diceret, *σεμνότεροι τὰς ὑπήνας καταψήξαντες ἄκροις τοῖς δακτύλοις, καὶ τὰ πρόσωπα διασχηματίσαντες*, &c. hoc eſt, *qui inter alios grauitate præcellebant, extremis digitis barbam mulcentes, vultu ad ſeueritatem compoſito, caput velut in numerum cõmouentes rem aſpectabant*. Nicoſtratus inani Sophiæ opinione glorians, cùm de natura animæ rogaretur,

Horat. l. 2. ſat. 3.

Quando barbam attingere non indecorum.

Eunap. in Chryſant.

Anthol.l.2

---ὑποστέλλων τὸ τριβώνιον, εἶτα γενείου,
Ἀκρα καταψήχων, τὴν λύσιν ἐξέφερε.

Tribonio compoſito, extremam deinde barbam manu leniter contrectans, rem difficilem & in media philoſophia retruſam explicuit, vt Poëta Græcus in eum ludebat. Frequens quoque fuit in eodem geſtu M. Tullius, quem de more ſolitum ait Plutarchus manu ſiniſtra barbam contrectare, ὥσπερ εἰώθει τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τῶν γενείων ἀπτόμενος, vbi illud τῇ ἀριστερᾷ notandum, in quo ratio decori elucet.

Cæterum exilis & putida mihi gloriatio videtur eorum, qui propter barbæ longitudinem & copiam, circunſpiciunt ſe magnificè atque venditant, vt vel etiam cum Epicrate Athenienſi

Rex barbæ. Oratore contendere velle videantur, qui *Rex barbæ* fuit appellatus, quod eam præter omnium conſuetudinem prolixã haberet. Ea res materiam ſæpè elegantiſſimis Poëtis ſuppeditauit illudendi & iocandi, & viri iudicio præſtantes atque ſapientia, totum illud ſtudium inane, leuitatiſque pleniſſimum, æternis ſuis monumentis & libera voce notarunt. Salſum illud eſt Ammiani in piloſum huiuſmodi ſapientem, cuius barbam eleganganter appellat μυοσόβην *peniculum ad muſcas abigendas* peridoneum, & *ſyluam ipſum nutrire* ait φθειρῶν οὐ φρενῶν ποιητικὴν, *non mentis conſiliique effectricem, ſed pediculorum.* Eandem ob

Ammian.l. 17. & 22. Beroald.ad Apul.

cauſam purpurati quidam Iulianum Imperatorem nominauerunt *Capellam*, Antiocheni verò *hircina barba Cercopem*. Ad Herodem Atticum elegantiſſimum hominem & orando principem, adiit quidam palliatus barbam ad pubem vſque protenſam ferens, petiitque ſibi æs dari ad emendos panes. Interrogat ille quis eſſet: at Philoſophus ſeuero vultu atque obiurgatorio ſe Philoſophum eſſe reſpondit, mirari autem ſe, cur quærendũ putaſſet quod videret. Tum Herodes acutè, Video, inquit, barbam & pallium, Philoſophum adhuc non video. Eaſdem

S. Hieron. epiſt 4.

capellas eruditiſſimus Hieronymus carpit & vellicat, *Nonnullos videas, inquit, accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa*, &c. Sed iam diffluo, neque vos me coërcetis. Hæc de ore ipſius oratoris habui quæ dicerem, nunc de trunco & corporis motu eſt videndum.

DE TRVNCO IPSO ORATORIS & corporis motione.

CAPVT VIII.

Status erectus & celſus Oratoris. Decens corporis filum & ſcena honeſta. quanta in ea re dignitas. Ὄρθιον σχῆμα ἀρχικόν. *homo omnium animantium* πλατυστερνότατος. SECT. I.

QVINTVM Roſcium vnum omnium Comœdũ excellentiſſimum, ait M. Tullius, non tam ex trunco corporis ſpectatum, quàm æſtimatum ex artificio Comico. Et quidẽ multas inducebat in theatrum veluti præſtigias, oculorum illices atque omnium beneuolentiæ, quæ omnibus admirationem parerent. Ego verò non modò ſpectari eloquentem in dicendo, ſed æſtimari quoque puto è trunco & toto ipſo corpore, in quod omnium audientiũ oculi, ſtatim ab initio, curioſo quodam ſtudio iniiciuntur. In eo conſideratur μελοθεσία, ſiue omnium partium apta & decora poſitio, ſic vt nihil ſit languidum & caducum, nihil ſupinum, nihil vaſtum atq; nutans, ſed gratiæ veluti manu dimenſum & politum. Ab ea poſitionis dignitate & concinno veluti artificio prædicantur homines vt magno animo generoſi, vt nobiles, vt magiſtratu & honoribus digniſſimi, vt honeſti & humanitate exculti, & qui ea ſpoliantur Gallica & Græca venuſtate appellantur λορδοί, qui ruſticano quodam modo corpus ferant. Non éſt proinde cura exigua tenuíſque adhibenda prouidentia Oratori, in corpore ea ratione componendo, vt in eo cuiuſdam eximiæ dignitatis & decori nota præluceat. Eam autem quam intelligi cupio rationem, Latini *ſtatum* appellant, Galli noſtri qui recondita ſapientia in excogitandis nominibus ſemper vſi ſunt, vocant *le port*: vnde qui *ſtatus baſilicus* dicitur in Plauto, & apud nos *vn port maieſtueux*, digna videlicet magno principe & potentiſſimo dynaſta corporis compoſitio, à portando mea quidem opinione *Status baſilicus.*

ſeu ferendo, quemadmodum rem eandem Galli *maintien* & *contenance* nominant, quod honeſtiſſimi & præſtãtes viri, quaſi dædala & erudita manu totum corpus aptè ferant, & in ſpecie illa ingenua & maximè liberali contineãt. Sic diuinus poëta commendans Æneam, appoſitè inquit, *Quem ſeſe ore ferẽs?* cùm in eo hunc ſtatum principe viro dignum, *(le port & maintien d'vn grand Prince)* vehemẽter obſtupeſceret. Os enim ibi, intelligit non pulchritudinem modò vultus, ſed externã omnem ſpeciem, & vt Græcus in eadem re canebat εἶδός τε μέγεθός τε; quæ ſpecies faciebat, vt magnus ille ductor & Troianorum moderator eximius, vndecúnque eſſet mirabilis. Eandem μελοθεσίαν Ammianus Marcellinus, non vt multa ſolet barbare, ſed eleganti iudicio, *filum corporis*, & *rectam compagem* nominat, & in parte honeſtiſſimæ formæ atque imperio dignæ ponit. Nam cùm elogium Galli Cæſaris pertexeret, *Forma*, inquit, *conſpicuus bona, decente filo corporis membrorúmque recta compage, flauo capillo*, &c. Et Apuleius l. 4. Metamorph. *liberali filo virginem* dixit. Tertullianus exquiſitæ vir eruditionis vocat *ſcenam corporis*, totius hominis veluti faciem, quam profecto vt in theatris omnium oculis propoſitam, pulchram & ornatam eſſe oportet. Fortè Græcos imitatus ille videatur, qui in eo ipſo ſignificando σκηνὴν dicunt: ita Philoſtr. docti Polemonis σκηνὴν, ἣ ἐς τὰς μελέτας ἐχρῆτο, *ſcenam qua in declamando vti ſolebat, expreſſit*, hoc eſt corporis modum & compoſitionẽ.

l. 4. Æneid. — Ammian. l. 14. — Tertull. l. de Anim. — Philoſtr. de vit. Soph.

De ſtatu igitur Oratoris præcipiamus, quoniam vobis ita Victor & Iuuenti placuit, breuiter & dilucidè, cõmunia quædam noſtro more, & vobis iam millies audita: quanquam fors fuerit, vt noua quædam neque prius à vobis animaduerſa proferantur. Præit nobis ſanè quàm ſapienter M. Tullius in Oratore perfecto, *Status*, inquit, *erectus & celſus*. Dictum hoc, inquam, ſapienter, & ipſa res ad parandam beneuolentiam accommodata, bonámque ſui opinionem, in mentibus eorũ qui audiunt, celerrimè ingenerandam. Rectum enim corpus quod neque ſupinum eſt neque terræ imminens, liberalẽ quandam habet ingenui animi ſpeciem, & dignitatis haud obſcurã ſignificationem. Certè Nyſſenus Gregorius idem & orator eximius, & maiorum gentium philoſophus, & θεολογώτατος, ὄρθιον σχῆμα *rectam hominis figuram* ait eſſe ἀρχικὸν, καὶ τὴν βασιλι-

Status erectus & celſus plenus dignitatis. — de opific. ho. c. 8.

χλὼ ἀξίαν ἐπιτομμᾶγνέασ, *maieſtatem quandam imperantis & regiam dignitatem præ ſe ferre.* Sic enim diuina prouidentia machinata eſt hominem, vt auguſto illo ſtatu & totius corporis grata & iucunda compoſitione, & belluas terrere poſſit, & audientium coronam tenere. Illa pectoris lata ſublimitas, diuino penitus opificio illuminata, & expoſita intuentium oculis, prædicare mihi videtur magni animi elegantiam & ſplendorem, atque in eo dignas hominis cogitationes verſari. Excitata & erecta illa oris ſpecies, animi altitudinem pollicetur, ad maxima & clariſſima nati, à terrena contagione alieni, liberi & ſoluti, quíque in vna humanitate conquieſcat. Lactantius cùm diuinæ mentis prouidentiſſimam in homine conficiendo induſtriam exquiſita orationis ſuauitate commendat, inter ea quæ ſingulari varietate mundi opifex & ædificator Deus effecit, hominem miratur vnum, ſupinum & erectum artificiosè compaginatum, mutas autem animantes iacentes fictas, atque ad terram compreſſas. Idcirco, inquit, illis anguſtum pectus fuit donatum, & ab aſpectu remotum, & ad terram verſus abiectum: homini autem patens & rectum, quia plenum rationis à cœlo datum humile aut indecens eſſe non debuit. Medici in naturæ ornamentis conſiderãdis, diligenter eandem Numinis ſapientiam, hominíſque decus ſuis commentariis doctíſque diſputationibus concelebrant: πλατυστέρνότατος ὁ ἄνθρωπος, ait facilè omnium princeps Galenus, cætera verò animalia ὀξύστερνα, quod nimirum ille hominis ſtatus ad amplitudinem effictus honeſtiſſimámque dignitatem, neſcio quod tacitæ laudis ſpecimen atque inſitam nobilitatem contineat. *Nam pectoris latitudo ſublimis, & expoſita oculis mirabilem præ ſe fert habitus ſui dignitatem,* ait Lactantius. Quare Maximus Tyrius, qui ad rerum ſubtilium difficultatem arcanáſque ſenſus florem orationis adiunxit, Iouem ait cœli dominum imperaſſe Prometheo, vt corpus homini, ὄρθιον καὶ σύμμετρον, *erectum & apta proportione compoſitum* ædificaret: quaſi princeps mundi Deus ſignificare voluiſſet, & in eo celſo & erecto hominis ſtatu, pulchritudinem eſſe quandam, & ingenitæ amplitudinis ornamenta, quæ non poſſent non à cœtu ſapientum iucundiſſimè cerni & amari. Autor igitur adoleſcenti ſim ego libens, ad eloquentiæ laudem excitato, vt cùm ad magnam

l. de op. Dei c. 10.

Galenus Comm. 3. in l. de aër.

Max. Diſſert. 20.

Digitized by Google

honeſtiſſimorum virorum frequentiam eſt dicturus, ſtatum habeat à M. Tullio, à Pronæa ipſa, vel à ſummo Ioue commendatum. Scenam corporis ſic inſtructam habeat, & ad ſpeciem dignitatis accommodatam, vt ſubitò omnium ſibi animos conciliare, omnium beneuolentiam poſſit adiungere.

Honeſta corporis cõpoſitio quãtũ valeat. Mirum dictu eſt quantam vim habeat illa honeſta & decora compoſitio, ille celſus corporis ſtatus, generoſi animi teſtis & humanitatis indicium, cùm etiam mutus Orator, quiq; modò in conſpectum venerit, ſit aliquando commendationem aſſecutus. Nam verè & elegantiſſimè illa Plutarchus, καὶ νεῦμα μόνον ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, μυρίοις ἐνθυμήμασι καὶ περιόδοις ἀντίρροπον ἔχει πίστιν, *vel nutum ſolum viri ſapientis mille inſtar eſſe periodorum & ſententiarum.* (Plutarc. in Phocion.) Cuiuſmodi fuiſſe vult Athenis Phocionem, viuidum illum Oratorem dicendi gloria & innocentia vitæ clariſſimum, qui vultu & totius corporis elegantiſſima conformatione, vt alia quadam eloquentia, ſæpè Demoſthenis in dicendo luminibus obſtruxit. Talis quoque fuit Xenocrates ab Academia nobilis, quem ob virtutem, animíque præſtantiam omnium laude & amore celebratum, Athenienſes miſêre legatum ad Antipatrum, cùm exiſtimarent nullam eſſe tam importunam vllius audaciam, nullius tantam inſolentiam (Plut. ibid.) & ferocitatem, cui non Ξενοκράτους μόνον ὀφθέντος, *ſolo Xenocratis aſpectu*, rubor aliquis & reuerentia ipſius accideret: tantùm nimirum grauitatis & ſpecioſiſſimæ dignitatis, in omnium artuũ compoſitione ſtatúque exhibebat. Pij viri diuina religione pollentes & eximia ſanctitate, id decus exprimũt etiam illuſtriùs atque magnificentiùs. De quibus in hiſtoriis accepimus, eos tantùm viſos, oculorum coniectu, admirabili grauitate oris, incredibili modeſtia, ſtatu ad virtutem ſignificandam idoneo, præſentium temeritatem & animi acerbitatem domuiſſe, faces nonnunquam extinxiſſe libidinis & auaritiæ, ad honeſti cupiditatem inflammaſſe. Fit enim ſæpè, vt ex intimis animi virtutibus, & externo cultu atque ſpecie, grata quædam efflorescat modulatio & concentus ſuauitudine animos alliciens, cùm neque eſt nimia ſeueritas tanquam in neruis contentio, neque item geſtientis lætitiæ remiſſio, ſed conſentiens animi corporíſque ſymphonia, quam neceſſe eſt vt aurum in purpura intuentes oblectare.

Corporis ſtatus quî deformetur. Incurui & κυφότης reprehenſi. in ſenibus id non indecorum. Rectus Bacchus. Aeſchines γραμματοκύφων. Remigum geſtus alienus. SECTIO II.

HVNC ſtatum celſum & erectum dedecorant imprimis illi, qui arrogãtis inſolentiæ geſtu, nimis caput ſupini attollunt *μετέωροι* & ſuperbi, quos nulla humanitas audientium moderatióque ferre queat. Nulla mea opinione ratio, præſentior eſſe poteſt, ad animos abalienandos; eſt enim, vt ſcitè Quintilianus admonuit, *odioſa omnis ſupinitas*. Sanè tã odioſa, quàm odioſa eſt ipſa ſuperbia, quæ vt magnus ait Hieron. *propriè in extenſione colli, & ceruicis erectione mõſtratur.* Alij verò caput indecorè in alterutram partem inflectunt, quod teneritudinis eſt & effœminati hominis indicium, qui vix pondus ipſius capitis ſuſtinere poſſit. Dio Pruſæus cui aureum genus dicendi nomen peperit, Sardanapalum ait ſolitum, τὸν τράχηλον ἀποκλίνειν, *molliſſimè collum inflectere*, præ delitiis putrem, luxu diffluentem, nequitia & libidine fractum. Sic Lucianus Rhetorem quendam delicatiſſimum & cinædum comica propè venuſtate pingens, ait eum διασεσαλευμένον τὸν βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, &c. *inceſſu molli eſſe, infracta ceruice, vultu effœminato*, &c. Sed de huiuſmodi vitioſis oratoribus fuit à nobis ſuperius actum copiosè, vbi de capitis motu admonuimus.

l. 11. c. vlt. D Hieron. in c. 1. Habac. Dio Chryſ. or. 62. Lucianus ῥητορ. διδασκ.

Quidam verò pectore ferè omni in anteriorem partem inclinant, quos mirum eſt non veteris conſuetudinis meminiſſe. Olim enim proni & incurui homines malè apud omnes audiebant, & κυφότης nominabantur, belluarum propè conditione proni ad voluptatem, & vt Caſci Poëtæ verbo vtar, *incuruiceruicum pecus*. Hi maximè ſtatum illum oratoris gloriandum & laudatum corrumpunt, qui mihi continendi in vmbra tantiſper videantur, dum rus omne atque imperitiam exuerint. Amphictyonem Regem Athenienſium volunt, cùm diluendi vini rationem docuiſſet, perfeciſſe apud ſuos, vt qui

Incurui Oratores. Suidas. Athen. l. 2.

antea propter immodicã vini ingurgitationẽ curui in terram pronique incederent, recti ambularent. Ob tantum igitur beneficium, *Recto Baccho* aram exædificauit. Quem Deum, quam Suadam, quem Genium propitiandum putatis, vt incuruus in dicendo Orator, ingenuo & honeſto modo conſiſtat? qui velut *curuus raſtris foſſor*, vt cum Sidonio loquar, pro celſo & erecto & pleno humanitatis Oratore, exhibet nobis ſilicernium? Sanè ſi fieri poteſt perſuadeamus homini, vt non Baccho, ſed venuſtis Gratiis & Decoro litet, quò rectus & cum dignitate verba fundat. Nam indecorum quidem illud eſſe, ruſticanum, minimè oratorium, turpe denique & inficetum, communis ſapientum exiſtimatiò, & antiquioris æui lumina cenſuerunt. Ariſtoteles dux optimus inueſtigandæ veritatis, inter ſigna impudentis & inuerecundi reponit, quod ſit τῷ σώματι μὴ ὀρθὸς, ἀλλὰ μικρῷ προπετέστερος, *ſtatu corporis non erecto, ſed aliquantulum prono*. Ammianus Marcellinus cùm Hunnos populorum omnium fœdiſſimos depingeret, *prodigioſè*, inquit, *deformes & pandi*. Quare ſi quid olim huiuſmodi in dicendo ineptis Oratoribus contigiſſet, dici vix poteſt, quot & quantis elegantium hominum facetiis & contumelia illuderentur. Hæſit in eo luto Æſchines, is alioqui, qui de benedicendi gloria, cum principibus Græciæ viris bellauit: eum Rhetor Vlpianus ait, μικρὸν fuiſſe τὸ σῶμα, *exiguo vel contracto corpore*, atque adeò pando & inflexo, ſeu languore animi luxu diffluentis, ſeu alia vitioſitate. Rem non tacuit æmulus Demoſthenes, atque in nobili illa cauſa de Corona, vbi omnibus eloquentiæ viribus lacertiſque pugnatum eſt, aculeato conuitio γραμματοκύφωνα illum nominauit, hoc eſt, *incuruum ſeu gibboſum literionem*. Archippus in adminiſtranda republ. diu Athenis verſatus erat, ſui temporis volubilis quidem Orator, amplus & copioſus, ſed qui tamen ſemper in dicendo, inflexo in anteriorem partem eſſet corpore. Irriſit hominem argutè Melãthius, cùm diceret illum non προεστάναι, ſed προκεκυφέναι, quarum dictionum venuſtatem & gratiam, nulla elegantia Latinarum expreſſerit. Volebat ſignificare non in recto eſſe gradu dignitatis eum ineptum & putidum Oratorem, ſed reipubl. decus & excitatam maiorum gloriam inflectere. An vobis excidit è memoria Publ. Bleſus, ſcitus, vrbanus, feſtiuſque

Rectus Bacchus.

Sidon. l. i. ep.

in Phyſiog.

Ammian. l. 31.

Proni & inflexi corpore in dicendo irriſi.

Plutarc. in Symp. l. 2.

ſtiuíque ſermonis, quam eleganter magno omnium riſu cauillatus Iuniũ ſit? quem cùm videret nigrum & macrum & pandum, *fibulam ferream* piperato elogio nuncupauit. *Fabius l. 6.*

Quod ſi cauſam diligentius intueri lubet, cur hic geſtus corporiſque inflexio minimè in Oratorem conueniat, ſic reperiemus, ſignum id eſſe non inſulſi modò languoris animíque ruſticani, verùm etiam odioſæ humilitatis, quæ vel cauſæ diffidat ſuæ, vel audientium luce & ſplendore frangatur, quod è contrario licet intelligi. *Cur inflexio corporis minùs decora.* Rectum enim ſtare, honeſtum animum & politum elegantia, promptũ & fidentem arguit. Hinc *rectiſſimi* dicti eleganter à Seneca generoſi atque magnanimi, vbi de fortuna diſſerit, *Contumaciſſimũ quemque & rectiſſimum*, inquit, *aggreditur*. *Seneca l. de prouid.* Homines quoque ſecuros lætos & geſtientes, ab eadem poſituræ conſuetudine atque modo, M. Tullius cæteríque latinitatis autores appellant *erectos*. Sic Oratorem aiebat Craſſus, *erectum & excelſum, alacri & prompto ore ac vultu, præſidium clientibus, atque opem amicis, & prope cunctis ciuibus lucem ingenij & conſilij ſui porrigere*. *Cic. de or. 1.* De inuicti animi viro M. Tullius, *vir celſus & erectus, & omnia quæ accidere poſſunt, parua ducens*. *5. Tuſcul.* Hæc vt videtis laudem habent & commendationem apud omnes, & in Actore honeſtiſſimæ dignitatis amplitudiniſque retinente, vno omnium ſenſu gratiáque celebrantur. Contra verò demiſſio corporis ſæpe animi abiectionem, infractionem, debilitationem ſignificat, ſæpe hominem moroſum, triſtem, inhumanum, qui toruo & obſtipo capite conuitium humano generi faciat. *Corporis demiſſio quid notet.* Quis ergo liberaliſſimè inſtitutus non eum næuum ſibi eluendum atque fugiendum putet, vt cum omnium tacito faſtidio & offenſione, pandus, κεκυφὼς, arcuatus cauſam oraſſe dicatur?

Id cùm fœdum ſit maximè in adoleſcentibus, & media ætate viris, tolerari in ſenibus ſolet, quos longiſſimi æui pondus in terram premit, qualis fuit Thebanus Crates, qui cùm eſſet morti vicinus in ſeipſum intuens hæc dicebat, *Senes oratores ſine reprehẽſione incurui.*

——— στείχεις δὴ φίλε κύρτων
Βαίνεις εἰς ἀΐδαο δόμους, κυφὸς διὰ γῆρας.
——— *vadis nunc optime curue*
Vadis ad Orci ædes longa gibboſe ſenecta.

qualis & Heſiodeus ille ſenex, *Heſiodus ἐν ἔργ.*

Οὔτ' ἐπὶ νῶτα ἔαγε κάρη δ' εἰς οὖδας ὁρᾶται.

Cuius fracti humeri & caput pauimentum ſpectat.

Eam decori partem vidit Homerus, & exquiſito iudicio carminibus ſuis conſignauit: nam apud illum heros Ægyptius concionem habet γήραϊ κυφὸς ἐών, *incuruus ſenio*, magno tamen eorum omnium qui audiebant ſtudio & veneratione. (Odyſſ. 2.) Eos homines olim nominabant *Silicernios*, ſenes videlicet iam incuruos, quaſi iam ſepulchrorum ſuorum ſilices aſpicientes, quo nomine Gorgiam Leontinum appellauit Cincius Alimetus, Gorgiam, inquam, illum oratorum lumen, & præſtantem ſuauitudinis opificem in dicendo, dum ſenio grauis decumberet, *Qui dum*, inquit, *iam ſilicernius ſui finem temporis expectaret*, &c. (Fulgent. de vocib. anc.) Et ipſi tamen ſenes alta mente animíque excellentia præditi, ſi quando in communem lucem veniunt de rebus magnis ſententiam ſuam explicaturi, quo maiorem habeant dignitatem, ſeſe erigunt in dicendo, vt Themiſtius Orator & Philoſophus elegantiſſimus, (Themiſtius Orat. 16.) qui ſe aiebat iam caneſcentem ſenióque debilitatum, Theodoſij Imperatoris conſpectu, τὸ σῶμα συνανακύπτειν, *corpus incuruum animi quadam contentione viuidóque motu excitare.*

Eſt verò quoddam genus hominum qui demittunt ſe in anteriorem partem, tum reſupinant, mox iterum prono veluti capite inclinantes annuunt, & deinde attollunt, quod ſæpius cùm fit, meritò ſolet videri ſubruſticum & ineptum. Is geſtus proprius remigum eſt, qui cùm ſe paululum demiſerint, adducto remo in humeros ſe attollunt & reclinant. Hoc Græci propriè dicunt ἀναπίπτειν. (Athen. l. i.) Cratinus apud Athenæum, *Obnitere validè*, & ἀνάπιπτε, *adducto remo te reſupina*. Rogemus Oratorem noſtrum, ne ad remum ſe iſtum alligari patiatur, ne feratur eo nauigio quod nullâ beneuolentiæ aura, nec ſecundus audientium flatus proſequatur. Quin audiat potius & contineat animo, quod pugilibus & luctantibus olim ante omnia præcipiebatur, (S. Chryſoſtom. hom. 23. in ep. ad Epheſ.) τὸ ἑστάναι, nempe *ſtare*.

Incurua proceritas minùs decora. tiliacea tabellæ vſui olim pandis. Coloſſeros. Ingens corporis magnitudo num dicenti opportuna. SECTIO. III.

PANDATOS Oratores & ineptè incuruos, omnium eruditorum iudicio reprehendi iam aiebam. Id vitium neſcio quo fato in eos ferè omnes incidit, qui longiori ſunt corpore ſimul & prętenui, niſi prudentia conſilióque valeant, & honeſtatis amore teneantur. Id perſpicuè & quotidiana experientia docet, & ſcripta veterum monumenta clariſſimis hominum teſtimoniis comprobarunt. De Cæſare Tiberio Cornelius Tacitus, quem deformem atque inhumanum pingit, *Erat illi*, inquit, *prægracilis & incurua proceritas, nudus capillo vertex*, &c. Qui tametſi Imperium magnum ſolus adminiſtraret, dictíſque omnes obedientes haberet, propter eam tamen corporis longiſſimi & arcuati ſpeciem, abhorrentem à Domini maieſtate, non ſat æquis omnium animis audiebatur, ſi quando grauiſſimo in Senatu, in orbis terræ concilio vocem mitteret. Cineſias Cyclicus magnus & exilis, eam maculam omnino inuitus ſuſcipiebat, cùm eam corporis inflexionem præter dignitatem eſſe vidiſſet, erat enim μακρότατος καὶ λεπτότατος, vt antiqui ſcriptores animaduerterunt. Itaque Strattis ludens in eius ſtaturam imbellem & inamœnam, eum per iocum atque laſciuiam nominabat *Achillem Phthiotam.* Videte quid homo cautus & ſapiens excogitauit: tabellas ſumptas è ligno tiliæ ad corpus adhibebat, quæ ſuſtinerent, ἵνα μὴ κάμπτηται διά τε τὸ μῆκος, καὶ τὴν ἰσχνότητα, *ne ob proceritatem & gracilitatem corpus inflecteretur*: ſic fiebat vt non eſſet planè ineptus in dicendo, nec cachinnis illudentium aliorum obiectus. Sed neque id proprium commentum fuit Cineſiæ, & excogitata induſtria, ad corpus ſuaui quadam ſpecie dirigendum. Nam Pius Antoninus Imperator cùm ſtatura eſſet longus, & ætate incuruaretur, tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, vt disertè meminit Capitolinus. Commoda in eam rem tilia videbatur,

Tac. l. 4. Annal.

Athen. l. 12.

Tabellæ tiliacea.

Iul. Capit. in Anton.

Pallad. in Hippocr.

& probata Medicis, quos ad fractorum oſſium deligationem conſueuiſſe adhibere ξύλα φιλύϊνα, *ligna tiliacea* prodit Palladius, qui Archiatri Coi ſapientiam vberibus Commentariis illuſtrauit. Nec ignotum artificij illud genus fuit mulierculis, vt ex Comico licet intelligi, qui meretricium mundum & apparatum in luce ponit apud Athęneum,

Athen. l. 13

A tergo ſi pectoris gibbus prominet
Virgulis ſtatim & tabellis anteriora verſus
Vt contis in ventrem repellunt.

Sic Græca paulò impeditiora doctus ſanè politúſq; interpres conuertit. Tantum videlicet momenti eſſe putabant in iunceo & directo corpore, ad intuentium beneuolentiam conciliandã, vt non miremur claros viros, & præſtantes opinione prudentiæ, in eadem ipſa re elaborauiſſe.

Quæ magnitudo corporis in Oratore probetur.

Hactenus de iis loquor qui gracili ſunt & tenui corpore, eóque longo & in magnam altitudinem excitato: quid cæteri qui artuum magnitudine pollent, procerúmque habent corpus & compactum, an eſt cur placere vehementer ſibi debeãt, & ſe pulchros ſolos ac beatos opinari? Non enim deſunt qui magnos & proceros homines aptiſſimos & maximè idoneos eſſe putent ad orandum, vt qui regium & magnificum neſcio quid præ ſe ferant. Sanè cùm ſtatura ampla eſt, ſed tamen intra moderationis terminos, ſi pulchritudinem atque oris dignitatem adiunxeris, hominem efficies ad dicendum accommodatum, qualem deſcribit Iulium Cæſarem apud Iulianum ϖρὸσ-βάτην Silenus, ϗ γὰρ, inquit, ὡς ὁρᾷς, ἐστὶ μέγας ϗ καλός. De Seuero Caſſio, quem Fabius Quintilianus inter præcipuos Oratores ponit, loquens Seneca & mirificè commendans, *Corporis*, inquit, *magnitudo conſpicua*: De Antonino Iulius Capitolinus, *fuit ſtatura eleuata decorus*: Alij quidam reperiuntur huiuſmodi, in quibus formæ elegantia corporis magnitudinem illuſtrarit, quo in genere Proculum ciuem Romanum colloco, qui propter eximiam totius corporis granditatem & ſpeciem, *Coloſſeros* fuit nominatus, quia cùm eſſet corpore in ſummã altitudinem exaggerato & Coloſſeo, etiam ἔρωτα præ ſe ferret, hoc eſt vultu ſpecieque foret amabilis. Sed illud bonum atque ornamentum humani generis non paſſim & vbique lucet, & quidẽ inter antiquos oratores, ſi viris magnis fides adhibetur, vnus

Iulian de Cæſaribus.
Prę fat. l. 3. Epit. Cõtr.
Suet in Calig.

Proæreſius id videtur diuino beneficio conſecutus, vt cum inſigni magnitudine corporis eximiam quandam ſpeciem dignitatis exuberet. Sic enim de illo ſcriptum memini ab Eunapio; *Formæ elegantia tanta erat Proæreſio, vt dubitem an alius quiſpiam* Eunap. de vit. Soph. *ſimili in ætate fuerit perinde ſpecioſus, mirérque formæ nitorem vſquequaque ſufficere potuiſſe in tam procero corpore ad optimam corporis formaturam. Maiore fuit ſtatura quàm quis credat, imo ne coniiciat quidem facile, vno namque pede cæteris altior extabat Coloſſum mentitus*, &c. Et alias de eodem ipſo agente in Galliis cum Cæſare Iuliano, τοῦ τε σώματος αὐτοῦ τὸ κάλλος καὶ τὸ ὕψος ἐπεθήπεσαν, *pulchritudinem corporis & ſtaturam eminentem ſtupebant*. Sed hoc vt dixi rarum, vt vaſto & eminenti & longiſſimo corpore præditi, venuſtatem habeant gratam & iucundam.

Itaq; haud obſcuro nationum omnium conuicio huiuſmodi homines ſalibúſque exagitantur, niſi multa atque magna in promptu ferant, quibus hominum mens & cogitatio aliò traducatur. *Ingẽtis corpore Oratores illuſ.* Veſpaſianus procerum hominem & inuenuſtum bellè aliquando irriſit, cùm eum nominaret δολιχὸν ἔγχος, *longam haſtam*, adducto è poëtarum principe Græco verſiculo. Sueton. in Veſp. c. 23. Galli noſtri *perticam, longurium, bardum* fatuúmque indigitant. Sic enim prope omnes ſibi perſuadẽt, in ea mole grandi & exaggerata, tenue vulgo eſſe iudicium & anguſtã eruditionẽ. Iouianus Imperator fuit τὴν τοῦ σώματος ἀναδρομὴν εὐμήκης; *ſtaturoſus & elato corpore*, vt ſcribit Zonaras (*longiorem & incuruum*, ait Marcellinus) ſed teſte Suida ἀμελέτητος καὶ ἄγευστος παιδεύσεως, *eruditionis omnis expers & politæ humanitatis*: is Antiochiam venit aliquando, ſummo plauſu ciuium exceptus atque beneuolentia, qui eum primùm ſpecie ampla & excelſa purpuratos omnes ſuos facilè ſuperantem, mirificè atque auidè ſuſpiciebant: ſed anicula dicax & ingenioſa, cùm hominem minimè malum eſſe didiciſſet, neque nimis intelligentẽ, Ὅσον μῆκος, inquit, καὶ βάθος, ἡ μωρία, *quanta longitudo & profunditas, tanta eſt vecordia*. Zon. to. 3. Ammian. l. 25. Suidas. Hic memini Theophraſti ſummi Oratoris & Philoſophi, qui libris ſuis commendauit lepidum ſanè & argutum apophthegma. Viderat is Symilã hiſtrionem, procero hominem corpore, & externo cultu alicuius vt videbatur dignitatis, ſed indoctum in arte, vaſtum in agendo, pronunciando nouitium. Rogatus autem qualis Symilas ipſi videretur, reſpondit

Athen. l. 8. paucis, *μέγας, οὐδεὶς, σαπρὸς, ἰχθῦς, magnus, nullus, putris, piſcis:* obſcurè ſignificans, primùm quod ampla quidem eſſet mole corporis, ſed homo nihili; deinde quod ob infantiam piſcis.

Sectio IV. *Poëtarum atque Oratorum ſalibus ſæpe aſperſa grandior ſtatura dicentium. Cnidius Aſinus, σάρκας κενὰς φρενῶν, Struthiocamelus de inſulſa proceritate. Inanis ob corporis magnitudinem eſt gloriatio.*

Poëtarum ioci in vaſtos homines. QVARE elegantiſſimi poëtæ in hoc etiam campo ſæpe volitarunt, delectis non floſculis ſed aculeis, quibus homines magnos & inelegantes pungerent, quos non modò vt væcordes illuſerunt atque fatuos, ſed vt monſtra quædam hominum & portenta, quíque plus carnis fæcíſque haberent, quàm animi. Lucilius illud argutè & lepidè.

Saty. 15. apud Non.
Multa homines portenta in Homero verſificata
Monſtra putant, quorum imprimis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes.

Euripid. Euripides in Electra vaſtos homines σάρκας κενὰς φρενῶν appellat, *pulpam mente & intelligentia vacuam*, & ἀγάλματα ἀγορᾶς, *fori ſimulachra*. Et è Latinis poëta magnus elegantiſſimè,

Catull. ep. 87.
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

Statura dicentium ſalibus ſæpe aſperſa. In foro verò atq; iudiciis, in Curia templo ſanctitatis & publici conſilij, in cõmuni ſermone, quoties iidem ſubtilium hominũ dictis & oratione carpuntur? Certè olim multi ſtudiorũ æmuli in excogitando verſuti, in iocando faceti, plurimùm ſalis in irridenda hominum ſtatura ponebant. l. de Conſtant. *Quid eſt illud*, ait Seneca, *quod contumelia dicitur? in capitis mei leuitatem iocatus eſt, & in oculorum valetudinem, & in crurum gracilitatem, & in ſtaturam.* Exiſtat paullum cogitatione Fidus Cornelius ciuis Romanus, Ouidij poëtæ gener, hominémque rogemus, quam propter longitudinẽ corporis Romæ contumeliã pertulerit. Haud ſanè mihi videtur poſſe meminiſſe, quin moleſtiam animi ſentiat, & collacrymetur. Nam in Senatu, multis honeſtiſſimis viris audientibus, cùm ille & Corbulo ſe mutuis contumeliis aſpergerent, hic Cornelium *Struthiocamelum* nominauit, quod longo

Digitized by Google

eſſet corpore, tenui & anguſto collo & notabili crurum gracilitate. Quæ dicti acrioris ignominia ſic pupugit hominem, ſic intimum animũ lacerauit, vt in ipſa Curia lacrymas emitteret. Philonides grandis corpore ſed indoctus, hebes & imperitus, Suidas. communiũ literarum & politioris humanitatis expers, ita fuit ea ſtatura & ingenio nobilis in Græcia, communique veluti infamia notatus, vt eius nomen in prouerbium abierit: itaque *ἀπεδεύστεροι φιλωνίδου* iam dicuntur, qui plurimum habẽt molis, parum mentis. Sic Piſandrũm hominem timidum & ineptè glorioſum, propter corporis magnitudinem tenuitatémque prudentiæ *Cnidium Aſinum*, vulgo nuncupauerunt.

Atq; vt vetera omittentes in noſtri æui conſuetudinẽ intueamur, ſit in ſubſelliis quiſpiã huiuſmodi, aut in ſuggeſto ampliſſimo ad dicendũ loco πελώριος, iiſq; ſimilis, quos poëtæ Alpinis arboribus magnitudine pares faciunt: diſputet ille de legibus, quas qui violẽt, cum ipſo Deo Gigantũ more bellare videatur. Poteritne Gigântas nominare, quin auditor inuſitata illa magnitudine obſtupefactus, ad eum ipſum qui dicet, cogitationẽ referat, & eum pæne dè Gigantũ proſapia natũ putet? præſertim ſi voce abſona, ſi oppidano dicendi genere, ſi motu vaſto, & agreſti pronunciatione vtatur. Quid ſi loquẽs de ſuperbo, & in beata fortuna triumphante, ſolennia illa dicat auctorum elegantium, *Iam prope digito cælum ſe putat attingere*, *caput inter nubila condit*, *ſublimi feriam ſydera vertice*, aliáque huiuſmodi, an non iam animo prouidetis idem illi quod Antiocheno Mimo euenturũ? qui cùm eſſet maximo corpore atque in theatro ſaltaret Capaneum, & Thebarũ etiam muros iam adiecturus videretur, Antiocheni omnes vna voce exclamarunt vt Lucian. [illegible] tranſcenderet, nihil enim ſcalis eſſe opus tam magno.

Nemo igitur longitudine corporis nagnificè glorietur, & eo ſe prçſtantẽ oratorẽ putet, quod eximia quadam mole in ſublime aſſurgat. Sanè bellè Sidonius Apollinaris negat in homine Sidonius l. proceritatem eſſe vehementer laudandã, *quæ trabibus congruentius*, inquit, *aptetur*. Ne 7. ep. 14. ὑπερωμίαν ſuſpiciendam exiſtimet, aut ad hominum colligendã beneuolentiã conciliandúmq; decus accommodatã, niſi magnis eruditionis ornamentis & eloquentia decoretur, præſertim cùm ne in belli quidẽ principe & Martio viro commendari ſoleat, niſi prudentia atque multis magniſq;

Digitized by Google

virtutibus inſignita. Quare Aiacem maximis laudibus ornans Hector apud Homerum, cùm dixiſſet δῶκε θεὸς μέγεθός τε βίην τε, ei robur corporiſque magnitudinem fuiſſe à diuina mente conceſſam, præclarè adiunxit καὶ πινυτὴν, *atque prudentiam*, ne non tam virum magnanimum facinoribus inclytum & tropæis, quàm elephantum prædicare videretur. *Sis liber*, aiebat Epictetus, οὐ τῷ μεγέθει πεποιθὼς τοῦ σώματος, &c. *non corporis magnitudine confiſus vt luctator, neque enim eodem modo quo aſinum, inuictum eſſe oportet.* Atque vt claudam hanc diſputationem, illos breuiter admonitos eſſe volo δεκαπήχεις, eò labem inſigniorem futuram & deformiorem, quæ in amplo & ſpecioſo corpore atque omnibus ad intuendum obiecto inſederit.

Iliad. 7.

Arrian. l. 1. c. 18.

SECT. V. *Statura breuior an commoda Oratori. homunciones ſæpe in dicendo illuſi. Gibboſi minùs idonei ad eloquentiam oſtentandam.*

NEQVE minùs qui perexiguo ſunt corpore, & prope nani aut pumiliones, prouidere etiam debent, vt cùm in lucẽ aliorum veniunt & conſpectum, ioci materiam facetis hominibus & dictioſis non ſubminiſtrent. Humilis enim ea corporis conſtitutio ad hominum vulgo deſpicientiam & cõtemptum adhęreſcit, niſi multis & magni animi ornamẽtis attollatur. Et neſcio quo modo eueniat, vt quæ vitioſa ſunt, quæq; honeſtiſſimi homines repudiant & aſpernantur, ſi ea ſint in puſillo corpore, illuſtriora in eo genere videantur. Furens quædã iracũdia in vaſto & ampliſſimo corpore ferri queat, nec ſummopere intuentium admirationem parit: at ſi paruus quiſpiam homuncio turbido animi motu efferueſcat, notant id homines in cœtu atque frequentia, & collatis inter ſe capitibus, En inquiunt homulum iracundum, viden' vt pectus ori finitimum ebulliat? totus in fermento eſt: flammas vomit. Impunita audacia impudénſque temeritas, omnes quidem vniuerſim dedecet, ſed Coloſſos minùs tamen quàm minutos. Omnes denique labes atque dedecora lucent magis in exiguis hominibus, ad iuſtam omnium reprehenſionem, quod ipſa per ſe menſura à com

à communi conſuetudine recedens oculos feriat, & in ſui contemplationem quodammodo euocet. Hinc Nearchum pingens Ariſtophanes atque pungens, *μικρός γε μῆκος οὗτος, ἀλλ' ἄπαι κακὸν*, *parua quidem ſtatura*, inquit, *homuncio, ſed peſſimus.* Itaque videmus ſæpè Oratores, alióſque homines propter corporis breuitatem fuiſſe illuſos, & nonnunquam etiam contumelioſè appetitos. Caluum quidem dicendo clariſſimum, ſed puſillum, venuſtiſſimus Catullus *Salaputium diſertum* vocauit, quaſi nutrix minuto puſioni adblandiretur. In quendam ſtaturæ exiguæ Rhetorem, Euctemonis dictum illud celebratur, *Antequam te viderem, neſcio Rhetor an Sorator eſſes.* Apud M. Tullium feſtiuus Orator, cùm de more interrogandi in iudicio teſtes forent, ſalis ſui partem & feſtiuitatis in teſtis vnius breuitate illudenda voluit inſumere, *Interrogabo*, inquit, *perpuſillum*: ludebat in ambiguo, at geſtus ipſe atque pronunciatio, quid vellet, ſatis innuebant. Verùm cùm inter Iudices adhuc breuior ſederet L. Aurifex, omnium riſus in eum ipſum eſt cõuerſus, cœpítque audientium multitudo qui tum frequẽtes adfuerunt, vtrumque inter ſe componere, Pygmæum putare, naribus ſuſpendere; ſed Iudicem eò cupidiùs irridebant, quod in tanta perfectorum hominum diſſimilitudine monſtrũ hominis celſo & illuſtri in loco poſitum eſſe putarent. Catull. ep. 51. Senec. l 5. Controu. Cicer. 2. de Orat.

Neque verò propria tantùm fuit Romanorum in breuiſſimos homines cauillatio, ſed omnium propè nationum communis, quæ ſentire, & animi ſui notiones lepidè explicare potuerunt. Athenienſes quidem *ἀττικῷ μυκτῆρι* homulos nominitabant *σταλαγμούς*, *ſtillas*, vt Poëta Anaxandrides in Vlyſſe memorat. Græciæ princeps, atque adeò lumen orbis terrarum Ageſilaus, cùm de multis ſæpè nationibus glorioſiſſimos triũphos retuliſſet, patriámque ſuam hoſtium manubiis & dulci gloria condecorauiſſet, non potuit tamen breuiſſimi corporis contumeliam effugere, cùm eſſet *βραχὺς τὸ σῶμα*, vt ſcriptores veteris memoriæ prodiderunt. Tachos enim Ægypti moderator, cùm inuictum illum vidiſſet Spartanorum ducem, à quibus auxiliares copias expetierat, contempſit Ageſilaum, atque improbo hoc dicto irriſit, *ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.* *Parturiit mons, exterritus eſt Iupiter, enatus mus.* Athen. l. 6. Plutarc in vit. Athen. l. 14.

Atque iſta eo conſilio à me proferuntur, vt intelligamus

eiuſmodi homines magna quadam eruditionis varietate & copia, ſingulari vi dicendi, prudentia, iudicio exquiſito, autoritate, voce, motu, forma denique ad elegantiam ficta & iucunda præſtare oportere, vt inter bonos & laudatos Oratores locum aliquem obtinere poſſint. Nam ſi ad illam corporis breuitatem, oris etiam turpitudo, vultúſque horror acceſſerit, tum non modò periculum eſſe video, ne non modò illudatur Orator, verùm & tacito omnium conuitio explodatur. Romani in grauioribus maledictis Antoninum Caracallam Imperatorem nominabant *Tarantem*: id fuit nomen gladiatoris audacia proiecti; qui plus habuit immanitatis quàm corporis, & animi vitia in ore expreſſerat: fuit enim ἀδεχθέστατος, καὶ σμικρότατος, *deformiſſimus & perexiguus.* (Dio.) Iulianus quoque Imperator cùm puſillus eſſet corpore, animóque deterrimus, facetis hominibus anſam porrigebat, vt ſalibus eum aſpergerent, & cauillo inſequerentur. Nam, vt autor eſt Ammianus Marcellinus (Ammian. l. 22.), *Ridebatur vt Cercops, homo breuis, humeros extentans anguſtos, & barbam præ ſe ferens hircinam.* Par prope fuit Antigoni Regis contumelia, in quem iocantes milites (Senec. l. 3. de ira.), *nunc ſtaturam humilem, nunc colliſum naſum deridebant*, vt Seneca magnum in Philoſophia nomen edidit. Huius notæ hominibus, ſi me audiant, autor ego ſim lubens, vt ſi quid multis ſuis laboribus atque vigiliis doctrinarum & eloquentiæ conſecuti ſint, id potiùs in mandandis ſcripto cogitationibus & pulcherrimis monumentis conficiendis inſumant, quàm vt ſpecie minus grata, & vt plurimum odioſa, de ſe ludos petulanti multitudini exhibeant.

Gibboſi an ad munus oratorium idonei.

Et neſcio an gibboſos ad eorum numerum debeam adiungere, magnum certè ſplendidæ eloquẽtiæ & ſinç inuidia triumphantis impedimentum, quod vel vnius Galbæ exemplo poteſt intelligi, quem natura diſtortum genuerat, induſtria verò tanquam alia parens doctum & eloquentem. In eum igitur eloquentia clarum, ſed quam habitus corporis deſtruebat, hæc M. Lollij vox circunferebatur, *Ingenium Galbæ malè habitat.* In iudiciis verò, eâ cauſa, moleſtias plurimas, & hominum iocos ridentiũ inuitiſſimo animo ſuſtinuit, & impunè deuorauit. Cùm ageret aliquando cauſam apud Octauium Auguſtum (Macrob. l. 2. Sat. c. 4.), & frequenter eidẽ diceret, *Corrige me ſi quid reprehendis:*

Acutè Imperator, *Ego*, inquit, *te monere poſſum, corrigere non poſſum*, qui ſanè emiſſus aculeus altè in ipſo gibbo inhæſit. Orbilius item Grammaticus, homo natura maledicus & conuitiator, eundem Oratorem contumelioſiſſimè illuſit: nam à Galba publico in iudicio rogatus, cui maximè artificio daret operam. *In ſole*, inquit, *gibbos fricare ſoleo.* Scio tamen eſſe huiuſmodi aliquos, qui magnos animos anguſto in pectore verſent, qui non tam gibbum ſuis humeris, quàm rempubl. omnem ſuſtineant, qui conſilio polleant, & propter ingenij dotes, lucémque admirandæ ſapientiæ copioſè loquentis, in Senatu honorentur. Sed hoc rarius eſt, & illi ipſi ad dicendam ſententiam ſunt aptiores, quàm ad tuendum munus Oratoris, cùm ne quidem longiſſimam periodum niſi ægra & moleſta fatigatione pronunciare queant. Dixi de ſtatura Oratoris omninò loquaciùs, quàm conſiderati hominis mens, ratióque poſtulaſſet, hoc ſilentio veſtro prouectus & patientia. Quod ſi ad Polycleti canonem, dimetiendum & inſtruendum eſſet corpus illius hominis, quem excellere in dicendo cupiam, optandum mihi videretur eiuſmodi, quod eximio in ſaltatore deſiderabat Lucianus, μήτε γὰρ, inquit, ὑψηλὸς ἄγαν ἔστω, καὶ πέρα τοῦ μετρίου ἐπιμήκης, μήτε ταπεινὸς καὶ νανώδης τὴν φύσιν, ἀλλ' ἔμμετρος ἀκριβῶς, &c. *Sit Orator neque impenſè altus, neque præter modum craſſus, neque breuis nimium aut humilis, neque natura preſſus & pumilio, non obeſus admodum, abſurdum eſt enim, neque item corpore valdè tenui, hoc enim aridi cadaueris præ ſe fert imaginem.* Hæc ille. Lucianus

---

Trunci moderatio cum virili laterum flexione. Corporis aſſeueratio. Fractum corpus mollium & delicatorum iuſta omnium reprehenſione verberatum. Demoſthenes ab eo dictus Battalus. SECTIO VI.

EST trunci quædam moderatio corporíſque motus, qui dicentis acre iudicium & maturum ſignificat, & honeſtiſſimam inſtitutionem; quem profectò quærere Orator debet & ſectari ſtudioſiſſimè, ſi coronæ ſatis facere cupit, & omnium

Digitized by Google

expectationi. Nam quemadmodum illi quos antiqui νευροσπά-ſτας ob id appellabant, quod imagunculas & ſimulacra artifi-cioſè compoſita, fidiculis trahendis, admirabili quadam & ignota vulgò ratione motabant, cùm neruum adduxiſſent, manum veluti ſpirantis imaginis attolli, cieri ceruicem, hu-merúmque itidem & oculum, nonnunquam etiam membra omnia faciebant, ídque, vt ſcribit Ariſtoteles, *μετά τινος εὐρυθμίας, certa quadam venuſtate & æquabilitate motus*: quod ni feciſſent, vt inepti præſtigiatores ex hominum cœtu atque oculis eiiciebantur. Sic Orator non neruo & fidiculis, ſed ex-cellenti iudicio, caput & manum, & totius corporis actio-nem moderari debet, vt ſit decor τῆς εὐρυθμίας, ſine quo vix tueri nomen ſuum poteſt, & in grauium hominum cœtu ho-neſtè verſari. In eo verò poſita eſt illa ſuauis moderatio, vt la-tera & ipſius corporis motus cum geſtu conſentiant. Truncus enim ſuum quendam motum habere debet, genio quodam ipſius agentis, & natura cauſæ modificatum, vt illi mihi nul-lius conſilij eſſe videantur, qui tanquam palus in campo Mar-tio, ſic rigenti & corneo pectore in pulpito hæreant. Ille mo-tus non modò creat humaniſſimam quandam voluptatem o-culis intuentium, & eruditi animi opinionem, ſed vim e-tiam, pondus, & dignitatem, iis rebus adiungit, quæ ab a-ctore oratione explicantur: *Corporis aſſeuerationem* eleganter vocat Seneca in Controuerſiis, vbi de Fabiano Oratore, qui tanquam plumbeo epiſtomio ad columnam fixo & immoto, continuæ flumen orationis fundebat, *Vocis*, inquit, *nulla contentio, nulla corporis aſſeueratio, cùm verba velut iniuſſa flue-rent.* Rem totam eloquentiæ doctor M. Tullius, breuiter & diuinè pronunciat, in Oratore perfecto, his verbis, *Non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto ſeipſe moderans & virili laterum flexione.* Breuiter, inquam, & diuinè multa eſt complexus, cùm virilem flexionem laterum in agente poſtu-labat, cuius dicti reconditam ſapientiam, mecum licet cum animo veſtro reputetis.

[Margin: Ariſtoteles πε. κοσμ.]

[Margin: Seneca proœm. l. 2.]

Sunt enim meretricij quidam geſtus, & molliſſimi corpo-ris motus, effœminatum animum redolentes, qui tametſi no-tari faciliùs queant in inceſſu, tamen etiam euenire dicenti poſſunt, non ſine dedecore & flagitio, & haud tacita ſapientũ

[Margin: *Fractum & ſolutum corpus di-centium.*]

reprehenſiore. Plutarchus id περίκλασιν τοῦ σώματος appellat, Plutarch. l. de audiē.
aitque eſſe ὑπεύθυνον, *reprehenſioni obnoxiam*. Peritè omnino
& ſcienter ille philoſophus; nam eorum hominum corpus luxu
fluentium propriè *frangi* Græci Latiníque dixerunt. Ea
mente Auctor Satyrici,

——fractique eneruí corpore greſſus.

Et Pompeius Silo Orator, *Docetur blanditias & in omnem motum corporis confringitur.* Senec. l. 1. contr. Pari venuſtate Maximus Tyrius Sardanapalum vocat τὸ σῶμα ἐκτετριμμένον. Max. Tyr. diſſ. 19. Hinc laureata eloquentia Martyr Cyprianus elegantiſſimè, *virum in fœminam frangere* dixit. D. Cypr. ep. 2. Doctiſſimus Clemens Alexandrinus κατεαγυίας κινήσεις *fractos motus* appellat, l. 3. pædag. c. 11. cuius ſanctam & perutilem monitionem audire lubet. Non enim, inquit, ita ſe gerere oportet vt nonnullæ ſolent, quæ geſtus Comœdiæ imitantes & ſaltatorum κατεαγυίας κινήσεις ſeruantes, in proſcenium veluti prodeunt αὐτοῖς ταῖς κινήμασι τοῖς ἁβροῖς καὶ τοῖς ὑγροῖς βαδίσμασι, &c. *delicatis motibus, & mollibus ingreſſibus*, &c. & paulò pôſt, Anacreonte verò teſte ἁβροδίαιτον τῆς κινήσεως καὶ τὸ σαυλὰ βαίνειν, κομιδῆ ἑταιρικά, *mollior motus gradúſque laſciuiens ſunt valde meretricia.*

Fuit omnino iuſtiſſima ratio cur medulla Suadæ M. Tullius, *Ionici motus in Romanis oratoribus.* virilem corporis flexionem in dicendo commendaret. Tum enim corruptis moribus impunita laſciuia & vbique volitante tenera iuuentus prope omnis, ad omnem animi mollitiem imbuebatur, quæ deinde cùm ſe in forum appuliſſet, ſic verſabatur in Oratorum ſubſelliis, & curſu illo honeſtiſſimo gloriæ, vt eieraſſe grauitatem omnem, & pudoris conſueti modeſtiam poſuiſſe videretur. Nimirum hiſtriones, hominum genus perniciosiſſimum verecundiæ, totos dies audiebātur, ſpectabantur mimi, ſaltatio addiſcebatur. Carpit indignum id ſtudium Poëta imprimis ſapiens,

Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo. Horat.

Sed è Capitolio Stoicus, togæ lumen, honeſtatis decorique amans Seneca, id non tantùm mulierculis proprium, ſed commune viris minimè viris æuo ſuo dolet & indignatur: Cùm enim de Pantomimorum ſtudio & familiaritate ageret, *Harum*, inquit, *artium multi diſcipuli ſunt multíque doctores. Mares inter ſe vxoréſque contendunt, vter det latus illis.* Senec. l. 7. nat. q. c. vlt. Hinc igitur ea

Digitized by Google

laterum inflexio propudioſa, hinc cinædorum non oratorum cohors, ſub neſcio quo Themate genita, & ſyderum poſitione, Firm. l. 6. de qua Iulius Firmicus, *Effœminati corporis mollitie cinædos efficient*, hinc mimi in iudiciis & Curia, Gaditanis ſaltatriculis molliores, quos non pudet in ipſo templo grauitatis atque modeſtiæ κιγκλίζεσθαι.

Tam latè patens atquè nequitiæ index vitium, reprehenſum à multis religione ſummis, iudicio clariſſimis viris & notatum *Fracti corporis mollities reprehenſa.* animaduerto, qui modeſtiam eſſe in motu retinendam, & in ipſa corporis flexione voluerunt. Magnus Chryſoſtomus cùm ſingularem mollitiem eleganti oratione deſcriberet, inter alia l. 6. de ſacerd. ponit κινημάτων διάθρυψιν, *motuum exquiſitam mollitiem*, quæ à communi hominum honeſtate repudianda videatur. Oritur enim à delitiis animi quædam remiſſio atque langor, & vt dixit idem ipſe religionis Antiſtes ῥαθυμία ἀπὸ τρυφῆς περιγινομένη, quæ ſe maximè in agendo prodit, & grauium oratorum D. Ambroſ. l. 1. offic. 18. perſonam deuenuſtat. Diuinè quoque more ſuo D. Ambroſius fractas eas & indecoras motiones hoc modo inſequitur, *Sunt qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionicos geſtus & quaſi quædam fercula pomparum & ſtatuarum motus nutantium, vt quotieſcúnque gradum transferunt, modulos quoſdam ſeruare videantur.* Apul. l. 11. metamorp. Venuſtè Apuleius *inceſſum perfluum* nominat, *Alius*, inquit, *inceſſu perfluo fœminam mentiebatur*. Sed omnium elegantiſſimè Proſp. l. 2. de vit. cōt. Proſper Aquitanicus deſcribit in hunc modum, *qui vndante lapſabundi corporis motu, & vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes animorum diſſolutionem veſtigiis ſinuoſa mobilitate nutantibus produnt.*

Nocet Oratori iſta mollities. Id quantum exiſtimationi oratoris gloriæque noceat, tum ratio ipſa monet, vitiique turpitudo, tū hiſtoriarum notatio, in quibus aliquorum ignominia proponitur. Quintianus è numero Quiritium molli corpore fuit infamis, eum igitur pro- Tacit. l. 15. Annal. broſo carmine à Nerone diffamatum prodit Corn. Tacitus. Quæſtorium virum *quod geſticulandi ſaltandíq; ſtudio teneretur*, Suet. in Domit. c. 8. Domitianus Senatu mouit autore Tranquillo. Æternā prope labem nomini ſuo Demoſthenes impoſuit, primis oratoriæ laudis initiis, quam deinde vix elaborata & exquiſita exercitatione potuit eluere, propter mollem & ſolutam, neque ſat virilem laterum flexionem. Quæ cauſa fuit cur fœdo & turpi

hominum conuicio *Battalus* indigitaretur, ἐξ ἀνανδρείας τινὸς καὶ κιναιδίας ἐνεγκάμενος τοὔνομα, vt æmulus eorundem ſtudiorum Æſchines non iniuria illi obiicit: qui etiam alio quodam in loco ipſum ἄνανδρον καὶ γυναικεῖον ἄνθρωπον, *effœminatum hominem & ſmulieroſum* nominat. Ille mihi è theatro illo Athenienſi, in quo dominatum habuit claræ & igneæ dictionis, monere adoleſcentiam videtur, & è Pharo velut ignem attollens ſignificare, ne in ſcopulum earum ineptiarum Syrtímque ſe iniiciat, vnde niſi honoris naufragio non poſſit emergere. Qui ſi in ſcholis eloquentiæ modò exiſteret, daret hoc conſilium meo iudicio vtile & neceſſarium, ne molles animi iuuentutis puerili parentum inſtitutione delitiiſque eneruentur, neue ipſi adoleſcentes ſcenicos artifices adeant & intueantur, quæſtuarios homines, fracto corpore, & molli geſtu muliebriter ſolutos: nam ex vmbraculis hiſtrionum, non prodeunt oratores, ſed Battali, & vt ipſi vocant Pantalones.

Æſchin. or. in Timach.

Idem or. de Fal. legat.

Iactare corpus, vaſtè proiicere, vacillare in alteram partem, glorioſè in orbem circunferri, indecora.

SECTIO VII.

IAM decorum illi etiam in motu corporis eiiciunt, qui ſumma ingenij leuitate in agendo ſaltitant, quos antiquitas iam in Titio inſimulauit. Sextus enim Titius homo ſatis acutus & loquax, ſed tam ſolutus atque mollis fuit in geſtu, vt ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi *Titius* nomen eſſet. Alij iactant corpus, & emicant celerrimè, támque importunè agitantur, vt etiam vicinos abſterreant. Iocus Cn. Sicinnij eſt apud M. Tullium acerbior, quo iſtum næuum in Curione irriſit: nam cùm hic multa verba feciſſet, præſente Collega Octauio, medicamentis delibuto, Sicinnius omnino faſtidioſè, Nunquam, inquit, Octaui, Collegæ tuo gratiam referes, qui niſi ſe more ſuo iactauiſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Hac de re præcipit in hunc modum breuiter & dilucidè Cicero, *Non multa iactatio corporis, non inclinatio*, &c. Simili iudicio Quintilianus, *Laterum leuis in vtrámque partem mo-*

Cic. in Brut.

Fab. l. 11. c. 3

tus, eodem ſpectantibus oculis decebit. Huc ſpectat quod alio loco idem ipſe monuit. *Dextro latere facere geſtus neminem alium præter Demetrium Comœdiarum actorem decuit.* Alij tam tardo & languido ſunt corpore, tam vaſto & inexercitato, vt quaſi informes ſaccos ſtuppa & tomento plenos mouerent, ſic corpus modò in hanc, modò in illam partem ferunt & proiiciunt. Quidam anſerino more vacillant, quem motum in dicendo Curionis, C. Iulius in perpetuum notauit, cùm ex eo in vtrámque partem toto corpore vacillante quæſiuit, *quis loqueretur ex lintre.* Nonnulli denique quod ſuperbæ inſolentiæ leuiſſimæque naturæ proprium eſt, glorioſè corpus & tumidè circunferunt. Solent enim elatione mentis inflati quaſi humeros oſtentare ſuos, & cùm neminem habere ſocium velint, aut parem putent, huc & illuc iactare ſe ſolique incedere. Eum morem ferox Attila in progrediendo tenuit, quod ſcitè animaduerſum eſt à Theophane in hiſtoria Miſcella, de quo ita ſcribit, *Namque ſuperbus inceſſu huc ſe & illuc circunferens, vt elatus potentia ipſo quoque motu corporis appareret*, &c. Certè inſolenti grauitate atque ſuperbia ſeſe in orbem dicendo circumagere, & quaſi venditare ſe coronæ audienti, vaniſſimi hominis glorioſique eſt indicium. Quod vnum ex iis fuit, quæ Demoſtheni grauis inimicus Æſchines obiecit: ita hic enim ſua in oratione contra Cteſiphontem, καὶ πάλιν ὅτε κύκλῳ περιδινῶν σεαυτὸν ἐπὶ τοῦ βήματος ἔλεγες, &c. hoc eſt, *Et rurſus cùm in ſuggeſto te in orbem circumagens dicebas*, &c.

Theophanes.

Æſchin. or. contr. Cteſiph.

Cæterum in corporis motione alia quædam obſeruanda eſſe iis video, qui è ſuperiore loco dicunt, atque iis alia qui è plano, & ſubſelliis, atque in Senatu pronunciant. Nam pulpitum quidem obtegere multa ſolet, quæ aliis in locis in conſpectu atque omnium luce ponuntur. Mihi ſanè pernecesſaria illa videtur animaduerſio, ne à dicente nimium venter proiiciatur. Sunt enim qui imitentur minutos illos & circunforaneos mercium inſtitores & propolas, qui ſuſpenſum ante pectus corbem rerum varietate onuſtum circunferunt, qui vt facilius onus ſuſtineant caput reducunt, corpus in arcum inflectunt, ventrem modicè proiiciunt. Ita reperias qui aqualiculum oſtentent, & quaſi venditando circunferant, ſeu naturæ & conſuetudinis vitio, ſeu quod pulpa & omento grauentur. Polemon

Venter non nimium proiiciendus.

lemon in Phyſiognomicis γαςέρας vocat αἱ ἔξω κρέμανται, *ventres qui foras propendent.* Meminit Fabius Quintilianus, & tangit breuiter eum geſtum: *Pectus*, inquit, *& venter ne proiiciantur obſeruandum.* Id ſanè riſum audientibus & cachinnum poſſit excutere, cùm è plano medióque cœtu dicitur, eique rei eſt prouidendũ iis hominibus maximè, qui Socrati conſimiles ſunt, qui de ſe fatebatur, quod negare non potuit, ſe μείζω τοῦ καιροῦ τὴν γαςέρα ἔχειν, *ampliorẽ quàm par ſit ventrem habere*, vt eſt apud Xenophontẽ. Erat enim vt Maximus Tyrius pictus & politus ab Academia diſſeruit, σιμὸς ὁ προγάςωρ Σωκράτης, *ſimus & ventrioſus*, & propterea omnium iudicio minus aptus ad dicendum: quæ fortè cauſa fuit, cur Comicam veluti quandam philoſophandi rationem delegerit.

l. 1. c. 22. Fab. l. 11. Xenoph. in Conu. Max Diſſert 23.

Σιτευτοὶ ῥήτορες *pingui & obeſo corpore minus ad dicendum apti. Sæpe irriſi Oratores vaſtis corporibus ſarcinoſi, non tamen omnes à dicendo remouentur.* SECTIO VIII.

SED de iis hominibus, qui ſunt, vt cum Apuleio dicam, *vaſtis corporibus ſarcinoſi*, quique *terga pulpoſis torulis obeſa trahunt*, neſcio an loqui debeam, cóſque ad aliquam decori honeſtatem imbuere; an velut minus puros & purgatos à ſacris diuæ eloquentiæ Muſarúmque templo arcere. De quo veſtrã ſententiam lubens intelligentiámque exquirerem.

l. 8. metamorph. idem l. 7.

Hîc Iuuentius qui rem planè oratoria laude indignam opinabatur, Superuacanea, inquit, mihi propemodum eſſe videretur tua, Honorate, monitio, quod veriſſimile non ſit, eum hominem aggreſſurum eſſe ad dicendum, præſertim in doctorum hominum cœtu atque frequentia, qui ea ſit ventris amplitudine, vt explodendus videatur. Nam incurrunt illi ſæpè in bellorum & dicacium vrbanitatem, qui non ſine ſale & aceto eam mordere pulpam ſoleant, & irriſionum aculeo pungere. Quod feciſſe Canem Diogenem aiunt, qui cùm incidiſſet in Anaximenem aliquando, pingui aqualiculo Rheto- Laert. l. 6.

Nn CORPVS

rem, hominem rogauit, vt ſibi lautitiarum inopia laboranti, aliquid ventris pro humanitate ſua largiretur, quippe inquit, & tu oneris leuationem ſenties, & nos tenues inaneſq; recreabis. Cynicè quidem illud, & dictum etiam fortè intemperantius, ſed tamen homo minimè væcors nec ineptus ſignificauit, ab eloquentiæ fructuoſiſſimis muneribus, & præſtantiſſima dignitate eos eſſe remouendos, qui præter ventrem allaturi nihil videantur, & quoddam pingue & adipatum genus orationis, quos ego ſi per te licet haud ſanè dubitem ἐγγαστριμύθους nominare. Fuit in more poſitum apud Romanos, vt pingui nimis & corpulento Cenſores equum adimerent, quod non ſatis idoneus eſſe videretur ad munus equitis obeundum. Et dubitemus ab æquis rerum æſtimatoribus & Cenſoribus honeſti officij, reiectum iri homines illos grauiſſimos & ampliſſimos, qui vt more Sidoniano dicam, *æſtuantem turgidi ventris aruinam* obiectant? quos profectò neceſſe eſt & fatigari vehementiſſimè in dicendo, & ſæpè tumido ex ore popinam exhalare. Haud tectum & ignotum eſt eruditis, quæ fuerit de iſtis hominibus antiquitatis opinio, quot dictis aliorum appetiti, & vexati contumelioſiſſimè fuerint, & loquentis Sapientiæ domicilio eiecti. Neque immeritò: ſic enim conſtat inter omnes, eos vulgò eſſe inertes atque ſtupidos, & minimi iudicij viros, qui mentum atque mentem in catinos heminâſque demiſerint, & non tam in extruenda ſtudiorum & virtutum excellentia, quàm illis amplificandis elaborarint. Hoc Plinius naturæ myſtes velut ex oraculo diuinè pronunciauit, *ſolertes eos minimè futuros, quibus ſit obeſiſſimus venter*, & opinor Græcorum illud dictũ cogitatione attingebat, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον, è fartis vberibúſque inteſtinis, tanquam altili è boue & opimo, tenuem mentem generari minimè conſueſſe. Et idem ipſe eximiam humani corporis ædificationem miratus, Sapientiæ ſcholis & intelligentium contemplatione digniſſimam, eas membranas quæ præcordia appellant, nulla carne præditas ait, ſed neruoſa tantùm exilitate, quod iiſdem mentis ſubtilitas & elimatio accepta referatur. Quare neceſſe eſt vbi adipe & omento plena ſunt omnia, animum obrui, minui intelligentiam, nullam eſſe dignam ſapiente cogitationem, &

Gellius l. 7 c. vlt.

Sidon. l. 8. ep. 14.

l. 11 c. 37.

Digitized by Google

vt canit Poëta valde bonus, *affigi humo diuinæ particulam au-ræ.* Horat.

Quoties luteos illos & redundates oratores illuſos meminimus, ſi quando in hominum lucem coronámque ſuccederent, qui ructu potius, quàm ornata & fluenti oratione facturi ſibi audientiam viderentur? Memini Leonis Byzantini Oratoris planè tumidi & exaggerati, fuit enim, vt Sophiſta eruditus ait, πίων ϗ περιττὸς τὴν γαστέρα, *valde pinguis, immani ventre atque ampliſſimo*, qui legatus miſſus ad Athenienſes, qui ciuili ſeditione laborabant, προσέβαλεν αὐτοῖς ἀθρόον γέλωτα ἐπὶ τῷ εἴδει, *noua illa & inuſitata corporis amplitudine mirabilem & profuſum omnibus riſum concitauit.* Idem Pythoni contigit ex eadem vrbe oriundo, qui ad placandos ciuium animos cùm dulcem & compoſitam orationem excogitauiſſet, dolium potius quàm hominis pectus ad dicendum attulit, itaque non mirum ſi concio ſoluta eſt in cachinnum. Demadem quondam illudens Antipater famoſum Græciæ oratorem, ſed in ſumma tamen inſolentia & vitæ intemperantia verſatum, aiebat ex eo veluti hoſtia immolata, linguam modò & ventrem ſupereſſe. Hinc ſtilus ſæpè à Satyris in eos Ventres armatus,

Philoſtr. l. 1 de vit. Sophiſt.

Athen. l. 12.

Plutar. in Phoc.

——nugaris, cùm tibi calue,
Pinguis aqualiculus prepenſo ſeſquipede extet. Perſ. ſat. 1.

ait Perſius, cùm diſtentos bardóſque Senatores venuſtè excuteret. Et alio in loco Nattam pingens ſtupidum & ineptum.

Sed ſtupet hic vitio, & fibris increuit opimum
Pingue. Sat 3.

Hinc Diphilus, vt Plutarchus meminit, craſſum quempiam acerrimè inſecutus, eum vocat obeſum, *adipe fartum, atque adeo ſtercoratum Siculo.* Quid eſt igitur cur eos homines libentibus omnium animis audiri, vel honoratum dicentium munus ſuſtinere poſſe putemus? Itaque me autore iam à limine fori & Curiæ licet Vates quæpiam inclamet, procul ô procul eſte, ne ad ſedem mentis conſiliíque accedite, ne hunc aërem doctis orationibus aſſuetum pingui halitu & ſudore funeſtate. Si quis enim ἰγφαλίους ἀτοι-

δὼς Memoriæ, Muſis & Apollini non obtulerit, is ad Pithus honeſtiſſimum Sacrarium non admittetur.

Scio, inquit Honoratus, diſputari iſta, Iuuenti, à pluribus, mentiſque acumen quod aiebat doctiſſimus Nazianzenus γαστέρος ὄγκον effugere. Non me latet irrideri ſolere pingues & benè curatos, alioqui in dicendo ſapientes, & ab æmulis tela ſæpè coniici amentata, quæ in pulpa & protento aqualiculo hæreant. Fateor illius tumoris & amplitudinis effectricem eſſe haud raro intemperantiam & ingurgitationem, quæ in graui & ornato hominum cœtu ſolet eſſe odioſa. Sed ego idem tamen aio, id ſæpiſſimè non tam vitium quàm naturam efficere, & in magna corporis vaſtitate tenuem nonnunquam ſubtilémque ſenſum, & reconditam animi ſapien-

Laert. l. 1. tiam verſari. Alceus Poëta ſolers & venuſtus Pittacum vnum de numero ſapientum, qui omnium gentium literis & laude celebrantur, quod eſſet obeſior, φύσκωνα καὶ γάστρωνα nominabat, hoc eſt *Ventrem* & *Gaſtronem*. Herodem Atti-

Philoſtr. l. 1 de vit. Sop. cum vnum omnium temporibus ſuis maximè volubilem, promptum & diſertum, quod lauto fortè & curato eſſet corpore σιτευτὸν ῥήτορα, *ſaginatum Oratorem* vocabant. Alij aliis nominibus, iocis, contumeliis petiti ſunt, vt tu modo Iuuenti in oratione tua ponebas, qui tamen iudicio plurimùm & honorata inter ſuos auctoritate præſtiterunt.

Duo genera pinguium Oratorum: & qui videantur à dicendo remouendi.

Igitur duo quædam mihi genera diſtingui videntur poſſe eorum hominum, quorum moles corporiſque pinguitudo plus nimio excreuerit. Sunt enim aliqui triplici mento vt Geryones quidam conſtipati, palearibus amplis, ceruice toroſa, tumida, follicante, buccis fluentibus os & nares vmbrantibus gemino tubere, plenis & teretibus humeris in fornicem adipatum extructis: qui pectus habeant ſucculenta pulpa cataphractum, quorum venter pingui tentus omaſo, fartus ileis & omento redundans, decumanas catapultas, impactúmque arietem poſſit ſuſtinere. Os ſi aperiant, cacabum putes ollámque fumantem, vix anima redditur iurulentis mæandris impedita, vox ſaginâ fit anguſtior. Cùm ſedent, crepant inteſtina, mugítque immane profundum, & inuitum ſæpè colon bombos ciet. Stare autem vix re-

ɑ̃i poſſunt, in anticam ſine ſacomate ruinoſi, in vigilia ſemiſomnes, inamœna mole ſupini, quíque nihil agunt iam in vita, niſi vt ſtirpium more creſcant, & vt quondam eleganter Plotinus aiebat, ἀποδενδρωθῶσι. Hi tametſi Plotinus. in dicendo aliquando valuerint, non facilè tamen, me auctore in aciem fori & laudatæ eloquentiæ campum ingredientur, niſi ea ſint reipublicæ tempora momentúmque negotiorum, vt tanquam Pyrrhus ad portas & Pœnorum ductor peſtem omnibus & exitium minitetur: & vel Appio cœco & debili, & ſenio langueſcenti ſit in Curiam veniendum. Alioqui eſſet verendum, ſi ſe vltrò coronæ permittant, ne iuuentus & non nemo de populo irrideat, & ipſi lauta & curata cute producti ex hara modò videantur. Alij verò ſunt lato quidem corpore ampliſſimi, quorum pectus arcuatur in-ante, æſtuánſque etiam aqualiculus, roranti ſudans aruina tumeſcit: ſed non ſunt ita fœdi & deformes, vt tanquam Circæo poculo in aliam quandam effigiem migraſſe videri poſſint. Hi ſi moribus & excellenti iudicio vulgus hominum anteeant, ſi lingua diſerti & politi, ſi reip. vtiles, ſi ad laborem ſuſtinendum magnanimi, ſi virtute rebúſque geſtis venerandi, prodeant ſanè, atque ciuibus ingenij ſui lucem, conſiliíque impertiant, illa etenim illuſtria decora perficiunt, ne impunè rideri à quoquam poſſint & illudi. Sed cùm illa conſilij vis langueſcet, & minuetur auctoritas, quod ætate ingraueſcente fieri ſolet, tum cenſeo leones imitandos ſeniores, qui ſpelæa opimi cuſtodiunt, & quiete recreantur, catulos autem ad venationem dimittunt.

DE GESTV MANVVM.

CAPVT IX.

SECTIO I. *Manus diuinæ mentis opificium mirabile. rationis & ſapientiæ miniſtra. ſine manu eloquentia nulla. A doctis ea ponitur inter præcipua Recitantium adiumenta.*

[Pallad. in Hippocr. ſect. 6.] MEDICI è Græcia peritiſſimi, χειρὸς μέρη τρία eſſe dixerunt, ὦμον, πῆχυν, & ἄκραν χεῖρα. *Humerum, Cubitum, & extremam Manum.* Cubitus non vnum quiddam eſt ſimplex, ſed in duas partes diuiditur, quarum inferior propriè appellatur πῆχυς, ſuperior κερκὶς, *radius.* Nos totum illud bracchium nominabimus, & de tribus illis diſtinctè partitéque dicemus: initio à manu ſumpto, quæ in geſtu principatum obtinet. Eſt enim manus, *organum organorum*, vt Theologorum omnium apex ſanctiſſimus Thomas aiebat, vel vt [l. 4. de par. an. c. 10.] parens Lycei Ariſtoteles, ὄργανον πρὸ ὀργάνων, quod videlicet cætera omnia humani ingenij adiumenta dignitate & præſtantia ſua facilè exuperet. Eſt, inquam, diuinæ mentis opus, in cuius exquiſito artificio conſiderando multi olim ſapientes plurimùm ſtudij laborìſque poſuerunt: vt non ſine cauſa ex- [Arrian. l. 1. c. 16.] clamare videatur ſapiens Epictetus, μέγας ὁ θεὸς, ὅτι ἡμῖν χεῖρας δέδωκε, *magnum & pollentem eſſe Deum, qui manus hominibus dederit.* Quid enim in vita humana eſſe potuit eximium, dignum ingenio atque induſtria, & hominum commenda- [Galen. l. 13. de vſu p. c. 2.] tione, niſi diuinitus ea inſtrumenta fuiſſent ad efficiendum conceſſa? quæ cùm *in ſolo homine*, vt doctiſſimi animaduertunt, reperiantur, profectò conſtat ad maximam quandam [Max. Tyr. diſſert. 20.] rationem pertinere. Prometheus cùm ædificaret hominem conſilio Iouis inſtructus, & ea ſapientia, quæ ad Solem ipſum pertingeret, feciſſe dicitur χειρουργεῖν εὔκολον, *qui promptas ad agendū manus haberet.* Id omninò ſapienter fictum à Mythologia, quod id opus cœli dono & prouidentia perfectum, homo,

inquam, plenus conſilij & diuinitatis, truncus modò atque ſtipes videri potuiſſet, niſi hoc mentis interprete atque internuncio fuiſſet ornatus. Hoc humani generis bonũ, quod natura prouidè machinata eſt dignũ hominis ſapiẽtis cogitatione, celebrauit Nyſſenus Gregorius, vir ætatis ſuæ diſertiſſimus, & præſtanti rerum maximarũ cognitione. Videns enim humani corporis opificium, ſtructura partium, & ſingulari coagmentatione longè clariſſimum, hinc, inquit, *ἡ τῶν χειρῶν ὑπουργία, ἡ ποικίλη τε καὶ πολύτροπος, καὶ πρὸς πᾶσαν ἐπίνοιαν ἐπιτήδεια, hinc eſt quod manuum miniſterio & opera vtimur varia illa profectò & multiplici, pérque omne animi inſtitutum nobis idonea.* Et Theodoretus diuinæ mentis prouidentiam extollens, ait rerum opificem Deum manibus tribuiſſe *παντοδαπὴν ἐργασίαν, omniuariam operationem.* Itaque Lactantius Firmianus, verè meo iudicio, & eleganter manus vocat, *rationis & ſapientiæ miniſtras*: & Cous Medicorum omnium coryphæus manuum vſum eſſe dixit, *κάλλιστον διδασκαλεῖον, optimum dicendi magiſtrum.*

S. Gregor. Nyſſen. de hom. opif. c. 30.

Theodor. ſerm. 6. de pro. de opif. Dei. c. 10.

Hippocr. l. de flat.

Quod ſi locus & vmbratilis noſtra hæc diſputatio pateretur, è doctis & vltimæ antiquitatis monumentis poſſem repetere luculenta prudentium hominum teſtimonia, quibus hoc mentis, rationiſque ſubſidium celebratum eſſe conſtaret. Nūs Anaxagoras cùm multa ſubtiliſſimè de natura profundóque ſenſu enucleauit, tum illud de manuum conditione magnificè, *hominem ideo prudentiſſimum omnium animalium videri, quoniam vnus omnium manus obtinet.* Quod diuini hominis acroama ingenioſiſſimus Ariſtoteles, vel humaniſſimè interpretatus eſt, vel ſententia ſua comprobauit: ait enim non prudentiſſimum inter animantes eſſe hominem, quod manus habeat, ſed ideò manus illi diuinitus fuiſſe tributas, quod ſumma prudentia foret excultus, cuius proprium eſt plurimis inſtrumentis ſubſidiiſque vti ad rem efficiendam, manum autem eſſe inſtar omnium. Hinc tanti operis artificium miratur & prædicat, aitque *εὖ μεμηχανῆσθαι καὶ τὸ εἶδος, καὶ τὴν φύσιν, eſſe illius ſpeciem quandam pulcherrimam, & naturæ accommodatam,* cum incredibili quadam facilitate, ad tot & tantos, támque diſſimiles & contrarios motus ciendos. M. Tullius Sophi clariſſimi, quaſi Mercurij cuiuſdam *ὁδηγοῦ*, veſtigio in-

Ariſtot. l. 4. de part. an.

Digitized by Google

hærens, in ea naturæ machinatione, Pronœæ mirabilem induſtriam conſiliúmque ſuſpicit in hunc modum, *Quàm verò aptas, quámque multarum artium miniſtras manus natura homini dedit? Digitorum enim contractio facilis, faciliſque porrectio, propter molles commiſſuras & artus nullo in motu laborat:* & alia multa quæ ibidem ſuauiſſimo orationis flumine perſequitur.

de natura Deor. l. 2.

Et quidem ſic ad agendum nata manus eſt, ſic ad omnem ſignificandi rationem prompta & expedita, vt nihil eſſe faciliùs quàm manus motio videatur. Hinc Græci, meo iudicio, acutè & ingenioſè, quod procliue eſt, & minimè operoſum, εὐμαρὲς dixerunt, quaſi non plus difficultatis habeat & contentionis, quàm manuum agitatio, μάρης enim vetuſtiſſimi Græci manus indigitarunt.

Iam verò quantum præſidij ſit in manibus collocatum ad intimas animi notiones aperiendas, & permouendos eorum animos qui audiunt, quis facilè oratione conſequatur? quæ tandem futura inter homines fuiſſet eloquentia, niſi hoc tantum ſermonis adiumentum humano generi prouidus omnium rerum ædificator Deus prouidiſſet? Sapienter vir eruditiſſimus, idémque morum excellentia & religione clariſſimus D. Baſilij frater, ὥστε ἴδιον τῆς λογικῆς φύσεως αἱ χεῖρες ἀναπεφήνασιν, οὕτω τοῦ πλάστου διὰ τούτων ἐπινοήσαντος τῷ λόγῳ τὴν εὐκολίαν, *idcirco rectè ſtatuitur manus eſſe proprium quoddam naturæ loquendi facultate præditæ inſtrumentum, hunc potiſſimũ ad finem effictas, vt earum opera expeditior in nobis ſermonis vſus eſſet.* Imò verò, quod miretur fortaſsè quiſpiam, idem ipſe doctor ſingularis negat futuram in nobis ἄναρθρον φωνὴν *articulatam quaſi vocem fuiſſe*, εἰ μὴ παρῆσαν αἱ χεῖρες τῷ στόματι, *niſi in corpore manus extitiſſent.* Itaque ſapientes apud Ægyptios, qui ſacras notas adinuenerunt, ſermonem innuentes, γλῶσσαν καὶ χεῖρα ὑποκάτω, *linguam ſubtúſque manum* pingebant, vt autor eſt Horus Apollo, quaſi vtrumque ſit ad prodendam ſententiam animi neceſſarium. Breuiter & venuſtiſſimè olim Pindarus, qui poëticos numeros ad cœlum extulit, χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον: cor & manus eodem gradu ponit, & ſimilitudine copulat, quod quæ latent retruſa in mente atque abdita, beneficio manuum in apertam lucem proferantur. Vim eandem vidit magnus

l. de hom. op. c. 8.

Horus in Hieroglyf.

Pindar. Olymp. od. 4.

gnus Caſſiodorus libro de anima, ſic enim ille. *Manus ſingulariter datæ ſunt ad multas cogitationes noſtras cõmuniter explicandas.* Caſſ. l. de an.c.10.

Hinc factum fuiſſe videmus, vt manus quoque apud Onirocritas ſermonem ſignificet, quod vna cum ſermone manuũ quoque motus requireretur, vt ait Artemidorus: qui etiam Artem. l.1. c.45. monumentis ſuis prodidit, Oratori in agendis cauſis nobili & honoris ſtudioſo feliciſſimos euentus portendi, qui ſe plures manus habere ſomniauerit. Manum proinde linguam veluti alteram iure quiſpiam meo iudicio nominaret, quam natura maximo quaſi artificio fabricata ſit ad Suadam illuminandam. Id magni viri qui facundia nomen ſibi gloriámque pepererunt, ſponte fatentur. Plinius iunior vnus omnium æui ſui bene dicendi laude celebratus, hoc effatum in epiſtolis ſuis conſignatum eſſe voluit, Plin.l.2.ep.19. *recitantium propria pronunciationis adiumenta eſſe manus:* tantum nimirum vir in foro Curiáque protritus, orationis ſubſidium in manuum motione poſitum animaduertebat. Quare cùm duo nobis inſtrumenta natura conceſſerit, ad tacitas animorum affectiones, in lucem & cognitionem expromendas Sermonem atque Manum; docti homines & polito iudicio præditi exiſtimauerunt, illum ſine hac mancum eſſe ac prope inutilem: manum autem ſine copia orationis, multa & eximia præſtitiſſe. Rem cumprimis Apollonius Tyaneus clariſſimo ſuo exemplo declarauit, qui Pythagoreum ſilentium cùm obſeruaret incredibili religione, neque excidere ſibi vllam voculam toto quinquennio pateretur, cùm in vrbes tamen ſeditione laborantes veniret, τῇ χειρὶ ϗ τῷ προσώπῳ, *manu atque vultu* ſedabat diſcordias, vt auctor eſt Philoſtratus in eius vita, quo modo Pamphyliam, Ciliciam, aliáſque orbis regiones peragrauit.

Vis manuum in agendo expreſſa. Muſica muta χειρόσοφων Linguoſi digiti. Manus altera lingua, quam proinde olim ſtudioſiſſimè exercebant. SECT. II.

SED maximè vim manuum eximiam illam in ſignificando, ars geſticulatoria perſpicuè oſtendit, quam qui olim fa-

Lucian. ꝺ. ὀρχησ. Cœl.l.5.c.3. ctitarent, Leſbonax Mitylenẹus vir ſapiens & non leuis autoritatis perhonorifico teſtimonio honoris & laudis χειρισόφους appellauit. Eam dicitur inueniſſe Teleſtes quidam, aut certe

Athen. l.1. plurimùm amplificaſſe, quem ἄκρως ταῖς χερσὶν τὰ λεγόμενα ἐπιδεικνύουσαις, *ſummo artificio præſtitiſſe manuum* volunt, quibus omnia quæ dici ore potuiſſent exprimebat. Eandem poſtea qui ſecuti ſunt tanta induſtria excoluerunt, vt ſcriptores è Græcia plurimi Latiníque, rem vt prodigio ſimi-

l.4. Epigrā. lem in cœlum extulerint. Vetus poëta *mirabilem artem* nominauit.

——mirabilis ars eſt,
Quæ facit articulos ore ſilente, loqui.

Caſſiodor. l.1. Var. ep. 20. Theodoricus Italiæ rex *Muſicam mutam* appellat, *quæ ore clauſo manibus loquitur.* De huiuſmodi hominibus Claudianus.

Claudian. *Qui nutu manibúſque loquax.*

Et Vates alius,

Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, aſtat,
Illuſtrat verum, cuncta decore replet.

l. 4. Var. D Cyprian. de ſpectac. Hinc apud Senatorem, *Orcheſtrarum loquaciſſimæ manus, & linguoſi digiti*: & apud ſanctiſſimum Cyprianum, *verba manibus expedire & loqui digitis.* Aſtrologiæ peritiſſimi, ματαιοτεχνίας, inquam, illius artifices, qui erronibus & iugis planetarum, picturatóque cœli domicilio, infinitum prope imperium in res humanas tribuunt, id à ſyderum poſitione aiunt fieri, & à communi mente per omnes mundi oras fuſa & diſſipata: quorum mentem atque ſententiam, ita poëta quidam lauro & lana coronatus verſibus ſuis illigauit.

Manil. l. 5. *Omnis fortunæ vultum per membra reducet*
Aequabítque choros geſtu, cogétque videre
Præſentem Troiam Priamúmque ante ora cadentem,
Quodque aget, id credas ſtupefactus imagine veri.

An igitur manuum geſtum illi homini qui eloquentia præſtare velit, negligendum eſſe putemus, & non potius ſtudio maximo & diligentiſſima cura limandum, quem tantos in hominum animis effeciſſe motus conſtat? Philoſophus quidam fuit geſticulator, quem *Memphim* nominarunt, ab vrbe videlicet primaria & regia nomenclaturam mutuantes, cùm ſignificare vellent, eum in illo artificio regem atque omnium ex-

Digitized by Google

celléntiſſimum reputandum; nam vel tacens, motu corporis, omnium oratorum eloquentiam ſuperabat. *Tacens*, inquit Athenæus, *geſtu omnia nobis* ἐμφανίζων σαφέστερον, ἢ οἱ τὰς τῶν λόγων τέχνας ἐπαγγελλόμενοι διδάσκειν, *manifeſtius indicabat, quam qui artem dicendi ſe docere profitentur*. Demetrius Cynicus cùm vidiſſet hominem facundo geſtu mirabilem, eum videri ſibi dixit, *non agere, ſed arguta manu effari*. Nimirum fatendum eſt in manu ſita eſſe omnia: hæc vim & colorem addit eloquentiæ, hæc dictioni robur & lacertos adiungit, quæ alioqui languida & humi repens & defecta viribus obſoleſceret: hæc non modò quod aiebat M. Tullius, apta eſt ad eliciendos ſonos neruorum & tibiarum admotione digitorum, verùm etiam artificioſo motu ſuo, ad intimos hominum ſenſus, ad commotiones animorum, ſtudiáque pertractanda: hæc effecit vt Demoſthenis oratio diceretur voce omnium σφυρήλατος, non ieiuna, non euanida & tenuis, ſed pollens, aculeata, ponderoſa, quæ victis ſuperatíſque æmulis dites manubias & triumphos reportaret. Vim illam manuum & præſtantiam doctus à Græcia vidit Meletius, qui ne quidem Muſicum vllum eximium eſſe putauit & probatum, ſine manuum geſtu atque præſidio, *Etenim Muſicus*, inquit, *dum cantu vtitur, manus geſticulationem ad vocis ſonum accommodat, & viciſſim quæ manu figurat, eadem vocalibus inſtrumentis emodulando perſpicua reddit. Sed & in choris pſallentes, &* χορῦ διδάσκαλοι, *niſi manuum geſticulationes pſalmorum tono accommodent, quæ comitari pſallentes ipſos videatur, de ſe ridendum ſpectaculum præbent. Ad hæc qui ſe exercere in diſputationibus ſolent, manuum motu vtuntur, quo quidem argumento probatur, rationali naturæ, maximè ad animi notiones exprimendas, peculiare quoddam inſtrumentum manus ipſas eſſe.* Hæc vir ille erudítiſſimus, qui pulcherrimum orationis textum purpureo etiam limbo exornauit, è poëſi Homerica deſumpto, & egregiè de manibus memorante.

Athen. l. 1.
Cœlius l. 5.
Lucian. de ſaltat.
l. 2. de Nat. deor.
Vſus manuum in Muſica.

Χειρῶν ἀπολλυμένων ἔρρει πολύεργος Ἀθήνη

Deſectis manibus pereunt quoque Palladis artes.

Vt meritò Græci videantur manus appellaſſe χεῖρας, ἀπὸ τῆς χρήσεως, *ab vtilitate*, quòd non modò vni eloquentiæ,

Melet. de natur. hom. ſed omni humanitatis & rationis opificio incredibiliter ſeruiant.

Antiqui ſtudioſè manuum geſtum excoluerunt. Itaque non eſt mirandum tantum ſtudium tantáque induſtriam adhibitam fuiſſe à Romanis, in manuum motione, iam inde à primis annis honeſtè & ingenuè conformanda. Nam pueri parui in diſciplinarum ipſo rudimento, ſic inſtruebantur ad agendum, vt Platonis venuſtiſſimos dialogos memoria primùm complecterentur, tum ad menſam inter bellaria ſummis viris audientibus recitarent: προσῆσι δὲ ὑπόκρισις πρέπουσα τῷ ἤθει τῶν ὑποκειμένων προσώπων, καὶ φωνῆς πλάσμα, καὶ σχῆμα καὶ διαθέσεις ἑπόμεναι τοῖς λεγομένοις, *adiungebatur autem actio decora & conueniens perſonarum moribus, & vocis conformatio atque geſtus & affectiones dictis congruæ*, vt locuples eius rei teſtis Plutarchus meminit. (Plutar. l. 7. Sympoſ. 99.) Similia propè de Græcis vir ſumma grauitate & eloquentia Themiſtius prodidit: (Themiſt. Or 7.) Theatris, inquit, etiam Græcis mirum in modum exultat Rhetorica, καὶ τοὺς παῖδας ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας εἰς δημοσίας παρόδους ἐθίζει, *& pueros iam inde à teneris vnguiculis prodire in publicum aſſuefacit*. Optimum ſanè Oratoriæ facultatis adiumentum, quo qui vſi ſunt doctorum hominum conſilio & moderatione, patefactum ſibi aditum viderunt, non modò ad ſuadendum quæ voluiſſent, verùm etiam ad omnium beneuolentiam emerendam.

SECTIO III.

Motionum in manibus differentiæ. Accommodandę illę ſunt ad rerum naturas, & dicentis perſonam. Geſtuum ſimilitudo vitanda.

MOTIONVM in manibus differentiæ quædam à doctis numerantur: eſt enim manuum connixio, conſertio, compectinatio, agitatio, commutatio, comploſio, deiectio, elatio, iactatio, adductio, compreſſio, dilatatio, aliique modi in humana vita conſueti, quibus, quando, & quomodo Oratori ſit vtendum, conſilij fuerit atque prudentiæ; ego poſt paullo iudicia ſapientum proferam, & ſigillatim meo more quædam explicabo. Sed antequam eam diſputationem aggrediar, nonnulla modò dicam in genere, quæ videri forte

Digitized by Google

queant, non tam experientis atque docti, quàm non fatui monitoris. Sapienter & conſueta elegantia magnus Baſilius, corpus ait eſſe τῆς ψυχῆς βουλευτήριον, *Curiam veluti quandam & conſilium animæ*, quod pro virium ſuarum modo & ratione, difficiliumq́ue virtutum actiones moderetur. Ego verò, iure optimo dixerim mentem eſſe βουλευτήριον τῆς χειρὸς, atque in manuum motione, eſſe veluti referendum ad Senatum, & in certam conſideratámque rationem, tanquam in arcem & Palatium introëundum. Sanè plurimùm & diligenter ſpeculari eum oportet, & expendere accuratiſſimè omnia, qui lemniſcatam foribus ſuis palmam & facundi oris inſignia velit addere. Geſtus enim ipſius modus & temperatio, non modò petenda eſt à rebus ipſis, verùm etiam ab ætate & conditione Oratoris. Nam in eodem explicando aliter opinor Philoſophus, & qui grauem perſonam ſuſtineret, aliter iuuenis ſtudio elatus & impetu animi concitato verſaretur. Quare Plutarchus eos auditores reprehendendos ait, qui Philoſopho ſumma vt ſolet grauitate & modeſtia diſſerenti adclamarent δριμέως, *acriter*, quod hoc potius exultantis adoleſcentiæ & efferueſcentis ſit proprium. Senes etiam matura iam ætate graues & præditos auctoritate, lenta quedam placidáque decet vt plurimùm actio, quæ in nobis in hoc flore iuuentutis, lentitudo frigúſque diceretur.

In Conſtit. Monaſt.

Plutarchus ὑρ. ἀκχ.

Quare quod pictoribus iunior Philoſtratus prouidendum eſſe ait, vt præſtare in opificio eo poſſint, & nominis gloriam capeſſere: id potiori quidem iure in dicentem conuenire putem. Vult enim qui illam artem ſcienter moderaturus videatur, hominem eſſe conſilio maturóque iudicio præditum, gnauum & induſtrium, in naturis hominum introſpiciendis, moribúſque aſſimilandis, iiſdémque effingendis omnibus, quæ in geſtu & corporis compoſitione taciti animi poſſunt eſſe indicia atque notæ. Quæ ſi ab illo probè fuerint & diligentiſſimè cognita & commeditata, tum, inquit, ἄριστα ὑποκρινεῖται ἡ χεὶρ τὸ ἑκάστου δρᾶμα, μεμηνότα εἰ τύχοι ἢ ὀργιζόμενον, ἢ ἐννοῦν, ἢ χαίροντα, ἢ ὁρμῶντα ἢ ἐρῶντα, *tum ſingula egregiè manus repræſentabit, puta furentem, aut iratum, aut cogitabundum, aut gaudentem, aut incitatum, aut amentem*. Sic

Philoſtr. in Icon.

profecto manus eloquentis tum demum accommodatè mouebitur, & rem ipſam exprimet, cùm naturas penitus cognouerit, cum ſe in venas omnium affectionum inſinuarit, cùm denique ſtudio & diligentia fuerit conſequutus morum exquiſitam cognitionem, & qui naturæ motus ſoleant eſſe didicerit. Hinc Philoſophi qui in rerum percipiendis naturis operam ſuam ponunt, magnum habent omnino adiumentum ad dicendum: nec dubito quin tu Victor qui Philoſophiam attigiſti, vel potius ἐπ' ἄκρα φιλοσοφίας veniſti, melius poſſis manum in omni genere dictionis moderari, quam hic Rhetor noſter Iuuentius, qui nondum illis ſacris eſt initiatus.

Atque vt exemplo id quod dico fiat illuſtrius, Phyſici aiunt metum & angorem debilitare hominis corpus, atque artus veluti aſtringere conſueſſe, cui proinde liberæ manuum & ſolutæ motiones geſtúſque repugnent. Fingamus igitur Oratorem in iis rebus exponendis verſari, in quibus animo demitti verum ſit, & timiditatem quandam ingenuam præ ſe ferre. Adoleſcens qui naturam, animíque illam affectionem minùs cognitam & exploratam habuerit, ſe hic forte iactabit, & corpore omni commouebitur. Id tu Victor minimè efficies, qui in ſchola ſapientiæ didiciſti, quæ à magnis illis heroibus de abdito animi ſenſu, & illius cum corpore conſenſione produntur. Quare ſi tibi non de triſtibus iam rebus & timidis, ſed lętis atque iucundis foret agendum, quandoquidem monentem Philoſophiam audiiſti, lætitiam gaudiúmque animi bono geſtientis, amplificare ſolere pectus atque dilatare, & ciere motus in homine ſolutiores, minimè eſt mirum, ſi tua manus tum efferret ſe liberius, & eodem veluti gaudio delibuta geſtiret: ſed maximè concitatè & vehementer, cum violenti animi iracundia efferueſceret. Quare quod ſæpe dico, tuum, Victor, omnino fuit, hanc de geſtu explicationem tradere, qui ſcientia & cognitione vim naturæ omnem es adeptus: tu, inquam, Myſtagogus Philoſophiæ, quæ à me σὺν ἀφελείᾳ & ieiunitate dicuntur, longe magnificentius ea eruditione & copia illuſtrauiſſes. Sic enim exiſtimo eum hominem omnium pulcherrimè & ſcientiſſimè manus & alias corporis partes in geſtu moderaturum, qui è Philoſophiæ diſciplina ſe proximè ad naturam, affectio-

Digitized by Google

númque varietatem accommodarit.

Bene habet, ait Victor, quod nobis, quam exquiſita tua futura ſit oratio, iam ſignificas: nam ſi compos Philoſophiæ vt vis, de iis rebus eſt ſcienter & bellè acturus, quis in eo genere te ſcientior? qui non tinctus ſed plane imbutus es eo flumine & copia ſapientiæ, quam miramur? nam ea ipſa quæ de natura modò proferebas, tu profectò non dixiſſes, niſi tibi multò antè comprehenſa notáque fuiſſent. Sed quid ego impediam curſum orationis tuæ, cùm ea rara, quæ condita in animo tenes, continuò audire præſtet?

Minimè verò, Honoratus inquit, rara ex me audies, ſed vt hactenus exilia & quotidiana, quæque paucorum menſium Rhetor & eloquentiæ candidatus, ſi ab illo petamus, adferre in medium poſſit. Et quoniam generatim quædam hic monenda mihi videbantur, hoc addo, ſimilitudinem geſtus eſſe omni mente & prouiſione vitandam. Nam quemadmodum in voce μονοτονία, ſic motus in omnibus fere ſimilis, & manuum per eandem veluti lineam circunductiones fugiendæ ſunt oratori: meliúſque eſſet efferri aliquando audaciúſque moueri, quam eandem veluti cramben obtrudere. *Nihil peccat, niſi quod nihil peccat*, aiebat olim Plinius Curiæ lumen, atque bellantium in acie forenſi πρόμος, quod effatum nitida etiam aureáque explicatione colorauit. *Debet enim*, inquit, *Orator erigi, attolli, interdum etiam efferueſcere, efferri, & ſæpè accedere ad præceps*: quæ omnia æquè in actionem & ſtylum conueniunt. Vidi quendam aliquando concionantem ſummum virum, qui honeſtarum artium fama & cognitione magnam apud omnes gratiam collegerat: Et quidem erant in eo plurimæ literæ eæque interiores atque reconditæ, memoria antiquitatis multa, locuples quædam iuris diuini & humani poſſeſſio, verborum bonitas, mollis & pellucens & veſtita floribus, ornata & polita ſapientibus ſententiis, fluens æquabiliter Xenophonteio more oratio. Sed dici vix poteſt quantum de communi omnium exiſtimatione & eruditi ingenij præſtantia, manuum geſtus non ſat compoſitus ornatúſque deruerit. Nam cùm ſe in ſiniſtram conuertiſſet,

Similitudo geſtus vitanda Oratori.

Plin l. 9. ep. 26.

pauca verba fundebat cum modico manuum geſtu, tum reflectens ſe in dexteram eodem plane modo agebat, iterum in ſiniſtram, mox in dexteram pari prope & dimenſa temporis intercapedine, ſtatum illum ciebat geſtum, & vnius generis motionem, boues illos Babylonicos diceres, per eandem viam obductis luminibus euntes & redeuntes. Erat igitur in motu corporis & actione conſenſio, nulla geſtus quæ tenere ſolet varietas aut diſſimilitudo, ſummum in agendo faſtidium, incredibilis doctorum hominum & intelligentium nauſea. Si genio fuiſſem meo animóque obſecutus, aut abiiſſem è media concione, ſatur ea tam indocta ſpecie atque ſcena, plena moleſtæ & ingratæ ſatietatis, aut eadem oberrantem chorda, pretio inducendum putauiſſem ad ſilendum. Vnum tum quidem mihi faciendum animaduertebam, vt clauſis oculis, aut alio verſis audirem, ac ne ſic quidem moleſtiam in audiendo omnem depellebam, quod idem ille dicentis motus per aures ſubiret animum, & odioſa ſimilitudine quateret. Igitur totum illud hominum genus abiudico atque repudio.

SECTIO IV. *Dexterę principatus in agendo. Sola vt plurimum geſtum facit, quieſcente lęua, aut tanquam ancillula ſubſeruiente. vnde Δεξιὰ dicta. Cur annuli in ſiniſtra. In dextrę motu pueri olim exercitati.*

IN hoc Orator à complurium opificum ſtudio artificióque diſcrepat, quod vtramque illi manum ſine diſcrimine ad opus & machinationem ſuam accommodent. Hippocrates ſanè vtiliſſimæ ſcientiæ parens, cùm medicum, in omni officij parte inſtruit, monet ἔργα πάντα ἀσκέειν ἀμφοτέρῃσιν ἅμα, *ad opera omnia vtramque manum adhibere:* Sunt enim, inquit, ſimiles. Plato quoque veterum omnium ſapientum Antiſtes, cùm præſtantis pueritiæ educationem adornat, vellet omnes, inſtar Homerici Aſteropæi, eſſe in bello & armorum tractatione περιδεξίους, & non minùs quàm in prælio Scythas dextra æque & ſiniſtra vti, cùm facilè id fieri poſſe videatur.

Hippocr. Sect. 6. de offic. Med.

Plat. l. 7. de leg.

Cuius

Digitized by Google

Cuius acutiſſimi hominis leges cùm breuiter poneret Ariſto- Ariſtot. l. 2.
teles, in eruditiſſima ſua politia illuſtranda, hanc fuiſſe vnam Polit. c. vlt.
memorat, *Ciues omnes*, ἀμφιδεξίους *eſſe oportere*, cùm minimè
ſit rationi conſentaneum, vt vna de manibus otietur & quie-
ſcat. Et quidem Dæmonius Ariſtoteles in naturis animantium
perueſtigandis, longè omnium qui fuerunt diligentiſſimus, &
cogitatione præcellens, *hominem*, ait, μόνον ἀμφιδέξιον γίνεσθαι l. 2. de hiſt.
τῶν ἄλλων ζώων, *inter omnes animantes ſolum vtraque manu*, *vt* an. c. 1.
ita loquar, *dexterum naſci*, cùm alia quæ ſenſu atque mo-
tu ſunt prædita latere vno debilitentur. Neque tamen vir
ille magnus putauit, quod velle videbatur Plato, id in om-
ne hominum genus conuenire, vt vtraque omnes manu
æquè valeant, & perinde atque dextera iis vtantur, quod eſſe
falſum quotidiana experientia docuiſſet; ſed ſubtiliter animad-
uertit, id reperiri in quibuſdam, & quod abeſt à mutis belluis,
id naturæ humanæ fuiſſe conceſſum. Sic videmus in diuinis li-
teris prædicari Ahodum, ἀμφοτεροδέξιον, gemina manu prom- Iudic. 3.
ptum, validum, & generoſum.

Sed vt omittam hic de Medico, & bellatore illo Platonico
dicere, illa certè lex, aut monitio in oratorio munere planè
iacet, & præceptis eloquentium hominum refellitur. Nam
qui nos ad dicendi laudem ſuis monitis præceptionibúſque
informant, ſic aiunt, vnius dexteræ eſſe in agendo principa-
tum, víxque læuam in hominum lucem eſſe proferendam. M.
Tullius non obſcurè hoc præcipit, qui de Actione diſputans, Cicer. l. 3.
vnius manus mentionem facit. Dexteram item Auctor ad He- de Orat. & in Orat.
rennium nominat, nuſquam ſiniſtram: *Si erit*, inquit, *ſermo* perfect.
cum dignitate, *leui dextera motu loqui oportebit.* Sed interpres Auct. ad
omnium veterum clariſſimus Quintilianus, ſic diſertè, vt ef- Her. l. 3.
fatum Rhetorum è cortina protulit, *Manus ſiniſtra nunquã ſola* *Vnius dex-*
geſtum facit, *dextera ſe frequenter accommodat.* Vult igitur pro- *tera pro-*
prium eſſe dexteræ geſtum atque motum, quæ dextera veluti *prium eſt*
quædam ſit eloquentia corporis, ad mouendum & ſignifican- *geſtum a-*
dum idonea. De quo ſi nihil Doctores eloquentiæ in præce- *gere.*
ptis ſuis poſuiſſent, ex iis tamen, quæ in natura & communi
conſuetudine fiunt, id ſequendum in agendo facilè percipere-
mus. Sic enim in moliendo & efficiendo dextera occupatur,
vt Græci, qui ſapientiæ laude in excolenda humanitate atque

Digitized by Google

inueniendis nominibus floruerunt, δεξιαὶ appellarint, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι, quod vt magni Grammatici animaduertunt, δέχεται δι' αὐτῆς τὰ διδόμενα. Hinc fieri quoque videmus, vt cùm multi ſint ἀμφιδέξιοι, & æquè benè ac facilè in rebus agendis vti ſiniſtra queant, in iis tamen quæ in oculis honeſtiſſimorum hominum fiunt, ingenuæ mentis, & liberaliſſimè inſti- *Inſtitutio puerorum in dexteræ vſu.* tutæ non putetur, læuam adhibere. Nec alia cauſa eſt cur in nobilium puerorum educatione diligenter præcipiatur, vt cibum dextra manu capiant, non ſiniſtra, quæ præceptio ex ipſa honeſtate libata eſt atque natura, & proinde ſemper in vſu fuit apud eas nationes, quæ in moribus humanitatem coluerunt. Notum eſt illud viri ſapientis, qui Græciæ, Italiæque monumenta, qui mores & conſuetudines vtriuſque gentis cognorat, τοὺς παῖδας διδάσκομεν τῇ δεξιᾷ λαμβάνειν τοῦ ὄψου, τῇ *Plutarc. de fortun.* δὲ ἀριστερᾷ κρατεῖν τὸν ἄρτον, *Pueros docemus dextra cibum capere, læua tenere panem.* Idem alio quodam loco repetit, vbi do- *Idem l. 1. de liber. educ.* cet veteres conſueuiſſe, τῇ μὲν δεξιᾷ συνεθίζειν τὰ παιδία δέχεσθαι τὰς τροφάς, κἂν προτείνειε τὴν ἀριστερὰν ἐπιτιμᾶν. Ex eodem illo fonte manauit, vt annuli in ſiniſtra geſtentur: nam cùm primùm vna materia conſtantes ſine gemmis, vtralibet in manu ferrentur, mox orto luxu atque nobilium opulentia, cùm ornari fulgentibus gemmis, pretioſiſque lapidibus cœpiſſent, à dextera quæ plurimùm in agendo occupatur, reiecti ſint in ſiniſtram, quæ otioſior eſt quietiſque retinens, vt Ateius Capito memorauit, ne continua dexteræ motione pellucidi adamantes, & berylli haud leui damno excuterentur.

Exercitatio dexteræ in ſcholis. Sed ne vagetur liberiùs oratio, & in dicentis actione moremur, quantùm animo & cogitatione vetera poſſum meminiſſe, ita reperio, vulgò adoleſcentes iis temporibus quibus humanitas ſuum curſum tenuit, ſic in ſcholis præſtantium Rhetorum fuiſſe doctos & exercitatos, vt ſiniſtra quieſcente, manum dexteram ad pronũciandam lectionem exererent. Id per- *in vet. Glo.* ſpicuè videre licet, in Colloquiis puerilibus Græcolatinis haud ignobili antiquitatis monumento, vbi adoleſcens in hæc verba loquitur, προήνεγκα χεῖρα δεξιάν, ἀριστερὰν ὑπέστειλα πρὸς τὰ ἱμάτια, καὶ οὕτως ἠρξάμην ἀποδοῦναι, &c. *Protuli manum dexteram, ſiniſtram perpreſſi ad veſtimenta, & ſic cœpi reddere*

quomodo acceperam ediſcenda, verſus ad numerum, &c. Quid verò grandiores facti, cùm in reipubl. lucem veniſſent, dicendo effecerint, è totius antiquitatis memoria poteſt colligi: nam in veterum annalium ſcriptis & picturæ lineamentis, magnos videmus Oratores ita fuiſſe compoſitos, vt tantum manum dexteram protenderent. Ariſtidem hominem vnum ſui temporis eloquentiſſimum dicere meminimus, ſummum illum in bello ducem, in orando principem Miltiadem, in Græcia fuiſſe pictum ad æternum memoriæ monumentum: ſic verò inter illos μαραθωνομάχους pingebatur, vt dextram modò manum exereret, quemadmodum apud milites ornatiſſimè concionari ſolitus erat. Hoc ergo monitum ſapiens, quod doctores Rhetorici nobis reliquerunt, in mente penitus inuratur, vnius dexteræ propriam eſſe actionem atque motum, læuam quieſcere oportere, aut modicè inſeruire dexteræ, quod quatenus ſit faciendum poſt videbitur. *Ariſtid. t. 3.*

Fons aperitur moniti Oratorij, cur proprium ſit vnius dexteræ geſtum agere. In dextris principium motionis. Siniſtra vulgò ἀσθενέστερα. Dexteræ maieſtas & prærogatiua ſignificatur. SECTIO V.

ATQVE hîc lubet elegantium hominum prudentiam in ſtatuendo oratorio hoc præcepto ſubtiliùs enucleare: in quod ſanè contuentes nihil reperiemus, quod non ſit maximè naturæ congruens, & conſentaneum rationi. Agimus de geſtu atque motu: quis verò tam in naturis hominum peregrinus eſt atque hoſpes, qui neſciat in dextra parte omnium motionum eſſe principium? Audiatur veluti quidam è terræ vmbilico Pythius grauiſſimus Ariſtoteles, qui in Problematis ſuis incredibili varietate refertis, atque doctrina, vbi quærit, cur in dextrum latus incumbentibus ſuauior ſomnus eueniat: Reſpondet cauſam eſſe, quod cùm ſomnus motionis ſit priuatio, partes eas, quarum ſit principatus in mouendo, quieſcere *Ariſt. ſect. 6. probl. 5.*

Digitized by Google

oportere, dextram autem eſſe huiuſmodi, quod ab ea, vt facilè animaduerti poteſt, motus omnis vt à fonte, & à propria quadam origine petatur. Rem eandem alio quodam in loco, eadem ingenij vi & cognitione illuſtrauit, ἐκ τῶν δεξιῶν ἀρχὴ τῆς κινήσεως, *fons*, inquit, *& principium omnium motuum eſt à dextera*, cuius rei haud dubium argumentum ſit, quod omnes onus ferant in ſiniſtris, quod non niſi laborioſiſſimè fieri poſſet, ſi dexteræ, motionis videlicet principio, imponeretur. Nec dubitauit id tacitè loquentis naturæ axioma ibidem ponere, κινεῖν γὰρ πέφυκε τὸ δεξιὸν, κινεῖσθαι δὲ τὸ ἀριστερὸν, *hoc innatum eſſe cuique animanti, & diuinitus impreſſum, vt dextra moueant, ſiniſtra moueantur.* Quare videmus, ſic naturam ipſam molitam fuiſſe humanum corpus, vt dextra ſint longè potiora ſiniſtris, & valentiora, vt idem Lycæi doctor animaduertit, φύσει γὰρ ἡ δεξιὰ κρείττων, *manus dextera fortior eſt, robuſtiórque natura*, vt eſt in libris de moribus: quod multis aliis in locis repetiit. Vt non ſit mirum, ſi doctores eloquentiæ clari & ingenioſi aut ſolam, aut præcipua quadam ratione dexteram geſtum agere voluerint.

idem de anim. inceſſ. c. 4.

Ariſtot. l. 5. Ethic. 10. ſect. 31. probl. 12. & 12 de anim. inceſſ. c. 5.

Hîc Iuuentius excogitatam illam rationem miratus, quæ nondum illi in mentem venerat. Remoram, inquit, diſputationi tuæ iniiciam Honorate, ſi permittis, quod allatam à te modo rationem ſplendidiorem in ſpeciem puto, quàm veriorem. Ais à dextra initium eſſe motionis, eáque multò robuſtiorem eſſe læua. Vtrumque falſum, niſi quidam eruditi ſcriptores me fallunt. Nam in Choris olim Tragœdiarum, vbi omnia exquiſito artificio erant deſcripta, concinentes mouebantur *in læuam* primùm, quo motu aiebant ſeſe primum cœlorum motum mutari, ídque στροφὴν nominabant. Et qui modò tripudiandi artem profitentur læuum pedem primùm mouent, quod Scaliger me docuit: à læua igitur motuum eſt initium. Etne fortè leuior ad probandum ſaltatio videatur, Galliæ vetus in religione conſuetudo idem ſancit, de qua Plinius in hæc verba, *In adorando dextram ad oſculum referimus, totum corpus circumagimus, quod in læuum feciſſe Galliæ religioſius credunt.* Dexteram autem ſiniſtra eſſe valentiorem, quonam modo mihi probabis, cùm vetuſtas & hodierna experientia reclamet? nam ego ſanè cùm vtramque manum vegetam habeam, & incolumem, tamen vbique ferè ſiniſtra

Scalig. l. 1. poet.

Plin. l. 28. cap. 2.

Digitized by Google

vtor libentius. Itaque illam inuolutam pallio, non æquo animo patior in via & corporis motione, ſed liberam & ſolutam cupio. Sed vt omittam de me dicere, déque aliis multis, quos videre potuiſti, an non audis Suetonium de Tiberio memorantem? *Tiberius*, inquit, *fuit ſiniſtra manu agiliore ac valentiore.* Suecon. in Tiber. c. 68
Commodus Imperator naturæ obſecutus, ſiniſtræ ſanè potiores partes dabat: nam in arenam deſcendens gladium ſiniſtra ferebat, clypeum dextera, καὶ ἐπὶ τούτῳ μέγα ἐφρόνει ὅτι ἦν ἐπαρίστερος, *& ob eam cauſam maximè gloriabatur, quod ſcæua eſſet.* Sed exemplorum plena ſunt omnia: quid verò facies ſpeculatoribus naturæ ſophis, qui tuam illam opinionem refellunt? nam Cous Magiſter quem ἰατρῶν παῖδες vt Apollinem alterum venerantur, ait vtrámque in homine manum eſſe conſimilem. Plato verò de manibus cùm loqueretur, eo ingenio quo diuina & humana comprehendit, aſſeruit τὴν φύσιν ἑκατέρων τῶν μελῶν σχεδὸν ἰσορροποῦσαν, *parem dextra atque ſiniſtra vim à natura fuiſſe conceſſam*, hominum autem conſuetudine tantùm fieri, vt illa potior eſſe videatur, hæc infirmior. Et quod ad eam de qua diſputamus eloquentiam attinet, prodit Æneas Gazeus in Theophraſto, non defuiſſe homines quibus dextræ contractæ eſſent, quorum aliqui ad ſummum ſapientiæ culmen aſcenderint. Illuſtrius id etiam lib. de natur. hom. Meletius, *Quidam*, inquit, *impedito dexteræ officio, læua in artibus perficiendis ſtrenuè vtuntur: vnde euidentiſſimum argumentum habetur, dexteram læua potiorem neutiquam eſſe, vt ruſticorum quidam opinati ſunt.*

Dio Caſſ. — Plato l. 7. de leg. — Æneas Gaz.

Rhetorem te agnoſco Iuuenti, ait Honoratus, veriſſimilium aucupem, de veritate parum ſollicitum, qui Carneadeo more vim ingenij ventiles, atque in ſolem, hoc eſt in ipſam Alethiam iaculeris. Nec te conturbet καινοτόμου tui Platonis & nimium ſibi tribuentis autoritas, cuius illam mirificam politiam, nouis legibus & decretis infamem plurimi iam refutarunt. Scio in quibuſdam fortem & viuidam eſſe læuam, cuius rei cauſam Albertus Magnus in Commentariis ſuis reliquit, ait enim cor nonnunquam, & hepar ſuas virtutes in ſiniſtrum latus mittere, remouere à dextro, proindeque fieri agiliorem ſiniſtram, & ad agendum proniorem. Enimuero ſis tu huiuſmodi Iuuenti ἐπαρίστερος, ſunt alij ſcæuæ non pauci atque ſcæ-

Albert. M. l. 2. de animal.

uolæ, qui ſiniſtra bellè vtantur: ergóne ex animi tui ſententia negabis, aut principium motionis eſſe à dextera, aut læuam eſſe à natura debiliorem? an etiam vis vt teſtium nube te opprimam, & veteris æui principes, vt ſub vexillo decuriatos, in mediam lucem aciémque producam? quorum ſplendorem armorum, vultúſque martios, neſcio an æquis oculis tu tyro ſuſtinere queas. Sta igitur poſt principia hic tacitus, dum quaſi honorato in dilectu ſuo nomine vnumquémque cito. En prodit bonæ ſcæuæ cauſa primus Ariſtoteles, cuius illa clariſſima vox in libris de hiſtoria animalium ponitur, ἀσθενέστερα τὰ ἀριστερὰ, haud dubiè *ſiniſtra eſſe infirmiora*. Et Tmemate 31. Problematum ait dextras partes corporis noſtri longè eſſe nobiliores ſiniſtris, & multo amplius ſolere efficere, ſed quod omnia ſiniſtra dextris humidiora ſint, etiam facilius obſequi, atque ad nutum alterius fingi & moueri. Qui deinde in choro ſapientum conſecuti ſunt, ab hoc inclyto coryphæo quaſi reſtim capientes, in eadem ſibi opinione conſertè contextéque adhærent. Nam Plutarchus totidẽ verbis in Romanis quæſt. ait ſiniſtra eſſe ἀσθενέστερα. Quare è *dextris partibus profuſo ſemine mares gigni, ex læuis fœminas Anaxagoras Empedocléſque conſentiunt*, ait Cenſorinus. Accedit Plinius, *Omnia animalia à dextris*, inquit, *partibus incedunt*, *ſiniſtris incubant*. Philo Iudæus rationẽ inueſtigans, cur diuina lex in ritu ſacrificiorum, concedat ſacerdotibus partem victimæ, quam vocat βραχίονα ἀπὸ χειρὸς δεξιᾶς, *armum dextrum*: Ait id eſſe τὸ μὲν ἰσχύος καὶ ἀνδρείας σύμβολον, eóque myſterio ſignificari., acrem & excitatum in agendo, & in omnibus eximiè fortem Sacerdotem eſſe debere. Quid Apuleius ſecta Platonicus, an non ſacræ huic choreæ ſe accommodat? *Dextra corporis validiora*, inquit, *ſunt, eoque minus ſpei ad ſanitatem relinquunt, cùm & ipſa ægritudini ſuccumbunt*. Claudam hunc locum Solini grauiſſimo teſtimonio, cuius illa ſunt ad rem noſtram præclara, *Parti dextræ habilior aſcribitur motus, læuæ firmitas maior: vnde altera geſticulationibus promptior eſt, altera oneri ferendo accommodatior.*

Ariſt. l. 1. c. 15.
Sect. 31. Probl. 25.
Plutarch. q. 78.
Cenſorin. de die nat.
Plin. l. 11. c. 45.
Philo l. de præm. ſacerd.
Apul in Apolog.
Solin. c. 5.

Digitized by Google

Dexterę in agendo prerogatiua ſignificatur. eſt veluti dominantis Rationis animatum caduceum. ei maieſtas, pondus, autoritas, viſque tribuitur. vitium quorundam dicentium notatum. SECTIO VI.

HÆc cùm certa conteſtatáque ſint, dubium profectò nullum eſſe poteſt, quin peritè à Suadæ Magiſtris & eximia prudentia doceatur, eſſe dextera motum atque geſtum Oratori efficiundum. Neque poſſum non damnare inertiæ Concionatores quoſdam, omnis artificij & communium notionum expertes, qui quaſi deſpicere omnium veterum monita vellent, & inuitis audientibus dicere, ferè vbique læua manu vtūtur actionis principe, cuius geſtum ne in picturis quidē, vbi ſermonis imitatio exprimitur, ferre poſſumus. Eſt enim ſiniſtra per ſe nullius aut perexiguæ dignitatis in agendo, communíſque docet humanitas, vt virginem in thalamo clauſam, ſic illam àbditam & verecundam eſſe oportere. Dextera contrà Rationis vt Reginæ pulcherrimum ſceptrum, & caduceum diuinitus animatum, inter homines autoritate pollet, & vi ſua atque pondere multa conſicit. Quare Poëtæ ingenio & afflatu nobiles, *maieſtatem* illi tribuunt imperio dignam. *Dextera maieſtas.*

Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ Perſ. ſat. 4.
Maieſtate manus.

Grauitatem alij, vt in Ioue Poëtico Naſo, l. 1. metam.

----qui poſtquam voce manuque,
Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti,
Subſtitit & clamor preſſus grauitate regentis.

Eleganter omnino Seneca facetiſſimus ludi Claudiani opifex, ipſum Claudium, Imperatorem geſtu manus iubentem inducit. Hinc pro imperio, auctoritate, potentia dextram olim ponere conſueuerunt. Abſalon quidem de quo in diuinis literis tam multa memorantur, cùm vellet memoriam ſui nominis ad poſteritatem omnem propagare (nam liberis caruiſſe vo- *Seneca in Ludo.*

Digitized by Google

lunt) molem quandam exædificauit ſummo artificio perfectam, in qua tantùm dextræ manus effigiem collocari voluit, cum hoc elogio, *Manus Abſalonis*, vt per omnes conſequentes annos, eo indicio, potentia adoleſcentis magnanimi atque regij cognoſceretur. Crinagoras Poëta Græcus Cæſarem laudans, eruditè eius dexteram σημαίνειν θαρσαλέην eſſe dicit, hoc eſt, *pollentem ad imperandum*, quæ dignitate quadam ſua barbarorum hominum ferociam & audaciam contunderet. Nullum, inquit, ab hoſtibus erit periculum,

Antholog. l. 1.

——ἄρχει κε μίμνῃ,
Δεξία σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.

Varro Callimachum ſecutus, *omnium rerum autoritatem dextra viribus conſtare ſcribit.* In dextra veteres fidem poſuerunt, beneficum reip. numen; in dextra pacem, & fœderum ſanctitatem; in ea denique beatitudinis hieroglyphicum eſſe voluerunt. In ſacris primum oraculis id perſpicuè ſignificatur, quæ ſapientes imitati Græcorum literam illam excogitarunt ancipitem, quam Pythagoræ vocant: quæ doctiſſimus Hieronymus ſecutum Poëtam eundémque Philoſophum, ea cecinisse putat.

S. Hieron. in c. 10. Eccleſiaſt.

Virg. l. 6. Æneid.

Dextera quæ magni Ditis ſub mœnia ducit
Hac iter Elyſium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas.

Sed labor è via longius, hæc tamen omnia eò pertinent, vt intelligamus, quantam vim habeat dextera & momentum in communi vita, & præſertim in excellentis oratoris functione: qui ſi duas fuerit partes, Vultum atque Manum, ratione iudicióque moderatus, auſim dicere, nihil magnopere vitioſum in actione futurum. Geminum illud decus orantis, in Iulio Cæſare ſummo videlicet oratore laudat Poëta,

Lucanus.

——*tumultum*
Compoſuit vultu, dextráque ſilentia fecit.

Cur

Cur Rhetores ſolius ſiniſtrę actionem damnent. genuina illius pigritia. σκαιὰ & λαιὰ vnde dicta. Lauernionum propria. intus canere, intus agere, introrſus, interius, de ſiniſtra dici. quis interior & exterior in ambulando ſubtilius diſquiſitum. SECTIO VII.

SED ne tu putes, qui ἐπαρίστερος es Iuuenti, à Rhetoribus ſiniſtræ fieri iniuriam, cùm aiunt ſola ſiniſtra geſtum vitiosè agi, eámque dexteræ inſeruire oportere. Volo hic mecum eorũ ſapientiam recognoſcas, vt qui in hac re naturæ interpretes & laudatæ conſuetudinis auctores fuiſſe videantur. Eſt enim myſtagogi Stagiritæ, qui ſacra philoſophiæ nobis aperuit, dictum illud veriſſimum, è naturæ fontibus hauſtum, τὰ ἀριστερὰ ἀκινητότερα, *ſiniſtra per ſe moueri difficiliùs*, nec proinde eſſe ad motum & actionem opportuna. Ariſt. de anim. inceſ. c.4. Cuius cauſam alio quodam in loco attigiſſe videtur, cùm ait, ex omnibus animantibus vnum hominem habere maximè κατεψυγμένα ἀριστερὰ, *ſiniſtrà frigentia*, & eſſe clarũ Prouidentiæ artificium, quæ propius cor ad ſiniſtram admouerit, vt pigrã & torpentem illã hominis partẽ calore ſuo vegetaret. Erit igitur ſi naturæ vim conſideremus, læuæ manus actio perexigua, non ſeſe efferens, demiſſa, tecta quodãmodo & oculos fallens, niſi potius illius propriam quietem eſſe velimus & ceſſationem. Quod acutè vidit Apuleius, qui ſiniſtræ *genuinam pigritiam* eruditiſſimè attribuit. Apul. lib. metamorp. Nam deſcribens pompam Iſidis mirabili choragio diſtinctam, qua ſiniſtræ manus effigiem latam fuiſſe conſtat, *Quartus*, inquit, *oſtendebat deformatam manum ſiniſtram, porrecta palmula, quæ genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia prædita, videbatur æquitati magis aptior quàm dextera.* Græci homines vnde orta humanitas & elegantia literarum putatur, id etiam ſignificarunt, qui σκαιὰν χεῖρα *leuam manum* ideo nominatam volunt, quod plerunque ἰσχιᾶσθαι καὶ κατακρύπτεσθαι, *tegi & occultari* ſoleat, quod doctiſſimus Heſychius monuit. Heſychius. Vel vt ait religione & doctrina haud obſcu-

ruſè Græcia, Meletius, παρὰ τὸ σκάζειν, quod in rebus peragendis, ipſa per ſe claudicet & aberret. Qui etiam animaduertit, eandem appellari λαιὰν *leuam*, ἀπὸ τοῦ λελεῖφθαι, quod eſt, inquit, κεχωρῆσθαι τῶν πράξεων, quod ob ſui imperfectionem ab omni pæne functione remoueatur.

Læua cur furtis accõmodata. Atque vt etiam in hoc ſenſum antiquitatis explicemus, quæque ex hac manus ſiniſtræ conditione in hominum mores conſuetudinémque manarint breuiter aperiamus; factum hinc eſt, vt ſiniſtra idonea fraudibus & apta furto exiſtimetur. Nam cùm vulgò ſit abdita, cùm poſita veluti in obſcuro, & ſinu togæ pallióque inuoluta, fit plerúmque necopinantibus hominibus, vt nihil agens & deuota quieti, agat tamen, & humani aliquid patiatur, dum nil alienum à ſe putat. Buccinator fabularum Poëta dicto illuſtri rem ita prodidit,

Ouid l.13. metamorp. -----*nataque ad furta ſiniſtra.*

& Plautus *furtificam leuam* ea cauſa indigitauit, vt Lauernæ ſacram. Ad tollenda in conuiuiis lintea, eadem vtebatur veterator Aſinius, in quem torquet aculeatum ſtylum Catullus in hæc verba, (Catull. ep. 12.)

Marrucine Aſini manu ſiniſtra
Non belle vteris in ioco atque vino,
Tollis lintea negligentiorum.

Siniſtra dicta interiora. Hinc etiam factum (quæſo mecum relegite hæc veſtigia ad cognoſcendam antiquitatem) hinc vſuuenit, inquam, vt quæ ſiniſtra ſunt, *interiora* magnis ſcriptoribus & politiſſimis dicantur. (D.Ambroſ. præfat.in Pſal.) *Intus canere* prouerbio dici audiiſtis, iam inde à famoſo Aſpendio citharista ductum, quod Aſconius Pædianus ait ſignificare læua vti, eaque ſola edere ſonitus dulces & iucundos in teſtudine. M.Tullius rem traduxit ad furtificam læuam, cùm nequiſſimi & appetentiſſimi Verris furta in lucem ex intimis illis vmbraculis educit. Hac ipſa notione Saluſtius *introrſus poſitam regionem* eſſe dixit, quæ foret ad ſiniſtram. Iam illa Poëtarum principis è penu eruditionis deprompta, bellè huc faciunt,

l.5.Aeneid. ----*dum proram ad ſaxa ſuburget,*
Interior.

Hoc eſt *ſiniſterior* ait Seruius, qui Grammaticorum familiam ducit. Atque hinc meo iudicio facilè plurimos locos Poëta-

Digitized by Google

rum capiemus, in quibus *interioris* fit mentio: qui verſus cùm vel ad Circum, vel ad locum honoratum pertineant, modicam habent in explicando varietatem. Et quidem in Circo ſemper *interius* pro læuo abſolutè poni fere omnes conſentiunt. Sic Ouidius 3. Nequitiæ,

Nunc ſtringam metas interiore rota.

Hoc eſt ſine dubio *ſiniſteriore.* Docte Sidonius Apollinaris *currum intus actum* in Narbone ſuo dixit, vbi *intus* valet ad ſiniſtram. Pari iudicio Silius Italicus, Sidon. car. 23. Silius l. 16.

Sed læuo interior ſtringebat tramite metam.

Maro princeps qui veluti quendam in aqua Circum exædificauit, non alio modo ſumit interius,

Radit iter læuum interior, &c. 5. Æneid.

Hic porro interior flexus, hoc eſt ad ſiniſtram, longè breuiſſimus fuit, & ipſius ſiniſtræ vim naturámque ſignificat: breuis enim exiliſque motus eſt ſiniſtræ, dextra verò ſe fundit latius, & natiuo exſuſcitata calore, agit & mouetur effuſè.

Hinc iterum factum (pergo in eo quod inchoaram) vt *interius* idem ſit aliquando quod *breuius*: quo modo Cicero ex Arato Cynoſuram ait *curſu interiore* conuerti. Horatius l. 2. *Interius idem quod breuius.*

Siue Aquilo radit terras, ſeu bruma niualem,
Interiore diem gyro trahit.

Interiore hoc eſt *breuiore*: ſol enim breuiorem habet curſum in hyeme. Poëta magnus de Camilla hoſtem curſu & obequitatione laceſſente,

----agitata per orbem, l 11. Æneid.
Eludit gyro interior ſequitúrque ſequentem.

Elegantiſſimè Seneca, & niſi hoc teneatur obſcurè, cùm vult in gyrum modeſtiæ & quietis compellere animum latè vagantem, qui ſe in opes & voluptates immodicè effundit, *Non in curſu tantùm*, inquit, *Circíque certamine, ſed in his ſpatiis vitæ, interius flectendum eſt.* Vult dicere modiocria conſectanda.

Iam verò ſi de prærogatiua loci agatur, vbi etiam fieri mentionem *interioris* aiebam, res omnino ſcitu eſt digniſſima. Ouidius in faſtis, cùm de ſenum apud Veteres honore diſputat, hoc imprimis conſueta venuſtate concinit, *Quis interior ratione loci.*

Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat, & interior ſi comes vnus erat.

Digitized by Google

Vidi nuper humaniſſima voluptate doctorum hominum in hoc exponendo contentionem. Quidam mutant & corrumpunt verſiculum vltimum,

----& interior ſi comes vnus erat.

Turneb.l. 14.c.24. Et partim legunt *anterior* vt Giſelinus, partim *exterior* vt Turnebus, pari vterque fato, reclamante nimirum elegantium hominum corona. Goropius Becanus interiorem dici putat eum, qui eſt ad ſiniſtram, ſed iure ab antagoniſta magno vexatur. Alij interiorem & exteriorem dici opinantur de duobus qui non pari iugo inambularent, ſed ita vt præiret modicè vnus, alter adhæſim & dimidiatus ſequeretur. Neque tamen omnes id eodem modo explicant: nam exteriorem quidam eum dici aiunt qui anteiret, quod tribuendi honoris cauſa factum putant, tanquam ſi viam faceret, præberétque ſe inni- xui, quemadmodum in Italia atque Hiſpania duci nobiles fœminæ ſolent, interiorem autem qui ſequeretur, cõparatum ad priorem. Iuſtus Lipſius cuius ob os Critici ora obuertunt ſua, contrarium modum init, nam honoratum præire ſolitum ait, non ſequi, eúmque dictum interiorem: hunc autem non pari iugo neque æquabiliter affectantem, nominari prioris illius reſpectu exteriorem. Hoc nollem à tanto viro dictum, quod pænè Senatus omnis doctorum repudiat. Qui deinde ſcripſerunt iam conſummatæ eruditionis viri, aiunt interiorem dici eum, qui interiectus & intermedius ſit: nam cùm duo non æqua inter ſe dignitate & conditione ambulant, conſtat eum qui nobilior ſit atque potior, ad parietem & ædes collocari, ad latus deinde ſuccedere alterum: illúmque proinde iure interiorem dici, qui medius ſit inter comitem & ædificium.

l.1.Elect.c.1. — P.Iac.Sirm. ad Sidon.

Sed vnus hic mihi ſcrupulus eſt, ſi ſenem illum Ouidianum in medio & patenti foro inambulantem ſpectemus, quonam modo interior ire dicatur, ſic vnus tantum ſit comes: neq; enim vacuo in ſpatio proximum quidpiã fuiſſet, inter quod & ipſum comitem interiectus, vocaretur interior. Neceſſe igitur eſt vt ſcrupulo huic medear excogitata ratione, quã ea conditione, Victor & Iuuenti, vobis audientibus proferã, ne hinc illã efferatis, neque enim is ego ſum, qui in Senatu hominũ intelligentium cenſendi ius arrogare mihi velim. Meminiſtis quis

fuerit hactenus orationis meæ curſus, dum certis antiquitatis veſtigiis lævæ manus naturam perſequor. Dictum iam intus, introrſus, interius, referri ad ſiniſtram, quáve id factum ratione, oſtendimus. In loci honore ſignificando, cur tantiſper variatum ſit in loquendi conſuetudine, vt interior certa quadam ratione de honeſtiſſimo dicatur, ſi eandem lævæ manus naturam conſideremus, clarum fiet. *Vires dextra parte eſſe maiores*, è Philoſophiæ tabernaculo prodiens, Plinius verè doctéque aſſeruit: contra ſiniſtram omnium confeſſione, ἀσθενεστέραν paulò antè oſtendebamus: vnde fit, vt ſiniſtra ſuapte natura ſit nuda & imbellis & intecta, ſine clypeo diſcriminibus obiecta. Romani, qui momenta officiorum omnium certa ratione moderati ſunt, cùm ſubtiliùs hoc animaduertiſſent, ſi quẽ honoris cauſa comitatum vellent, putarunt officio fieri ſatis hac beneuolentiæ ſignificatione, ſi hominis ſiniſtrum latus intectum obtegerent, nudum clauderent, corporis ſui oppoſitu vallarent. Qui hoc faceret, qui, inquam, alterius latus tegeret, clauderet, circumambiret, ille meritò *exterior* appellari cœpit: alter autem cuius latus tectum & clauſum eſſet, intus veluti atque in tuto poſitum, aptè fuit nominatus *interior*: Sic galeam nominare poſſumus exteriorem, interiorem ceruicem quam tegit. Tam luculenter res in veterum Commentariis pingitur, vt nihil fieri poſſit illuſtrius: aiunt enim *tegere latus*, *claudere latus*, & latus quidem ἁπλῶς ſine appoſito, nec putant eſſe neceſſarium, de quo latere ſermo fiat explicare, cùm ſatis docere videatur natura, eſſe tantum intelligendum ſiniſtrum: id qui faceret, *Comitem exteriorem* nominant; cui fieret, *interiorem*. Iuuenalis,

Quæſitum accuratiùs cur interior de honoratiori dicatur.

Diuitis hic ſerui claudit latus ingenuorum
Filius. Iuuenal. Sat. 3.

Claudere latus, eſt ſiniſtrum honorati viri latus ambire: quo eodem modo loquitur Suetonius de Claudio, *E capitolio reuertenti latus clauſit.* Tegere latus idem planè. Aurea in hanc rem verba numeroſi Horatij, Sueton. in Claud.

—nec tamen illi
Tu comes exterior ſi poſtulet, ire recuſes. Horat. l. 2. Sat. 5.

Cui reſpondet continuò,

Viſne tegam ſpurco Damæ latus?

Valer. l. 4. c. 7. vbi *exteriorem eſſe comitem*, & *tegere latus*, res eadem quemadmodum & cùm Valerius ſcribit Maximus Hepheſtionem latus Alexandri texiſſe: iiſque locis, vt monui ſuperiùs, non latus aliud quàm ſiniſtrum eſt capiendum: Non erit iam operoſum intelligere, quid illa Ouidiana ſibi velint, in quibus, vt dixi exponendis magni viri ſumma contentione pugnarunt,

Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat, & interior ſi comes vnus erat.

Mens Poëtæ clara: Venerandus ætate ſenex, cùm multi forent, medius ibat: ſi duo tantùm, tum iunior læuum illius latus officij cauſa & honoris tegebat, claudebat, ambiebat. Quo planè modò Vetus Scholiaſtes, omnium confeſſione doctiſſimus illud Iuuenalis paulò antè à nobis poſitum interpretatur, *Diuitis hic ſerui claudit latus*, &c. *Aut*, inquit, *in medium ſeruum mittit, aut in ſiniſtra ambulat.* Senex igitur honoratus, ſic à comite exteriùs clauſus atque tectus meritò interior. Si probabilis hæc videatur expoſitio, quocunque tandem in loco ambulent, in foro medio, aut camporum latè patentium æquore, in via publica, aut prope inædificatas ædes, haud obſcurè ſatis conſtabit, quis interior, quiſue exterior ſit dicendus.

SECTIO VIII.

Siniſtra non ſemper otioſa eſſe debet. Inſeruit dexteræ in partitionibus, quando id locum habeat. geſtum agit cùm dextra in compellando, obteſtando, contrapoſitis, &c.

l. de leg. ad Caium. PHILO Iudæus manus vocat *ἀμυντήρια μέρη, ἃ μὲν ἑκάστῳ ἡ φύσις προσένειμε*, *partes corporis ad propugnandum vnicuique à natura conceſſas:* proinde mobiles ſanè eſſe oportuit, atque ad omnem motionem promptas: fieri autem vulgò videmus in præliorum contentionibus, vt ſiniſtra quaſi affixa corpori vmbonem prætendat, eáque velut domi quieſcente, dextera foras emineat, & in agendo & vrgendo occupetur. In quo mihi videor quandam oratorij motus adumbrationem intueri. Eſt enim vnius dexteræ proprius in dicen-

do motus & actio, læua ſæpè quieta manet, & nonnunquam ad dexteram ſe accommodat, vt monuit Quintilianus, quod fortè hauſit è naturæ Myſte Philoſopho, cuius illud Axioma notum eſt, τὸ ἀριστερὸν πεφυκὸς ἀκολουθεῖν τῷ δεξιῷ, *ita comparatum eſſe à natura, vt læua dextris obſecundent.* Quod etiam Theologi Hebræorum meo iudicio viderunt. Nam in eo libro quem Δευτερώσεις nominauere, cùm de manuum lotione maiorum opinionem & ritum explicant, ſic aiunt, *Denique opus eſt, vt in ablutione manuum ſiniſtra tanquam famula ſubſeruiat dextera.* Hinc à Græcis volunt ſiniſtram fuiſſe nominatam, ἀριστερὰν, οἷον οὐκ οὖσαν ἀρίστην, quaſi quod egregia optimáque non ſit, ſed ad dexteræ obſequium miniſteriúmque procreata, vt autor eſt Meletius. Nunc igitur diſputationis ratio poſtulat, vt in quo læua dexteræ ſeruiat, & quandonam geſtum cum ea ſimul edere poſſit, explicemus.

Ariſtoteles πρ. πορείας ζῴ. c. 4.

Dextera imprimis numeros, argumenta, partes, & variorum membrorum diſtributionem in digitis læuæ manus ſolet ponere: quo geſtu maximè vſum fuiſſe Hortenſium, M. Tullius Cæcilium oppugnans ſignificat: *Quid*, inquit, *cùm accuſationis tua membra diuidere cœperit, & in digitis ſuis ſingulas partes cauſæ conſtituere?* Fit autem id vulgò hac ratione, vt dextræ index, ſingulos læuæ digitos ordine ſuo deſignet, leuitérque attingat: qui non ita retinentes ſunt honeſtatis & decori, ſummos digitos premunt etiam & manu complectuntur. Neque tamen in qualibet rerum varietate ſignificanda is geſtus adhibetur: ſi enim, exempli gratia Philoſophiæ tres partes numerentur, quas omnes ferè ſapientes tribuunt, ſi ſenſus quinque corporis, ſi facultates animæ, ſi alia huius generis in ipſo curſu orationis tangantur, eum numerum ſola dextera facilè ſignificabit, vel repetito eiuſdem rationis vario motu in anteriorem partem, vel circunducta à latere læuo in dextrum, pro numeri explicandi varietate, vario pulſu leuiter agitata. Si quæ verò partitio fuerit grauior maioríſque momenti earum rerum, quas magnopere in animo fixas & inuſtas cupimus, & de quibus ſit accuratè ſubtilitérque diſputandum: iuuerit tum adhibere digitos, vt antea monebamus. Vt ſi quis magno in conſeſſu grauiſſima oratione perſequeretur cauſas earum calamitatum, quæ vehementiſſimè ſeculum noſtrum exercent,

Diuin. in Verrem.

Quintil. l. 4. c. vlt.

eáſque tres quatuórve eſſe diceret, importunam & inaniſſimam ambitionem, auaritiam, libidinem, impietatem aduerſus Deum non ferendam. Si quis item de laudibus Galliæ diceret, & ex immenſa rerum copia, quæ in medium adferri poſſent, ad tria aut quatuor capita rem omnem reuocaret, ad gentis incredibilem humanitatem, literarum cognitionem & ſapientiam, inuſitatam in bellis fortitudinem, in auita religione tuenda conſtantiam & pietatem. Fuerit autem id præcipuè commodum, cùm apud rudem populum & indoctam multitudinem dicimus, cui nimium quantum illa digitorum notatione conſulitur, ad earum rerum varietatem memoria comprehendendam. Quare videmus eo vti artificio doctos & peritos concionatores, dum de Chriſtiani hominis officiis diſputant, de virtutibus, de vitiis, de adiumentis ad beatam vitam, cùm nouas impiorum hominum & infandas opiniones conuellunt, cùm veriſſimam religionem ſtabiliunt & confirmant, vt cùm dicunt eſſe quinque ſexue decora & firmamenta Catholicæ religionis, in quorum luce & ſplendore tenebrionum omnium impietas, quos hæreſis in hominum perniciem immiſerat, victa concidit, nimirùm ſacras literas clarè & perſpicuè dogmata omnia catholica pronunciantes, ſtabilem Eccleſiam omnium ſæculorum memoria viſam & auditam, ſanctorum Patrum conſenſionem, Concilia orbis terræ, miracula, non interruptam ſummorum Pontificum ſucceſſionem, iam inde à Chriſto capite atque Apoſtolis, quos ſatores fidei ſuæ, propagatoréſque eſſe voluit, &c. Hunc geſtum adhibuiſſe M. Tullium mihi veriſſimile eſt, cùm apud Quirites de præſtanti belli duce memoraret, in quo eximia illa quatuor notabat, *Scientiam rei militaris*, *virtutem*, *auctoritatem*, *felicitatem*, quæ deinde partitè & diſtributè ſumma copia & flore orationis amplificat. Addo iam vnum quod eodem facit, hanc per digitos numerationem, in Epilogo & Anacephalæoſi grauioris diſputationis valere, cùm totius cauſæ præſidia, quæ allata ſunt in medium ad veritatem extruendam, aut quæ dilucidè refutata ſunt, aut probata enumeramus.

Pro lege Manil.

Vlteriùs iam pergo, vt oſtendam, quandonam præterea læua manus ſit in actione adhibenda. Fit in votis & precationibus, cùm ſummum rerum omnium parentem Deum vel cœlites

lites alloquimur, cùm templa, tropæa, monumenta, & ſimilia compellamus, vtraque enim manus tum extendi ſolet. Huiuſmodi ſunt illa pro Milone, *Vos enim iam Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor, vóſque Albanorum obrutæ aræ ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales*, &c. Et paulò pòſt, *Túque ex tuo edito monte Latialis ſancte Iupiter, cuius ille lucos, nemora, finéſque ſæpè omni nefario ſtupro & ſcelere macularat*. Similia illa Gracchi, *Quò me miſer conferam? quò vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat, an domum? matrémne vt miſeram lamentantémque videam & abiectam?* Idipſum habet locum, cùm ad auditores dicendo conuertimur, ſed præſertim in commotionibus animorum: ſcitè enim monet Quintilianus, *iunctis manibus plus affectus exhiberi*. Sic obteſtantur conſeſſum Iudicum Oratores, ſic Eccleſiaſtæ populum, ad tuendam innocentiam, ad diuinæ mentis cognoſcenda beneficia, &c.

Manum autem vtramque demittere, geſtus animi eſt demiſſi, obſecrantis, ſumma humilitate & obſeruantia reuerentis: quo geſtu olim Pruſias Bithyniæ Rex vſus dicitur, homo abiecti animi atque fracti, in Italiam cùm veniſſet, ad domicilium Imperij orbis terræ ſpectandum. Nam cùm in Senatum ingrederetur, ad ianuam ſtans Curiæ ex aduerſo Patrum, ταθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν οὐδόν, *demiſſis manibus limen ſalutauit*: quæ verba ſunt Polybij rem indignam animo regio memorantis. Polybius.

Præterea vtraque manu vtimur, cùm rerum immenſitatem, cùm infinitum propè numerum, cùm ſpatia longè & latè patentia deſignamus, quale iſtud in Pompeiana Marci Tullij, *Teſtes verò iam omnes oræ atque omnes exteræ gentes ac nationes; denique maria omnia tum vniuerſa, tum in ſingulis oris omnes ſinus atque portus*, &c.

Denique ex æquo læua geſtum exhibet cum dextera, in Contrapoſitis, cùm diſſimillima inter ſe conferuntur, tum enim per vices manus vtraque partes ſuas agit. Quomodo illa pronunciauit Orator, *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus*, &c. Geminum illud eſt è 6. Verrina: *Conferte hanc pacem cum illo bello: huius Prætoris aduentum*,

Rr

cum illius Imperatoris victoria, huius cohortem impiam, cum illius exercitu inuicto, huius libidines, cum illius continentia, ab illo qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Huc refertur oppoſitorum ſignificatio, vt, illi ad Orientem poſiti ſunt, iſti ad Occidentem. Diuertunt illi ad læuam, hi ad dexteram. Quanquam hæc quidem vltima ſolius dexteræ commutata motione ſæpè à doctis hominibus deſignentur.

SECTIO IX.

Subiectio, colliſio, comploſio, compectinatio manuum, quando, & quibus modis adhiberi poſſint in dicendo.

INTEXAM hîc eodem orationis filo & alios geſtus, quos ſimul vtraque manus efficit, quales ſunt colliſio, comploſio, compectinatio, ſubiectio. Veteres ergo aliquando inter χηματισμοὺς manum manui ſubiiciebant, quod illis χεὶρ καταστρηνὴς χειρὶ dicebatur, *cùm manui manus ſubſternebatur*, inquit Iulius Scaliger. Quo geſtu Orator vti ſine reprehenſione poteſt moderata manuum commutatione, cùm excreſcentem in altum molem volet exprimere, vt quæ modò ſubiecta inferiórque manus eſt, fiat deinde ſuperior, & bis terve ita varientur. Hac ratione immanis illa audacia deſcriberetur ferocientium Gigantum, qui montes montibus imponentes, & iam nubes aërémque præteruecti, Iouis regiam ſtellantéſque domos reſcindere moliebantur. Hîc tamen cauendum ne mimica nimis ſit manuum commotio, & hoc etiam intelligendum, hunc geſtum habere tantùm locum, cùm actio ipſa exaggeratæ ſubſtructionis dicendo exprimitur. Nam ſi moles tantùm commutata operis varietate in ſublime ſe attollens repræſentetur, id vna manu fieri poterit, quæ diuerſis veluti gradibus cum re ipſa efferatur, vt ſi quis de amphitheatro memorans, caueam imam, podium ſiue orcheſtram, quatuordecim ordines, loca deinde vbi vulgus tenuíſque plebecula ſpectabat oratione perſequatur: ſi orbium cœleſtium ordinem, ſi gradus beatarum mentium quas Hierarchias nominamus, ſi alia hu-

l. 1. poët. c. 18.

ius generis percenſeat. Manum tamen manui ſubiicere apud antiquos nonnunquam fuit inauſpicatum: nam apud Hippocratem, καθάρται, καὶ ἀλαζόνες, quos ille irridet vt veteratores & improbos, iubebant aduerſus morbum ſacrum, μὴ πόδα ἐπὶ ποδὶ ἔχειν, μηδὲ χεῖρα ἐπὶ χειρί, *nec pedem pedi, nec manum manui ſuperimponere.* Sed hoc extra rem: pergo de colliſione & comploſione manuum dicere. Hippocr. de morb. ſa

Adhibetur hic geſtus in diſſimillimis rebus, triſtibus, lætis & iucundis, in iracundia, in impetu animi turbulento, in commouendis affectionibus, quando grauiùs agendum eſſe videtur. Sanè mœrorem, luctum & calamitatem, colliſio manuum ſignificat. Gregorius Nyſſenus cùm eſſet in dicendo longè elegantiſſimus, & Pulcheriam funebri oratione cohoneſtaret, in dolore ſuo explicando, id meo iudicio fecit, quod ab aliis factum, qui in regali ea funeris pompa adfuere, pronunciat. Nam inter luctus mœroríſque indicia ponit, χεῖρας ἀλλήλαις συναρασσομένας, στεναγμοὺς τὴν ἐγκάρδιον ὀδύνην καταμηνύοντας, *manus inter ſe colliſas, gemitúſque intimum animi dolorem indicantes.* Sic Philo Iudæorum eloquentiſſimus, cùm Flaccum in exilium eiectum, & miſerabiliter ſuam fortunam deflentem inducit, τὰς χεῖρας συνεκρότει, τοὺς μηροὺς ἔπαιε, *complodebat*, inquit, *manus, femur etiam pecutiebat.*

Comploſio manuum in luctu.

S. Greg. in ora. in fun. Pulch.

Philo in Flaccum.

Contra verò id ipſum fieri in rebus lætis, & iucundo animi ſenſu declarando, non modò è communi conſuetudine, verùm etiam è Veterum monumentis cognoſcimus. Expreſſit eam animi affectionem, candido genere orationis, Xenophon in hæc verba, *Proximus manipuli ductor, id cùm videret,* συνεκρότησέ τε τὼ χεῖρε, καὶ τῷ γέλωτι ηὐφραίνετο, *manibus comploſis ridens gaudebat.* Hoc motu frequentiùs vt vtatur liberiúſque Orator, haud ego lubens conceſſerim, præſertim ſi grauis ſit publicíſque honoribus inſignis, atque in cœtu hominum ſapientum verba faciat, non quod eſſe putem vitioſum, aut alienum ab honeſtate, cùm prudens adhibetur moderatio, ſed ne quando ad aliquam prauitatem abripi ſe patiatur. Geſtit enim lætitiæ motus aliquando, exultat effuſiùs atque tripudiat, ſic vt quidam efferri gaudio inſolentiùs & deſipere videri poſſint: quo tempore ſi manuum comploſiò

Comploſio in rebus lætis.

Xenoph l. 1. Cyrop.

Fab.l.11.c.3. adhiberetur, verendum eſſet, ne in theatrum è foro actor leuiúmque hominum temeritatem migraret: Et quidem non futilis auctor Quintilianus, *complodere manus*, ſcenicum eſſe pronunciauit.

Compleſio in iracundia. Eandem manuum complosionem iracundiæ Seneca attribuit; ſic enim cùm iratum pingeret aiebat, *parùm explanatis vocibus ſermo præruptus, & complosæ ſæpiùs manus*, &c. Nec deſunt illius rei exempla apud ſcriptores: de Caio Imperatore Philo de leg. ad Caiũ Philo æſtuante facibus iracundiæ, & indignè ſtomachantè, μεςὸς ἦν ὀργῆς ἐφ' ἑκάςῳ σημειούμενος, ὡς δὲ ἐπαύσατο, συνεκρότει τὰς χεῖρας, εὖ Πετρώνιε φάσκων, *excandeſcebat legens multam præ ſe ferens iracundiam, vbi verò deſiit, complosis manibus, Euge Petroni*, inquit, *non didiciſti andire Imperatorem*. Turbulenti Oratores, qui furioſo quodam genere dicendi vtuntur, etiam extra iracundiam manus ſolent frequentiùs inter ſe collidere, quod putent id afficere vehementiùs auditorem, & vim promptæ atque incenſæ orationis melius exprimere. Eos Quintil. l. 2. c. 12. irridet pungítque Fabius lib. 2. vt leues & ineptos, & indoctæ multitudini ſe venditantes, *Iam collidere*, inquit, *manus, terræ pedem incutere*, &c. *mirè ad pullatum circulum faciunt*.

Placida complosio. Eſt quoddam genus complosionis, quod non claro ſonitu excitato, ſed leniter dulci quodam manuum appulſu & commiſſione perficitur. Id frequens in multorum dicentium conſuetudine, quos videmus penè in ſingulis periodorum clauſulis manus iungere, & leuiter complodere, quos minimè æmulari velim, aut cæteris ad imitandum proponere. Et tamen eo geſtu vtebatur Proæreſius in dicendo ornatiſſimus, facundiæ olim magiſter, qui publicè olim Athenis ſuam cauſam egit ſumma omnium admiratione, de quo eius auditor Eunapius ita memorat, ἄρχεται μὲν ὁ Προαιρέσιος λέγειν ῥύδην, κατὰ τὸν κρότον ἀναπαύων ἑκάςην περίοδον, hoc eſt, *Proæreſius orditur flumen quoddam orationis ſingulas periodos pulſu manuum finiens*.

Compectinatio manuum. Iam verò quod ad manuum compectinationem attinet, deſcribitur illa venuſtè Apuleio his verbis, *Palmulis inter alternas digitorum viciſſitudines ſuper genua connexis, ſic grabatum ceſſim inſidens vbertim flebam*: vbi rectè eum geſtum cum l. 3. Mileſ.

fletu & lacrymis coniungit: eſt enim indicium animi dolore languentis, & vehementi quadam ægritudine confecti. Quem ponens ante oculos ea qua ſolet dictionis élegantia Baſilij magni frater, *συγκροτεῖς*, inquit, *τὰς παλάμας, τοὺς δακτύλους συμπλέκεις, ἀδημονεῖς τοῖς λογισμοῖς, complodis manus, digitos complicas, atque tuis cogitationibus angeris.* Sic Dio Chryſoſtomus inter luctus & mœroris argumenta, ponit *συμπλοκὰς χειρῶν, καὶ ταπεινὰς καθέδρας, manuum complicationes humilémque ſeſſionem*, quod vltimum triſtitiæ vim ponit ob oculos, cuius proprium eſt non modo animum, verùm etiam corpus abiicere. Greg. Nyſſ. or. 7. de beatit. Dio Pruſ. or. 16.

Vtraque manus adhibita in precibus. Supinæ manus quæ ſint. χερσὶν ὑπτίαις διαλέγεσθαι reprehenſum, cuius rei cauſæ explicantur. SECT. X.

AD extremum manum ſimul vtrámque adhibemus in precationibus, quæ nonnunquam ab oratore funduntur, *χεῖρας εἰς ἱκετείαν προτείνασθαι*, vocat Libanius. Venuſtè & rotundè Apuleius, *Habitus orantium hic eſt, vt manibus extenſis in cælum precemur.* Manus ſupinas nominare Poëtæ ſolent, Liban. in Baſilic. Apul. l. de mund. Virgilius.

----tendóque ſupinas,
Ad cælum cum voce manus.

Manus ſupinæ propriæ dicuntur illę, quæ ita ſublatæ ſunt, vt palmæ cœlos ſpectent, *ὕπτιαι χεῖρες* dicuntur Atticis, quas Dio Pruſæus vt intemperantiæ ſymbola & mollitiei reprehendit. Cùm enim enumerat ea in homine, quæ perditam & flagitioſam vitæ conſuetudinem ſignificarent, quæ *ξύμβολα ἀκρασίας* ipſe nominat, ponit inter alia *τὸ ταῖς ὑπτίαις χερσὶν διαλέγεσθαι, ſupinis manibus diſſerere.* Dudum apud me cogitaui, quæ fuiſſet cauſa, cur vir magnus id rèprehendiſſe iure videretur. Neque enim id omni ratione damnare potuit, quod in ſacris tam religioſum fuit, & tanta omniū populorū conſenſione receptum, vt antiquiſſima ſacra, quæ vulgò nominantur *ὄργια*, dicta fuiſſe velint ab *ὀρέγειν*, hoc eſt *ἐπεκτείνειν τὰς χεῖρας.* Dio or. 33.

Fortè voluit ineptorum hominum actionem carpere, qui, vt ait Quintilianus, ***ad modum aliquid portantium*** manus extendunt, vel eorum qui velut ſtipem ab auditoribus ſuis peterent, ſupinas manus indoctè circunferunt, de quibus id Poëtæ Romani dici queat,

Tibull. l. 2. el. 4. *Ille caua pretium flagitat vſque manu.*

Nam Galenus cùm manum exprimit ad cõtinendam aquam certa ratione diſpoſitam ne effluat, ὑπτίαν τὴν χεῖρα, *manum ſupinam* vocat. Id autem longè fieret ineptius, ſi quis manuum motu, haurientem, & ex imo veluti educentem exprimeret, qualis ille apud Virgilium, (Galen. l. 1. de vſu part.)

---ritè cauis vndam de flumine palmis
Suſtulit.

An fortè, quod vero ſimilius mihi videtur, effœminatam quãdam fracti & mulieroſi hominis actionem reprehendit? nam in eo quidem loco Dio nequitiæ & laſciuientis animi ſigna proſequitur. Atqui molles & delicatæ mulierculæ modo quodam ſuo manus ſupinant, quem vir ſapiens æmulari nollet, & proinde meo iudicio bellè dixit magnus Poëta, & exquiſito iudicio Æſchylus, ὑπτιάσματα γυναικόμιμα χειρῶν, ***manus muliebri more ſupinatas***, quem morem interdici Oratoribus ad decus & gloriam euntibus æquum eſt. Sic naturæ genius Ariſtoteles inter σημεῖα κιναίδου non ſine ratione ponebat τὰς φορὰς τῶν χειρῶν ὑπτίας καὶ ἐκλύτους, *ſupinos manuum motus teneritudine quadam & mollitie diſſolutos*. Quo modo Tatianus oratione contra Græcos, pingit Creſcentem è Cynica philoſophia hominem vnum omnium flagitioſæ libidinis ducem, & κιναίδων παιδευτὴν: quem proinde delicato corpore fractum & τὼ χεῖρε λυγιζόμενον appellat. (Æſchyl. in Prometh. — l. de Phyſio. l. 3. — Tatian. or. cont. Græc.)

Digitized by Google

Oratores olim manum intra pallium togamue continebant : id bellè irriſum in Aeſchine. SECTIO XI.

PRIMIS eſfloreſcentis eloquentiæ temporibus, cùm hominum eſſet audacium & inſolentium exiguus numerus, in dicendo manum Oratores intra pallium continebant. Nam ſic quidem veteres illos Oratores dixiſſe Græciæ principes, lingua & conſilio maximos, Periclem, Themiſtoclem, alióſque prodit Æſchines, cùm Timarchum iudicio perſequeretur. Nam hi quidem adeo, inquit, modeſtiæ fuerunt ſuæ retinentes, vt quod nunc de more facimus, τὸ τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντας λέγειν, *vt prolata manu dicamus*, id tribuendum eſſe audaciæ, & pudori ac verecundiæ minus conueniens exiſtimarent. Tam laudatæ conſuetudinis argumentũ petit etiam à Solonis ſimulacro, quod in foro Salaminij ad æternam hominis memoriam ita conſtituerant, vt manum intra veſtem contineret, & ſubiungit, *Hoc eſt Athenienſes monumentum*, καὶ μίμημα τοῦ Σόλωνος σχήματος, ὃν τρόπον ἔχων αὐτὸς διελέγετο τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων. Quem geſtum indicem moderationis cùm probaret Æſchines, etiam in accuſando tum retinuit. Et quidem paria memorauit de Solone Ariſtides, quem ait tametſi manum in ſinu continentem, eximiam tamen vocem, & longè vtiliſſimam patriæ efferre conſueuiſſe: τὴν μὲν γὰρ χεῖρα οἴμαι εἴσω ἔχειν ἠξίου, τὴν κεφαλὴν δ' οὐ κάτω, *vt enim manum intus continere, ſic caput deorſum ferre minimè opinor volebat.* Sed Æſchinis puerilem illam animaduerſionem, qui manuum geſtus inuidioſè carpebat, elegantiſſimè deinde exagitauit Orator Demoſthenes. Nam illam, inquit, Solonis ſtatuam, nondum antè annos quinquaginta fuiſſe dedicatam aiunt Salaminij, à Solone autem ducenti ſunt anni & quadraginta ad hanc ætatem. Quare artifex qui eum geſtum expreſſit, non ipſe ſolùm eo tempore non fuit, ſed nec auus eius. Tum argutè in Æſchinem, *Hoc igitur dixit Iudicibus & imitatus eſt, id autem quod eo geſtu multo eſſet vtilius, vt mens Solonis animi-*

Aeſchin: in Timarch.

Ariſtid. t. 3.

Demoſt. περ. παραπρ.

que diuinitas inſpiceretur, non eſt imitatus, ſed omnia potius contra fecit. Οὐ λέγειν εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα δεῖ, ἀλλὰ πρεσβεύειν εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα, σὺ δὲ προτείνας, &c. *Non concio habenda eſt Aeſchine manu intra pallium condita, ſed obeunda legatio manu in ſinu condita: tu verò facibus ardens importunæ cupiditatis ad Philippi dona capienda illã indigniſſimè protuliſti.* Atque hæc fuit ea quidem in re eius paris oratorum ventilatio, qui in theatro Athenienſi, ſummo caueæ plauſu & expectatione, de honore palmáque certarunt.

Neque verò negari debet, potuiſſe illud eſſe in veteribus, quod Æſchines potius coniectura, quàm vlla certa ratione cognouerat, vt non tam eſſent actuoſi & ardentes, præſertim vbi ſimpliciora fuerunt ingenia, cúmque placidè in ciuium cœtu & corona, ſine commotione animorum artificióque diſſererent: hoc enim eſt animi non cupidi, nec furentis & elati, nec temerè geſtientis, ſed habenis veluti rationis in officio & moderatione contenti. De Polemone quidem audito Xenocrate, Valerius Maximus ait eum factum modeſtiorem *reduxiſſe brachium intra pallium.* Et ſcriptores grauiſſimi referunt Cleonem primum turbulentum Athenis oratorem, ἐν τῷ δημηγορεῖν διασπάσαι τὸ ἱμάτιον, *pallium in dicendo aperuiſſe.* Quare videmus hoc etiam inualuiſſe apud Romanos, vt aliquandiu adoleſcentes intra togam more & conſuetudine manum continerent, quod memini dicere M. Tullium in Cœliana. Et Fabius ſuperioris æui lumina priſcos illos Italiæ proceres nullos ſinus habuiſſe dicit in toga, quorum proinde in dicẽdo brachium, neceſſe fuit, vt Græcorum, veſte contineri. Senioris in hanc rem Senecæ animaduerſio perilluſtris, *Apud Patres*, inquit, *noſtros, qui forenſia ſtipendia auſpicabantur, nefas putabatur brachium extra togam exerere.* Sed cùm cœpit erudiri artibus & exſuſcitari ingenium, in rudi & ſimplici antiquitate ſopitum, tum pudoris illæ anguſtiæ laxatæ ſunt, & modus quidam agendi liberior inductus, non vt verecundia de moribus eiiceretur, quam eſſe magnum vitæ ornamentum cogitare par eſt, ſed quo maiorem habeat vim oratio ad hominum animos impellendos. Quare nunc quidem manu in ſinu collocata, penitúſque abdita pronunciare, eſſet hominis & communi iudicio inepti & expertis humanitatis; ſed quatenus ea pro-

Plutar. in Nicia.

Fabius l. 11.

Senec l. 5. Cõtrouerſ.

proferenda ſit & mouenda, magni viri monitiones nobis reliquerunt, deinde vſus exercitatióque erudiit.

Manum exerere, attollere, protendere quando conueniat. νεῦμα τῆς χειρὸς, μεταστείειν τῇ χειρὶ, &c.

SECTIO XII.

IMPRIMIS dici hoc poteſt generatim, conſueuiſſe diſertos homines apud cœtum & frequentiam verba habituros manum porrigere. Id primo orationis introitu modicè & modeſté faciundum eſt, niſi fortè grauior ſit maleficiorum exagitatio, & ex abrupto quiſpiam exordiatur. Vt enim proprium iracundiæ eſt & iuſtiſſimæ indignationis, commouere totum corpus, & impetu quodam inflammato ciere, tum maximè in dexteram conuenit affectionum omnium miniſtram, quam Fabius *corporis eloquentiam* ſcitè nominat, quæque minimè in inuehendo teneri poteſt. Rem expreſſit Ammianus Marcellinus eleganter, cùm meminit de Valentiniano concionante ad milites, quem ait *bracchium exertaſſe*, quo liberius expeditiúſque loqueretur. Ammian. l. 26.

Plurimas autem ob cauſas attolli manus ſolet ab oratore: ipſo præſertim initio valet ad tranquillandos audientium animos, indicendúmque ſilentium, quod Poëtæ eximij pictores communis vitæ variè illuminant. Eruditus Perſius Socratis amaſium canit feciſſe ſilentia turbæ Maieſtate manus. (Perſius ſatyr. 4.) νεῦμα τῆς χειρὸς dixit Herodianus, apud quem Philoſophus in theatrum ingreſſus τῷ τῆς χειρὸς νεύματι τὸν δῆμον καταστγάζει. proprium in ea re eſt καταστγάζειν, Græci etiam dicunt ἡσυχάζειν τὸν λεὼν τῇ χειρὶ: Apud Nyſſenum Gregorium μεταστείειν τῇ χειρὶ: alij καταστείειν: quidam etiam ἐκτεῖναι τὴν χεῖρα eodem fere ſenſu, tametſi hoc vltimum minus quidpiam ſignificare videatur. (l. de anima & reſur.) Sola etenim manus elatio quamuis ſtrepitum hominum compeſcere atque audientiam facere poſſit, vt apud Statium Domitianus *dextra vetat pugnas*, ſi tamen certa quædam motio adhibeatur, plus multò habebit virium & dignitatis, quod μεταστείειν ſiue καταστείειν importat. (Statius l. 1. Syl.)

Atque hoc modo intelligendi videntur ſcriptores, qui ma-nu ſilentium indictum aiunt, vt nimirum adhibitum fuiſſe quendam motum exiſtimemus. Cornutus quidem certè quiſ-*
ad ſat. 4. quis ille eſt, ad Perſium hoc innuit, *Magna,* inquit, *& profu-tura hominibus locuturi, tacere iubent mouentes manum.* In eo ve-
Xiphil. in Hadrian. rò quantum momenti ſit poſitum, è Præconum munere at-que officio poteſt colligi, quos videmus in veterum monu-mentis, manu tantùm ſine vlla voce populo ſilentium impe-rauiſſe.

Elatio ma-nus habet autoritatē. Cæterum manus elatio & auctoritatem in eo qui dicit, at-que animum generoſæ conſtantiæ plenum atque fiduciæ om-nino ſignificat. Is quem modò nominaui Marcellinus hoc e-
Ammian. l. 26. gregiè, *Valentinianus Imperator concionem militarem habens, elata proſperè dextera, vt princeps fiducia plenus, auſus increpa-re quoſdam vt ſeditioſos & pertinaces,* &c. Scitè & ingenioſè Græci Thucydidis imaginem acris viri Martiique annalium conditoris effinxerant: perennat rei memoria in Poëtæ verſu, qui cedro digna locutus,

Anthol. l. 5. Δεξιτερὴν γὰρ ἀνέχε μετάρσιον, ὡς πρὶν ἀείδων,
Σπάρτης πικρὸν ἄρηα καὶ αὐτῶν Κεκροπιδάων.

Protenſio manus in ira miniſque. Iracundiæ nonnunquam geſtus ille eſt, aut minantis: expreſ-ſit Tacitus lib. 13. Annal. his verbis, *Simul intendere manus, ag-gerere probra,* &c. In Sextiana M. Tullius, *Voces quidem & pal-marum intentus, & maledictorum clamores omnes profuderunt.* Sed de bracchio in iracundia iacto & vehementi contentio-ne, alio à nobis loco erit dicendum. Hic de manuum pro-
Item in læ-titia. tenſione, quæ reliqua ſunt pertexamus. Non eſt dubium, quin fieri illa poſſit in lætitiæ ſignificatione, quæ mirificam voluptatem audientibus ſit allatura, tum enim liberior eſſe ſolet, & cum reipſa geſtire quodammodo oratio. Quem ſa-nè geſtum non tam è Rhetorum ſcholis & diſciplina, quàm è natura ipſa hauſimus & expreſſimus, cùm ſciamus, omnium pænè gentium conſuetudine homines rei admiratione deli-
Cicero l. 7. Epiſt. nitos, & lætitia geſtientes manus tollere. Ita exultans M. Tullius, *Suſtulimus,* inquit, *manus ego & Balbus, tanta fuit op-portunitas, vt illud neſcio quid non fortuitum ſed diuinum videre-tur.* Sic apud Homerum,

Χεῖρας ἀναχόμενοι γέλῳ ἔθανον.
Deficiunt riſu tollúntque per aera palmas.

Haud abludit ea Quintiliani præceptio, *At cùm ſpecioſius quid vberiúſque dicendum eſt, vt illud, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, expatiatur in latus, & ipſa quodammodo ſecum geſtu oratio.*

Sed præſertim manuum protenſio valet plurimùm in affe- *Eadem in* ctionibus commouendis, cùm præſertim honeſtiſſimi Orato- *affectibus* res, minimè triſtes & moroſi humanitatem quandam beneuo- *commouē-* lentiámque ſignificant, cùm præſentes laudant, cùm iiſdem *dis.* bona quædam & diuinæ mentis beneficia gratulantur, cùm audientium animos incendunt honeſtiſſimarum rerum cupiditate, cùm ad decus & gloriam veluti geſtienti quadam lætitia mentes impellunt. Ita etiamnum faciunt ſumma ſua laude bonóque audientium eloquentiſſimi viri, & omnibus ad dicendum præſidiis ornati, cùm publico in auditorio Muſarúmque theatro, iuuentutem ad omne genus officij cohortantur, & tantùm non ea dicunt oratorum principis & coryphæi, *Quamobrem pergite vt facitis Adoleſcentes, atque in id ſtudium* l. 1. de orat. *in quo eſtis incumbite, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & reipub. emolumento eſſe poſſitis*, aut illa ex oratione pro Archia, *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant*, &c. Idem in Themidis fano, in Iuſtitiæ prytaneo, in ampliſſima Curia illi heroës faciunt, qui poſt vacationes conſuetas, iuris & legum ſacris initiatos ad tuendam integritatem nominíſque exiſtimationem vocant, cùm præſertim compreſſo aculeo & reprehenſione, officioſam animi beneuolentiam oſtentant, & ea de qua loquor manuum protenſione, hæc aut ſimilia proferunt, Ad propoſitam gloriam contendite, ô Iuſtitiæ Sacerdotes, ô veriſſimæ philoſophiæ ſtudioſi, ô ſacræ anchoræ, ô aræ perfugiúmque afflictorum, tendite manus innocentiæ, è naufragio bonorum eripite calamitoſos, pulcherrimi iuriſiurandi memores quod concepiſtis, intuemini Diceſoculũ quem diuinæ iuſtitiæ apertũ & vndiq; circunſpicientem doctiſſimi homines iidémq; vita & moribus ſanctiſſimi tribuerunt. Nihil exiſtimatote in omni vita iucundius, aut ad decus & honorẽ melius, quàm vt è foro litibúſque

redeuntes, hic ſe reperiſſe dicant vt Saturni temporibus χρυσείους ἄνδρας, non tam pecunia quàm virtute pretioſos, & benefico ſplendore lucentes, lingua, manu, artificio caſtos, Eunomiæ filios, Irenæ parentes, &c. Eundem ipſum geſtum in concionibus adhibent Chryſoſtomi illi noſtri atque Chryſologi diuini homines in dicendo, cum lenioribus affectibus indulgentes, Chriſtianos auditores afficiunt, eóſque veluti manibus ipſi ſuis ad diuina ſuſtollunt, dulci quadam & beneuolentiſſima oratione. Ita meo iudicio tuba illa cœleſtis Gregorius Nazianzenus vir non minus eloquentia illuſtris, quàm ſanctimonia hæc protulit, cùm rerum omnium inanitatem antè oculos poſuiſſet, οὐκ ἀναβλέψομεν εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω; &c. *Non in cælum ſuſpiciemus? non expergiſcemur? non lemam ex oculis detrahemus? non quænam veræ diuitiæ ſunt intelligemus? vbi verus ſplendor, vbi dignitas mutationis expers, & neſciens finem beatitudo*, &c. Manuum illa protenſio ſingularem in magno Meletio gratiam habuit Antiocheno Epiſcopo, homine virtutum omnium præſidiis circumuallato, qua videbatur vt beneuolentiæ machinis audientium cor voluntatéſque ſecum attollere. Itaque de illo memorans elegantiſſimus Nyſſenus Gregorius, ei tribuit εὐπροσήγορον δεξιάν, τῇ τοῦ στόματος εὐλογίᾳ τοὺς δακτύλους συνεπισείουσαν, *comem dexteram & veluti lenocinio orationis perfuſam, quæ vna cum oris facundia digitos commouere ſoleat.*

Naziansz. or. 9.

Greg. Nyſſ. de S. Meletio.

SECTIO XIII.

Manu vultum inumbrare ſiue ἐγκαλύπτεσθαι an decorum. Excellentium Oratorum pudor in dicendo, qui è doctrina grauium Rhetorum ſolent περιπλέκειν τὸν λόγον.

QVÆRI poteſt, num in iis rebus explicandis quæ pudori ingenuo repugnent, commodum ſit aut etiam neceſſariū manu vultum inumbrare, quod opinor ἐγκαλύπτεσθαι Græci di.

cunt. Geſtum quidem huiuſmodi eſſe naturalē, Alexander memorat Aphrodiſienſis, vbi diſputat de pudoris eo colore, qui faciem occupare ſolet: *Sunt qui naturam*, inquit, *ſeſe protegere copia ſanguinis aſſeuerent, quomodo & manum, naturæ genio atque ductu, faciei admouere tantiſper ſolemus, dum pudore afficimur.* Licentius nobilis adoleſcens, pangens ad Auguſtinum incomparabilem virum, doctum & dulce poëma, perquam ſcitè huc alluſit, Alex. Aphr. l. 1. probl. 15.

Et mea Calliope quamuis te comminus altum Licentius.
Horreat, & vultus abſcondat.

Atque hoc non in rebus modò noſtris, verùm etiam alienis contingere, cùm vſus & experientia quotidiana, tum veterum actiones declarant. Nam cùm eſſent Oratores Græciæ longè in dicendo copioſiſſimi & ornatiſſimi miſſi legati ad Philippum, & Demoſthenes non ſatis è dignitate reipub. verba feciſſet, ſi modò fides adhibenda eius inimico eſt, id in oratione ſua ponenti; *Collegæ omnes qui aderant, præ pudore vultus operuerunt.* Ita enim Æſchines, καὶ τά γε δὴ καταγέλαστα παντελῶς, ἐφ' οἷς οἱ συμπρέσβεις ἐνεκαλύψαντο. *Adiecit illa etiam maximè ridenda, quorum Collegas ita pudebat, vt faciem obtegerent.* Idem & alia in oratione Æſchines, cū flagitioſiſſimi hominis impudentem audaciam deſcribit, qui in ſummo ſplendore ciuitatis, in ciuium ſuorum luce concionari nudus voluiſſet, *Tanta*, inquit, *erat petulantis & ebrij hominis turpitudo*, ὥστε τούς γε εὖ φρονοῦντας ἐγκαλύψασθαι αἰσχυνθέντας ὑπὲρ τῆς πόλεως, εἰ τοιούτοις συμβούλοις χρώμεθα, *vt homines cordati oculos velarent verecundantes reipublicæ vicem, quæ talibus conſultoribus vteretur.* Eundem morem expreſſit diuinus Chryſoſtomus, αἰσχυνέσθωσαν τοίνυν οἱ ἕλληνες, ἐγκαλυπτέσθωσαν, &c. *Erubeſcant ergo Gentiles, & pudore ſuffuſi vultum tegant.* ξυγκαλύψασθαι, in eadem re ſignificanda poſuit Philoſtratus. Eſt quidem vna de virtutibus, quæ in vultum Oratoris & prudentiam conueniat, pudor, quem non modò in dicendo, ſed quantum fieri poteſt in omni vita retinere debet. Nam illud Plautus ſapienter, *Illum ego periſſe dico, cui quidem perit pudor.* Et Herodotus pater hiſtoriæ bellè dixit, *Mulierem ſimul cum veſte pudorem exuere*: Ego verò dicam, Oratorem ſimul ac pudorem exuerit, eo ipſo in loco digni-

Orat. περὶ παραπρεσβ. Æſchin. in Timarch. Homil. 19. ad Antioc. de vit. Apol. l. 1. c. 12. Herodot. l. 1.

tatis & exiſtimationis ſuæ decus & ornamentum poſiturum. Quapropter eniti in hoc debet, & toto quod aiunt pectore contendere, vt nihil dicat, nullum geſtum efficiat, qui à pudore & verecundia ſit alienus. Sed tamen in turpiculis rebus deſcribendis, non tam pudendum exiſtimo, quàm efficiendum, vt ne quid vnquam in dicendo eueniat, quod pudoris ſignificationem poſtulet. Hoc ſemper ego munus cenſui verecundi, & pudentis, & boni viri, vt ſi quando fuerit opus impudicam impudicitiam, & flagitioſas hominum libidines accuſare, dignitatis tum ſuæ, tum aliorum diligentiſſimam rationem habeat, nihil efferat, quod honeſtæ aures caſtique animi repudient & auerſentur. Diogenes vt multa, mea opinione ſapienter aiebat, eos qui venuſtate decoriſque ornamentis præſtarent, & indecorè tamen loquerentur, ἐξ ἐλε-
Laert. l. 6. φαντίνου κολεοῦ μολιβδίνην ἕλκειν μάχαιραν, *ex eburnea vagina plumbeum educere gladium*. Homerus vnus omnium in dicendo conſideratus, vix turpe quidquam dicere permittit eos, qui prælium ritè gerunt, *vnde & mirari ſubit, cùm præliantibus dedecori ſit turpiter loqui, ſi in dicentibus idem non obtineat*,
Ariſtid. t. 3. vt ait Ariſtides ille princeps elegantium Sophiſtarum. Hac laude effloruit maximè Virgilius, meritò ſanè Parthenias indigitatus, qui aliquando ſobolis procreationem ita deſcribit, vt id cùm agit, agere tamen non videatur. In foro id etiam in clariſſimis Oratoribus enituit. Cicero quidem pudorem ſibi quendam ingenuum tribuit, moderatorem officij datum à natura, à quo nullum tempus ætatis vacuum eſſe volebat: nam illam, vt ita dicam Camarinam, ita ſapienter quando fuit opus dicendo commouit, vt non fœteret. Hominem vnum nequitiæ principem Leſbiorum de gente voluit deſcribere, capite illum demiſſo pinxit, nihílque ampliùs. Agendum erat aduerſus Antonium, cuius ætas puerilis in cœno volutata fuiſſet, maluit dicti aculeum perdere, & contumeliæ iuſtæ materiam, quàm vt lucem honeſtatis ſpurcæ rei commemoratione violaret: eius enim illa credo memi-
2. Philipp. niſtis, *Sed iam ſtupra & flagitia omittam, ſunt quædam quæ honeſtè non poſſum dicere: tu autem eo liberior, quod ea in te admiſiſti, quæ à verecundo inimico audire non poſſes*. Vt laborat in milite Mariano Fabius? vt aduerſus Timarchum Æ-

Digitized by Google

ſchines in verborum honeſtate retinenda? Nam hîc quidem cùm flagitioſiſſimum & impuriſſimum hominem accuſaret, in ipſo introitu narrationis veniam poſtulat, ſi quid ſibi dicenti exciderit, quod iure à pudici hominis dignitate repudietur, cauſam autem in eum conferendam, qui adeò flagitioſè vixerit, *ὥστε τὸν τὰ αὐτῷ πεπραγμένα διεξιόντα, ἀδύνατον εἰπεῖν ὡς αὐτὸς βούλεται*, *vt qui facta eius commemorat, ſuo arbitratu dicere non poſſit: igitur multa ſeſe ait ſilentij nube inuoluturum.* Paria propè idem ipſe in Demoſthenem, *οὕτω γὰρ κέχρηται, καὶ τῷ ἑαυτοῦ σώματι, καὶ παιδοποιίᾳ, ὥστε με μὴ βούλεσθαι λέγειν*, &c. Rationem ibidem adfert, multos videlicet in offenſionem odiúmque bonorum veniſſe, *αἰσχρὰ λίαν σαφῶς λέγοντας*, qui aliorum probra & turpiſſimam obſcœnitatem nimis apertè, & remoto verecũdiæ integumẽto protuliſſent. Huius prudentiæ quoque exemplum clariſſimum habemus in præſtantiſſimo & eloquentiſſimo Nazianzeno, qui cùm furioſam bacchantium hæreticorum immanitatem, peſtilentis incendij more per omnia peruagantem, conſueta facundia deſcriberet, & virgines miſerãdum in modum diſtractas, fœdiùs etiam cruciatas narraret, hoc adiungit præteritione quadam honeſta & eius polito ingenio digna, *αἰσχύνομαι καὶ γυναῖκας, καὶ ἄνδρας εἰπεῖν τὸν τρόπον, καὶ γυμνῶσαι τῷ λόγῳ τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, οἷς καὶ τότε γυμνωθεῖσιν αἰσχύνομαι*, *nam ob fœminas & viros pudore impedior quominus crudelitatis modum exponam, atque occulta dedecoris ſermone denudem, vt pote ob quas etiam tum denudatas erubeſcam.* Hinc ſanctiſſimus Chryſoſtomus diuini Pauli miratur ſapientiam, qui cùm vellet flagitioſiſſimam libidinem veterum ſapientum arguere, *ὥσπερ παραπετάσματί τινι χρησάμενος, εἰς τὸ σεμνὸν τῆς διηγήσεως*, *vt parapetaſmate quodam ad orationis honeſtatem, & verecundiam eſt vſus.* Tempus ergo euenire nullum poteſt, quo modeſto Oratori, propter earum rerum turpitudinem quæ proponendæ videantur, vultus ſit manu tegendus. Hoc enim cùm in rei turpiſſimæ obſcœnitate natura duce fieri ſoleat, tum fieri non oportebit, cùm recidentur ea, quæ flagitij non ſat honeſtam ſignificationem habent. *Quædam* (ait limato politóque vir ingenio Seneca) *quædam ſatius eſt cauſæ detrimento tacere, quàm verecundiæ dicere.* Hinc orta eſt grauium

Æſchin. in Timarch.

S. Gregor. orat. 23.

hom. 4. in c. 1. ad Rom.

l. 1. Contr. 2.

Hermog c. 8. Method.

Digitized by Google

Rhetorum & intelligentium monitio, περιπλέκειν τὸν λόγον, *implicandam & inobſcurandam eſſe orationem*, cùm turpia & obſcœna quædam exponenda fuerint, vt omnia dicantur εὐπρεπῶς, & Orator modeſtiam ſuam honeſtatémque retineat.

SECTIO XIV. *Manum per faciem ducere mimicum. Σχῆμα repudiatur. Manus vulgò non tollenda ſupra oculos, vt monent Technici.*

NEQVE verò probare id etiam poſſum, quod à quibuſdam fieri nonnunquam ſcio, qui alia quadam occaſione os, genas, uultum, manu ſolent attingere. Nam ſi pictam miniatámque Iouis faciem, quod vſuueniebat apud veteres, aut ouato auro ductos ſimulacrorum vultus, aut ſtigmatias, & antiquo ritu epigramma in fronte atque malis liberali manu deſcriptum, aut denique velo tectos oculos, inuolutáque ora ſignificent, id non alia ratione faciunt, quàm vt manum iiſdem partibus admoueant. Id verò ſcenæ proprium eſt & theatri: neque in eo quidquam aliud ab Oratore noſtro requiritur, quàm vt manu elata moderatè, & in eam partem conuerſa, certa motione exprimat vel ductam faciem, vel obductam, vel abditam integumentis, vel ſinu togæ aut pallio inuolutam, aut alia quæ paulò antè, exempli gratia ponebam. Non abſimili ego geſtu bonum Oratorem illa dixiſſe puto, *Ciſio celeriter ad vrbem aduectus domum venit capite inuoluto*. Item illa, *Non enim nos color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit.*

2. Philip. Orat. in Piſon.

Illud item honeſtatis & decori, ſi quid mei iudicij eſt, fugiendum eſſet, quod à quibuſdam fieri conſueuit, qui cùm procul aut inſigniter intueri quidpiam volunt, curuam manum ad frontem adiungunt, vt radij ad videndum accommodati veluti colligantur, neuè nimia lux obturbet. Lucianus Atticis coloribus rem pingit in hunc modum, ἐγὼ δὲ παπτήνας ἐς ἅπαντας, καὶ τὴν χεῖρα τοῖς βλεφάροις περισχήμψας, ἐσκοπίαζον

Lucian. in Philopatr.

ζοι ὀξυδερκέστατα, &c. *Ego verò oculos per omnes circunferens, & manum ſuperciliis incuruam ſupernè obducens inſpectabam quàm acutiſſimè*, &c. Id omnino ad theatrum amandarem, in quo ſolenni etiam more olim fiebat. Genus enim quoddam fuit ſaltationis cui nomen σκώψ, ſiue σκόπευμα, quod quale fuerit Atheneus ſic explicat, ἦν δὲ ὁ σκώψ τῶν ἀποσκοπούντων τὸ σχῆμα, ἄκραν τὴν χεῖρα ὑπὲρ τοῦ μετώπου κεκυρτωκότων, *Scops geſtus fuit quaſi procul aſpectantium, cùm manum curuam fronti & oculis prætenderent*. Athen. l. 14.

Addo præterea non eſſe committendum oratori, vt manum ſupra caput attollat, niſi fortè concitatæ orationis impetus id ſuadeat, quo tempore iactum bracchij, quaſi teli, permittunt Rhetores; quod in leni placidáque oratione facere, hominis eſt decori inſcientis & inepti. Vt ſi quis tiaram capiti aut coronam impoſitam diceret, aut ſummum verticem conuulneratum lapide, quem ſublimi è loco quiſpiam emiſiſſet, aliáque ſimilia. In his enim ſimilibúſque exprimendis, non tam manus imponenda ceruici eſt, quàm in obiecto ſpatio leui motu demittenda. Quare doctorum hominum axioma quod in ſuas Inſtitutiones Fabius Quintilianus retulit, hic ſubiiciam, vt res venuſtati accommodata menti inhæreat; ſic igitur ille ſcribit, *Tolli autem manum artifices ſupra oculos, demitti infra pectus vetant, adeo à capite eam petere, aut ad imum ventrem deducere, vitioſum habetur.*

Manum referre ad pectus: illud tangere, percutere quando liceat. στερνοτυπτόμενοι. κονδυλίζεσθαι. SECTIO XV.

AN etiam manu pectus in dicendo tangere conueniat, diſputationibus ſuis eruditis Rhetorum filij quæſiuere: alij duntaxat conuerti manus & referri ad thoracem voluerunt, alij pectus etiam extremis digitis attingi poſſe. Vtrumq; meo quidem iudicio ſine vlla reprehenſione fieret, cùm de nobis eſt ſermo, & placida leni quaſi flumine fertur oratio. Quo geſtu Ciceronem fuiſſe vſum putat Fabius, cùm illa diceret, *Si*

quid eſt in me ingenij Iudices quod ſentio quàm ſit exiguum, &c. Sed tactus ille valet maximè in acri & inflammata oratione, cùm animorum motus vel explicantur, vel fiunt: vt cùm æſtum quendam amoris incredibilem, intimo in ſinu & medullis hærentem, ſuum aut alienum Orator exprimit aduerſus Deum, cœlites, homines, patriam aut religionem: cùm inſitum imis in viſceribus dolorem, cùm hominum pertinaciam & inueteratam maleuolentiam, quam nulla vis argumentorum, nulla ratio poſſit euellere; cùm occulta in mente conſilia, diſſimulationem, perfidiam: aut contrà cùm candidum animum & apertum nullis tectum fallaciæ nubibus & integumentis declarat. In his aut ſimilibus quæ in animo inſunt, vel ab eodem oriuntur ſignificandis, quis reprehendat, ſi ſummis ſaltem digitis pectus attingeretur? *Miſerum me* cùm M. Tullius 2. in Antonium diceret, minimè dubito quin geſtum hunc adhibuerit. Sancti Patres ſingularem D. Laurentij virtutem, & animi celſi robur oratione ſæpe ſua predicauerunt, illam autem in flammis tolerandis conſtantiam, cui apud Veteres par nulla fuiſſe videbatur, ad diuini amoris incendium vulgò referebant, quo eius medullæ hauriebantur. Idem facinus ſi ego iam cohoneſtarem, non dubitarem de ardenti pectore loquens, meum tametſi frigidum attingere. Iidem diuinitus afflati homines de hæreticorum pertinacia, ſtudióque erroris & contentione ſæpe dicunt, quorum inſanæ impiæque opiniones cum orbis terræ conteſtatis miraculis atque prodigiis, cum monumentis virorum ſapientum, cum gentium conſenſione, cum Eccleſiæ nunquam intermortua auctoritate doctrináque refellantur, in tanta luce triumphantis religionis, mirantur tamen obſtinatis in pectoribus tacitum virus ſic defoſſum hærere, inſidere animo; viſceribus ita implicari, vt nulla medicina educi, nullis remediis ſanari poſſe videatur. Hoc autem nec ſplendorem in dicendo, nec ad rem penitus intelligendam ſatis magnam vim habet, niſi ad pectus admoueatur manus.

Noſtræ etiam piæ in templis conciones progrediuntur paulo longius, in quibus ſane vis eloquentiæ omnis dominatur: nam non modò Eccleſiaſtæ pectus leuiter attingunt, ſed nonnunquam etiam conuerberant: quod ſæpe grauioribus in re-

bus communi conſuetudine factum videmus. Nam olim in dolore teſtificando, in luctu, atque funeribus, vt ſolenni quodam more, pectus manu pulſabant, quos Plutarchus στερνοτυπομένους appellat. Sic apud Cornelium Tacit. *Incendebat hæc fletum, pectus atque os manibus verberans*. S. Gregorius Nyſſenus in funere Pulcheriæ, τὰ στήθη ταῖς χερσὶ μαστιγῶσαι, *pectus manibus verberare*, cùm inuſitatum animi mœrorem & æſtum veluti quendam iracundiæ depingit.

Plutar. ad Apollon.

Tacit. in hiſt.

S. Greg. Nyſſen.

Id autem Concionatores noſtri faciunt in dolore & pœnitentia teſtificanda, vt cùm illum in diuina hiſtoria laudatum publicanum excitant, qui flagitiis antea quidem coopertus, & violentia atque fraudibus inſoleſcens, in copias ſe tenuiorum ingurgitauerat, ſed poſtea facti pœnitens & ſcelerum recordatione confuſus, vt iure irati nunantiſque Dei pectus emolliret, ſuum tundebat. Præterea Ethopeias artificioſè componunt, adhibent ἐνάργειαν, loquentes facinoroſos inducunt, qui prius in maleficio incredibili audacia volitaſſent, ſed afflante cœleſti aura, commutata ſubito velificatione in ſalutis portum confugiant. Subiiciunt ante oculos diuini Numinis vim & maieſtatem infinitam, potentiam illam nullis certis limitibus concluſam: tum inauditam inuſitatámque miſericordiam & humanitatem in perferenda hominum inſolentia diſſimulandíſq; peccatis. Tum illi ſcelerum maculis notatiſſimo, ſed tandem iudicium diuinum exhorreſcenti accommodatam orationem tribuunt, ſeſe multò indigniſſimum eſſe quem tellus ſuſtineat, aut animabilis aër vegetet, ſol ſplendore ſuo compleat, animantes nutriant, homines patiantur. Reliquum iam nihil eſſe, quàm vt pectus tam ferreum & ingratum contundat, illud impiarum cogitationum domicilium quatiat, inſolentiæ monumentum verberibus domet, dicere proinde cum diuino Vate, *Peccaui & malum coram te feci*: & cum illo alio in dolore & animi demiſſione lætam innocentiam conſecuto, *Deus propitius eſto mihi peccatori*.

Cõcionatores ſępe vtiliter pectus in dicẽdo manu quatiunt.

Nonnunquam Diuorum hiſtorias commemorant, qui incitatas aduerſus rationem cupiditates, & effuſæ libidinis impetum inſigni victoria ferendo feriendóque domuerunt: Narrant vt S. Hieronymus cùm in deſerto & remoto ab hominibus loco, tamen ab hoſte capitali humani generis obſideretur,

flagitioſis quateretur machinis, nequitiæ telis igneis peteretur, ſilice pectus verberarit, preſſerit, contuderit, quo firmo pietatis ariete veteranas Orci copias debilitabat. Hæc Concionatores agunt ea grauitate orationis & copia, ea corporis motione, geſtu etiam tam imminenti, dum pectus ſuum feriunt, vocem inflectunt, vt magni ſæpe fiant animorum motus, & multis lacrymę excutiantur. Illorum oratio non ſemper ad Rhetorum pręceptiones, normam, & amuſſim dirigitur, nec tanquã aurificis ſtatera examinatur: hunc geſtum ſanè agant, pectus feriant claro etiam ſonitu, ſi id iudicent ad finem ſuum conſequendum accommodatum, hoc eſt ad pietatem in eorum qui audiunt mentibus ingenerandam. Quanquam peritiores, quique eloquentiæ ſtudioſi fuerunt, video non multùm adhibere: nam placidè admota ad pectus manu, vel etiam tantum elata, orationis vi conficiunt, vt pœnitentiæ Chriſtianæ dignitas, numinis timor acerbitatíſque ſuppliciorum metus in animos auditorum influat. Qui verò in conſeſſu dicunt erudito & hominum celebritate, qui de loquentis intelligentia & iudicio, iudicium ipſi ſuum laturi ſunt, me auctore hunc geſtum, hanc pectoris, inquam, vehementem percuſſionem ſcenæ & theatro relinquent, ne de grege adoleſcentium aliquis in dicendo exer-
Plaut. in mil. glo. citatus illud è Comœdia tacitè iactet, *Hic pectus digitis pultat, cor credo euocaturus foras*. Simile quidpiam eueniebat Socrati, qui cum animi quodam æſtu in loquendo abriperetur, ex inci-
Laert. l. 2. tata vehementique diſputatione ſolebat κονδυλίζεσθαι, *pugno ſe diuerberare*, & vt ſcriptum eſt à ſummis autoribus, propterea deſpiciebatur à plurimis & irridebatur. meritò id quidem: furioſi enim prope dicam id fuit, certè impotentis minúſque moderati.

SECTIO XVI.

Femur icere in dolore, vehementi amplificatione, &c. quis primus in dicendo id fecerit. Suggeſtum & ſubſellia verberare, &c. quando ea vitioſa.

SED tantiſper demittamus manum à pectore, & videamus, num etiam femur icere aliquando conueniat. Sane com-

munis hic geſtus fuit vehementius agentis, dolentis, indignantis, *ferire femur*; adeo vt M. Tullius fictam illius oratoris actionem eſſe crederet, qui in re graui & ſummo digna odio & acerbitate, femoris percuſſionem non adhibuiſſet. Eſt eius dictum in Bruto & pars quædam orationis, qua erat vſus aduerſus M. Callidium, frigidum oratorem & minimè vehementem, quem ſcelus comminiſci ex eo probat, quòd ab eo in dicendo, *neque frons percuſſa foret, nec femur*. Qui primus è numero dicentium id fecerit, veterum annalium teſtimonio fuit Cleon, qui cùm Athenis clariſſimo domicilio literarum cauſam ageret, vehementia quadam & impulſione animi indignantis efferebatur, *τὸν μηρὸν πατάξας*, *icto femore*. Quæ & ſimilia quædam in dicendo inuſitata, ferocientis & turbulentiſſimi animi ſigna cùm attuliſſet, ſapientes meritò multi exiſtimabant, eum *τὸν ἐπὶ τοῦ βήματος κόσμον ἀνελεῖν*, *eieciſſe decorum è ſuggeſto, laudatámque moderationem*. Imitati ſunt deinde plurimi rem nouitate primùm inuidioſam, ſed in communi vita vſu & conſuetudine frequentem. Cic in Brut. Plutarch. in Grach. Quintil. Plutarch. in Nicia.

In dolore quidem commune id fuiſſe in Græcia, multis in locis prodit Homerus, dum viros magnos iracundia concitatos *μηρῷ πληξαμένους* deſcribit. Sic apud Xenophontem Cyrus *ἐπαίσατο τὸν μηρόν*. Et Flaccus Ægypti Syriæque Præſes miſſus à Caio Imperatore in exilium, vbi in Andrum appulit, miſerabiliter eiulans in calamitate, *τὰς χεῖρας συνεκρότει καὶ τοὺς μηροὺς ἔπαιε*, *manus complodebat, femora percutiebat*. Idem verò in moribus inſitum penitúſque inuſtum fuiſſe, licet è Plutarcho intelligere, qui vitium tantum poſſe ait, cùm ad animum ſemel eius manarit contagio, vt fruſtra irato ſuadeas & dolore furenti, nec comam vellere, nec *τὸν μηρὸν κροῦσαι*, *femur ferire*. Id etiam iracundiæ tribuit Seneca Philoſophus, *Quid opus*, inquit, *capillos euellere, femur pectúſque percutere*? In ſacris Prophetarum oraculis eum ipſum Hebræorum morem notatum & deſcriptum habemus: ſublimem Hieremiam ita loquentem audio, *Poſtquam conuertiſti me egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum*. qui geſtus apud illum Vatem pœnitentiæ & mœroris ſignificationem habet, apud alios iræ, doloris, indignationis. Luctui quidem M. Tullius *feminum & capitis percuſſiones attribuit*. Xenoph. l. 7. Cyrop. Philo in Flacc. Senec. l. 1. de ira c. vlt. Hierem. 31. 3. Tuſcul.

Porro hic idem geſtus conſilio adhibitus atque prudentia, mirificam habet vim ad rem ipſam amplificandam & augendam, commouendóſque animos auditorum. Scopelianus eloquentia maximus, τόν τε μηρὸν θαμὰ ἔπληττεν, ἑαυτόν τε ὑπεγείρων καὶ τοὺς ἀκροωμένους, *vt ſeſe atque auditores excitaret, ſibi femur ſubinde feriebat*, vt memoriæ prodidit Philoſtratus. (l. 1. de vit. Soph.) Fuit is olim vt in foro ſæpe neceſſarius, ſic perfacilis in latis illis ſubſelliis, in quibus cauſarum patroni dicebant. Noſtris autem temporibus & hoc dicendi more quo iam vtimur, nec tam eſt frequens, nec tam commodè adhiberi poteſt: ſed aliud quiddam in eius locum ſucceſſit de quo Veterum ſcripta ſiluerunt. Nam actores quidam manu ſubſellia pulſant vehementiſſimè, támque nonnunquam verberant etiam pæne dicam furenter, tam ſæpe, támque importunè, vt qui vicini ſunt, votis conceptis eos ſcabioſos vel arthriticos eſſe cupiant. Irrepit ſacra etiam in loca id vitium, & nonnulli reperiuntur Eccleſiaſtæ qui ſuggeſtum immeritum quatiant inconſiderati animi temeritate, dum ebulliunt, & feruidam actionem putant excellere. Ea dicentis actio vt minimè dedecet, cùm ſceleratæ hominum fraudes, cùm ſingularis improbitas ad pœnam vocatur: ita cùm ſine iudicio adhibetur, futilis animi turbulentam furioſámque motionem arguit, & obtundit audientes.

Iam verò duo quædam eſſe tempora video, quibus à noſtris quoque hominibus illa femoris de qua modò agebam percuſſio, in noſtra etiam dicendi conſuetudine celebretur: cùm nimirum vel ſedens agit orator, manúſque habet in agendo liberiores, vel cùm ſtans è plano dicit, vt cùm principes & Dynaſtæ in vrbem introëuntes ſunt excipiendi, cùm patriæ aut reipublicæ vota explicanda, cùm publicè vni pro omnibus eſt mandatis aut petitioni reſpondendum. In his autem ſimilibúſque dictionibus, quibus ſuam mentem vir grauis aut ciuium ſuorum voluntatem aperit, non ſine decoro poteſt leuiter femur attingere, manum in clauſulis deponendo: at niſi rei quædam magnitudo & atrocitas poſtulet, non debet vehementius percutere, præſertim cum ſono atque plauſu, ne iocando Plautinum illud quiſpiam ſubmurmuret, *Hoc vide, dentibus frendit, icit femur.*

Vidi ego nuper magnæ ſpei iuuenem eloquentiæ candidatum, elegantiſſimo ſane ingenio & polito, qui de plano habuit orationem, in qua lepos atque argutiæ, cum exquiſito dicendi artificio certabant: rem planè Palatino delubro dignam, cælatúmque nouem muſis opus. Qui tamen in eo diſplicuit, vel potius offendit quamplurimos, in quo tamen placere vehementius ſibi videbatur, quod ad ſingulas clauſulas periodorum, manum ad femur claro plauſu, magno ſtrepitu affligeret. Qui mihi aſſidebat homo dicax & facetus, videri ſibi illum eſſe dixit è Lentulorum familia, quibus *Suræ* cognomen adhæſerat. Lucianus qui hominum ineptias & acutè vidit & irriſit lepidè, cùm Rhetorem quendam illudit, modóſque explicat quibus triumphare in dicendo poſſit, hoc eſt putidè odioſéque dicere, inter cætera, ὁ μηρὸς, inquit, παταισθω, *femur ſtrenuè percutiatur.* Lucian. in Rhet. præcep.

Nonnulla manuum vitia. carere geſtu. agreſtis & ponderoſa manus. ſuſpenſa manu plumbeaque dicere.

SECTIO XVII.

CHILONEM aiunt Lacedæmonium monere ſolitum, non eſſe manum agitandam in dicendo, id enim eſſe væcordium. Qui mihi deſcribere homines videtur miſerrimæ illi mulieri conſimiles, de qua eſt in fabulis à Latona verſam fuiſſe in ſaxum, Laert. l. 1.

Nec flecti ceruix, nec brachia reddere geſtus, Ouid. 5. Metamor.
Nec pes ire poteſt, nihil eſt in imagine viuum.

Atque omnino dicendi artifices id præceptum eſſe fatuum clara voce pronunciarent: ſed cùm vulgo inter ſapientes totius orbis conſenſione ponatur, exiſtimo non de Oratore Chilonem locutum, cùm Spartæ nemo fere eſſet qui copiam & elegantiam in dicendo, ſtudio ſuo dignam exiſtimaret, ſed ciues monere ſuos voluiſſe parcos in loquendo & βραχυλόγους, vbi vno alteróque verbo reſponderi queat, non magnopere eſſe opus geſticulatione. Sed alia fuit

mens & conſuetudo Athenienſium, apud quos eloquentiæ præſidio inſtructi Dæmagogi illi principes, omnia ex animi ſui ſententia moderabantur. Itaque exculta fuit ſtudioſiſſimè manuum actio, niſi fortè in eo triſti & verendo Areopagitarum conſeſſu, vbi cùm ſine affectibus in obſcuro loco dicendum foret, non video cauſam fuiſſe vllam, cur dicentes in corporis motu atque geſtu elaborarent. Quorum ſectam & opinionem videtur ſecutus Hyperides, in decade numeratus excellentium oratorum, quem Plutarchus dicere ſolitum ait citra vllam actionem, tantum quæ geſta eſſent exponere. Id ipſum æmulabatur, opinor Aeſchines, qui ſtulta Solonis imitatione contendebat, intra pallium manum contineri oportere. Sed brutos illos ſtupidóſque oratores omnis deinde repudiauit antiquitas, de quibus id meritiſſimo quis pronunciet, quod de madido ſapiente Caſſiodorus, *Virum illum prudentiſſimè differentem, difficile vel viuum credas, quem ſe nec mouere poſſe conſpicias.* Nullum pæne ſcriptorum genus fuit, quod non eam Oratorum ignauiam liberrima oratione carperet, & feſtiuè illuderet. Trunco Hermæ ſimillimos eſſe canit Iuuenalis, & ſic in vno eos omnes deformat,

Plut. in vit. Hyperid.

Caſſiod. l. de an c. 12.

Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.

Iuuenal. Sat. 8.

Ariſtides clariſſimus in dicendo, impolitos eos oratores diſſimiles eſſe aiebat Orpheo, *nam hunc quidem*, inquit, *& ligna & lapides traxiſſe produnt fabulæ, ipſi verò lignorum inſtar & lapidum neminem mouent.* Quam verò eloquentiam cogitare poſſumus ſine manuum motu, niſi vt aiebat Quintilianus, *truncam & deformem*? quæ ſanè non tam eloquentia dici debeat, quàm perennis quædam loquacitas, & inepti oris crepitaculum. Itaque minimè ego dubitarem, eos homines qui ſine actione dicunt, cum iis ſtatuis componere, quæ priſcis rudis æui temporibus fiebant: nam & clauſos habebant oculos, demiſſáſque manus & lateribus annexas. Dædalus primus inuentus eſt homo ſolers & ingenioſus, qui & formauit oculos manúſque exeruit, vnde vt Comicus Plato ſcripſit, τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ, βλέπει τ' ἀγάλματα, *Dædali omnia moueri dicas & videre ſimulacra.* Qui certe mihi vir ſapiens non tam plaſtes videtur fuiſſe artuum, quàm

Ariſtid. to. 3.

quàm mentium exornator & decori motus, quem cùm ſummo iudicio docuiſſet, dictus eſt in fabulis, eas ſtatuas & hominum effigies diuinè compoſuiſſe, quæ per ſe mouerentur. Maneat igitur ratum hoc in noſtro artificio præceptum, eſſe maximè vitioſum in Oratore, ſi actione manuúmque motu careat.

Alij vero ſunt, qui non quidem geſtu omni deſtituantur, ſed manus habent tardas & ponderoſas ſine vlla venuſtate, quas ſimul cum brachio ruſticano more circunferunt; ſic attollunt aliquando, vt grauem pulpam mouere videantur, ſic dexteram timidè & cunctanter porrigunt, tanquam aſſem elephanto darent. Nonnunquam ita languidi ſunt in agendo, vt ſpiſſa hæreant actione, & attoniti velut defigantur. Id olim *agere ſuſpenſa manu* Veteribus dictum, quod agreſtes & minus in dicendo exercitati, vel quos etiam deficit memoria, dum ignari totius rationis, quo ferantur, vbi aliquando conſiſtant, exploratum non habent, manus veluti ſuſpendant. Itaque eleganter Plinius Secundus, *ſuſpenſa manu commendare* dixit, hoc eſt, languidè & remiſsè, ſine illo ardore animi, quo in rebus grauioribus homines commoueri ſolent. Huic hominum generi Apuleius neſcio quis *brachia vegetanda* non minus quàm pugili opinor diceret. Iis palæſtra foret neceſſaria, ſed illa veterum, in qua totius corporis motiones aptæ & decoræ, & imprimis χειρονομία docebatur. Sed cùm illa iam deficiant eloquentiæ ſubſidia, cenſeo in nobiles intueantur honeſtiſſimè & liberaliſſimè educatos, & diligenti quadam imitatione, iis pigmentis inuenuſtam ſuam actionem colorent.

Plin. Iun. l. 6. epiſt.

Apuleius l. de Deo Socrat.

SECTIO XVIII.

Geſtuoſa manus & arguta. iactare manum. geſticularia Dionyſia cur nominatus Hortenſius. Geſtus non verba debet, ſed ſenſum exprimere.

NONNVLLI reperiuntur, qui dum Scyllam vitare cupiunt, in Charybdim, contrarium ſcilicet vitium, ſtudio inflammato rapiuntur: nihil enim putant acri & vehementi

actione præſtabilius: igitur manus habent nimium actuoſas, aërem diuerberant, & odioſa quadam ſciamachia cœtum audientium omnem conturbant. Id vitium cadere in iuuenes maximè poteſt, qui, vt aiebat Gregorius Nyſſenus homo eruditiſſimus, gloriari ſolent quod ipſis ὑπερσφριγῶσιν αἱ χεῖρες πρὸς κίνησιν, *ſupra modum vigeant manus ad motionem.* Vidi ego, doctum aliquando virum & eloquentiæ profeſſorem, orantem publicè, cùm adeſſent lumina Curiæ & doctiſſimorum hominum multitudo, ille verò tam celeriter manus ob os, & tam continuò mouebat, vt vix oculos ipſius dicentis atque vultum intueri poſſem. Quem ſenſum animi cæteri auditores habuerint ego neſcio: hoc ſcio mihi id viſum odioſiſſimum cum geſtu arguto illo & incitato mihi ſemper oculi perſtringerentur. *Saturum geſtum* Poëta vocat Manilius, Pantomimis proprium, & de ſcena hominibus, de quibus ita canit,

Greg. Nyſſ. orat. 2. de beatit.

Manil. l. 5.

Alternis tamen aptus erit nunc voce Poëtis,
Nunc ſaturo geſtu, referétque affatibus ora,
Et ſua docendo faciet.

Plurimi hac in re peccant, & ἀσχημονοῦσι, qui cùm putent Oratorem eſſe illum eximium, qui vi magna & concitatè omnia dicat, mirum eſt vt in dicendo bacchentur: itaque nihil dicunt ſine valido manuum geſtu & totius corporis agitatione. Id vitium Theodorus olim ſummus eloquentiæ magiſter παρείθυρσον nominabat: alij mitiùs, *iactare manus*, quemadmodum Iuuenalis irridet Græculos, quos ait,

Dionyſ. Longin.

Iuuen. Sat. 3.

A facie iactare manus.

Id etiam eleganter illudit ſanctus Hieronymus, *Nam ſi apploſiſſet pedem, intendiſſet oculos, rugaſſet frontem, iactaſſet manum, verba tonaſſet, tenebras illico ob oculos offudiſſet iudicibus.* Imitatus fortè eſt magnum Senecam in Epiſtolis ita ponentem, *Nec ſupploderem pedem, nec manum iactarem, nec attollerem vocem.* Fabius Quintilianus, *manus iactare*, & dulces exclamationes theatri cauſa producere, vnum Demetrium Comœdum iis temporibus egregium decuiſſe ait: præterea neminem. In hac re, vt in omnibus, medium conſequi & auream mediocritatem, pulchrum æſtimo, & conſiderato homine digniſſimum. Debet enim eſſe actio plena dignitatis, libe-

S. Hieron. ep. 5.

Senec. ep. 75.

ralis animi index, qualis eorum hominum eſſe dicitur à Xenophonte, qui enthei amoris vi afflantur, qui, inquit, τὰ χήματα εἰς τὸ ἐλευθεριώτατον ἄγουσι, *geſtus ad ſpeciem quandam maximè liberalem conformant*. Eſt autem ea ſpecies actionis in moderatione quadam poſita, ſic vt abſit illa feruida incompoſitáque temeritas, nimiúmque audax manuum iactatio, & hæc contra ruſticana timiditas & impolita, quæ neceſſarium motum ſolet infringere. Zenoph. in Symp.

Sed malim ego quidem Oratorem verecundiæ & ingenuæ timiditati propiorem, quàm impudentiæ, quod in timidis cautio quædam reperitur à vitioſitate abhorrens. Quare cùm probro Cleanthi daretur, quod eſſet timidior, *Eſt ita*, inquit, *ſed eam ipſam ob cauſam*, ὀλίγα ἁμαρτάνω, *pauca pecco*. Si quando res iucunditatis habeat plurimùm, geſtus poteſt eſſe liberior, vt in narrationibus quæ ad animos exhilarandos adferuntur, vt in fabellis, quas vel Æſopus, vel Heſiodus primus excogitauit, Græci αἴνους & Αἰσωποιητὰς, Latini olim ſemibarbari Apologationem, autore Fabio nominabant. Hos autem μυθικοὺς λόγους poſſe adhiberi ab Oratore, myſtagogi eloquentiæ docent, præſertim apud vulgus imperitum, & ſimpliciores animos, qui mirificè iis fabellis capiuntur. Vt res igitur eſt humilis, & in medio poſita, atque in vſu quotidiano, vox & geſtus, ſi ad eam accommodetur, minimè reprehendam. Sed illa coronæ propria & mixtæ concionis: nam in Senatu, vbi eorum qui audiunt ſplendor & auctoritas genus orationis quærit non vulgare, nec, vt ita dicam ſocco proprium & diſſolutum, vix euenire poteſt, vt narratiunculæ illæ feſtiuæ riſu diffluentes locum habeant, niſi vno aut altero verbo ſpecie παροιμίας tangantur. Cuiuſmodi illud eſt M. Tullij in Senatu: *O præclarum cuſtodem ouium, vt aiunt lupum*: apud imperitos vbi copia & floſculis orationis animi conciliantur, illud fortè expoſuiſſet vberius. Atque hinc fit, vt in geſtu faciundo placere quidam multitudini poſſint, qui iidem à doctiſſimis explodantur. De Demoſthene memini in Plutarcho hæc vidiſſe, *Populo quidem* ἤρεσκε θαυμαστῶς, *mirum in modum eius actio probabatur, eruditi autem humilem putabant eius geſtum*, καὶ ἀγεννὲς τὸ πλάσμα, καὶ μαλακὸν, *& degenerem & mollem*, quod Demetrius Phalereus exiſtimat. Quare illi contumeliæ loco ob-

Laert. Quintil. l. 2. c. 11. Plutarc. in vit.

Æſchin. or. iecit Æſchines, quod in dicendo conſueuiſſet *τερατεύεσθαι τῷ*
περὶ παραπρ. *σχήματι*, *in geſtu quædam veluti portenta exhibere*. Hanc quam dico moderationem, Q. Hortenſius minimè conſecutus mihi videtur, homo alioqui in foro nobilis & oratione limatus, de quo lubet hîc audire quæ ſcribit Agellius, *Cùm*, inquit, *ma-*
Agell. l. 1. c. 5. *nus eius forent argutæ admodum & geſtuoſæ*, *maledictis appellationibúſque probroſis iactatus eſt*, &c. De maledictis verè dicit, nam & quidam *hiſtrionem* eum vocabant. Torquatus autem
Diuin. in Verr. eius inimicus *geſticulariam Dionyſiam*. M. Tullius eundem ſignificat tam arguto & celeri manuum geſtu fuiſſe, vt oculos intuentium perſtringeret. Illa quoque in geſtu mediocritas Tyrtamo defuit illi Sophorum in dicendo ſuauiſſimo, quem
Laert. l. 5. Ariſtoteles διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον, *à diuinitate loquendi*, Theophraſtum indigitauit: cum autem οὐδεμιᾶς ἀπέχεσθαι κι-
Athen. l. 1. Deipnoſ. νήσεως, οὐδὲ σχήματός τινος, *nullum geſtum & corporis motionem prætermiſiſſe*, in ſapientum conuiuio ſcribit Atheneus.

Cicer. 2. de Orat. Cæterum *mimorum eſt & ethologorum ſi nimia ſit imitatio*, *ſicut obſcænitas*: *Orator ſurripiat oportet imitationem*, *vt is qui audit*, *cogitet plura quàm videat*, vt prudenter 2. de Orat. monet Cæſar. Nimiam vocat imitationem, cùm geſtus magis ad verba quàm ad ſenſum accommodantur, quod plurimùm abeſſe debet ab Oratore, vt ſi quis Medici venas tentantis ſimilitudinem, aut Citharœdum variè neruos attingentem exprimat, aut ſi quis de Moſe loquens, adhibitis ad frontem digitis & intentis, cornuum effigiem repræſentet. Quod non modò in manibus, ſed in omni quoque geſtu cauendum monet Quin-
Fab. l. 11. c. 3 tilianus, Non enim, inquit, in illa periodo, *Stetit ſoleatus Prætor Populi Romani*, &c. inclinatio incumbentis in muliérculam Verris effingenda eſt: aut in illa, *Cædebatur in medio foro Meſſanæ*, motus laterum qualis eſſe ad verbera ſolet, torquen-
Lucianus περὶ ὀρχήσ. dus. Monet quidem Lucianus debere Oratorem σαφήνειαν ἀσκεῖν, ſic vt omnia clarè & perſpicuè ante omnium oculos in dicendo ponat, ſed in geſtu quidem illud fieri ea moderatione iudicióque debet, vt hîc noſter actor grauitatis honeſtiſſimæque perſonæ, multùm à mimica leuitate diſſentiat. Erit igitur nobis imitandus M. Antonius, cuius diuinam & omnibus ſuis numeris abſolutam actionem prædicauit M.
Cicer. in Brut. Tullius, & hoc elogio in perennem conſequentis æui me-

moriam tranſmiſit, *Geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententiis congruens.*

Quæ ſit optima conformatio manus in agendo. Manu explicata geſtum facere quatenus conueniat. pronam penitus & ſupinam non videri κατὰ φύσιν. SECTIO XIX.

HÆc de manibus cùm dixiſſet Honoratus, pauſulum hęrebat quaſi dubij atque ancipitis animi: interpellans itaque Iuuentius, Quid eſt, inquit, Honorate? an dicta omnia ſunt quæ de geſtu manuum à nobis obſeruanda putas? Oro te nihil reſcindas de pulcherrimis tuis cogitatis, ſed exple deſiderium meum infinitum, qui velut torpedine ictus ab ore tuo pēdeo. Non multa præterea ſcio, inquit, Honoratus, quæ cognitione veſtra digna eſſe videantur: in vno verò hæreo, nec ſat habeo conſtitutum, quid ſit optimum, nec à doctis & honeſtiſſimis viris alienum. Nam quæ ſit manus optima in agendo conformatio, neque vſu & eloquentium hominum qui nunc ſunt experientia, neque veterum monitis conſtare video, cùm ſit eorum magna in præcipiendo varietas. Quidam explicata manu pronunciant, hi prona, illi ſupina: contrahunt alij & pugnum faciunt: pollicem quidam cum indice coniungunt, non nemo cùm cæteris digitis: quot denique ſunt oratores, tot modos in dicendo varios & diſcrepantes animaduerti. Scio veteres quiddam in ea re præcepiſſe, quæ cùm æquè vobis nota ſint, malim audire à vobis quid ſequi poſſim, quā opinionem meam fortè repudiandam proponere. Ea de re vnum, ait Iuuentius, legi Fabium, eúmque perplexè in multis loquentem, & explicantem ea, quæ non ſatis in hodiernam agendi rationem conueniant, niſi me ratio fugit. In ea verò multiplici varietate quam adfert compoſitionis digitorum atque manus, quid maximè Oratorem deceat, lubens hic didicero.

Hic Victor, Non vnus, inquit, Fabius de ipſa re diſputat,

rauerunt duce & Coryphæo Hippocrate, qui diſcrepantes aliorum opiniones perſequitur. Nam de ſtata & naturali manus cõſtitutione differentes quidam aiebant, *χεῖρα καταπρηνέα, pronam manum* eſſe κατὰ φύσιν. Ducebant argumentũ à ſagittariis, qui motu naturæ atque ductu eam manus poſitionem tenere viderentur. Alij ὑπτίην τὴν χεῖρα, hoc eſt *ſupinam* contrario omnino ſtatu malebant. Hippocrates hunc habitum vocat ἐπώδυνον σχῆμα, *dolori generando opportunum*, quod nullus hoc modo valdè intendere manum queat, quin ſentiat vehementem dolorem. βίαιον item σχῆμα eſſe probat, quod ſi quis manu ſupina enſem ferat, eo vti commodè non poſſit. Galenus ſequutus hunc magiſtrum, ait quoque in ſupina manus figura, tum neruos, tum venas & arterias, ac muſculos ipſos peruerti, plurimúmque laborare. His verò duabus ſententiis refutatis, Cous ille doctor mediam quandam figuram eſſe putat κατὰ φύσιν, vt nimirum illud os quod ad paruum digitum eſt, directè obiiciatur τῷ ἀγκῶνι, quem eruditi medici *cubiti gibbum* dixerunt. Atque hunc ego ſtatum & conformationem tenendam eſſe puto oratori, cùm ſoluta & paſſa manu pronũciat, vt non pronam habeat penitus, vel omnino ſupinam, ſed medio quodam modo, qui vt maximè de medicorum ſententia naturalis, ſic facillimus mihi eſſe videtur & modeſtiæ conueniens. Id autem de eo intelligo, quod vt plurimùm & in communi vſu fieri oporteat: nam quin manus prona eſſe aliquando poſſit nemini dubium eſt, vt in illo ſtatu quem *pacificatorem* antiqui nominauerunt, cùm μετασείοντες τῇ χειρὶ ſilentium indicimus, vel cùm aliquid humo ad preſſum & defixum penitus ſignificamus. Quo geſtu concionatores eruditos iudicióque pollentes vti video, cùm illud purpurei Vatis amplificant, *Filij hominum vſquequo graui corde?* pronis enim & modicè agitatis manibus hominem iacentem & defixum humi, & veluti conglutinatum exprimunt, vnde illum excitant ad cœli vt proprij domicilij conſpectum, & cœleſtium rerum cupiditatem.

Hippoc. l. de fractis.

Galen. l. 2. de motu muſcul.

Hippocrat. ibid.

SECTIO XX.

Decora maximè conformatio manus in dicendo exprimitur. Pollex venuſtè cum indice aut medio digito coniungitur, reliquis explicatis: aliquando digiti tres contrahuntur, &c.

IAM verò ſi de certa conformatione digitorum quæritur, non diſplicēt modi illi duo quos tu Victor è Fulgētio, Apuleio, Fabio, modo protuliſti, vt nimirum duobus aut tribus digitis protenſis (nam in eo Fulgentius à Quintiliano diſſidet) cum pollice medius copuletur: vel vt minimis duobus complicatis, exporrigantur alij, qui modus Apuleianus eſt, & veterū ſtatuarum, quæ dicentium ſimilitudinem referunt. Sed illa mihi ratio longè omnium pulcherrima, & maximè ingenuis animis congruens videtur, cùm ſummus index pollici adiungitur, aliis tribus explicatis, idque vel extento brachio in anticam, quod fortiori dictioni conuenit, vel inflexo modicè brachio elatáque manu ante pectus, quem geſtum viris elegantiſſimis placere etiamnum ſcio, & iis qui audiunt nimium quantum probari. Valet autem ille plurimùm in picto & expolito genere dicendi, in laudationibus, vbi mollis & pellucida oratio leniter & copiosè fluit, in pompa Rhetorum & epidixi, in amœna varietate multiplicium rerum & exquiſitarum, quæ ad animos eorum qui audiunt humaniſſima voluptate complendos adferuntur. Narrationibus eſt opportunus, nec dedecet earum cauſarum dictiones, quæ in conſilio dando occupatæ ſunt, quandiu ſedate placidéque agitur. Nam grauioribus in cauſis vbi atrocitas & ignitæ perturbationes dominantur, vt ipſa πάθη varias habent animorum commotionēs, ita varios habēt geſtus, & in manus conformatione diſſimillimam rationē. Quæ verò tum figuræ dexteræ conueniant, tum è ſcriptis ſapientū, tum iudicio & naturæ notatione poteſt colligi. Tres aliquando contrahuntur digiti, premuntúrque pollice, atque vnus index porrigitur, qui vim habet maximam in exprobrando & indicando:

dicando: alleuata idem manu ac ſpectante humerum paullum inclinatus affirmat, verſus in terram & quaſi pronus vrget, & argumentorum concluſionibus vim addit. Eſt etiam vt monet Quintilianus ille vrgentis orationem geſtus vulgaris magis quam ex arte, qui contrahit alterno celerique motu & explicat manũ. Alia quædam fiunt pro rerum & affectuum varietate nõ indecora: hoc notandum vnum eſt, perpetuam vnius geſtus ſimilitudinem & continuationem, tametſi laudabilis ſit & auditoribus gratus & iucundus, eſſe fugiendam. Quare quæ à nobis commendatæ fuerunt manus conformationes, ita erunt moderandæ, vt ſatietatem nemini adferant, & certo iudicio adhibeantur.

Hoc monendum præterea, manum optimè à ſiniſtra parte incipere, in dextra deponi, ſed vt deponi, non vt ferire videatur, niſi fortè in grauiori contentione, vbi iuſta iracundia locum habet: quibuſdam nihil ſentientibus in fine clauſularum ita cadit, vt ſonitum plauſũmq; efficiat, quod iis hominibus accidit, quorum ſanguis naturæ conditione efferueſcit, quibus ne quid præpoſterum eueniat diligenter eſt cauendum. Quod quibuſdam ſacris eueniſſe oratoribus ſcio, qui cùm ſæpè in agendo pulpitum quaterent, ſono illo efficiebant, vt non ſine audientium moleſtia atque faſtidio, verba ſubinde quædam obruerentur, quæ non ſatis audiri potuiſſent.

Manus rectè à ſiniſtra parte incipit, in dextera deponitur.

SECTIO XXI.

Cur ſiniſtra manu chirothecas quidam ferant. an Oratorem id deceat. Solæciſmus & barbariſmus in geſtu, in moribus. multipliciter id fit, ridiculi propterea nonnunquam Oratores. qui geſtus in appellando.

QVÆRI etiam poſſe video, num chirothecas habere poſſit Orator in dicendo. Primùm habere eas indutas, omnino fœmineum & molliuſculum eſſe crediderim, niſi quis fortè ſcabioſus ſit aut fœdis manibus, nec quod ſciam id à Veteribus olim factitatum. Geſtare autem ferè ſemper honeſtiſſimi viri maiorum noſtrorum æuo conſueuerunt: tenere, inquam,

Digitized by Google

manu ſoliti ſunt non modò in dicendo, verùm etiam vbique honeſti ſpeciminis gratia. Cuius moris cùm attentius cum animo meo cauſas reputo, duæ ſe maximè obiiciunt, quæ probabiles videantur. Imprimis quoniam ἄπρακτος vulgò eſt ſiniſtra, neque in agendo occupata, communis ratio docuit re quapiam illam onerandam, vt in ea cuſtodiẽda & tenenda ſtudium veluti ſuum adhibendo, non fruſtra à natura perfecta, aut ocioſa penitus iudicetur. Altera cauſa eſt, vt ſit quoddam illius partis ornamentum, quæ in promptu eſt, & facilè in omnium oculos incurrit, vnde etiam digiti annulis & gemmarum ſplendore inſigniuntur. Hanc autem rationem video animad-

Athen.l.12. uerſam à Clearcho Solenſi docto viro, qui libro quodam ſuo quærebat, cur homines flores in manibus & poma etiam aliquando geſtent. Cuius rei cùm plurimas ille cauſas excogitet, tum ea mihi ad veri ſimilitudinem videtur maximè accedere, quod dicit fieri illud ab hominibus, τοῦ περὶ αὐτοὺς κόσμου χάριν, *ornatus & elegãtia cauſa*, καθάπερ ἄλλο τι τῶν περὶ καλλωπισμὸν συντεινόντων ἔχουσί τε ταῦτα καὶ χαίρουσι αὐτοῖς, *quemadmodum & aliis quæ ornatum & pulchritudinem adferre ſolent lætantur.* Non enim, inquit, tãtùm illorum qui pulchris floribus coronantur, ſed etiam qui manibus illos tenent, decora & concinna magis eſt ſpecies. Itaque video hãc ipſam opinor ob cauſam à veteribus, qui in curſu eruditionis & ſapientiæ contenderent, libel-

Lucian. in bis accuſat. los geri manibus & oſtentari conſueuiſſe. Certè Lucianus inter notas Philoſophorum ponit βιβλίον ἐν τῇ δεξιᾷ. De O-

Fab. l. 11. c. 3 ratoribus Quintilianus libellum eos tenuiſſe aliquando manu læua: *quod non vtique captandum*, inquit, *eſt: videtur enim fateri memoriæ diffidentiam, & ad multos geſtus eſt impedimento.* De

Paul Ægin Præfat. op. iiſdem patronis cauſarum Paulus Ægineta vir æuo ſuo clariſſimus, ait eos *compendioſis vti libellis iudicialibus, & ad circunferendum accommodis, in quibus legum capita continentur, vt dum vſus poſtulat, in promptu habeant.* Sed de chirothecis quod cœperam dicere, minimè reprehendendum eſſe putem, ſi tenere quis velit manu ſiniſtra, ne damnare omnem antiquitatem videamur. Quanquam video quantum incommodi ſint allaturę in ea parte orationis, vbi incendium eſt in animis excitandum, & rapido curſu dictionis atque impetu, rapiendi auditores ad quemcunque res poſtulet motum, quod non niſi magna corporis agitatione & manuum motu fieri ſolet. Niſi forte hoc di-

Digitized by Google

camus eſſe tum abiiciendas, quemadmodum non indecorum eſſe putat Quintilianus, ſi in ſimili re ac tempore veſtis ab humero defluat & collabatur.

Poſtrema hæc erit mea de manibus admonitio, non eſſe committendum in geſtu manuum ſolœciſmum, qui ſine dubio haud exiguam dicenti infamiam eſſet allaturus. Hic Iuuẽtius paulum commouit ſe propter verbi nouitatem, vt qui tantùm ore fieri ſolœciſmum exiſtimaret non manû, & dicturus aliquid videbatur, ſed occupans Honoratus, Video, inquit, tibi nouum, Iuuenti, fuiſſe, quod de ſolœciſmo monui: an neſcis verò actionem atque geſtum vt ſummi viri dixerunt eſſe quandam corporis eloquentiam? quid verò mirandum eſſe cuipiam videatur, ſi bardi & inepti homines in eloquentia ſolœciſmum admittant? Sed hoc quidem non tam ignorare te puto, quàm non ſatis meminiſſe, quod paſſim Græci Latiníque Scriptores vſurpant: quidquid enim præter rationem & τὸ πρέπον fieret aut diceretur, id Græci σολοικίαν vel σολοικισμόν, Latini dicunt *ſolœciſmum*. Lucianus ineptas & præpoſteras diuitum voluptates nominat σολοικισμόν. Et alio in loco de hiſtrione memorans Herculem exhibente muliebriter eiulantem, σολοικίαν εὖ φρονῶν εἰκότως φαίη ἄν τις τὸ πρᾶγμα, *æquus rerum æſtimator eam remverè dixerit ſolœciſmum*. S. Hierony. elegantiſſimè ad mores tranſtulit, *Apud Chriſtianos*, inquit, *ſolœciſmus eſt magnus, turpe quid vel narrare vel facere*. Illud ipſũ vir eximiæ mentis & politiſſimæ Sidonius *barbariſmum* nuncupauit, ſic enim loquitur, *Quidam barbariſmus eſt morum, ſermo iucundus & animus afflictus*. Vtrúmque Flacco inelegãti Oratori atque ieiuno Poëta Græcus tribuit Lucilius,

Solœciſmus in geſtu vitandus.

Lucian. in Nigrin. I, de ſaltat.

contr. Heluid.

Sidon. Apollin.

Barbariſmus.

Μηδὲ λαλῶν πρώην ἐσολοίκισε φλάκκος ὁ ῥήτωρ,
Καὶ μέλλων χαίρειν, εὐθὺς ἐβαρβάρισε.

Anthol. l. 2.

Quæ lucem capere poſſunt, à Flauij Capri inclytæ laudis & vetuſtiſſimi Grammatici notatione, ita ſcribentis, *Barbarus interpretatur vitioſus; vnde & barbariſmus dicitur vitium.* Sed vt propoſitam rem vrgeam, nihil eſt vulgatius apud doctos elegantéſque ſcriptores, quàm vt in geſtu motuque vitia nominentur ſolœciſmi. Eruditiſſimè Lucianus ἄλογα κινεῖσθαι, *indecoros motus corporis*, & alienos à conſiderati hominis prudentia, vocat δεινὰς σολοικίας, *fœdos ſolœciſ-*

Flau. Cap. de orthog.

Lucian. πρ. ὀρχησ.

mos. Plutarchus eos adoleſcentes, qui publicis in auditoriis inconditos motus ederent, petulanti quadam inſolentia geſtientes, dixit σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν. Sed de Oratore eſt effatum illud Quintiliani perſpicuum, cùm de ſolœciſmo differit, *In geſtu etiam nonnulli putant idem vitium ineſſe, cùm aliud voce, aliud nutu vel manu demonſtratur*. Nec abs re eſt quod nutum inter alia poſuit, ſic enim etiam Euſtathius, καὶ νεύματι σολοικίζειν τινὲς ἐσχημάτιζοντο. Et ingenioſus ille Poëta in Anthol.

Plutar. de audiend. Fab. l. 1. c. 5.

Καὶ τῇ χειρὶ τὰ λοιπὰ σολοικίζει διανεύων.

vbi Græcus Scholiaſtes illud διανεύων refert ad ſolennia illa ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ, nam inſulſus & ineptus Orator, quem illudit, ſupino ingenio, prono capite, & geſtu in terram depreſſo, Iouem Olympium è ſublimi æthere mundum moderantem compellabat, terram cùm diceret, aut Inferos, Plutoniámque ſedem, caput, oculos, manus attollebat, quo fœdior cogitari non poteſt ſolœciſmus. Smyrnæ quondã Olympici ludi celebrabantur, aderátque Polemon Sophiſtarum prope omniũ in dicendo & agendo venuſtiſſimus; venit in ſcenam mimus ſumptus de triuio atque ignobilis, qui cùm in Tragœdia ὦ Ζεῦ exclamaret, manum in terram protendebat, rurſum ὦ γᾶ pronuncians ſuſpiciebat in cœlum. Riſit homo doctus abſurdum hiſtrionem, & ſimul clarè ſic vt finitimi omnes audirent, οὗτος τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε, *hic manu ſolœciſmum admiſit*; quare cùm ludis præſideret, rudem & inſcientem illum actorem, ſua ſententia præmiorum ſpe omni ſpoliauit.

Philoſt. de vit. Soph.

Atque ex his facilè opinor meum illud admonitũ capietur de vitando ſolœciſmo, qui vt in geſtu multiplici ratione contingit, ita latius patet illa monitio, quam primo aſpectu videatur. Planè ἄμουσον atque inopem humanitatis eũm eſſe Oratorem neceſſe eſt, qui cùm de cœlo déque feliciſſimis animabus dicit, quæ ſuper æthereos orbes ſempiterna cum Deo lætitia fruuntur, terram intuetur, eámque pronus geſtu imminenti deſignat: vix vllus iam os ſuum erudito cœtui oſtentare audeat, qui ſit in dicendi ratione tam peregrinus & infans, vt de ſolo déque magnificis aſarotis loquens, in tectum manus oculóſque intendat. Sed quot poſſunt euenire alia dicentibus ἄλογα κινουμένοις, vt Lucianea vſurpem, in qui-

bus exclamare libeat, ô fœdum ſolœciſmum! Qui gibbum deſcribunt diuino prodigio ſubitò cuipiam innatum, qui vulnus ab hoſte in tergo fugientis impactum, qui onus impoſitum humeris, mulóſque Marianos aliáque ſimilia: ſi illi iidem manum in ceruicibus atque dorſo ponant ſuam, an non benè grauitérque σολοικίζουσι? Si quis fortè de certa hominum natione loquatur, quos fama eſt propter ſcelus veteris audaciæ & impietatis caudas ferre, ſi ad eam caudam explicandam, manum ille ad eas partes admoueat, quibus olim puer vapulauit, an non ſubito exclamemus ſolœciſmum? Vidi non ita pridem Eccleſiaſten, cuius nomen ſpecioſiſſima laude & gloria per omnium ora volitabat: Et quidem ea memoria fuit, vt fugere ipſum nihil videretur, ita prompto & viuido ingenio, vt omnia quæ vel audiret, vel legendo perciperet, ad ſacrarum literarum intelligentiam feliciſſimè accommodaret: ſed alioqui, geſtu adeò rapido, præcipiti, incompoſito, vt audientes præſertim minus aſſuetos incredibiliter affligeret: Sed illi docti hominis næui & ἐλαττώματα, incredibili rerum quas proponebat varietate, atque inuentis mirabili vi ingenij excogitatis obterebantur. Hunc igitur vidi aliquando, cùm primi hominis molitionem explicaret: pando corpore demiſit ita primùm ſe, vt ſuggeſtum pectus attingeret, caput deorſum ferretur: manus deinde quantum fieri potuit extendit maximè, & propè abfuit, quin ſolum ipſum prehenderet. Sic inflexus Deum rerum omnium opificem exprimebat Adami corpus è luto fingentem, componentem, ſoierti artificio compaginantem. Hæſit diu in eo luto, mirabili manuum agitatione, dum verſat, dum pinſit, dum molitur, dum architectatur, dum perfectum ſuis numeris opus condit, & tanquam nouus Prometheus inſudat. Vox interim audiebatur quidem à multis, facies autem ab iis tantùm qui propiùs aberant cernebatur: nam poſtremi non tam quid diceretur attendebant, quàm tacita formidine tenebantur, ne præceps in caput rueret, donec ſe tandem quaſi è cœno erexit tumidis genis, rubra fronte. Venit in mentem cogitare, quonam modo viri doctiſſimi acceperint illam nouam & inuſitatam eloquentiam: docent Rhetores vix manum infra vmbilicum eſſe demittendam, hic etiam infra pedes eam

Xx iij

demittebat. An igitur id appellare barbariſmum lubet, an ſolœciſmum, an quiduis aliud quod ſapientes ad ineptias Oratorum ſignificandas adinuenire poſſint? Sunt huiuſmodi propè infinita quæ notari queant, & in dicentibus illudi, & ſuperiori noſtro illo præcepto continentur, eſſe vitandum ſolœciſmum.

Et priuſquam huic diſputationi colophonem imponam, quæri poſſe video, num in appellandis hominibus quos adeſſe iubemus atque accedere, id fieri ab Oratore conueniat, quod in vulgari eſt hominum conſuetudine, vt agitata aliquoties manu, eam ſubinde veluti ad nos reuocemus, qui geſtus in ea quidem re maximè naturalis videtur, & ad mentem voluntatémque explicandam opportunus: vt, exempli gratia, cùm Marcus Tullius in Epilogo Plancianæ, qui plangore atque fletu ſummo artificio redundauit, Plancium euocat, iubétque accedere, vt eum teneat & complectatur. Is geſtus imperitæ multitudinis meo iudicio proprius eſt, atque hominum viliorum, qui non ſat habent grauitatis atque moderationis, quique non modò manus adducunt, verùm etiam corpus in poſteriorem partem reflectunt, lateráque ipſa contorquent: quæ ad ſcenam & triuium per me ſanè referantur. Et quamuis de adductione ſolius manus, modò id fiat conſideratè & leniter non penitus abnuam & repudiem, malim tamen id proienſa tantùm manu ſignificare. Id ſecutum Memmium Regulum video Conſulem in Curia, cùm in luce purpuratorum Patrum Seianum ad ſe euocauit, ita enim Dio memorat, ἐμβοήσας οἱ, καὶ τὴν χεῖρα ἅμα ἐκτείνας εἶπε Σηιανὲ δεῦρο ἐλθὲ, *clarè illum appellans manum protendit, aitque, Seiane huc ades.*

Dio Caſſius

DE MOTIONE DIGITORVM.

CAPVT X.

POST vberem de Manibus diſputationem, viſum eſt haud inutile fore, ſi de Digitis ſeorſim præciperemus: poſt vti ſuperiùs ſumus polliciti, de brachio humeriſque ſubtexemus.

Fuit enim à nobis poſita Medicorum diuiſio, qui tres partes manus fecerunt, ὦμον, πῆχυν, & ἄκρας χεῖρας, cúmque iam de præcipua ſit parte confectum, quæ reliqua ſunt eodem orationis curſu exponentur.

Digiti loquuntur. erectus vnus magnam vim habet ad colligendum, minandum, &c. Duo quoque intenti vrgent. Numerandi ratio in digitis multiplex, ea in re illuſi aliquando Oratores. SECTIO I.

AD præſtantis Oratoris perfectionem ſpectat maximè Digitorum conſideratio: Digiti enim per ſe loquuntur, ſi Muſæorum Vatum oraculis fidem adhibemus, ſic enim canere memini Ouidium, Ouid. ep. Helen. Parid.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notaui
Signa ſupercilio penè loquente dari?

Ea gratia manum etiam *loquacem* dixit Claudianus. de Conſul. Manlij. Scire verò quæ in eorum motu ſit dicentis adhibenda moderatio atque prudentia, hoc opus hic labor eſt: & meo quidem iudicio, non minùs Oratori quàm ſapientiæ ſtudioſo audienda eſſet vox monentis Philoſophiæ apud Epictetum: Philoſophia, inquit, præſcribit ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῆ δεῖ, Epictet. in Enchirid. *ne digitum quidem temerè extendi oportere.* Hoc ſi admonitum probè teneretur, non tot paſſim orantium ineptiæ in oculos incurrerent, Suadæque decus & gloriam infuſcarent.

Atque imprimis magnam vim poſitam fuiſſe notat Antonius in digito Craſſi, qui cùm de flexanima & rerum domina oratione diſputat, quæ poſſit etiam aduerſantem & repugnantem Imperatores boni capere, *Quæ me hercule*, inquit, 2. de Orat. *Craſſe, cùm à te tractantur in cauſis horrere ſoleo, tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, geſtu, digito denique iſto tuo ſignificari ſolet.* Imitati ſunt iſtud vel naturæ eximiæ donum, vel exquiſiti artificij ſtudium, alij ſummi in dicendo viri, quantùm è doctis Veterum monumentis licet

Senec. l. 3. Controu. — Tertul. ad. Hermog. c. 27. — *Digitus ſupra humerum elatus multum poteſt.*

colligere. Quibus omnium aſſenſione dicentibus licuit exclamare, quod à Blando quondam Oratore in declamatione quadam ſua dictum fuiſſe prodit Seneca, *O digitum multa ſignificantem!* Tertullianus quoque Hermogenem ait vti conſueuiſſe, *nutu digiti accommodato*, altiùs tollentem, & quaſi retro iactantem: idque vocat, *lenocinium pronunciationis.* Sanè digitus vnus ſupra humerum elatus, poteſt plurimùm in colligenda ratiocinatione, cùm nimirùm id quod ex alio colligimus, eiuſmodi eſt, vt negari non poſſit, & conſequi omninò videatur: præſertim in contentionibus animorum & diſputatione, cùm errantium opinionum falſitas magna orationis grauitate & aſſeueratione refellitur. Qua in re pronunciare id auſim, quod Phrynichus in Comœdia nobilis & intelligens, περὶ τῶν ἡδυλογούντων aiebat,

Athen. l. 4.

Ἔχουσι γάρ τι κέντρον ἐν τοῖς δακτύλοις,

ſtimulum enim & aculeum quendam habent in digitis. Valet etiam ad minas & timorem denunciandum, quemadmodum pueris olim *ciere lacrymas digitorum motus*, ait Seneca. Hinc in Plutarcho, ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι, de eo qui alteri terrorem denunciat. Quo geſtu appoſitè vti ſolent docti & facundi Eccleſiaſtæ, cùm æterni ſupplicij denunciatione infandam inſanientium hominum audaciam & inſolentiam coercent, & hoc ferè modo loquuntur. Diſſimulat nunc quidem benigniſſimus hominum parens impiorum conatus & inexpiabiles fraudes, quibus humanæ diuinæque leges indigniſſimè violantur, ſed ille idem tandem aliquando hanc puniendi tarditatem ſuppliciorum magnitudine & acerbitate compenſabit. Cùm verò digiti duo medij ſub pollicem veniũt, aliíque duo intenduntur, *geſtus eſt*, vt Quintilianus ait, *inſtantior*, qui nimirùm multùm ad vehementiam orationis faciat, vrgendámque diſputationem.

Senec. de Conſtant. — Fab. lib. 11.

Sed præcipuum in dicendo vſum digitorum fuiſſe video apud Veteres, cùm eos ad partitiones numeróſque ſignificandos adhiberent. Hortenſius in notandis ea ratione diuiſionibus excelluit, quod Ciceronis ea verba ſignificant, *Quid cùm accuſationis tuæ membra diuidere cœperit, & in digitis ſuis ſingulas partes cauſæ conſtituere.* Id feciſſe quoque alios è doctiſſimo & ſanctiſſimo Hieronymo didicimus. Nam de ſciolo quodam

Diuinat. in Verrem. — S. Hieron epiſt. 51.

Digitized by Google

dam loquens opinione ſcientiæ tumefacto, *quem criminoſum*, inquit, *non huius ſeruaſſet oratio, cùm cœpiſſet in digitis partiri cauſam*, &c. Hunc geſtū negat Quintilianus in luctuoſo cauſæ genere adhibendum, forte quod videatur artificij ſplendorem quendam pulchritudinémq; habere. *An*, inquit, *ſi de morte filij* Fab.l.11.c.1.
ſui, vel iniuria quæ morte ſit grauior dicendum patri fuerit, aut argumenta diducet in digitos, & propoſitionum ac partitionum captabit leporem. Sed rebus numerandis deuoti quodammodo ſunt digiti, conſuetudine veterrima & longè latéq; patenti. Hinc Micylli iocus apud Lucianum, qui Gniphonem fœneratorem, Lucianus in
pecuniarum ſitientem, μόνοις τοῖς δακτύλοις πλουτοῦντα nominat οἷς τάλαντα καὶ μυριάδας ἐλογίζετο. Cataplo.

Triplici autem ratione vti orator poteſt ad varietatē numerorum digitis exprimendam. Dextra nonnunquam eos in ſiniſtra manu collocat, cùm partes ſingulæ ſingulis in digitis reponuntur, quo forte modo quinque hominum genera deſcripſit M. Tullius qui furentis Catilinæ auſpiciis nefarium patriæ bellum intulerant. *Triplex vſus digitorum in numerando.* Hoc tamen neque in omni orationis parte fieri debet, neque apud omne genus auditorum. Non fit commodè in exordienda oratione, vt in eo Ciceronis pro Cluentio, Animaduerti Iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, &c. adhibetur autem maximè in decurſu orationis, cùm excitare animos libet ad audiendum, & operæpretium eſſe videtur, vt qui adſunt, ea partitè & diſtinctè percipiant, atque in mentibus altè recondant. Vix prętere a fit in Curia in purpuratorum Patrum cœtu, ſunt enim ipſa lumina ciuitatis, eruditi omnes, ingenio magno & capaci, qui vulgatis iis adiumentis non indigent ad rem penitus cognoſcendam. Sed de hac re dictum eſt capite ſuperiori. Nonnunquam ſola dextera numerus exprimitur, qualis ille Plautinus orator conſilia ſua inſtruens Palæſtrio.

——in femine habet læuam manum: In Milit. glorioſ.
Dextera digitis rationem computat.

Fit illud modo à quibuſdam ea ratione, vt pollex finitimos digitos ordine quodam & viciſſitudine attingat, quod quia minùs habet dignitatis, ab iis qui iudicio excellunt facile repudiatur.

Conſuetudo Veterum

Alio quodam modo Romani per digitos numerorum va-

Digitized by Google

in numeris designandis manu. rietatem indicabant, digitos enim aliquando exerebant, explicabant, contrahebant, attollebant, deprimebant, & multiplici conformatione distinguebant. Hinc apud Tertullian.
In Apolog. *Supputarij gesticuli digitorum*. In quo ſanè auditores de oratoris iudicio atque prudentia, iudicium ipſi ſuum ferebant, vt
Fabius l. 1. c. 10. Fabius Quintilianus monuit, cuius hoc perſpicuum teſtimonium adfero è libro primo, *In cauſis actor ſi digitorum incerto aut indecoro geſtu à computatione diſſentit, iudicatur indoctus.* Et quidem hoc ipſum reprehendit in Ruffino veteratore cauſſidico Apuleius, quod fallaci & improbo geſtu digitorum,
Apul. in Apolog. viginti annos ad ſummam addidiſſet. Sic enim diſputat, *O mendacium viginti annorum exilio puniendum: ſi triginta annos pro decem dixiſſes, poſſes videri pro computationis geſtu erraſſe: quos circulare debueris digitos aperuiſſe. Cùm verò quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma ſignificantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum geſtu erraſſe.* Et certe facilis fuit in ea re prolapſio, cùm non modò digitorum fierent, ſed etiam manuum commutationes. Nonaginta nouē in ſiniſtra, centenarium numerum collocatum in dextera fuiſ-
S. Chryſolog. ſer. 168. S. Hieron l. 1. in Iouin. & in Apolog. ſe, aurea mente atque ore dixit Chryſologus: vnde illa ſancti Hieronymi illuſtria virginitatem commendantis, *Centeſimus numerus de ſiniſtra transfertur ad dexteram.* Si quis igitur leuior fuiſſet actor in geſticulationibus efficiundis, niſi adhibita in conſilium ratione ſibi fuiſſet moderatus, facile in ſalſorum & ludentium hominum iocos incurriſſet.

Sed illa numerandi ratio è moribus hominum exoleuit: iam noſtra ſimplicior multò eſt, vt ſublatis & intentis aliquot digitis exiguum numerum ſignificemus. Ita ſancti aliquot Patres cùm Triadis myſterium exponerent, tres digitos dexteræ manus attollebant. Et hac etiam tempeſtate Concionatorum noſtrorum conſuetudinem haud improbem, qui cùm duo triave quædam præcipua imperitæ multitudini volunt inculcare, duos treſue digitos in altum efferunt. Tres, inquiunt, ſunt anchoræ veluti aureæ, quibus in hac communi vitæ ſtatione ſalus hominum ſtabilitur: notate quæſo & infigite animis veſtris quæ dico Auditores, tres, inquam, præſtabiles ſunt eximiæque virtutes quibus Chriſtiani hominis animus in communium miſeriarum iactatione ad columnam, hoc eſt Dei

parentis firmiſſimum præſidium adhæreſcit, nimirum fides, ſpes, charitas. Illud (*tres*) cùm dicunt, & enumerant poſtea, tres digitos erectos proponunt. Item cùm hæc aut ſimilia dicunt, Duo ſunt à magnis viris animaduerſa quæ veriſſimam de diuinis rebus opinionem ex hominum mentibus euellant, ἀπιςία & κακοπιςία, hæc duo veluti cornua & peſtilentes arietes inſtruxit infandus animorũ hoſtis ad Chriſtiani nominis dignitatem labefactandam, &c. Hæc cùm dicunt, digitos attollunt duos, non ſine audientium fructu & attentione.

Crepitus digitorum ſiue percuſſio in dicendo. is ſonitus quomodo fieret, & quas ob cauſas. Digitorum ſonus in recitandis carminibus. Infringere articulos ante initium pronunciationis, & in grauiori affectu. SECT. II.

VTEBANTVR etiam olim percuſſione crepitúque digitorum Oratores, tum ad audientiam faciẽdam, tum ad tuendam veluti autoritatem & ſignificationem grauitatis: Cuius moris multi autores meminere, & præſertim eruditiſſimus idem atque vitæ innocentia clariſſimus Hieronymus. Sic enim in epiſtola quadam ſua ſcriptum reliquit. *Et audet quidam ex eis adducto ſupercilio & concrepantibus digitis eructare & dicere.* Et alio quodam in loco, *Cum menſa poſita librorum expoſuiſſet struem, adducto ſupercilio, contractiſque naribus ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos prouocans*, &c. Velius Longus de Orthographia morem eundẽ ſignificat, *Digitorum*, inquit, *ſono, pueros ad reſpondendum ciemus.* Is geſtus è communi vitæ ratione in ſcholas & auditoria forúmq; migrauit. Vulgo etenim communitérq; fiebat à multis, ſic vt *digitis concrepare*, pro re facillima poſitum à doctis fuiſſe nonnunquam videatur. Ita meo iudicio M. Tullius ſumit de Officiis diſputans, *Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, vt ſi digitis concrepuerit poſſit in locupletum teſtamenta nomen eius irrepere.* Eo geſtu atque ſono domini famulos euocabant ſuos: Martialis id diſertè.

D. Hieron. Epiſt. 101.

Idem Ep. ad Ruſtic.

Velius Long.

Cic l. 3. Offic.

Martialis. *Digiti crepantis ſigna nouit Eunuchus.*

& alias,

Cum poſcor crepitu digitorum.

Quam tamen conſuetudinem Pædagogus Chriſtianus è piorum moribus eiectam & exterminatam cupiebat, cuius mentem ſic expoſuit Clemens Alexandrinus, (Clem. Alex l. 2. Pæd. c. 7) οἱ διὰ τῶν δακτύλων ψόφοι τῶν οἰκετῶν οἱ προσκλητικοὶ, ἄλογοι σημασίαι οὖσαι, λογικοῖς ἀνθρώποις ἐκκλιτέον, *digitis expreſſi ſoni, quibus accerſuntur famuli, cùm ſint rationis expertes ſignificationes ratione præditis hominibus vitandi ſunt.* Eundem ipſum geſtum adhibebāt in hæreditatibus adeundis: qui enim cernere cupiebant (Obſeruat. l. 7. c. 18.) hæreditatem & adire, id digitorum percuſſione ſe velle ſignificabant, quod fuiſſe conſuetum ſymbolum ait Cuiacius. Percuſſio enim digitorum idem omnino eſt quod crepitus ſiue digiti concrepantes, quod dilucidè è M. Tullio licet eruere, qui cùm libro de Officiis 3. dixiſſet, *Si vir bonus habeat hanc vim, vt ſi digitis concrepuerit, poſſit in teſtamenta*, &c. rem eandem paulò pòſt attingens ſic habet, ***quem paulò antè fingebam digitorum percuſſione hæreditates omnium poſſe ad ſeſe conuertere.*** Ex hac igitur tam frequenti, vt aiebam, conſuetudine, manauit ad eos qui publice aliis audientibus dicerent.

Qualis olim crepitus digitorum, ſiue percuſſio. Quæ verò percuſſio illa fuerit crepitúſque digitorum, aut quonam modò fieret, vt ſimilia multa quæ in quotidiano vſu fuerunt apud Romanos, latet in tenebris, nec quod ſciam fuit à quoquam explicatum. Non nemini forte in mentem venire queat, ſimile quidpiam fuiſſe, quòd etiamnum fieri à quibuſdam videmus, qui validè manum ſuccutientes mollium digitorum colliſiône ſonitum edunt. Sed hanc ego coniecturam inanem & repudiandam puto: & ſi diuinandi ius mihi ſit & poteſtas, dicerem id factum ex comploſione medij digiti atque pollicis. Nam hac etiam tempeſtate ſæpe vidi, qui contemptum inutilium rerum ſignificantes, pollice digitum medium terentes ſonum ederent, manúmque iactarent. Atque in hanc opinionem adducor illuſtrium poëtarum verſibus, qui hunc ipſum digitorum crepitum exponentes, meminere pollicis, quem propterea ingenioſus Martialis *argutum*, hoc eſt reſonantem appellauit, cuius verſum in eam rem clarum accipite.

Cum peteret ſeram media iam nocte matellam Martialis.
Arguto madidus pollice Panaretus.

arguto pollice, hoc eſt, vt alias idem ipſe habet, *crepitu digitorum*. Sic etiam Sex. Aurel. Propertius,

Pollicibus fragiles increpuere manus.

Hunc modum ſoni efficiendi latè patuiſſe apud exteras nationes (ne proprius noſtrorum hominum cuiquam videatur) docet illud ſimulachrum, quod hiſtoriæ in tumulo Sardanapali collocatum fuiſſe volunt, cuius digiti eo modo erant conformati, vt ſtrepitum edere viderentur inanitatis indicem & rerum nihili; cum ſubiecto Epigrammate, quod in hanc ſententiam terminabatur, *Tu hoſpes, ede, bibe, lude, cùm cætera omnia non ſint* τῦτυ ἄξια, hoc eſt ψόφυ, *illius ſonitus*, Arrian. l 2. de exp. Alexandr. *quem efficere manus ſolet*, vt autor eſt Arrianus. Si eo geſtu parcè vteretur Orator ad exprimendam rerum vanitatem, in quibus vel aſſiduè quærendis, vel impenſa diligentia tuendis, omnium prope hominum elaborat induſtria, & langueſcit virtus, neſcio an æquus eloquentiæ æſtimator iure inſimulare poſſit. Dixi parcè, addo & in populi concione, nam in graui ſapientum conſeſſu, illud forte tanquam de ſcena atque mimo decerptum ad leuium hominum conſuetudinem reiiceretur.

Alius quidam fuit digitorum ſonitus adhibitus ab iis qui verſus poëtarum recitarent, in quibus dimetiendis & canendis in more poſitum fuit, interualla percuſſionéſque notari certa quadam manuum motione, *digitorum ictum* nominat Quintilianus, ait enim in metris, *digitorum ictu interualla ſignari*. Idem haud obſcurè innuit magnus Auguſtinus qui cantum, plauſum, percuſſionem recitationi verſuum attribuit. Hinc notanda Senecæ illa ſententia, *Quorum digiti aliquod inter ſe carmen metientes ſemper ſonant*. Vbi antiſtes eruditionis Lipſius ſaniſſimum per ſe locum tamen corrigit. At digiti, inquit, in ea menſione vix ſonant, igitur pro *ſonant*, reponit *ſunt*. μνημονικὸν ἁμάρτημα tuum eſt vir clariſſime, neque enim tibi inuiſa & inaudita fuiſſe puto, quæ ſcriptores alij memoriæ commendauerant. nam ecce clarè & diſertè Fabius, *Soluta*, inquit, *Oratio, non deſcendit ad ſtrepitum digitorum*. Negat in ſoluta oratio-

Digitorum ſonitus in carminibus recitandis.
Fab l 9. c. 4.
D. Aug. l. 2. de Muſic.
Senec. de breuit. vit. c. 12.
Fabius l. 9. eod. c.

ne recitanda adhiberi digitorum ſonum vt in verſibus, quem ſuperius digitorum ictum appellarat: ergo digiti ſonant carmen metientes, vt aiebat Seneca. Sic Dactylũ de pedibus poëticis vnum quem πολιτικὸν Græci nominant, dictum fuiſſe volunt à tractu digitorum, quem ad exprimendam organi modulationem faberrimè affectabant, vt auctor eſt Diomedes. Non puto ab oratoribus in dicendo, cùm veterum poëtarum verſus laudarent olim ſtrepitum eum digitorum fuiſſe vſurpatum, niſi forte à mollioribus, qui delicatas etiam vocum flexiones aucupabãtur, in quos Romanus ille ſapiens Stoicum aculeum emittit. Nunc certè quidem ridiculi omnino forent, & nimium ſtudioſi antiquitatis, qui eum morem iam ſepultum, iam ſitu carieque exinanitum in lucem iterum vellent excitare.

Senec. loco cit.

Diomed. l. 3.

Pergo verò & alium explicare ſonum digitorum, vt hac etiam in re, quid in prudentem oratorem conueniat intelligamus. Solebant olim in plurium hominum cœtu orationem habituri, cùm in medium veniſſent, & in ampliſſimum dicendi locum, priuſquam os aperirent, dum ſibi audientiam comparant, quædam efficere, inter quæ, ponit Quintilianus *infringere articulos*, quod minimè dedecere putat. Alio tamen loco vitioſum ducit, quod in ea mora frequentiſſimè Græci faciebant oratores, nimirum *crebro digitorum motu commentari.* Eſt autem infringere articulos meo iudicio nihil aliud, quàm ſtrictis validè manibus ſonitum efficere. Sane *crepitum articulorum* in eadem ipſa re ſignificanda nominauit nequitiæ doctor & voluptatis arbiter Petronius: pingens enim dicturientem ita loquitur, *Retexit ſuperbum pallio caput, & manibus inter ſe vſque ad articulorum crepitum ſtrictis*, (vel vt alij legunt *tritis*) *Quænam eſt*, inquit, *hæc audacia*? Eum geſtum tametſi auctore Fabio in veteribus elegantem & venuſtum, haud tamen ſumma grauitate & amplitudine ornatis facilè conceſſerim, quos è pulpito iam dicturos, cùm in eos, omnium oculi intenduntur, minus opinor deceat, infringere articulos. Sed in curſu orationis, fieri aliquando id poſſe, forte quiſpiam haud iniuria contendat, præſertim cùm iuſtiſſimus animi dolor indignum facinus & abominandum inſequitur, cùm dicentis mens efferueſcit, & in magna rerum indignitate exæſtuat. Is enim geſtus, quod huma-

Quintil. l. 11. c. 3.

Infringere articulos.

Digitized by Google

nitatis ſtudioſi doctique intelligunt, iracundiæ eſt proprius, doloris, indignationis, & identidem à Veteribus vſurpatus. Iracundiam ſuis coloribus adumbrans Seneca ita meminit, *Dentes comprimuntur, horrent ac ſurriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus*, &c. Et alio in libro, *Adiice articulorum crepitum, cùm ſe ipſæ manus frangunt, & pulſatum ſæpius pectus*, &c.quæ perſpicuè ſignificant, quid ſit infringere articulos apud Quintilianum. Plautinus ille pedarius ſenator qui Curiam in pectus aduocauerat. Seneca l. 1. de ira c. 1. Idem l. 3. c. 4.

Concrepuit digitis, laborat, crebrò commutat ſtatus. in Milit. glorioſ.

Hominem deſcribit animo anxium, turbulento quodam æſtu cogitationis, qui ſat explicare negotium non poſſit, & pro animi ſui ſententia perficere: quem locum eruditus interpres neſcio an ſatis commodè expoſuerit. Quid igitur? an hanc ipſam actionem vilioribus tantum, & de grege atque turba oratoribus concedemus, negabimus honoratis, quique decori maximè rationem habent? an cuilibet fas fuerit, eam adhibere in ea parte dictionis, vbi affectus dominantur & triumphant? tum enim incitatis veluti habenis eloquentia fertur, naturæ vis orationem moderans atque exſuſcitans, in omnia ſeſe induit, quæ inſtituto ſeruire poſſe videantur: itaque in multis fruſtra rationem quæras & compoſitam illam mediocritatem, quæ ſcholarum perceptionibus informatur.

SECTIO III.

Argutiæ digitorum reprehenſæ. micare digitis. vtrumque indicem porrigere quando vitioſum. medius digitus verpus, infamis, impudicus & καταπύγων à geſtu reiicitur.

SI quis apud ſe reputauerit digitos Mineruæ ſacros olim fuiſſe, Deæ videlicet omnium ſapientiſſimæ, profectò intelliget, ad non minimam partem prudentiæ & cogitatæ rationis eorum motum pertinere. Fieret proinde ſapientiæ in-

Digitized by Google

iuria, ſi quis digitis abuteretur in dicendo, ad pueriles ineptias, & Suadelæ volitantis gloriam infringendam. Quædam igitur è communi ſapientum opinione reprehendenda hic apponam, vt geſtus noſtri illius Oratoris, quem informamus, vndique expoliantur. Imprimis reprehendi video argutias digitorum, de quibus illa eſt principis Tullij grauis præceptio, *Nulla ſit mollitia ceruicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens.* Sapienter etiam Craſſus 3. de Orat. *Digitus*, inquit, *ſubſequens verba non exprimens.* Sunt verò digitorum argutiæ celeres quædam & ſubtiles motiones digitorum, quales pręſtigiatorum eſſe conſueuerunt qui fucum faciunt, oculóſque illudunt. Hinc manus argutæ furum dictæ, quæ celeriter emicant, & è conſpectu modò abripiuntur, modò emergunt, & in omnem partem cientur. Eruditè Sidonius Apollinaris. *Scrinia tua conniuentibus nobis ac ſubornantibus, effractorum manus arguta populabitur.* Hoc leuium & imperitorum eſt vitium, & efferueſcentis nimio calore adoleſcentiæ, imò & doctorum etiam hominum, qui propter viuidam ingenij vim & ſpirituum copiam, incredibili totius corporis agitatione dicunt: quorum manus nunquam fere deponuntur continuo pulſu incitatæ, ſed in omnem partem euolant. Quæ à me dici & attingi cogitatione minimè poſſunt, quin veniat in mentem homo diſertus, & omnibus dicendi luminibus abundans, quem orantem non ita pridem audiui. Huius tantæ fuere digitorum argutiæ, vt cùm ſemper ante os atque vultum, eximia motuum varietate, celeritate maxima cieret manus ſuas, & more θαυματοποιῶν luderet, vix ater an albus eſſet contueri poſſem. Id propriè eſſe dixerim quod facetus aiebat Ariſtophanes μυίας ἀπαμύνειν, *Muſcas abigere*, aut geſticulariam imitari Dionyſiam, quòd olim arguto nimis Hortenſio per contumeliam fuit obiectum.

Cic. in Or. — *Argutia digitorum.* — *Arguta manus.* — *Siood. Apol. ep. 7. l. 9.* — *Ariſtophā.*

Finitimi illis ſunt, qui exertos & intentos aliquot digitos, reciproco quodam motu aſſiduè attollunt, & ita oſtentant, vt cum audientibus experiri, & ludere eo genere exercitationis videantur, quam qui adhibent, propriè *micare* dicuntur. Illos ego digniſſimos eſſe puto qui in tenebris micent, quod trito & communi

Micare digitis.

communi adagio de iuſtiſſimis olim hominibus ferebatur: melius certè nox ineptias obtegeret, quàm vt eas in communi omnium luce defigant. An non enim fœdum eſt, atque indignum Oratore, liberaliſſimis ſtudiis imbuto & conſiderato, mancipes æmulari & ſectores, qui vt Feſtus literarum monumentis prodidit, ſe auctores emptionis ea digitorum elatione declarabant? Hinc Poëta cùm ſupellectilem rémque omnem ſuam vellet ſignificare iam addictam, nihil hoſpitibus commodare poſſe, id ſuauiter & ingenioſè protulit, Feſtus:

Nam mea iam digitum ſuſtuli: hoſpitibus. Martial.

Et M. Tullius de licente in Verrinis, *Locare incipit non proſcripta neque edicta die*, &c. *digitum tollit Iunius patruus.* Atqui huiuſmodi Oratoribus obiectum vellem Aproniani Præfecti Vrbis viri clariſſimi edictum, quo micandi illum morem non modò è foro & Curia, ſed ipſis è licitationibus eiectum cupiebat. Id Edictum etiamnum in tabula marmorea Romæ viſitur, cuius hoc initium eſt Cic. Verr. 1.

Gruterus ex Smetio.

EX AVCTORITATE
TVRCI APRONIANI. V.C.
PRAEFECTI VRBIS
RATIO DOCVIT VTILITATE SVA
DENTE CONSVETVDINE MI
CANDI SVMMOTA SVB EXAGIO
POTIVS PECORA VENDERE QVAM
DIGITIS CONCLVDENTIBVS TRADERE.&c.

Tollant igitur ſi me audiant, qui perſonam Oratoris ſuſtinent, eam micandi conſuetudinem; ne non iam pecora vendere, ſed venditare è ſuperiore loco videantur.

Sed quid iis hominibus facias, qui vtrumque indicem reliquis digitis complicatis in pugnum, hinc inde repetita motione, in eos qui adſunt validè vehementiſſiméque intendunt, quaſi velint oculos omnium perfodere? an Hecuba ſaniores putentur matrona miſerrima, quæ ſumma vi atque impetu in Polymeſtorem inuolat, *Indicem vtrumque intentare.*

--- & digitos in perfida lumina condit. Ouid. 13. Metamor.

an modeſtiores Cleodemo, qui ὀρθῷ τῷ δακτύλῳ τὸν ὀφθαλμὸν τοῦ Ζηνοθέμιδος ἐξόρυξε, *intento digito Zenothemidi oculum effodit in conuiuio*? Benè cùm illis ageretur, ſi illam ſapientis vo- Lucian. in Conuiu.

cem audirent μηδὲν ἄγαν; nam vt illud fieri honeſtè aliquando poteſt, ita ſæpè & vehementi brachiorum coniectione facere, bacchantium eſt & furioſorum potiùs, quàm ſcienter & moderatè agentium. In eadem etiam claſſe ponam illos, qui patulas manus proferunt exporrectis diſſipatiſque digitis, atque à ſe longè diſſitis, quaſi ab omnibus numerari eos vellent, & ſigillatim percenſeri. Quod eo fœdius eſſe conſueuit, ſi breues illi ſint & tumidi, ſi illuuie ſordidi, ſi vlceribus inamœni, ſi denique in pulpitum aſcenderit,

Ouid. 3. Nequit. *Cui digiti pingues & ſcaber vnguis erit.*

vt Poëtæ Romani verbis dicam.

Sed inepti maximè iudicantur, & paſtoritia fiſtula digni, qui ſolo digito medio geſtum faciunt. Quo loco memini
Laert. l. 6. Diogenis ſummi viri, qui dicere ſolebat plurimos, περὶ δάκτυλον μαίνεσθαι, *inſanire præter digitum*, fieri autem illud, ſi quis τὸν μέσον προτείνας πορεύηται. Eſt enim hic digitus contumeliæ vulgò deuotus infamiæque ſignificandæ, quæ cauſa fuit cur eum *Verpum* à verrenda turpicula corporis parte quidam indigitarint, vel ab ipſa manus compoſitione minus honeſta, alij *infamem*, quidam *impudicum*. De illo capiendus Perſius cùm ait,

Perſ. Sat. 2. *Infami digito & luſtralibus ante ſaliuis.*

vbi Cornutus, *Sunt*, inquit, *nomina digitorum, pollex, ſalutaris, infamis*, &c. Et Martialis,

Martial. l. 9. *Oſtendit digitum, ſed impudicum.*

Priapi ille Cantor tam impudicus & infamis, quàm medius eſt digitus, ita quoque loquitur,

Derides quoque fur, & impudicum
Oſtendis digitum mihi minanti.

Hinc factum, vt ſi quempiam notare olim voluiſſent, & contumelioſiſſimè deformare, digitũ medium in eum intẽderent,
Rhodig. l. 17. c. 12. quod vt ait Rhodiginus ab Athenienſibus σκιμαλίσαι dicebatur, qui etiam medium ipſum digitum, καταπύγωνα, hoc eſt,
Pollux l. 2. *cinædum* vocarunt. Diogenes certè canis cùm Demoſthenem videret mollem, delicatum, battalum, quique nimium glorиolam aucuparetur, τὸν μέσον δάκτυλον ἐκτείνας, *exporrecto*
Laert. in Dioge n. *medio digito. Hic*, ait, *vobis eſt ille Athenienſium Orator*, quod aſpergendæ infamiæ cauſa faciebat. Ad eandem contem-

Digitized by Google

ptionem pertinet illud è Satyra,

—quum Fortunæ ipſe minaci Iuuenal. Sat. 10.

Mandaret laqueum, mediúmque oſtenderet vnguem.

Et neſcio quis alius Poëta,

—& digitum porrigito medium, Martial. l. 2.

Atque ex his facilè intelligi poteſt, eum geſtum minimè Oratorem decere, tum quia ineſt in eo turpitudinis quædam ſimilitudo atque obſcœnitas, tum quia ſine contumelia fieri non ſoleat. Quare impenſè atque ſeriò prouidendum eſt, ne in dicendo impudens & verecundiæ inimicus, aut in alios contumelioſus videatur, quod tum maximè euenire neceſſe eſt, ſi medium digitum in aliquem eorum qui audiunt intenderet. Atque adeò in ſubſelliis omnibus pulpitiſque velim, id quaſi imperatorium edictum grandibus aureis literis inſcribi, Nemini fas tantùm medium digitum in agendo adhibere.

Alia quædam in digitorum geſtu notata. Vngues rodere ad feritatem iracundiamque ſpectat. SECTIO IV.

SVNT quidam, ait Fabius, *qui ſententias vibratis digitis iaculantur.* Alij prope perpetuis geſticulationibus vtuntur, ſimiles Tiberio Cæſari, de quo Suetonius ita memorat, *Vix* Suet. c. 68. *vnquam loquebatur ſine molli quadam digitorum geſticulatione.* Quæ me tacente ſatis omnes intelligunt eſſe ab honeſto Oratore aliena. An verò eſt etiam opus vt hoc moneam, eſſe quoſdam inficetos & agreſtes, qui vngues præferant Gryphibus dignos horribilibúſque Harpyis, quos ſæpè vidi cùm à dicacibus illuderentur, cùm dicerent, magnam copiam laternarum futuram, quod ille diues opulentúſque Rhetor cornu abundaret.

Sed vt trita & communia illa prætermittam, hoc vnum addo, eſſe cuiuſdam feritatis vngues rodere, vt animaduertit Ariſtoteles libris de Moribus, qui cùm ea enumeraret, quæ ex l. 7. Ethic. c. 6. morbo vel conſuetudine vitioſè fiunt, ponit ὀνύχων τρώσεις, *vnguium arroſiones:* quod iratorum eſſe hominum quidam iſtius Zuinger. in Ethic. loci interpretes aiunt, atque Italos ea maximè ratione ap-

petentem vltionis animum declarare. Sanè de irato Poëta magnus,

Perſ.Sat. 5. *---crudum Chereſtratus vnguem*
Arrodens ait hæc.

Conſpirat in eandem rem Propertius,

Proper. l.3. *Vngue meam morſo ſæpe quærere fidem.*

Sic furentem aiunt Oreſtem, & vlciſcendi libidine iactatum, digitum ſibi arroſiſſe in Arcadia, vbi δακτύλου μνῆμα fuit ædificatum, quod reliquit poſterorum memoriæ Pauſanias. Sed meditantis, & in acerrima cogitatione defixi argumentum eſſe, dictum illud quod prope in prouerbij vſum venit ſignificat, *Demorſos ſapit vngues*, quod à bono Poëta vſurpatur. Paria ſunt illa Horatij de ſudante & ſollicito Vate,

Sat. 10. l.1. *---viuos & roderet vngues.*

Cæterum vix fieri poteſt, vt in auguſto iuſtitiæ tabernaculo, aut Semneo religionis, is vnquam geſtus à conſideratis hominibus in dicendo adhibeatur, niſi fortè cùm iræ magnitudo, in patronis cauſarum, lucem omnem decori præſtinguit; quos ſanè vidimus aliquando in altercationibus penè furere, ſibíque mutuò conuicia ingerere. Duos nuper ego miratus ſum alioquin in agendis cauſis veteranos, qui animis inflammatis cùm rem clientium ad priuatam contumeliam cõuertiſſent, non priùs λογομαχίας, & aſperam contentionem terminarunt, quàm is qui iudicio præerat minaretur, ſe in vtrumque ex legibus pronunciaturum.

Sed mentio iudiciorum aliud mihi in mentem reuocauit, non planè par, ſed ad manus digitóſque pertinens. Noui Senatorem vnum è Curia, virum ampliſſimum, iudicio verè magno & exacto, ſed qui externam actionem non opere magno curet. Vix ſententiam poteſt vnquam dicere, quin ſiniſtram manum alterius manus digitis fricet obiter atque ſcabat, ſeu prurigine titillante, ſeu conſuetudine illiciente, ſeu fixa in grauibus negotiis mente, quæ proinde minus cogitet de externis. Nonnunquam verò læuam manum ad pectus applicatam & quietam leuiter alia, & ſubinde quatit manu. Aliquando terit vtramque manum, vt fieri ab iis ſolet, qui inter vtramque volam crebra manuum agitatione terere aliquid atque imminuere volunt, quod ipſe tamen rariùs facit atque

 BRACHIVM.

lentius. Ad eos geſtus inumbrandos, qui per fœmininè laudabiles ſunt & formoſi, valet ſanè plurimùm in illo ætas & amplitudo, & purpuræ ſplendor, atque parta hominum exiſtimatio: Nam in nobis, Victor & Iuuenti, atque in grege adoleſcentium Patronorum, quibus nondum ingenij magnitudo, vel orationis vbertas, aut eximiæ animi dotes autoritatem cõciliant, illa omnino irriderentur. Verùm hactenus de manu & digitis: nunc de brachio humeríſque dicendum.

DE BRACHII MOTV ET humerorum.

CAPVT XI.

Brachium telum Orationis. quando procerius iactandum. Validè protenſum an deceat. σχῆμα ἐγγώνιον in bracchio. Cubitum vtrúmque Cerdonum more ventilare. SECT. I.

QVÆ dicta ſunt de manibus, vix ſufficere videbantur ad perfectam cumulatámque dicentis laudem, niſi etiam de brachio adiungeremus. Nec mihi ſine quadam ratione vidẽtur Veteres, communi olim prouerbio dixiſſe, *brachium eſſe manuum virtutem*. Hoc enim memini me legiſſe apud ſanctiſſimum Dorotheum, καθὼς καὶ διαφόρως εἴπομεν, ὁ βραχίων ἡ δύναμίς ἐστι τῆς χειρός. Itaque prophanæ Theologiæ opifices hominum brachia in Iunonis ampliſſimæ Reginæ tutela poſuerunt, non tam fortè quod ipſa λευκώλενος, vt Poëtæ ſuauiſſimè mentiuntur, quàm quod in Ioue dictis conciliando, regificos habeat geſtus & decoros, quos minuti in terris homines æmulari debeant. Neque verò in iis conformandis minima fuit cura eloquentium, qui ad ſpẽ ſummæ dignitatis erudiebantur, in eo enim Comœdi & Epiſtatæ quibus pueri parui committebantur, ad honeſtos motus addiſcẽdos diligẽtiſſimè elaborabant, *vt recta eſſent brachia, ne indoctæ ruſticæue manus, ne ſta-*

Doroth. Doctrin. 17. Fulgent. in Mythol.

Fab. l. 1 c. 21

tus indecorus, quæ verba ſunt facundiæ ſummi doctoris.

Eſt imprimis hoc conſiderandum oratori, in quo genere orationis verſetur, vt brachij motũ ad honeſtatẽ, prouidique animi diligentiam accommodet. Aliquando enim rapidè fertur pugnax oratio, & ſonitu magno incedit; ſumma interdum placabilitate, ſpecioſa veluti pompa, ſine vllo grauiori motu & indignatione. In remiſſa actione & contentione molliori M. Tullius *molli brachio* agere dixit, alij *molli articulo*; ſic apud Fabium, *Gladiatorem vehemẽtis impetus, aduerſarij mollis articulus excepit*. Id ſecuri, quieti, lenti, nimiúmque etiam aliquando remiſſi eſt, animique tardioris. Animus ſæpe exit in brachiũ, vt in milite aut gladiatore cernitur, *cuius gladius quàm preſſo articulo venerit, refert*, ait Seneca. Preſſum articulum, viuidam manum vocat, vehementi contentione robuſtam & incitatã. Conſimili ergo ratione dicam de oratore, Refert plurimum quam preſſo articulo, quo niſu brachij & vehementia, periodus illa acerrima contentionique ſeruiens, ad oculos animumque audientium venerit. Sanè brachium generoſo quodam animi ardore iactatũ, dicentem primum, & ipſius orationis vim exſuſcitat: hinc ille apud Ciceronem orator tum demum pugnare ſe in dicendo aiebat, cùm brachium concaleſeciſſet. Imo etiam ipſum aduerſarium de ſtatu ſæpe omni deiicit & cruciat, quod omniũ in dicendo princeps L. Craſſus, qui artificium illud omne cognorat, quaſi ab oraculo pronunciauit: dixit enim *brachium procerius proiectum, quaſi quoddam eſſe telum orationis*, & præcipiendi autor grauiſſimus Cicero, cùm perfectum oratorem veſtigiis omnibus cubilibuſque indagat, vtendum eſſe ait *brachij proiectione in contentionibus, contractione in remiſſis*. Et rectè monet in contentionibus, nam paſſim facere, pæne fanaticum eſt Corybantúmque propriũ, imo & ipſi naturæ minus conſentaneum. Eſt enim autore Ariſtotele brachio laborioſum, inanem manum iactare, quod vehementius conuellitur, nihilque ſit quo pondus innitatur. Neceſſe igitur eſt ardorem quondam orationis exiſtere laborioſæ vim contentionis eleuantem, quo lacerti iuuentur. Nam quod naturæ conditioni repugnat, eámque ab optimo ſtatu dimouet, niſi ratione ſuſcipiatur, vt violentum, ſic repudiandum eſt ſapienti. Neſcio an eo referendum ſit Lacedæmonij Chilonis dictum, quod inter eius ſa-

Fab. l. 11.

Seneca l. 2. de benefic.

Ci. de ora.

l. 3. de orat.

Ci. in orat. perf.

Ariſtoteles ſect. 5. probl. 8.

 BRA- CHIVM.

pientis κυρίας δόξας reponitur, *τὸν λέγοντα μὴ κινεῖν τὴν χεῖρα,* Laert.l.1.
μανικὸν γὰρ, *inter loquendum non eſſe agitandam manum, ve-* Fabius.
cordium enim id videri. Fabius certe quoſdam illudit, qui omnia D.Hiero: ep.10.
ſe *leuata manu* dicere gloriabantur. Et ſapientiſſimus doctor Hieronymus. *Adducentur ſupercilia, extendetur brachium, iratuſque Chremes tumido deſæuiet ore.*

Eſt igitur conſilij videre atque prudentiæ, quandonam illa brachij iactatio opportuna videatur: attollitur ſupra caput nonnunquam, in iuſtiſſima indignatione prodenda, tum etiam ſi numen, ſi cælites, ſi aſtra quoque ipſa conteſtemur. *Brachij iactatio quādo adhibēdo.* Sic in magna reprehenſionis flamma cùm perditorum hominum maleficium arguitur, ſæpe orator brachium attollere viſus, & & colluſtrantem omnia ſolem teſtari, in cuius luce inexpiabiles illę fraudes & flagitioſa libido patretur. Interdum verò celeri impulſu iactat & extendit brachium verſus auditores, aſſeuerando, denunciando, minando, qui geſtus dignitatis, autoritatis, potentiæ ſignificationem habet. Ita ſymbolum regiæ poteſtatis, plurimarum gentium conſenſione, brachium cum manu vulgo effingitur. Et ſacræ litteræ quas diuinitus afflati homines nobis reliquerunt, Deo tribuunt *brachium excelſum, extentum, fortitudinis, potentiæ*, cùm eius immenſam illam & interminatam autoritatem, vim, imperium ſignificare volunt. In his ergo atque ſimilibus, cùm æquum eſt perturbari atque incendi in agendo, ad caſtigādam impietatem, ad ferreum os verberandum hominum impudentium, ad ius tuendum, ad ſtabiliendam veritatem, ad vindicandam innocentiam, ad terrorem iniiciendum, illa brachij liberior geſtus & protenſio conceditur. Sed non placet vt qui dicit, tempeſtates velut in ſympuuio excitet, & inter ſobrios tanquam vinolētus bacchetur, nam ſine cauſa vehementius iactare corpus, & calidos eos ciere motus, hiſtrionum eſt aut furentium. Huius generis hiſtrionicos in brachiis geſtus notauit & amarulento felle tinxit Ammianus Marcellinus, vbi cauſſidicos lucris inhiantes, inexplicabilibus laqueis præditos, legum inſcientes depingit his verbis, *Quum intra cancellorū venerint ſepta, & agi cœperint* Ammian. l.30.
alicuius fortunæ vel ſalus, atque laborari debeat, vt ab inſonte gladius, vel calamitoſo detrimenta pellantur, corrugatis hinc inde frontibus,

brachiiſque hiſtrionico geſtu formatis, &c.

Brachij compoſitio in leni oratione.

Cum ergo erit orationis lenitas, remotis illis tragœdiis & aſperiori contentione, illa decebit brachij compoſitio, quæ normalem veluti angulum in cubito facit demiſſo, eleuata modice manu, & decori modeſtia conformata.

Pallad in Hip. ſect. 6

Palladius ἀρχίατρος doctorem ſuum illuſtrans Hippocratem, ait in brachio σχῆμα τὸ ἐγγώνιον, *angularem figuram*, eſſe ἀνώδυνον *doloris expertem*: neque enim, inquit, muſculi diſtorquentur, ſed omnes recti collocantur, neque extenditur pars vt curuetur, ſed medium habet ordinem. Illum autē ſtatum eſſe κατὰ φύσιν & maximè conuenientem, ex eo probat, quod intenſio & inflexio præter naturam ſint. Quæ docti hominis commentatio ſi ab ea turba caperetur leuium oratorū, qui inuenuſtè Suadæ lenocinantur, non ea magna iudicij vacuitate in hominum offenſionem incurrerent. Quidam enim ruſticè admodum & inſcienter cubitum attollunt, in medio ſpatio pari cum manu poſitione libratum, tum producunt humerum & cubito geſtum faciunt, quod meritò vitioſum putat Quintilianus. Alij temerè ſparſa manu in proximos offendunt, qui velut amentes conſtringendi videantur. Nonnulli etiam quod longè eſt putidius, cubitum vtrumque in diuerſum latus ventilant, & cerdones imitantur.

Cubitum ventilantes more cerdonum.

Qua in re periucundum eſt quod aliquot antè annos à doctiſſimo & religioſiſſimo viro audiui. Aiebat quendam ſuperiori ſæculo quo ſubiti & repentini doctores religionis nocte vna emerſerant, noui, indocti, & qui nil admodum literarum ſcirent, in Galliæ oppidum veniſſe aliquando. Cœtus autem eo die agebatur in ſuburbio, quem cœtum ipſe curioſius, quàm auita religio pateretur, intueri voluit. Locus erat plurimis ſedilibus ornatus, ſed vbi nulla pietatis forent monumenta, nihil quod animum ad diuinæ mentis cognitionē, & venerandam maieſtatem eueheret. Dicebat vnus è ſuggeſto pallio tectus & galero, barba hirſuta & deformi facie, ſed impendio loquax, in clamando & conuitiando exercitatus, quem vulgus hominum & Teſtamenti noui callentem, & vnum omnium eloquentiſſimum in dicendo reputabat. Ita vero pronunciabat doctor ille muſteus, vt ad ſingula prope inciſa, hinc inde cubitos in diuerſum ageret, tanta conſtantia, & vt ita loquar pertinacia,

vt nul-

 BRACHIVM.

vt nullum geſtum alium cognoſcere videretur. Tum ille hoſpes tacitè apud ſe, Aut fallor ego nimium opinione mea, aut ille aliquando ſutor fuit. Et quidem id poſtea cognouit eſſe veriſſimum: nam audita hominis diſputatione, cùm in hoſpitium diuertiſſet, aduocato ſeruulo, Obſecro te, inquit, ille homo quem bellè concionantem audiui, an aliquam artem factitauit? Reſpondet candidè puer, fuiſſe quidem paulò antè cerdonem, nunc verò dignum iudicatum qui miniſterio verbi frueretur, quippe illum D. Pauli epiſtolas tenere omnes, tanquam nomen digitoſque ſitos. Riſit hoſpes in ſinu primùm ſuauiter imperiti hominis actionem beata illa officina dignam, ſed cùm eſſet veritatis ſtudioſus, doluit maximè, quòd reiectis repudiatiſque veteris Eccleſiæ magiſtris, fungi & pepones modò audirentur. Sed illuc reuertor: nolo meum oratorem ita in cubiti motione verſari, vt non à ſchola ludoque veniſſe ad dicendum, ſed à crepida videatur.

Brachia concutere minus decorum. Μὴ πτερυγίζειν. *Struthiocameli & galli gallinacei non imitandi.* SECTIO II.

NEC verò minus fugiendum illud eſt, quod à pleriſque fieri commemini, qui non ſatis liberalem inſtitutionem habuerunt. Solent enim quidam perpetuo penè motu brachia ſua concutere, quaſi mox euolaturi è conſpectu, & humum relicturi, quos neſcio an iure queas nominare ſtruthiocamelos; in terra videlicet poſitos, ſemper tamen veluti alarum agitatione fugam meditantes. Id nonnulli faciunt ingenij quadam copia, & ardore naturæ, quæ mole corporis vix ſe premi & teneri patitur: hoc orator animi vigore

Stare loco neſcit, micat igneus, & tremit artus,

qualem nuper vidimus Eccleſiaſten eximium, qui tam mobiles habuit manus, ita continuò brachia ſua quatiebat, vt robuſti & fortiſſimi homines, vix illud dedita opera & non niſi incredibili laboris contentione æmulari potuiſſent. Alij puerili inſtitutione, vel indocta conſuetudine im-

AAa

buti idem faciunt, & auiculas imitantur, quæ pæne implumes, neque ſatis à viribus comparatæ, tamen alas in nido mouent agitántque celerrimè. Id πτερυγίζειν, Græci nominauerunt, quod in eos dicit ſolet, qui inepta geſticulatione auicularum ſimilitudinem præferunt. Politus Comœdiarum

Ariſtoph. artifex illud eleganter, φλυαρεῖς καὶ πτερυγίζεις, *nugaris geſticulando*, fieri id ſolet à quibuſdam in geſtienti lætitia, cùm exultans animus effert ſeſe, & titillans ſuauitudine corpus, eas partes quæ liberrimæ ſunt in agendo maximè quatit. Di-

Athen.l.9. philus poëta Græcus hoc feſtiuè in Paraſito Copreáque expreſſit, quem inducit ita loquentem. *Vocatus ad cœnam intentis oculis aſpicio coqui fumum: ſi directo impetu vehemens & copioſus excurrit,*

Γέγηθα καὶ χαίρω τι καὶ πτερύσσομαι.

Gaudeo, lætor, motu brachiorum exulto.

Illud etiam Atticus Lyſias oratione quadam ſua elegantiſſimè ſignificauit, qui cùm probare vellet aduerſarium non conſciū modò iniuriarum, verùm principem autoremque fuiſſe, perſpicuum hoc ſignum adfert, quod gallos ille gallinaceos imitatus in victoria, vocem lætus extulerit, & alarum in morem, brachiorum plauſu latus verberauerit impiorum corona circumſeptus. Diſertiſſimi hominis verba hæc ſunt apud Dio-

Dionyſ. Halicar. nyſium, ᾖδεν γὰρ τοὺς ἀλεκτρυόνας μιμούμενος τοὺς νενικηκότας, οἱ δὲ κροτεῖν αὐτὸν ἠξίουν τοῖς ἀγκῶσιν ἀντὶ πτερύγων τὰς πλευράς. Hic geſtus, quod iudicio limatus quiuis intelligat, eſt mimorum proprius & theatri, & conuenire vix poteſt in fori grauitatem aut templorum ſanctimoniam, niſi forte quidpiam in eo genere moderatum in lætitiæ ſignificatione concedatur. Hæc igitur me minimè diſſuadente lex dicenti feratur μὴ πτερυγίζειν, μὴ πτερύσσεσθαι.

Tamen in lætis & maximè fluentibus rebus ad voluntatem, non ita Rhetorum monitis vt Vulcaniis vinculis tenetur Orator, quin ſolutius mouere brachium poſſit, atque in latus ex-

Fab.l.11.c.3 tendere. Qua de re quoniam ſcitè Quintilianus præcipit, eius verbis claudam hanc diſputationem, ſic igitur habet, *Brachÿ moderata proiectio remiſſis humeris, atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis, continuos & decurren-*

Digitized by Google

 HVMERI.

tes locos maximè decet. At cùm ſpecioſius quid vberiúſque dicendum eſt, vt illud, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, expatiatur in latus, & ipſa quodammodo ſe cum geſtu fundit oratio. Sic ille. Sed de humeris iam videamus.

In humeris αὐγοειδὴς. Subſultantes humeri & micantes reprehenſi. Iactare humeros & attollere, ſuperbum. Lutei Platones fartis humeris. Analectides. Anguſti humeri, remiſſi, demiſſi. SECTIO. III.

AD humeros etiam componendos, eloquentiæ candidatus, induſtriæ ſuæ partem, atque ingenij, debet conuertere. Vix enim poſſunt inobſcurari aut latere in agendo, non magis quàm ipſum caput, quod hinc inde velut honorifici atlantes ſuſtinent, ſiue de plano, ſeu ſublimi è loco dicat Orator. Plurimùm verò pertinere ad præſtantem dignitatem, vel gignendam, vel in hominum cœtu & commercio tuendam, inde colligimus, quod totum hominem videre videmur, cùm eius caput humeróſque ſummos videmus, quodque in iis conſiderandis tanquam in eximio naturæ ſpectaculo mens conquieſcat. Itaque veteres cùm Heroum vellent effigiem ad omnem poſterorum memoriam tranſmittere, caput tantùm & ſummum pectus cùm expoliuiſſent, putabant id totius hominis ſpecimen ad præſtantiſſimæ vitæ cognitionem gloriæque ſufficere. Et quidem magnum eſſe momentum in humeris collocatum, ab omni ſæculorum omnium memoria prodidiſſe mihi videntur ſapientes. Reperti ſunt enim qui dicerent, animi quidpiam in ſe habere αὐγοειδὴς iubaris inſtar, quod vehiculum dicatur, aſtrorum ſimile atque æternum, idque alios intra caput, alios in *dextro humero*, clauſum habere. Id ſi verum eſt, ſiue in dextro, ſiue in læuo ſit poſitum illud decus atque ſplendor, conniti oportet, & ſtudio omni contendere, ne quando vitio dicentis obſo-

D. Ambroſ. l. 6 Hexam.

In dextro humero αὐγοειδὴς.

leſcat. In quo mihi imprimis labi videntur, nec ſat decori meminiſſe, qui micant humeris atque exiliunt, quaſi puncti acu forent, ita ſubitó illos iactant, & in altum extollunt. Is geſtus omen olim habuit, ſi Poſſidonio credimus: qui de auguriis ominibúſque diſputans, παλμικὸν eſſe quoddam ait, cùm nimirum è vibratione corporis aliquid cognoſcitur, vt cùm inquit, *palpitauit dexter aut ſiniſter oculus, humerus*, &c.

Omen in humeri palpitatione.

Sed remota iſta anili ſuperſtitione, motare humeros atque identidem in altum efferre, ſic vt ſubſilire videantur, indecorũ eſt, & apud ruſticanos homines in feſtiuis narrationibus vſitatum & tralatitium. Illam autem motionem, immoderatæ innatæque leuitatis ſpecimen eſſe, magnus in Theologia Gregorius, idémque excellens tum iudicio tum religione iudicauit, in impio deſertore Iuliano*: nam eius ὤμοις παλλαμένοις, eam mentem inieciſſe aiebat prudentioribus, vt putarent nihil veri, nihilque ſolidi ab eo expectandũ, cuius naturæ importunus quidam impetus ſeſe variè foras eiiceret: nam præclarè vt omnia ſapientérque dixit Ariſtoteles, ὥσπερ δὲ τὰ σώματα, ἐκ τῶν κινήσεων κρίνεται, οὕτω καὶ τὰ ἤθη, *quemadmodum corpora ex motionibus iudicantur, ita & mores.* Hanc maculam etiam in geſtu primis temporibus habuit Demoſthenes, qui in dicendo ἀπρεπῶς τὸν ὦμον εἰώθει κινεῖν, *mouere humerum indecorè conſueuerat*, vt hiſtoriarum monumentis proditur: ſiue illud è præpoſtera puerili inſtitutione contingeret, ſiue è pruritu aliáve cauſa: nam Alexandri Aphrodiſæi dictum eſt opinor verum, terga facilius quàm alias corporis partes prurire. Eam maculam vir generoſæ mentis & laborioſæ ferro & contentione exuſſit. Nam acutum è lacunari gladium ſuſpendit, ſic humeris imminentem, vt ſi quando ſeſe vltra quàm par eſſet commoueret, acie vulneraretur, quo fiebat, vt vulneris reformidatione ſe in ſtatu quodam honeſto contineret.

Greg Naz. 2. in Iul.

l.4. Ethic.

Plutar Liban Quintil.

Alexand. probl. 25. l. 1.

Quidam verò non ventilãt quidem humeros neque ſubſiliunt, ſed ſuperbiæ tumidæque arrogantiæ vitio, eoſdem plus æquo ſuſtollunt*, quaſi in pompa Circenſi heroum aut diuum ſimulacra. Elegantiſſimè vt omnia Theodoretus tumido faſtidio inflatum & inanitate pingens, *Qui verò*, inquit,

Tumidos humeros attollere & oſtentare.

diuitiis ſuperbit, *τὸ σῶμα ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν αἴρων, qui corpus vltra capitis quoque verticem attollit*, &c. Nihil in hac re veuſtius dici potuit. Hic ipſe næuus in inceſſu leuium & glorioſorum adoleſcentium agnoſci poteſt, quos videmus ita quadratos circunferre humeros & circunrotare, vt publicis in viis dum occurrit hominum frequentia, monendi omnes videantur tanquam è formula *Caue*, ne quis in eam humerorum magnificè libratam & circumlatam molem incurrat. Vir doctiſſimus & religioſiſſimus Antiſtes, quem modò nominabam, alio quodam in loco rem ponit ob oculos, dum ita ſcribit, *Vt viderunt diuitem ſummis pedum digitis incedere, leoninum tueri, τὴν δὲ χαχεῖσι τοὺς ὤμοις περιφέροντα, hinc inde humeros circunferre*, &c. Ad hos ſcopulos inanis ſuperbiæ & tumoris, παραβάτης Iulianus ridiculè admodum & ineptè appulit, cùm longa barba & ſophiſtico ſupercilio incredibilem animi turpitudinem obnuberet, de quo ſic Ammianus Marcellinus, *Ridebatur Iulianus Imperator homo breuis, humeros extentans anguſtos*. Et videte quid improuida hominum curioſitas & gloriolæ nimium appetens excogitarit: reperiuntur enim qui vt Platones quidam videantur latis humeris, pleni, quadrati, toroſuli, inculcant veſtes, tomento augent & dilatant humeros, adhibent analectides puerili ingenio, vel muliebri potius genio. Solebant enim olim mulierculæ, vt habitiores viderentur, goſſypio aut alia materia quaſi puluillis (analectides nominantur) conſtipare ſcapulas prominentes. Rem delineat Poëta non inuenuſtè,

HVMERI. — Theodor. ſerm. 6. de prouident. — Theod. ſer. 7. — Ammian. l. 22. — *Analectides.*

> *Conueniunt tenues ſcapulis analectides altis*
> *Anguſtum circa faſcia pectus erat.* — Ouidius.

Videas iſtos homines limis oculis hinc inde ſe obtuentes, efferri ſuperbiùs lacertorum ſuorum toris, alios propè non videre, quod ſibi neſcio quam Herculeam humerorum ſpeciem latitudinémque ſomnient. Quibus neſcio quod agaricum paremus, quod morbo humeros afficienti mederi aiunt ſapientes. Quamuis non humerorum quidem ille eſt morbus, ſed capitis, quod ſanandum tribus Anticyris, aut ventilandum Muſarum furculis eſſe videatur.

In contrariam ſe labem quidam iniiciunt, contrahunt enim humeros & anguſtos efficiunt: qua de re ſic memini dice-

Contrahere humeros & anguſtos efficere.

re Fabium, *Humerorum raro decens alleuatio & contractio eſt, breuiatur enim ceruix*, &c. Seruulorum è Comœdia geſtus hic videtur, qui inter ſcapulas caput veluti condunt: Cuiuſmodi homines βυσαύχενες Græcis dicuntur, de quibus ſuperiùs eſt à nobis diſputatum. His remotis eiectiſque vitiis, haud operoſum eſt, optimum humerorum ſtatum intelligere. Status omninò is eſſe debet, qui honeſtatis modeſtiæque notis ſit inſignis, & ab excellenti natura formatus, vt nihil ſit audax, glorioſum, ruſticanum, nec cum agendo ſe incitabit Orator, rudem ſtatuam, aut laneum ſaccum mouere dicatur. Bonus autor præcipiendi Quintilianus, vno verbo eóque obſcuro ac difficili, *remiſſos humeros* nominauit eloquentia dignos: ſic enim lib. 11. *Brachij moderata proiectio remiſſis humeris.* Humeros, meo iudicio, remiſſos vocat, non elatos, non validè intentos, non corneos & rigentes, nec quales Verus Imperator per ſomnium habere ſe vidit *eburneos*, ſed manibus obedientes, ſed totius corporis motioni obſecundantes, ſic vt in capite, humeris, pectore, reliquiſque partibus, certa quædam veluti ſymphonia atque εὐρυθμία cernatur, quæ audientem liquido quodam ſenſu voluptatis compleat. Aliud quiddam eſt *demiſſos* habere humeros, quod proprium fœminarum fuiſſe volunt, quæ olim eam compoſitionem, & vt quidem arbitrabantur corporis elegantiam & venuſtatem, ſtudioſiſſimè in palæſtra diſcebant. Et apud Terentium in Eunucho in deſcriptione mulierculæ: *Demiſſis humeris eſſe vincto corpore.* Quem in locum Donatus, *Antiqui etiam Græci*, inquit, *virginibus ſuis præbebant palæſtram ad componenda corpora.* Nos pro palæſtra rationem habemus, & eruditiſſimas ſcholas hominum ſapientum, in quorum monitis libens acquieſco. Itaque nolim demiſſis humeris & coactis noſtrum eſſe illum in dicendo coryphæum, quod languorem illud ſignificet, aut inopiam virium, aut animi abiectionem, nihilque habeat dignitatis.

Fab. l. 11. c. 3

Teren. act. 2. ſc. 3.

DE PEDVM ACTIONE atque ſtatu.

CAPVT XII.

Mercurius ſine pedibus, cui pedes ſacri. Supploſio pedis iuuat dicentem. quibus in rebus adhibeatur. Vſurpata à magnis Oratoribus. SECTIO I.

XENOCRATES venuſtè Mercurium inducit querentem, quod cùm fateantur homines eum pedum celeritate præſtitiſſe curſorem, & manu ſtrenuum palæſtritam fuiſſe, eum tamen effingant ἄπoδα *ſine pedibus*, & χoλoβὸν χερῶν *manibus deſtitutum*. Sic Orator, niſi de pedibus quædam attexeremus, iniuriam fieri ſibi fortè ſuſpicaretur, quaſi truncus à nobis Hermas in ſubſellia fuiſſet inductus. Non ſunt profectò pro nihilo habendi pedes, & actori deſpiciendi, quaſi in luto cœnóque volutentur. *Non eſt formoſa*, inquit Romanus ſapiens, *cuius crus laudatur aut brachium, ſed illa, cuius vniuerſa facies admirationem ſingulis partibus abſtulit.* Ita perfectum Oratorem non putem, qui in hac parte, vel ineptus, vel incompoſitus fuerit, aut non ſatis in agendo conſideratus. Nec antiquorum mihi videtur repudianda prudentia, qui pedes eloquentiæ præſidi Mercurio, geſtuúmque doctori ſuis religionibus conſecrauerunt: in quo ni mea me fallit opinio, documentum hoc eſſe volunt mortalium animis fixum & impreſſum, eam etiam partem ad oratoriam vim & dignitatem pertinere.

Antholog. Gr. l. 4.

Senec. ep. 33.

Ac mihi quidem rem diligentiùs intuenti, imprimis occurrit pedis ſupploſio, in qua momenti plurimum eſſe collocatum, ſummi viri benè dicendi laude clariſſimi iam monuerunt. Fabius Quintilianus, *iactatione manuum, & pedis ſupploſione*, quemadmodum cauda leones facere dicuntur, Oratorem ſeſe hortari & excitare ſcribit. Id quando adhibendum videatur, Craſſus breuiter ille orando & præcipiendo maximus nos

Pedis ſupploſio.

l. 10. c. vlt.

l. 3. de Or. edocuit, *Supploſio*, inquit, *pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis*. Breuiter, inquam, ille princeps, quæ à nobis ſubtiliùs & copioſiùs ſunt enucleanda. Non eſt dubium quin id fieri in contentionbus poſſit aut debeat, hoc eſt in ea orationis parte, qua perturbantur animi & concitantur, vbi maximè vehemens regnat & triumphat oratio, vt in dolore, in miſerationibus, in inuidia commouenda, in vrgendo maleficio, in reprehendendo, in amplificanda rerum indignitate, in miſeriis calamitoſorum deplorandis, in iracundia ſignificanda, in lacerandis aduerſariis, omni denique loco & tempore, vbi fas & æquum eſt animo commoueri. Hoc enim eſt in natura poſitum, vt quæ celeriter animum percutiant inſolenti quodam motu & grauitate, eadem & artus commoueant defluántque in pedes. Id ſubtiliter & doctè animaduertit piarum literarum lumen Hieronymus, *Si quando*, inquit, *nouum aliquid mirandúmque conſpicimus, tam corpore, quàm animo perhorreſcimus, ita vt complodamus manus, & pedes allidamus ad terram, & vocem inclinemus ad fletum*. Et eloquentiſſimus idémque beatiſſimus Chryſoſtomus etiam pueros ait, ſi minuta & puerilia auferantur, δεινοπαθεῖν καὶ δυσχεραίνειν, καὶ λακτίζειν τὸ ἔδαφος, *indignari, ægrè ferre, & pulſare pedibus ſolum*. Quare Philoſophi id etiam aliquando vſurpant, quorum tamen minimè proprium eſt in amplificando exardeſcere, ſed potiùs lenire animos & placare ad grauium monitorum ſatus capiendos. Cleanthes certè vir acerrimus in tuendo præſidio virtutis, & dolore contemnendo, cùm vidiſſet aliquando Heracleotam Dionyſium condiſcipulum ſuum à Zenone deficientem, quod cùm tantum operæ Philoſophiæ dediſſet, dolorem tamen ferre non poſſet, *terram pede percuſſiſſe* dicitur à Marco Tullio, verſúmque ex Epigonis attuliſſe,

Quando adhibenda pedis ſupploſio.

S. Hieron. in c. 6. Eze.

S Chryſ. hom 5 in c. 1. ad Cor.

Cicer. 3. Tuſcul.

Audiſne hæc Amphiarae ſub terram abdite.

Zenonem ſignificabat, à quo illum degenerare dolebat. Sed illud maximè oratorij muneris eſt, & inflammatæ eloquentiæ, qua perfringuntur animi, qua ſæpè cauſæ eripiuntur. Quod Seneca vir alta mente præditus & digniſſimus θείου χοροῦ fatebatur. Iungit enim tria quædam ſimul, quæ ab eloquentibus in dicendo patronis identidem fieri ſolebant, ſed quæ de graui oratione maximè intelligenda ſunt, vbi iam affectus dominantur,

Senec. ep. 75.

dominantur. *Etiamſi*, inquit, *diſputarem, nec ſupploderem pedem, nec manum iactarem, nec attollerem vocem, ſed iſta oratoribus reliquiſſem.* Rectè Oratoribus, quos videmus, quia illud non feciſſent, à doctiſſimis, & maturo iudicio viris aliquando reprehenſos. Antonius quidem quem eloquentiæ ſpecimen propoſitum ad intuendum videmus, miratur opere maximoq, P. Rutilij viri grauiſſimi & innocentiſſimi cauſam ita fuiſſe dictam, quaſi in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur. *Nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo eſt queſtus, nemo rempublicam implorauit. Quid multa? Pedem nemo in illo iudicio ſupploſit, credo ne Stoicis renunciaretur.* Cicero verò publico in iudicio non dubitauit aſſerere, fictam & ſubornatam fuiſſe cauſam à M. Callidio, quod ille cùm peſtem capitis ſui, cùm indicia mortis ſe comperiſſe manifeſtò, & manu tenere diceret, tam ſolutè egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter. *Tu iſtuc* M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? vbi dolor? vbi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas ſolet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, *pedis quod minimum eſt nulla ſupploſio.* Et tamen Orator fuit Callidius, non vnus è multis, potius inter multos prope ſingularis, ita reconditas exquiſitáſque ſententias mollis & pellucens veſtiebat oratio. Sed cùm duo illa teneret, vt & rem illuſtraret diſſerendo, & animos eorum qui audirent demulceret voluptate, aberat tertia illa laus quæ permoueret & incitaret animos, quam plurimum pollere conſtat.

l. 1. de Orat.

Cic. in Bru.

Itaque hiſtoriæ & elegantium hominum ſcripta, vbi heroes ſuis coloribus illi picti & delineati ſunt, qui ob diuinum genus dicendi celebrantur, hoc decus & laudem orantium non omittunt. De actione M. Antonij diſputans eloquentiæ Rex & fori Dominus: *Manus*, inquit, *humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omniſque motus, cum verbis ſententiiſque conſentiens.* Seruius Sulpitius in cuius laudem efflorescentis iámque in cœlum ſe efferentis eloquentiæ, tranſuerſa incurrit ciuilis diſcordia; cùm Craſſum ſibi ad imitandum propoſuiſſet, multos quidem illius motus atque geſtus, ſed præſertim ſupploſionem pedis æmulatus eſt, vt ipſe de ſe fatebatur. Sed de ipſo L. Craſſo quid M. Tullius ſuis moni-

l. de clar. Orat.

apud Cic. 3. de Orat.

mentis prodiderit, pretium operæ eſt cognoſcere, cuius perfectiſſimi Oratoris, cùm eſſet vehemens, & nonnunquam irata, & plena doloris iuſti oratio, tamen vt ipſe princeps monet, *non crebra fuit pedis ſupploſio, non magna corporis iactatio.* In quo laudatæ moderationis effigiem quaſi penicillo expreſſam, & exemplar animi ſepti vndique & muniti conſilio atque prudentia mihi videre videor.

SECTIO II. *Supploſio non debet adhiberi ſine cauſa, non nimis frequens, non vehementior. Prohibita olim Athenis. περιεχωπεῖν. explodere.*

NEQVE enim exiſtimare quiſquam debet, ex eo quod laudabiliter & eximia cauſæ vtilitate, fieri poſſit aliquando, id ſemper & vbique licere. Non leuem neque obſcuram & tacitam eſſe cauſam neceſſe eſt, vt in ardore animi vehementius indignantis, in æſtu iracundiæ, in cæteris, quæ ſuperiùs memorata ſunt à nobis. Et pedis quidem ſupploſionem propriam eſſe iracundiæ Seneca bonus Cenſor humanitatis atque morum cenſuit, nam illius affectionis ſimulacrum, ſic oratione ſua ædificat, *Comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus*, &c. Propert. lib. 2.

Senec. l. 1. de ira c. 1.

Et crepitum dubio ſuſcitet ira pede.

Proper. l. 2. eleg. 4.

Quare inepti & ridiculi ſunt quidam turbulenti & prope dicam furioſi Oratores, qui veluti à forcipe & incude venientes, toti calent atque fumant, pedem vbique terræ incutiunt, tragœdias in mimum inducunt. Hos è triuio & circulo Oratores, ἀγελαίους, horridulos & bacchantes Quintilianus ad pullatum circulum, ad conſeſſum morionum, ad imperitam multitudinē amandat. *Iam collidere*, inquit, *manus, terræ pedem incutere, femur, pectus & frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit.* Ita ille quidem lib. 2. c. 12. ſed lib. 11. hæc grauiſſimè, *Pedis supploſio vt loco eſt opportuna*, vt ait Cicero, *in contentionibus aut incipiendis aut finiendis: ita crebrà & inepti eſt hominis, & deſinit Iudicem in ſe conuertere.* Dicebat aliquando

Fab. l. 2. c. 12. & l. 11. c. 3.

PEDES.

Ridiculi Oratores in ſupploſione.

glorians Pompeius fore, vt ſi terram pede quateret, armatæ inde legiones ſubitò vno impetu exorirentur: at cùm fanatici illi noſtri & μουσομανεῖς ſolo pedem incutiunt, præpoſtera & incondita illa dicendi ratione; ſubito examina oriuntur illudentium, hic follicantes Midæ auriculas, ille crepitantem ciconiam pingit, alij vt ferocientibus equis pedicas aiunt indi oportere. Hinc ingenioſi & periti adoleſcentes id Poëtæ Græci immurmurant, λακτίζει ποδὶ γαῖαν, *terram pede calcitrando pultat*. Venuſtiſſimè & omnium elegantiſſimè D. Hieronymus ſale ſuo illos obruet & authoritate, *quorum*, inquit, *verba in pugnis ſunt, & ſyllogiſmi in calcibus.* Denique nimis illa frequens & importuna ſupploſio, apud graues & ſapientes auditores iure exploſionem meretur: vt olim in theatris, cùm quis diſplicuiſſet in agendo, in more fuit poſitum, πτερνοκοπεῖν, hoc eſt, *calcibus tundere ſolum*, à qua ſupploſione cœpit dici *explodere*, vt doctiſſimi viri opinantur.

D. Hieron. l. 2. in Iou.

Explodere quid ſit.

Iam verò non modò nimiam illam frequentiam remouendam eſſe putem, verùm etiam acriorem quam ratio poſtulet, & vehementiſſimam quandam contentionem, qua videntur quidam pulſu pedum veluti manes atque furias excitare velle, aut quietem Antipodum conturbare, vel Salmoneum de theatro æmulari. Non ita pridem fuit Lutetiæ Pariſiorum Eccleſiaſtes incredibili copia & dicendi grauitate, cuius eruditio, vis animi, & vitæ ſanctimonia vndique populum ad audiendum euocabat. De illo multus in vrbe ſermo iis temporibus, quibus in curſu fuit grauioris illius ſtudij atque operæ, quique ipſius nomen non tenebant, ſic deſcribebant, qui pulpita omnia mirifica pedum ſupploſione diffringit. Verùm id fuit, & ita ſæpè eueniebat: itaque æditui rem prouidentes imo in ſuggeſto duplicem contignationem, aut ſolito longe robuſtiorem deinceps ponebant. Hæc vehementia illum vnum decuit, neque vidi qui magnopere ea cauſa reprehenſum vellent: erat enim vitiorum hoſtis acerrimus, diuinæ gloriæ cupidus, per quam ſtudioſus religionis, eo iudicio quod plerique omnes ſuſpicerent, ea doctrinæ amplitudine, quam mirari faciliùs, quàm complecti cogitando potuiſſes, ita in agendo pollens, vt quocunque animo incubuiſſet, auditores ſuos impelleret.

Vehementior ſupploſio an deceat.

Itaque ardorem illum magnum & redundantem, vel in Numen eſſe referendum, à quo illi homines afflari ſolent, vel in iuſtum incenſi animi motum, facile intelligebant. Sed non omnes ea potiuntur auctoritate & opinione apud omnes, quæ inuſitata illa boni conſulat atque diſſimulet: erit igitur nouitiis prouidendum, ne quid in hoc genere eueniat quod culpetur.

Græci antiquiſſimis temporibus ſupplodendi conſuetudinem non habuerunt. Athenis quidem lege cautum erat, ne quis Orator in dicendo *ὑποκρούειν*, *pedem ſupploderet*, vt quidam interpretantur, quam legem integram qui ſcita omnia diligentiſſimè colligebat, in oratione ſua ponit Æſchines. Sed illam quidem valuiſſe tum puto, cùm ſimplicitas, candor, modeſtia in oppidis volitabant: ſed cùm fraus, ſcelus, impietas, maleficiumque ſuccreuit, opus fuit omnibus eloquentiæ copiis & machinatione, ad euellendas ex hominum mentibus opiniones penitus inſitas & illiminatas, vt mihi quidem veriſimile videatur, iam inde à Cleone, qui primus femorum percuſſiones, & *δρόμον concurſationem* in agendo inuexit, hanc etiam pedum ſupploſionem à ſummis Græciæ viris & nobiliſſimis illis Demagogis vſurpatam fuiſſe.

Æſchin. in Timarch.

Plutarc. in Nicia.

SECTIO III. *Pedes ἀστατοῦντες & inſtabiles leuitatis aut ferocię indicium. Vacillatio in dextrum atque lęuum reprehenſa. è lintre loqui. Inambulatio olim conceſſa in agendo. Satagere ineptum & procurrere. Pedem vltra gradum iactare.*

DOCTI quidam non communiũ modo muſarum, ſed ſublimium quoque myſteriis initiati, pedes hominum appellauere *columnas*, nec ſine iuſta & conſiderata ratione. Nam & totius pondus corporis bellè ſuſtinent, & naturæ opificio directi ſuam quandam firmitatem habent & ſtabilitatem, non alienam ab eorum hominum dignitate qui prodeunt ad

dicendum. Hinc fit vt præſtanti ſapientum iudicio illi à pulpitis & ampliſſimo dicendi loco reiiciantur, qui inſtabiles & inquieti ſunt in pronũciando, nec hærere ſuo in veſtigio poſſunt. Habet imprimis id paganum aliquid, rúſque olet, & neglectã aut putidam inſtitutionem; quæ ſi à prima pueritia adoleuit, non facilè deinde induſtria, & communibus remediis ſanari poteſt. Sed quod eſt longè grauiſſimum, illa pedum ſine ratione mobilitas, cùm incredibilem animi inconſtantiam, tũ virtutem ſanè exiguam & imbecillem, aut potius nullam ſignificat, ſi quid certi in humanis rebus diuini homines intueri potuerunt. Συνεχὲς δὲ καὶ τὸ μετακινούμενον ἐναλλάττειν τὸ σχῆμα, κουφότητος σύμβολον, ait ſapienter Clemens Alexandrin. *ſæpè autem moueri, habitúmque & figuram mutare, ſignum eſt leuitatis.* Clem. Alexand. l. 2. Pædago.
In Iuliano qui perfidioſiſſimè Chriſtianam religionem eiurauit, mirifica & inſolens fuit ἤθους ἀνωμαλία, vt ſancti Patres animaduertunt, è qua geſtuum volubilitate, quam in media omnium luce figebat, prouidi homines iam animo & diuinatione præcipiebant, quanta in ipſo fax impietatis ad multorum perniciem aleretur. Gregorius Nazianzenus μάντις ἄριστος, vt de ſe ipſe aiebat, vt primum Iulianum videre potuit, Romanum imperium fletu & oratione miſerabatur, quod oculum hominis vagum, furioſum & Titanicum obtuentem, quod πόδας ἀσταθοῦντας καὶ μετοκλάζοντας, *inſtabiles & titubantes pedes* nihil boni reip. portendere, vir exquiſito ſolertíque iudicio putaret. Greg. Naz. or. 4. Lucianus qui Atticas veneres omnes in oratione ſua illigauit, feroci tumidóque attribuit ἄστατον τῆς βάσεως, *quod pedibus nequeat conſiſtere.* Lucian. in Philopatr. Atque hoc ipſum fortè volunt diuinæ literæ, cùm de homine improbiſſimo, ita loquuntur, *Annuit oculo, terit pede, digito loquitur:* Proue. 6. 13. vbi pro illo *terit pede*, in Hebræo eſt, *loquens in pedibus ſuis*, quaſi ille motus ſit clara quædam teſtificatio animi feri & inſolentis. An igitur iuſta cauſa videatur, cur honeſtum oratorem moneamus, vt huius nætui atque labis ſuſpicionem effugiat, quæ dicenti obeſſe vehementer ſolet?

Quod eò cupidius faciet, ſi eorum hominum ineptias, qui illo vitio contaminati ſunt, ſi non oculis, vel ipſa modo cogitatione vſurpauerit. Nonnullos enim videas, qui vt motacilla caudam, ſic pæne perpetuo corpus agitant, nec pedes vnquam

eſſe quietos patiuntur. Itaque vt ſcrupedi atque petrei, quaſi
aculeis ſemper compungerentur, alternis pedes attollunt at-
Horatius que demittunt ingrata viciſſitudine atque ruſticana: dicerem
l.1.ſat 3. cum Horatio,

——*Scauros, prauis fultos male talis.*

Hoc illi modo efficiunt, vt pes ſuo nomine ſpolietur, quem
Cœlius l. 4 olim ſapientes Græciæ, πόδα, ἀπὸ τοῦ παύειν, à quieſcendi ra-
tione dixerunt. Fitque ſæpè vt in vtrámque partem omni cor-
pore vaſtè & inconditè vacillent: plantis haud diſſimiles, quæ
teneræ nimium atque flexibiles, ſtatumine & ridica opus ha-
Fab.l.11. bent, ne ad ſolum affligantur. *Eſt*, inquit Fabius Quintilianus,
*illa indecora in dextrum ac leuum vacillatio, alternis pedibus inſi-
ſtentium*. Et quidem eam olim irriſam, & notatam ad perpe-
tuam oratoris infamiam videmus in Curione, qui cùm de mo-
re in agenda cauſa nutaret, Iunius qui contra venerat, ſcitè
Cic.2.de & acutè quæſiuit, *quis e lintre loqueretur*. Quid igitur iis ho-
orat. minibus facias, qui cùm iactatam ſe firmare, & conſtabilire
innocentiam, & erigere afflictos glorientur, ita ſe ipſi vbi-
que iactant, vt tanquam à vento & tempeſtate abripi videan-
tur?

Olim inambulatio in dicendo. Ex hac etiam inconſiderata leuitate oritur aliquando inam-
bulatio, olim quidem ſæpè & ſolutè, quod nonnunquam ſine
reprehenſione fiebat: erant enim ſpatioſa ſubſellia in foro, in
baſilicis, aliiſve in locis, vbi actores & patroni cauſam dice-
In orat. bant. Itaque M. Tullius ea de re præcipiens, *rarum inceſſum*
Fab.l.11. *neque ita longum* eſſe dicit oportere. Et Fabius moderatam
Inambulatio propter moras laudationum. etiam inambulationem concedit propter moras laudationum,
dum ſcilicet clamor & ſtrepitus audientium, qui admirabili-
tatem orationis laude & prædicatione proſequuntur, defer-
ueſcat. Æqua ſanè iis temporibus ea videbatur eſſe conceſ-
ſio, quod in more fuerit poſitum, quæ elegantiſſimè dice-
rentur plauſu & voce comprobare, ætate quidem M. Tul-
lij in grauioribus cauſis rarius, frequentius deinde blandien-
te conſuetudine, quam Recitantes benignitate etiam ſua
de Clar. ſportuliſque promouerunt. Huc pertinent illa Ciceronis de
orat. Hortenſio, *Itaque Hortenſius vtroque genere florens, clamores*
3 de orat. *faciebat adoleſcens*. Et alio loco de re generatim, Quare *benè*

Digitized by Google

& præclarè, quamuis nobis ſæpè dicatur: bellè & feſtiuè nimium ſæpe nolo: quanquam illa ipſa exclamatio, non poteſt melius, ſit velim crebra, &c. Expreſſit illam conſuetudinem egregiè Diuus Hieronymus, *Ne à me quæras pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum ſingulorum acuta quædam breuitérque concluſa, quæ plauſus & clamores excitent audientium.* Suauiſſimus Chryſoſtomus τὸ ἐν δικαστηρίοις κροτεῖσθαι id vocat. Qui ſæpè etiam popularis iſtius plauſus inanitatem graui dictione proſequitur, quod is in templa & in ſacrorum hominum conciones irrepſiſſet. Nam quæſo te, inquit, quis fructus eſſe poſſit è populari applauſu? Succedente enim veſpera, εὐθέως ὁ κρότος ἐκεῖνος καὶ ὁ θόρυβος ἅπας μαραίνεται, *ſubito ille plauſus tumultúſque laudantium omnis euaneſcit.* Sed ad rem.

D.Hieron. ep. 2 ad Nepotian.

D Chryſ. in Pſ 48.

Id. hom 3. de An.

Tum, inquam, fuit iuſta illa orantium quies aut inambulatio, cùm clamoribus loqui prohiberentur. Sed quidam reperiebantur ignei in agendo, tam acres, tam incitati, vt è ſuis in aliena ſubſellia migrarent, quod ſine riſu eorum qui audiunt fieri vix poteſt: alij nec opinantes in ipſo curſu orationis longiſſimè progrediebantur, quos diſcurſantes Domitius Apher *ſatagere ineptè* aiebat: vrbanéque Flauius Virginius olim interrogauit de quodam ſuo antiſophiſte, *quot millia paſſuum declamaſſet.* Hoc fieri planè in noſtris moribus non poteſt, quibus Oratorum impetus aut pulpiti anguſtiis, aut ſubſelliorum quaſi repagulis continetur. Niſi fortè in Italia, vbi Concionatorum magnam corporis iactationem, & quendam etiam curſum eſſe audio, propter vaſtas & longè patentes ſedes orantium. Id etiam euenire poſſet, cùm è plano dicitur liberóque ſpatio, vt cùm Reges & Dynaſtæ adeuntur, cùm mandata explicantur reipublicæ, cum ſtans Orator in cœtu aliorum differit. Tum ſanè qui prompto & viuido ſunt ingenio atque natura, inflammatione quadam & impetu ſuæ dictionis proſilire longiùs poſſent, & ſtationem ſuam deſerere: quod facere ſolitum Caluum, ſummum illum & ardentem Oratorem Marci Tullij antagoniſtam, prodit in Controuerſiis Seneca. In eos homines cùm incideret Seuerus Caſſius *li-*

In aliena ſubſellia dicendo migrare.

Quintilian.

Senec. l. 3. Contr. Fab. l. 22.

neam poſcere conſueuit, vt certis in agendo limitibus cohiberentur. *Poſcere lineam.* Et licet qui ita ſunt à natura cõparati, ſtudio & moderatione quantum fieri poteſt, impetum illum ſuum curſúmque inhibeant, nonnunquam tamen, pedem vnum indecore, & paulo quàm par eſſet liberius proiiciunt: id verò eſt *Suidas.* ὑπερβάθμιον πόδα ῥίπτειν, *pedem vltra gradum iactare*, quod apud Græcos cõmuni adagio ferebatur. Non igitur abs re eſt *Exercipedes.* futurum, ſi huiuſmodi *exercipedes* moneamus ταχυδρόμους, illam omnem incitationem non ſuſceptam ratione, abhorrere ab eo plurimum, qui perſonam grauitatis & moderationis ſuſtinet. Et proinde valere multum, ſi in omni parte orationis ſint apud ſe, decorique vocem audiant: nam ſi naturæ mouentur licentia, ſi non audit currus habenas, eò ſe fortè calidius effundent, vnde frigidè & moleſtè ſunt redituri.

SECTIO IV.

Micare, exilire, tripudiare in dicendo. faceti pedes & ludentès. σαυλοῦσθαι. fluxa & mollis corporis trepidatio in vitio, ſicut & κιγχλισμός. fullonios ſaltus edere. ἀμφοῖν ποδοῖν

SED ecce quidam quaſi ad tibiam & tympanum in dicendo tripudiant, & ſtaticulos dant vt ſibi quidem videntur belliſſimè: de quibus apud me cogitanti venit in mentem picturæ *Calliſtr. in Stat.* Calliſtrati, hominis in inueniendo longè acutiſſimi, qui cùm ſtatum vnius Indi ſuis coloribus & purpura orationis effingeret, *Erat*, inquit, *laſciuiens expreſſus*, οὐ δυνάμενος ἐρείδειν τὼ πόδε, ἀλλ' ὑπόδρομός τε καὶ ὑπὸ τὴν γῆν ὀκλάζων, *vt qui pedes obſirmare ſuos & ſtare loco non poſſet, ſed perpetua trepidatione moueretur.* Rem ipſam delineauit oratione ſua Polemon Athenienſis in Phyſiognomon. qui cùm ſemiuiri indicia perſequitur, inter alia ſic habet, *Lumbos tremulos habet: omnia eius membra exilienti motu agitantur.* Cuius motus vitioſi reprehenſio

prehenſio non tam à dictis ſapientum, & teſtimonio antiquitatis, quàm ab ipſo communi iudicio petenda eſt. Sic enim docet experientia, ſic vulgò omnes ſentiunt, illam corporis leuitatem iuueniliter exultantis, ne quidem in adoleſcente contingere, ſine graui eorum hominum offenſione, qui honeſtate omnia metiuntur. Pingit vnum huiuſmodi Iulianus Imperator in Panegyricis & oratione illudit, *Vidiſſes illum*, inquit, καθάπερ τοὺς κορυβαντιῶντας ὑπὸ τῶν αὐλῶν ἐπεγειρομένους χορεύειν, καὶ πηδᾷν οὐδενὶ ξὺν λόγῳ, *quemadmodum Corybantas & fanaticos tibiarum ſono concitos ſine ratione tripudiare ac ſaltare.* Eſt non obſcura in iis hominibus diſſimilitudo, quæ ad totius rei lucem & intelligentiam eſt à nobis exponenda. Or. 2. Panegyr.

Quidam enim quanquam non ſemper attollunt pedes, micant tamen atque exiliunt, & corpus efferunt prope ad numerum. Nonnunquam verò quaſi pedes haberent laneos, aut pulmoneos, oneri ſuſtinendo impares, neque poſſent in ſuo gradu conſiſtere, præ teneritudine quadam effœminata, ſummittuntur & tremunt, & in veſtigio molliſſimè langueſcunt. Quorum pedes *faceti, ac delitiis ingredientibus molles* à Bruto nominarentur: *ludentes* videtur appellauiſſe magnus Hieronymus, vbi de mulierculis glorioſis, *Erecta*, inquit, *ceruice & ludentibus pedibus* incedunt. *Ebrios* ego nuncuparem cum illo Græculo ſcito & arguto, qui Chryſippum Stoæ columen & maiorum veluti gentium philoſophum dicto notauit. Nam frequēti in conuiuio cùm alij prope omnes Greco more biberent, abſtineret autem Chryſippus à compotatione, ſed crura ſubinde agitaret, ſeruulus intuens hoc lepidè, Χρυσίππου μόνα τὰ σκέλη μεθύειν, *Chryſippi ſola crura ebria eſſe.* Delicatum illum in pedibus atque mollem corporis motum ſignificantes Græci σαυλοῦσθαι dicunt, quod Suidas ἁβρῶς βαίνειν interpretatur: eúmque religionis Magiſtri vt ab honeſtis hominibus repudiandum ſcriptis ſuis notarunt. Aureus Chryſoſtomus cùm animum laudat modeſtiæ retinentem, atque omnium virtutum choro ſeptum & ornatum, καὶ ποδῶν, inquit, αὐτῇ μέλει, ὥστε μὴ ἄτακτα βαδίζειν, &c. *Quin & pedum ei cura eſt, ne diſſolutus atque mollis, ſed ſimplex & inaffectatus ſit ingreſſus.* Sic pædagogus variegati Clementis eas iure ſuo reprehendit quæ ἐκ τῆς ἐπιβάσεως ῥυθμίζουσι τὴν γῆν, *veluti numeroſo terram pede*

Molliũ oratorũ pedes faceti atque ludẽtes. In fragm: Cic Fab. l. 6. c. 3. Epiſt. 22. Laert l. 7. S. Chryſoſtom. l. de virgin. Clem Alex. l. 2. pæd. c. 11

Iſa 3. *contingunt.* Sicut & Propheta magnus Iſaïas, τοῖς ποσὶ παίζουσαις, S. Baſil. in Eſaiam. *molli pedum luſu incedentes.* Quarum inceſſus ait S. Baſilius, non ſecundum naturam, ſed πρὸς ῥυθμὸν ἐκμελῆ ἐπιτηδεύεται ἐκλύτως, *veluti ad numerum fertur ſolutius.* Abſit igitur hæc ab oratore delicatulorum fluxa & ſoluta corporis trepidatio, qui quod in ſtatu viriliter non hæreant, in periculo ſæpe ſunt, ne fœdè & flagitiosè nonnunquam ceuere videātur, quo nihil fieri poteſt in liberali hominum cœtu indignius.

Quare bonis auibus, & prærogatiua Centuria punctis omnibus fauente, hæc illis poſita lex eſto, Μὴ κιγκλίζεσθαι; quique id faxit, maieſtatis eloquentiæ reum videri. Hæc lex, ſeu Themis, ſiue Eunomia, ſiue communis Domina Honeſtas illam tulerit, aditu fori Curiæque prohibet, non modò flagitioſum omnem gregem, nequitiæ amaſium, nationem cinædorum tremulam, criſſantem, & ab aquariolis eruditam: verùm etiam de adoleſcentulis noſtris quoſdam, qui in roſa violiſque nati, in goſſypio educti, bombycino amiculo languidi, blatta effœminati, cuniculi pilo molliores, quoties gradum figunt, toties virum exuunt, ſexum mentiuntur, conuicium naturæ faciunt, eámque incuſant, quod non ſint Veneris puppæ, gynæceorum delitiæ, ſtibio litæ Pandoræ. Hi non ſatis mihi inſtructi videntur, neque à ſchola ſubornati, nec erecti voluntate, vt ſubitò à crocota, à mitella, à muliebribus ſoleis, purpureíſque faſciolis, in lucem concionis veniant, & clariſſimorum hominum conſpectum, ad fortia facta oratione prædicanda.

Tripudiare & exilire in dicendo. Sunt alij robuſtiores quidam, qui alio quodam modo in id vitium, in quo explicando verſamur, præcipites eunt: tripudiant enim illi quidem, ſed audacius quàm ſuperiores illi atque ruſticius, quippe qui meſſores pulſu pedum vindemiam ſuam curantes imitentur, aut fullones, quos Titinnius poëta vetus dixit eleganter pedibus argutari,

Pedibus argutari.

> *Quaſi vbi tu ſolitus pedibus argutarier,*
> *Dum compeſcis cretam & veſtimenta eluis.*

fullonem deſcribit, qui de more veſtem conciliando niſu alterno pedes attollere conſueuit, & fullonium ſaltum edere. Sic miſera illa mulier apud Plautum, quæ maritum videbat ſuum flagitioſis amoribus deditum, & in ganeis volutatum,

durare non poteſt, & impatientia doloris exilit & velut tripudiat furenter & incompoſitè, cui venuſtè Paraſitus, Plut. in Aſinar. ſc. Ain tu.

——Si non didiciſti fullonicam

Non eſt mirandum: in oculos inuadi nunc eſt optimum.

quem poëtæ locum eruditus interpres non ſatis intellexit. Nolo cuiquam ſciens ac volens contumeliam imponere, ſed quod mihi ante paucos annos euenerit, vobis audientibus verè & candidè enunciabo. Ante annos aliquot hominem vidi orantem plurimorum opinione doctum, at ſi quid mei iudicij eſt grauioribus quidem diſciplinis inſtructum, ſed inopem earum literarum, quæ ab humanitate nomen habent: Paulò antè quàm in vrbem veniret, neſcio quæ tacita hominum exiſtimatio aut rumor, hominem quendam magnum atque mirabilem denunciauerat, quæ cauſa fuit cur magna pars Academiæ ad eum audiendum conflueret. Is igitur ſiue cura animi atque ſollicitudine, ſeu quod vellet quàm optimè omnium expectationi ſatisfacere, ſic vnius horæ curriculo perpetua pedum agitatione exiliit, ita fulloniam hanc egit, vt mihi quidem de eruditorum qui tum aderant iudicio cogitanti, miſerandus prope videretur. Hoc verò eſt ἀμφοῖν ποδοῖν, *vtroque pede*, vt eſt in communi adagio declamitare. Suidas. Id verò illum feciſſe loci inſolentia, & ardore quodam animi in ea corona triumphare cupientis, deinceps apparuit: nam denuo cùm illum audiuiſſem, fuit longè quàm antè quietior, nec in Muſarum & muſicorum hominum cœtu, cùm ſcholarum adeſſent lumina, pulchrum eſſe tripudiare cenſuit.

Et quidem æſtus animi, vel ira, vel cupiditate bullientis, ciet motus ſæpe in corpore, neque pedes diu patitur conſiſtere, niſi frænum moderationis & prudentiæ iniiciamus. *Æſtus animi pedes ciet.* Caïus Cæſar Caligula, qui vt multum ſtudij atque operæ eloquentiæ tribuerat, ita cauſas plurimas egit non ſine commendatione ingenij & facundiæ: ſi perorandum in aliquem eſſet, eo ſpiritu & animi contentione dicebat, vt *neque eodem loci præ ardore conſiſteret*, ait Suetonius. Sueton. in Cal. c. 53. Hunc autem geſtum ab Oratore conſilio & moderatè ſuſceptum, in animi inflammatione ſtudióque ſignificando, nemo ſane de ſchola politus & æquus rerum æſtimator abiiciet & damnabit, niſi ad fullonum eas ineptias

continua motione deflectat. Nam & dicentem exſuſcitat illa pedum elatio, & tenet audientes, qui velut à palmari gladiatore gradum generosè proferente, facinus pulchrum & memorandum expectant, & honeſtum illum animi vigorem excellentiæ cuiuſdam argumentum probare ſolent.

SECT. V. *Chriſtiani olim pedem attollebant in precibus. Tripudium quoddam in lætitia. Pedum ictus atque percuſsio apud Veteres in pronunciandis verſibus.*

ATQVE hoc loco ſilentio pręterire non poſſum inuſitatam, & prope diuinam maiorum noſtrorum religionē, & commemorabilem pietatem, qui cùm in templis ritu auguſto & ſanctiſſimis cæremoniis conſecratis precationi darent operam, in clauſulis orationum pedem ſolebant ſumma animorũ conſenſione attollere, vt præ amore ſempiterni domicilij, ſtudióq; magno cœleſtium, iam euolare viderētur. Quam ego rem non tam meis quàm Clementis Alexandrini verbis ad perpetuam rei prædicationem explicare volo, ſic enim habet in Periſtromatis, de Chriſtianorum precibus loquens, Oratione caput &

Stromat. l. 7.

manus in cœlum extendimus, τούς τε πόδας ἐπεγείρομεν κατὰ τὴν τελευταίαν τῆς εὐχῆς συνεκφώνησιν, ἐπακολουθοῦντες τῇ προθυμίᾳ τοῦ πνεύματος εἰς τὴν νοητὴν οὐσίαν· καὶ συναφιστάνειν τῷ λόγῳ τὸ σῶμα τῆς γῆς πειρώμενοι, μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχὴν ἐπτερωμένην, &c. *pedes attollimus in extrema orationis acclamatione, prōpto animo & alacritate inſequi cupientes beatā illam naturam, quæ mente & intelligentia percipitur, & vna cum verbo corpus à terra abducere conantes, erectam animam & deſiderij pennis eleuatam cogimus in ſancta progredi*, &c. Hoc verò eſt quod de piis hominibus dixit

Greg. Nyſſ. or. 3. de or.

Gregorius Nyſſenus clariſſimus Antiſtes ἄκρῳ τῷ ποδὶ τῆς γῆς ἐπιψαύειν, *terram eos ſummo tantùm pede attingere.* Idem prope

Hexam l. 6. c 9.

ſignificauit magnus Ambroſius, qui mirabilem Dei prouidentiam in humano corpore fabricando ſuſpiciens, pedes aiebat nobis datos, non vt brutis animantibus quatuor, ſed vt auium generi duos, quod ſublimes alta petere debeamus.

Digitized by Google

Præterea illud ipſum tripudium fieri in gaudio ſolet, animo lætiſſimo quodam motu exiliente. *Tripudium in lætitia.*

——*nunc pede libero Pulſanda tellus*, Horat. l. 1. carm.

ait poëta geſtiens. Exultantem & præ lætitia tripudiantem dixit M. Tullius; & præclarè ſuauiſſimus Chryſoſtomus χορέυειν ϰ πηδᾷν εὐφραινομένων εἶναι dixit. Eundem geſtum læti animi affectionem prodentem, pij Vates diuinis ſuis oraculis pæne conſecrauerunt: ſic enim vnus qui à diuino robore nomen habuit Ezechiel, *Pro eo quòd plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es ex toto affectu.* Vbi doctiſſimus interpres Hieronymus, *inſultandi laſciuia, manibus & pedibus concrepare*, expoſuit. In hoc motu aſciſcendo, vbi maximè res fluunt è ſententia gaudiúmque generatur, eandem Oratoris prudentiam moderationémque poſtulo, vt nihil diſſolutum faciat, neque bellicos videatur equos imitari, qui ad tubæ cantum micant artubus, & pedum reciproca motione tripudiant. D. Chryſoſtomus in Pſal. 113. Ezech. c. 25. 6.

Eſſe tamen quiddã in hoc genere conceſſum iis hominibus, qui publicè pronunciant, non abhorrens à modeſtia ingenuóque pudore, oſtendit Veterũ in verſibus recitandis cõſuetudo. Solebant enim, non digitorum modò ictu & percuſſione, verũ etiam & pedum pulſu carminum rythmum numeróſque proſequi. Vnde pes in re metrica dicitur, quia in percuſſione metrica pedis pulſus ponitur, tolliturque, ait Marius Victorinus. Grammatici illum morem atq; Rhetores haud obſcurè ſignificant. Ruffinus imprimis Antiochenſis ita meminit, *Iambicus autem cùm pedes etiam dactylici generis aſſumat, deſinit Iambicus videri, niſi percuſſione ita moderaueris, vt cùm pedem ſupplodis iambicum ferias.* Quintilianus de metris loquens, & *pedum* & *digitorum ictu* interualla ſignificari ſcribit. & alio loco ſic, *Atqui corporis quoque motui ſua quædam tempora, & ad ſigna pedum non minùs ſaltationi quàm modulationibus adhibet muſica ratio numeros.* Id locum etiam habuit in Citharœdis, de quibus idem Fabius primo libro in hunc modum, *An verò Citharœdi* non ſimul & memoriæ & ſono vocis & pluribus flexibus ſeruiunt, cùm interim alios neruos dextra percutiunt, alios læua trahũt, continent, probant, *ne pes quidem otioſus, certam legem temporum ſeruat.* Hæc autem eo à me adferuntur, non vt illud à dicente fieri ſuadeam, ſi quando verſus è quopiam poëta bono *Pedum percuſſio in recitandis verſibus.* Victor. l. 1. art. Gram. Ruffin. in metr. Terent. Quintiliã. l. 9. c. 4. Fab. l. 1. c. 12

petiti in medium adferantur, ſed vt rerũ ſimilitudine doceam, fieri aliquando poſſe non inuenuſtè, vt pedes in dicendo moueantur, & orator in amplificanda felicium rerum lætitia modicè veluti exiliat & decorè tripudiet. Sed in hoc vt in pleríſque aliis vbi natura conniuente prona eſt faciliſque prolapſio, audiendum ſapientis effatum, μέτρον ἄριστον. Nam ita incedere omnibus lætitiis in re fauſta, & ita bacchari, vt quod fuit in M.
Cic. l. 1. ep. 9. Tullio ab amicis reprehenſum, nimio gaudio pænè deſipere videare, hominis eſt neque ſui, neque eorum qui attentiſſimè audiunt, rationem vllam habentis.

SECTIO VI.

De ſtatu pedum. æqui ſint, aut minimo momento ſiniſter procedat. ne Lambda fiat. crebro ſtatum commutare an conueniat, aut in dextrum pedem incumbere.

DIXI de pedum motione, quam fuiſſe antiquiſſimũ mortalium curam magni viri cenſuerunt. πρότη εὕρηται ἡ περὶ
Athen. l. 14. τοὺς πόδας κίνησις, τῆς διὰ τῶν χειρῶν, ait Athenæus, *Motum pedum prius repertum fuiſſe, quàm manuum conſtat.* Reddit rationem, quod antiquis pedes magis in publicis ludis & venatione exercerentur, quàm manus. Pergo iam de ſtatu dicere, vt quid in eo ſit oratori etiam conſentaneum intelligamus. Dici hoc primùm generatim poteſt, non in pedum tantùm motu, verùm etiam & in ſtatu, habitum cerni & notari quendam, ſiue colorem honeſtatis, qui nobilis familiæ indolem, & liberalem ingenui animi naturam inſtitutionémque ſignificet; qualem opinor in Troiano duce mirabatur Euander, de quo ſic Maro princeps,

Æneid. 8. *——ille os oculóſque loquentis*
Iamdudum, & totum luſtrabat lumine corpus.

ſtatum baſilicum, hoc eſt principe viro dignum atque regium eleganter Plautus nominauit. Hanc decori partem melius fortè nemo perceperit, quàm qui oculos ſtudioſè intendet in eos ipſos, ſic à prima pueritia informatos, ſic liberaliſſimè in nobilium palęſtra inſtitutos, quos in Gallia qui adoleſcentes laude & commendatione proſequuntur, bellè & venuſtè cor-

pus ſuum vectare aiunt. Eo enim modo facilè varietatem notabunt & eorum diſſimilitudinem, qui vt in motu vaſti, in ſtatu agreſtes & pagani in conuentu eruditiorum illuduntur. Enimuero monita quædam haud inutilia dari poſſunt ad imbuendos nouitios & tyrones, quæ lubet è clariſſimorum hominum ſcriptis, vt floſculos omni amœnitate vernantes è diuitis horti beata copia decerpere. Quæ minùs forent hac tempeſtate neceſſaria, ſi illis adiumentis vteremur actionis, quibus olim potiebatur antiquitas. Statim enim à teneris vnguiculis pueri mittebantur in palęſtram, ad intelligentes Epiſtatas & doctores, à quibus geſtus atque motus informabatur: vbi cùm alia multa fructuoſiſſimè docebantur, tum illud quod ad præſentem diſputationem pertinet, omni ratione prouidebatur, *ne ſtatus indecorus eſſet, ne qua in proferendis pedibus inſcitia*, vt ait Fabius libro primo. At idem ipſe libro 11. in quo poſita foret illa inſcitia, clarè & conſideratè ſcribit in hunc modum. *Prolato dextro ſtare, & eandem manum ac pedum proferre deforme eſt.* Fab. l. 1. c. 11. l. 11. c. 3.

Igitur hoc ſit primùm in monitis noſtris, pedes aut æquos eſſe oportere, paululùmque diductos, vel minimo momento ſiniſtrum procedere. In hoc autem multis modis peccari à dicentibus intelligo, qui ſine humaniorum literarum adminiculis & vmbratili exercitatione, ſubito in ſubſellia & ſuggeſtum prouehuntur. Sunt illi ſane ἀπάλαιστοι, & omnium iudicio ridendi, qui pedes ita diuaricant, vt Græcum lambda exprimere velle videantur, quo ex vitio Eetionis quondam vxor *Lambda* nominata fuit: *Stare ſuris apertis*, ait Varro. Atque hi quidem in periculo ſunt, ne cùm ſe dicendo commouerint, geſtum obſcœniorem aliquando efficiant, quod etiam memini animaduerſum à Technitis. Alij vaſtè pedem & indecorè proiiciunt: Claudius certè Imperator dextrum pedem mouebat ruſticano more, & inſulsè trahebat, quem irridet pingitque bellè Seneca in Ludo ſuo. *Status pedũ in dicente.* Cœl. l. 13. Fab. l. 11. Seneca Apocolocin.

Quidam perpetuò commutant ſtatum, quaſi pedes indignentur vnum alteri præponi, & dedecus ſibi eſſe putent, ſi in poſtremis hæreant. Igitur ad ſingulas periodos, ingrata penitus inſuaui & inepta viciſſitudine modò hunc, modò illum

anteponunt. Fateor ego quidem non modò commutationem eſſe aliquando opportunam, verùm etiam & neceſſariam, ne veluti clauo trabali affixus in eodem veſtigio orator putetur: Sed vt Plutarchus ſapienter grauiſſiméque admonuit, in audiendo *μηρῶν ἐπάλλαξιν ἀπρεπῆ*, *inurbanam & iniucundam videri pedum & tibiarum commutationem*: ſic dicentis illam inconſtantem leuitatem indecoram & repudiandam iudico. Itaque pueri olim à pædagogis ſtudioſiſſimè docebantur, *μὴ ἔχειν τὼ πόδε ἐπαλλὰξ*, *vt pedes non alternarent*, vt meminit Ariſtides. Et Marcus Cato maior militem repudiabat τοὺς πόδας ἐν τῷ μάχεσθαι κινοῦντα. Id proprium eſſe metuentium putauit Apuleius, qui de reo trepidante ita loquitur, *Tunc pedes incertis alternationibus commouere, modò hanc, modò illam partem ſcalpere capitis*, &c. Nonnulli in dextrum pedem incumbunt, quod interdum concedendum eſſe putat Fabius, modò id fiat æquo pectore, nam in alterum latus incumbere, ſic vt animaduerti à corona id facilè queat, omnino vitioſum.

Plutarch. π. τῦ ἀκυ.

Ariſtid. Platon. 1.

Plutar. in Caton.

Apul l. 10 Mileſ.

Fab. l. 11. c. 3.

SECTIO VII.

Attollere ſe in digitos mirationis, conciliandæ magnitudinis, & iracundiæ cauſa. Senecio Grandio illuſus in vngues ſe arrigens. Delicatorum & ſuperborum mos ſummis pedibus incedere.

ALII denique reperiuntur, qui quoties aliquid ipſis placuit, in vngues eriguntur, quod nonnunquam per ſe recipiendum putat Quintilianus. Philo Iudæus retulit hunc geſtum ad admirationem, Cùm, inquit, Mimus in theatro Euripideos verſus pronunciauiſſet, τοὺς θεατὰς ἅπαντας εἶδον ἐπ' ἄκρων ποδῶν ὑπ' ἐκπλήξεως ἀναστάντας, &c. *vidi omnes ſpectatores arrectos in ſummos digitos præ admiratione ſententiæ laudatæ acclamantes magnis vocibus & ipſum poetã certatim prædicantes*. Ego ſanè id notaui à quibuſdam fieri ſine cuiuſquam reprehenſione: ſed attollere ſe in digitos vt grandior eſſe videaris, & identidem ſeſe dimittere, ſic vt talis ſolum ferientibus ſonitus quidam exaudiatur, hoc profectò eloquentiæ illi Domino quem inſtruimus, non niſi rarò concedendum exiſtimem.

Philo quod om. pr. lib.

Neque

Neque enim ſat decorum eſſe puto Pygmæã illam matronã imitari, quam illudit mordens ſatyrico dente Iuuenalis,

Et leuis erecta conſurgit ad oſcula planta,

aut etiam pugiles, de quibus Poëta maximus,

Conſtitit in digitos arrectus vterque.

Hoc verò eſt ὀρθοςάδην πυκτομαχεῖν, quod Xyſtorum vmbraculis contineri & Gymnaſiorum cancellis velim, non in forum Curiamue induci. Atque hic mihi aurea Senecæ verba, vt eximium ad opus emblema, illiganda inſerendáque videntur, vt hoc dictũ prærogatiuæ ſententiæ loco adoleſcentes habeãt, ita verò ſcribit, *Non exurgit in plantas, nec in ſummis ambulat digitis eorum more qui mendacio ſtaturam adiuuant, longioréſque quam ſunt videri volunt.* Senec. ep. 112. Eſt quidem in magno corpore benè à natura compoſito dignitas quædam ad tenendos audientium oculos accommodata, ſed non eſt tamen iudicandum vim & magnitudinẽ eloquentiæ laudémque oratoris à corporis magnitudine pendere. Caluus orator ſtatura puſilla fuit, quem propterea *Salaputium diſertum* nominauit Catullus, & tamen Senec. l. 3. cõtrouerſ. cum M. Tullio de principatu & facundiæ regno dimicauit. Quod ſi proceritas longitudóque expetitur, cenſeam potius imitandum Octauium Auguſtum, quem heroicæ formæ & magnitudinis ſtudioſum fuiſſe video, nam *calceamentis altiuſculis vtebatur, vt procerior quàm erat videretur*, ait Sueton. Suet. in Aug. c. 73. Leuiculus ſanè Demoſthenes, qui ſi quando plauſu in concione afficeretur, ἐπαιρόμενος ἦν δῆλος, τίς ἦν, *gloriola inflatus atque geſtiens ſeſe attollebat, vt quis eſſet ab omnibus videretur*, & veluti Ælian l. 9. Var. curru ſublimis & triumphans in oculis omnium habitaret. Iriſus fuit etiam apud Romanos Senecio ingenij confuſi ac turbulenti Orator, qui non modò grandia dicere volebat, ſed & grandis videri: adeóque hic in eo morbus inualuit, vt ſeruos nollet habere niſi grandes, & argẽtea vaſa non niſi grandia, imò & calceos quoque maiores ſumeret, vnde cognomen ei factum vocariq; cœpit *Senecio Grãdio.* De eius declamatione loquens Seneca, *Sublatis*, inquit, *manibus, inſiſtens ſummis digitis (ſic enim ſolebat, quo grandior fieret) exclamat*, &c. Senec Suaſor. 2.

In contentionibus & affectuum atrocitate quidam exurgunt, vt fortius vehementiúſque pronuncient, quod Græci dicerent, ὅτι μάλιςα ἀκροποδητὶ ἐπεγείρειν ἑαυτὸν, *ſe quàm maximè*

Gallinaceos imitari minus honeſtum.

ſummis pedibus arrigere. Certè id genus actionis, vulgò in Gallia, communis hominum ſenſus ad irati animi ſignificationem, & ſuperbius indignantis referre ſolet. Cùm enim quempiā ſtudio contentionis agentem acrius, vocem & vires intendentem videmus, eum dicimus *ergoter*, & *monter ſur les ergots*, à gallis gallinaceis ducta metaphora, quorum cōſuetudo eſt, in pugna & fortiſſima contentione ſeſe in vngues erigere. Pulchrè Lucilius,

Sicut gallinaceu' cùm victor ſe gallus honeſtè,
Suſtulit in digitos, primoréſque erigit vngues.

S. Iren. l. 3. c. 15.

Et Irenæus Gnoſticum pingens ſuperbia intumeſcentem, *Cū ſupercilio*, inquit, *incedit, gallinacei elationem habens.* Non eſt dubium quin hoc in motu fieri quædam poſſent à turbulentis & iracundis hominibus, quæ merito ſapienti coronæ diſpliceāt. Atque in eo genere peccabat Nero Imperator, ſéque omnibus illudēdum ſplendidiſſimo in theatro proponebat, de quo Muſonius apud Lucian. ξυνάγων τὸ πνεῦμα ἐπ' ἄκρων ἵςαται τῶν ποδῶν ἀνακλώμενος ὥσπερ οἱ ἐπὶ τοῦ τροχοῦ, *cùm ſpiritum attrahit, ſtat ſummis pedibus diſtentus & refractus perinde vt ij qui ad rotam alligantur,* vetere ita malo, quàm cum Interprete, *qui rotam circumagunt.*

Lucian. in Neron.

Iā verò quod paulò antè in pulcherrimo Senecæ effato poni vidimus, *nec in ſummis ambulat digitis*, finitimū eſt vitium, quod tametſi euenire vulgò ſoleat in ambulando, afflat tamen nonnunquā etiam contagione ſua dicentē & contaminat. Propriū id eſt ſuperbientis arrogantię & maximè eorum nobilium qui poteſtate, autoritate, diuitiiſque ſuperbiūt. Heliodorus quidē inter notas vani & tumentis animi ſtatuit ὀλχὰ βαίνειν, *ſummis pedibus incedere:* quem næuum monet abeſſe a Stilicone Poëta Claudianus,

l. 18. Æthiopic.

Celſa poteſtatis ſpecies non voce feroci,
Non alto ſimulata gradu, non improba geſtu.

Claud. de nupt. Honor.

Serm. 6. de prouid.

Theodoretus glorioſum diuitem & contumacia inſolentē adumbrans ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζοντα, *in ſummis digitis ambulātem* fingit. Scitè vt omnia & conſueta illa ſua incredibili venuſtate erudiſſimus Hieron. *formoſuli noſtri & toroſuli vix ſūmis pedibus adumbrātes veſtigia.* Hæc clariſſimorum hominū voces, dicentis animo, ſi me audit obuerſentur, ne in pedū ſtatu, aut motione, notā vllam exhibeat ruſticæ mentis, vanæ, mollioris, arrogantis. Dicebat olim Zeno κρεῖττον εἶναι τοῖς ποσὶν ὀλισθεῖν ἢ

l. 2. in Iou.

Laert. l. 7.

τῇ γλώττῃ, *melius eſſe pedibus quàm lingua labi:* Sed longè meo iudicio præſtantius, omnem omnino prolapſionem vitare.

COMMVNIA QVAEDAM ACTIONIS.

CAPVT. XIII.

An placida potius Actio, quàm fortis, vehemens, concitata, ſit ſequenda Oratori. & primùm, Placidam videri adhibendam. SECT. I.

HÆc cùm dixiſſet Honoratus, velut decurſo longiſſimo ſpatio reſpirans, Dixi, inquit, & curioſiſſimè quantum fieri potuit inquiſiui, quæ de partibus Actionis dici poſſe videbantur. *An iam tempus equum fumantia ſoluere colla?* An etiam vultis, vt quoniam me pænè inuitum in hanc arenã compuliſtis, gladiatorum more à vobis, tanquam legitimis dominis petam, num ſit vobis ſatisfactum? num quid imperetis? an præterea iubeat me decumbere? quanquam non tam quidem iam decumbendum, quàm accumbendum eſſe videatur & guſtandum. Tum aduocato puero, Heus tu, inquit, vide vt quamprimum hoſpitalis menſa paretur.

Hic Iuuentius, Incredibile dictu eſt, quantum nos tibi hodierna die Honorate, me quidem certè maximè deuinxeris: & in hoc mihi præſtitiſſe videris, & expectationem meam omnẽ ſuperaſſe, quod reconditas illas tuas monitiones pulcherrima tua actione cumulaueris. Itaque de re cogitans apud me dubito, plúſne commodi & vtilitatis tua mihi diſputatio pepererit, quàm ſplendidiſſimi illi geſtus pleniſſimi dignitatis, quibus rẽ omnem explicauiſti. Sed vt tibi imbecillitatem animi mei naturámque ingenuè aperiam, nonnũquam mihi molliùs agere viſus es, neq; ſatis ponderis addidiſſe ad præceptiones inſinuãdas: ſed hic forte eſt ingenij morbus mei, incõſiderati, & temerarij atque præcipitis, quem à vobis reprehẽſum iri certò ſcio.

Quid igitur, ait Victor, fieri ab HONORATO Iuuenti voluiſſes, in præcipiendo, hoc eſt in placido genere orationis, à quo turbæ, clamores, contentióque abeſſe ſolent? an illi aſperius agẽ-

dum fuit, exclamandum, iraſcendum, aut etiam in nos inuehẽdum, vt quietum illum dimitteremus, neque in tanti operis functione, quam illi impoſuimus, diutius eum conniti & elaborare vellemus? Debuit credo ſedem cui inſidet frangere, manus complodere, pedes ſupplodere, alia peragere tragica de quibus iam ornatiſſimè & copioſiſſimè diſſeruit? Scio quoſdã Oratores acri & contorta actione delectari, eámque in omni fere dictionis ſuæ parte adhibere: quales illi fuiſſe videntur, quos olim *Declamatores Caldos* nominabant apud Senecam, θερμοτέρους apud Gregor. Nazianz. qualis Satyrus fuit orator, tam vehemens in cauſis agendis ſi tantillum commoueretur, vt pænè furioſi hominis vultum vocémque indueret. Illius igitur aures amici nonnunquam ſolebant cera occludere, ne aduerſariorum maledictis & conuicio incenderetur, vt ipſe Dæmonius Ariſtoteles poſteritati reliquit. Eos certè aut eorum ſimiles grauiſſimè à M. Tullio reprehenſos & ipſis prope è ſubſelliis exturbatos conſtat. C. Stalenum ait *feruido quodam & petulanti & furioſo genere dicendi*. Titium vocat *effrænatum & acrem nimium*. Sic memorans etiam de Fimbria, *genere toto paulo feruidiorem & commotiorem* fuiſſe vult: alios denique *furere & bacchari* exiſtimabat.

Senec ſuaſor. 3 Gregor Naz. orat. 20. Plutar de ira ſræn.

in Bruto.

Et quidem ſi rem ipſam intueamur, ſic comperiemus, æſtũ illum actionis, & vt ita loquar tempeſtatem, à conſiderati hominis modeſtia & grauitate plurimùm abeſſe. Quàm enim fœdum eſt & inſolens, ea vehementia contendere, ſic in dicendo agitari, ſic præcipiti motu efferueſcere, ----*vt qui*

Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa mouetur?

Horat. ep. 2. lib. 2.

Fab. l. 6 c. 3.

Afer clariſſimus & ſtudioſiſſimus Orator venuſtè Manlium Suram multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deiicientem & reponentem, *non agere* dixit ſed *ſatagere*. Voluit ille vir ſapiens leui dicto & acuto inepti hominis petulantem actionem pungere, quam meo iudicio grauiùs meritiſſimo cruentare potuit. Sic enim à doctiſſimis & literatiſſimis hominibus accepimus, ſæpè iſtam violentiam, literarum, humanitatis, officij, modeſtiæ ignoratione ſuſcipi. De indoctis loquens ille moderator iuuentæ nobilis Quintilianus, *Hi pronunciatione*, inquit, *famam dicendi fortius quærunt: nam & clamant vbique, & omnia leuata (vt ipſi vocant) manu, emugiunt, multo diſcurſu, an-*

l. 2. cap. 12.

helitu, *iactatione*, *geſtu*, *motu capitis furentes*, *iam collidere manus & terræ pedem incutere*, &c. Et paulò pòſt, ait eoſdem omiſſa ratione, vt tulit impetus paſſim tumultuari. Eſt quidem illud veriſſimum; quoſdam ego vidi illius generis, ſane imperitos & expertes eloquentiæ, qui quod opinor gloriſiſſimos heroum conatus legiſſent, & laborioſiſſimam conſtantiam in conficiendis rebus, laude & prædicatione celebratam, tum ſe omniū optimè dicere putabant, & in omnium luce triumphare, ſi corpus, celeri contentione proiicerent & ſudarent. Sed illi falſi opinione ſua, nihil domum referebant quàm ſitim, quàm fatigationem omnium artuum, quàm leuiſſimæ & imperitæ mentis opinionem. Anhelabant enim ſæpè, & quod fieri neceſſe fuit, ipſe curſus orationis non ſine offenſione auditorum impediebatur. Vehementior enim actio corporis, & vibrans ille geſtus, atque omnium partium intentio, dictionem interrumpit, neque ſinit, vt ſoluta & libera ſit pronunciatio. Viderunt id antiqui viri ſapientes, qui ſcenicos olim artifices prudentia & conſilio inſtituerunt ſuo, nam cùm in more poſitum eſſet, vt iidem ſimul & canerent in theatro & ſaltarent, poſteà viſum eſt multò conſultiùs, vt ſaltantibus alij quidam ſuccinerent, ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, *quod ſpiritus ipſe canentium atque anhelitus motu illo continuò perturbaretur, & vocum ſuauitas periret*, vt meminit Lucianus. Nunc autem in pulpito, velut in proſcenio, canunt ſimul & exiliunt Oratores, neque ſatis animaduertunt, importuno illo tumultu vocem frangi, decorum imminui, ius grauitatis & ſapientiæ violari.

Lucian. de ſalt.

Hæc tu Iuuenti, niſi fallor animo æquo & libenti minimè audies, cuius natura ſanè vegetior plena ſanguinis & ardoris, motus habet in dicendo liberiores, qui ſecutus es (nihil fingendi cauſa dicam) eloquendi rationem, voce, motu, forma, & magnificam, & generoſam quodammodo, qui grande aliquid animo complexus atque mirificum, ſummam illam virium contentionem ſummo dignam Oratore putas. Sed audi non me vnum de multis, verùm omnium doctrinarum apices, & totius prudentiæ architectos, qui te fortè ad auream placabilitatem adduxerint. Nam Ariſtoteles do-

Ariſtot. in Phyſiog. ctor meus, imò totius vniuerſitatis, inter moderati ſigna ponit, quod ſit, ἐν ταῖς κινήσεσι βραδὺς ἢ διαλεκτικός, *in motibus tardus & conſideratus.* M. Aurelium Antoninum Philoſophum & Imperatorem laudat Ariſtides, eloquentiæ doctor eximius, quod moderato geſtu, animi humanitatem & manſuetudinem indicaret, ἡ δὲ τοῦ σχήματος αὐτοῦ πραότης, ὡς φιλάνθρωπος, *ipſa*, inquit, *geſtus moderatio atque lenitas, quantam animi humanitatem ſignificat?* Ariſtid. to. 1. Hunc cùm habeam totius antiquitatis teſtimonio virum magnum, ſpeciménque prudentiæ omnium artium coloribus illuminatæ, videor poſſe contemnere eorum iudicia, qui tanquam celſæ & arduæ mentis inſigne, fanaticorum hominum motus æmulantur.

Incõmoda ex vehementiori Actione. Qui ſi non ipſa ratione & ſplendore dignitatis, à ſuo curſu, atque inani perſuaſione reuocari poſſunt, ſaltem incommoda intueantur, quæ ex illa impotenti & turbida in agendo conſuetudine, manare ſolent. Nam, vt omittam elegantium hominum offenſionem, quorũ oculos animóſque illa ſcenica & odioſiſſima corporis iactatio perſtringit, vt ſilentio prætercam inobſcurari dictionem, ſuauitatem omnem effluere, pulcherrimam decori effigiem obliterari, auctoritatem etiam obſoleſcere; ſanè videmus, quod per ſe luctuoſiſſimum puto, multos claros alioquin eximia virtute viros, ſtudiis optimis, exquiſito iudicio & plurimis naturæ donis ornatos, ſuccubuiſſe tandem labori & contentioni, & geſtuum immoderatione, velut apes ſimul aculeum & vitam poſuiſſe. Ille ardor, impetúſque animi violentus L. Craſſum eloquentiæ Romanæ lumen extinxit, qui in Philippum Conſulem inuehens, à quo tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis, permulta vehementiſſima contentione animi, ingenij, virium dixit. Cic. l. 3. de Orat. Quo tempore latus ei dicenti condoluiſſe aiunt, ſudorémque multum conſecutum eſſe, ex quo cùm cohorruiſſet, cum febri domum rediit, diéque ſeptimo lateris dolore conſumptus eſt. Vir tantus, quem penè omnis adoleſcentia vt ſpecimen dignitatis, & coryphæum benè & politè dicentium intuebatur, magno illo æſtu & commotione, non ſatis ad prudentiæ ductum moderata, ſe vita, reos præſidio, forum & Curiam inſigni ornamento ſpoliauit. Præceps in eam perniciem ferebatur M.

Tullius, niſi diuinæ mentis prouidentia incolumem eſſe voluiſſet. Primis enim temporibus omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis & totius corporis contentione dicebat, vt de ſe ipſe memorauit. Contulit ſe igitur in Aſiam, cum Philoſophis aſſiduiſſimè eſt verſatus, ſummis eloquentiæ doctoribus ſe refingendum expoliendúmque tradidit. Vnde non modò longè quàm ante modeſtior rediit, verùm etiam valentior. Bias, quem inter ſapientes Græciæ veterum monumenta collocant, in orandis cauſſis ſummus atque vehementiſſimus fuiſſe dicitur. Is ætate iam prouectior, cùm vnam cauſam egiſſet aliquando, omnibus orationibus copiis, ſpiritu magno, vi animi inuſitata, & dicturus iam eſſet aduerſarius, feſſum caput in nepotis ſui gremium depoſuit: Cùm deinde ſecundum eum pronunciauiſſent Iudices, quem Bias ſuo patrocinio defenderat, eo ipſo adoleſcentis in ſinu animam edidiſſe compertus eſt, non ſine totius conſeſſus admiratione. Et quanquam noſtro hoc tempore pauci eo fato emoriuntur, haud tamen leuis ea calamitas putari debet, quod eo vſu bullientis animi, & ſine habenis elati, furioſi quidam fiunt & acerbi, immanéſque natura, quos ne quidem in communi vitæ commercio quiſquam ferat. Nam ſubitò iram concipiunt, tumultuantur, obuios quóſque necopinantes pugno, manu, cubitis pulſant, furibundo aſpectu atque horrifico percellunt.

Cicer. in Brut.

Laert. l. 1.

At iratus, inquiunt, ſæpe dicit Orator & inflammatus, quod non ſine vehementi iactatione fieri poteſt. Quibus ego facilè reſpondeam, nihil eſſe quod hominum ſui dominum & compotem rationis, de ſede & poteſtate demouere iure poſſit: & plurimos eſſe Philoſophos, qui negent in ſapientem cadere iracundiam, vt inimicam rationi, non magis quàm inſaniam, quàm libidinem, quàm cæteras animi peſtes, in quibus ratione frænandis penitúſque euellendis quotidiana ſapientum induſtria, & verè dicam, vita omnis verſatur. Itaque ſic ſtatuo, nihil mihi videri cauſæ, cur in cœtu eruditorum, ſe iactare vehementiùs, & effundere debeat Orator, & Baſſaridum more modóque lymphari. Nam intelligentes quidem & iudicio magno præditi, non tam pugnos & πλευροκοπίαν dicentis, quàm ius, quàm leges, quàm

dignitatem autoritatémque conſiderant. Apud vulgus imperitum, vbi clamor & petulantia hominum audacium valet plurimùm, aliquid fortè videatur eſſe concedendum in eo genere: memini enim dicere Quintilianum eas capitis iactationes, comploſiones manuum, pedum percuſſiones, aliáque ſimilia mirè ad pullatum circulum facere.

l. 1. c. 11.

SECTIO II.

Contrà fortis & vehemens Actio vt à ſummis Oratoribus adamata commendatur.

AN mei cauſa hæc à te, Victor, proferantur, ait Iuuentius, quo me iuueniliter exultantem, & in geſtu fortè immodicum, in gyrum veluti moderationis compellas, an mirifica illa vi tua vti voluiſti, qua incredibilia quædam ſuadere nonnunquam ſoles, haud ſcio. Hoc verò ſcio, nemini docto & appetenti eloquentiæ probatum iri tuam diſputationem: pauci tantùm Philoſophi tui comprobauerint, ſenio confecti, corporibus debilitati, qui vaſtè iam clamare non poſſunt, & ſolemni more ſuo vociferari, placidè modò ſermocinantur & garriunt, nulla dignitate pronunciant. Tune ſtipitem fingi à nobis cogitatione voluiſti, non hominem, cùm de Oratore loquebaris, quem iraſci, quem digitum intendere, quem omninò commoueri non oporteat? Vbinam igitur pugnax ille & bellatorius ſtylus, de quo Pliniùs, magnus, inquam, ille Plinius, qui toties è foro palmas, è Curia triumphos inclyta vi, ſtudio incenſo, grandi eloquentia reportauit?

Plin. l. 7. ep.

Quod ſi mentem totius antiquitatis & opinionem audire lubet, non eſt tectum neque abditum, quid honoræ facundiæ lumina, & dicendi artificio nobiles in ea re ſtatuerint. *Acrem enim* (ait M. Tullius) *Oratorem, incenſum, & agentem, & canorum, concurſus hominum forique ſtrepitus deſiderat.* Antonij diuini hominis in dicendo, vbi agit de cauſarum contentionibus, hoc eſt effatum Apollinis ſacrario dignum, *Accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena ſpiritus, plena doloris, plena veritatis.* Sapienter omninò fortem illam & generoſam actionem, *plenam* eſſe dicit *veritatis:*

Cicer. in Brut.

l. 2. de Ora.

Vehemens Actio quantum poſſit.

tatis: ſine qua nimirum iacet omnis oratio humíque ſerpit, & ficta potius ad lenocinium auriúmque voluptatem, quàm intimo ab animo profecta & vera videtur. Ciuis ad Demoſthenem venit aliquando, qui ſe pulſatum, & indignis affectum modis, verberibúſque eſſe diceret, rogare proinde, ſuam vt cauſam patrociniúmque ſuſciperet. At mi homo, tibi, inquit, nihil eorum eueniſſe video quæ dicis. Tum ille contentiore vti voce, os & vultum commutare, vociferari, Nullus me iniuria affecit, ô Demoſthenes? non credis? non fidem adhibes? Nunc tandem, ait Demoſthenes, vocem audio læſi hominis atque vexati. Tantùm ad fidem faciendam valere putabat, τὸν τόνον, καὶ τὴν ὑπόκρισιν τῶν λεγόντων, *in dicendo contentionem & actionem.* Itaque ſummus ille Græciæ Orator, ad præſtantem hanc in agendo rationem ſe diligentiſſimè accommodauit, quò illum eximia quoque natura ducebat, fuit enim ipſi vt Poëta canit, Plutarc. in Demoſth.

Ingenium velox, præceps facundia, ſermo Iuuenal. Sat. 10.
Promptus & Iſæo torrentior.

Sanè quidem Leoſthenes eum aiebat, ἔμψυχον καὶ σφυρήλατον παρέχειν τὸν λόγον, *viuam & animatam non malleis veluti cuſam orationem exhibere.* Eundem propter æſtum mirificum, & inuictæ mentis agitationem dixit Eratoſthenes, ἐν τοῖς λόγοις πολλαχοῦ γεγονέναι παράβακχον, *in dicendo quaſi furore diuino percitum*, Demetrius autem Phalereus, ὥσπερ ἐνθουσιῶντα, *tanquam numine afflatum.* Lucian. in Encom.

Sed quem poſſumus ex omnium ſæculorum memoria nominare ſummum, & excellentem in hac dicendi copia virum, incredibili quodam & diuino genere orationis, in quo non celer imminénſque geſtus, & incitati animi ardor notetur? L. Craſſus, vnus olim qui in Italia fuerunt eloquentiſſimus, quoties in foro aliíſque locis dicebat, exhorreſcebant homines, & corona omnis audientium commouebatur, qua de re loquens Antonius: *Quæ me hercule ego*, inquit, *Craſſe, cùm à te tractantur in cauſis horrere ſoleo, tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, geſtu, digito denique iſto tuo ſignificari ſolet, vt mihi non ſolùm tu incendere iudicem, ſed ipſe ardere videaris.* Plinius iunior propè omnia myrothecia Tulliana conſumit in Pompeio Saturnino prædicando, quem l.2.de Ora. Plin.l.1.ep.16.

fuiſſe illis temporibus oratorem amplum, ornatum, & magnanimum ſcimus: ſic autem ipſe inter alia, *Audiui cauſas agentem acriter & ardenter, nec minus ornatè & politè, ſiue meditata ſiue ſubita proferret.* Et paulò pòſt. *Omnia hæc mirè placent, cum impetu quodam & fulmine prauehuntur.* Et nimirùm fatendum eſt hanc vnam eſſe dicendi rationem, quæ in iudiciis dominetur: hac cauſæ eripiuntur de manibus, hac flectuntur voluntates. Vox dicentis atque ſermo propter generoſam actionem velut imperatorius & triumphalis, de ſæuitia Iudicum, de hominum maleuolentia, de flagitio & ſcelere tropæa ſtatuit. Ipſæ manus ſeſe motu velut in pectus inſinuantes, vi quod libuit eripiunt, inducunt iram, indignationem, flammas, ſic vt verum illud è Græcia dictum
Suidas. videatur πῦρ παλάμη. Sappho non modò Poëtarum carmini-
Plutarc. in Amat. bus, ſed elegantium hominum ſcriptis fuit celebrata, quia ἀληθῶς μεμιγμένα πυρὶ φθέγγεται, καὶ διὰ τῶν μελῶν ἀναφέρει τὴν ἀπὸ τῆς καρδίας θερμότητα, *verè igni mixta loquitur, pérque verſus calorem in animo conceptum emittit*, ait Plutarchus: quid igitur ab incenſo Oratore fieri poſſe putemus? Memini Calui gloriæ Tullianæ æmuli, cuius laureas in dicendo quæſitas vix vllius hominis oratio pro dignitate extulerit: hic Vatinium cùm accuſaret vnum omnium nequiſſimum impurúmque ciuem, tanto impetu in amplificando exarſit, ſic hominem perterrefecit, ſic obtorto veluti collo ad pœnam ſuppliciúmque rapuit, vt metu exanguis ſemianimíſque Vatinius in medio iudicio exclamaret: *Rogo vos, Iudices,*
Senec. l. 3. Contro. *num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet?* Huiuſmodi Oratores cùm dicent, vehementes, varij, copioſi, ad permouendos animos extructi & parati, non eſt verendum, ne qui iudicio præſunt indormiant, & fabis ſit opus, quas iudices
Suidas. rodere in Græcia conſueuerant ne dormirent. Horum vim & copiam admiratæ gentes eloquentiam in ciuitatibus plu-
Cicer. in Orat. rimùm valere paſſæ ſunt: ſed hanc eloquentiam, quæ curſu magno ſonitúque ferretur, quam ſuſpicerent omnes, quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent. Hoc dicendi genus illuſtre & magnificum, dubium mihi nullum eſt, quin tu Honorate ſequuturus ſis, cùm in publicam lucem venies, cùm in purpuratorum Patrum conſpectu, ea tua

Digitized by Google

ſingulari dicendi vi, abundante ſonantibus verbis vberibúſque ſententiis, non ſine omnium admiratione diſputabis.

Conciliantur dicta ſuperiùs, & perfectiſſima Actio exponitur. Defenſus M. Tullius. Duplex genus Actionis inſitum à natura. In vtroque excellentes quidam. SECTIO III.

VIDEO vos, ait Honoratus, opinione diſſimiles, & oppoſita in extrema duo abeuntes. Non nemo fortè, magni conſilij viro & prudenti, medium quiddam conſequendum & tenendum exiſtimabit. Auream enim mediocritatem ſapientes ſuis monitis commendauerunt, ſic vt leuis placidáque artuum commotio, abſque languore ignauiáque ſit, ardórque animi prompti & vigentis, ſine temeritate. Gregorius Nazianzenus βασιλικὴν ὁδὸν id nominat pruden- Greg. Naz. tia definitam, à qua ſit nefas vllo vitio excidere: & minimè Or. 26. committendum ait, vt in alterum duorum incidamus, vt vel calcaribus propter nimiam tarditatem opus habeamus, vel propter animorum impetum & inflammationem in præceps ruamus. Æquè enim inutiles, inquit, ſunt, ἡ νωθρότης ἀπρακτος, ἡ θερμότης ἀπαίδευτος, *ſupina quædam ſegnities, & imperitus feruor.*

Quod ſi vultis vt de re tota ſententiam meam exponam, diſtinguenda mihi videtur naturarum diſſimilitudo, & eorum hominum varietas, qui ad artem ſtudiúmque eloquentiæ animum ſuum appulerunt. Quidam enim ſunt naturæ genio comes, oratione placidi, in agendo & diſſerendo moderati, geſtu religioſi, & parum vehementes, qui opinor, *Statarij* à M. Tullio nominantur, & ſimili propè ſenſu *gradarij* à Seneca. Hi pedetentim, leniter & temperatè, nume- Senec. ep. 40. roſéque dicunt omnia, raro commouentur, ſuauitatem quærunt & expolitam elegantiam, ad voluptatem animique remiſſionem accommodatam: multus in eorum oratione lepos, exquiſitæ fluentéſque ſententiæ & feſtiuitates. Si quid

fuerit dicendum atrocius, velut duce natura deſtituti, peregrinantur & offendunt, & celeriter ſeſe ad ingenium conſuetudinémque referunt. Eiuſmodi fuit Theophraſtus, alíique tum in Græcia, tum in Italia clariſſimi Oratores, quos inter, poſuere quidam Ciceronem, quod neque motus corporis haberet vehementes, & omnem propè cauſam, in dulci & blando quodam orationis flumine conſumeret. Brutus quidem eum reprehendebat tanquam *fractum & elumbem.* De eodem M. Aper aiebat, *tardè commoueri, raro incaleſcere.* In quo tamen falli opinione mihi videntur, & contrariam eloquentiæ ſectam ſecuti minus caſtè atque integrè de M. Tullio iudicauiſſe: nam & eius teſtificatione & elegantiſſimis orationibus intelligimus eum ſæpe in amplificationibus ſolitum exardeſcere: & Agellius omnibus in ea re præſtitiſſe confirmat. Potiùs dicam illum perfectum, excellenti quadam natura, & ad omne genus cauſæ mirabiliter expolita, auream illam moderationem ſingulari felicitate, & maturo conſilio tenuiſſe. In expoſitione rei lætæ, & prædicatione virtutis, placidè & ſedatè mouebatur, ſed in iis orationis partibus quæ maximè luminoſæ ſunt & actuoſæ, tam contentè vehementérque agebat omnia, vt perturbaret omnium animos, & quod de Craſſo ipſe dixit, *lapides flere coëgiſſet.* Quare vindico à calumnia M. Tullium, eúmque neque nimis tardum & remiſſum, neque totum igneum & incitatum, ſed ex omnium perfectionum admirabilitate compoſitum, eloquentiæ numeris omnibus abſolutum, ſententia mea pronuncio.

Tacit. dial. de Orat.

Gell. l. 10. c. 3.

Alij verò ſunt ingenio feruidi, & naturæ inclinatione vehementes: amplè & magnificè pronunciant, atrociter, iracundè: viuida vis animi geſtus habet celeritate incitatos, varietate motuum & copia liberiores, & continuum penè orationis impetum: quidquid dicunt, vim naturæ atque ingenij, tacitúmque illum ardorem, vultu, oculis manúque ſignificant. Talis fuit Pericles Olympius, vir ad omnia ſumma natus, quem forti & auguſta ratione dicendi vſum, in animis audientium κέντρον reliquiſſe viri docti memoriæ prodiderunt. Conſimili fuit Demoſthenes ingenio & natura, cui Lucianus attribuit, ὁρμὴν διάπυρον, *igneam vim atque*

Plin. l. 1. ep. 20.
Lucian. in Encom.

impetũ:& alio loco ait eius dicẽdi genus eſſe *συνακτικὸν ϗ χρουστικὸν, ad impellendos homines, & vi quadam maiore commouendos accommodatum.* Talis denique fuit, ne alios hîc innumerabiles recenſeam, Iulius Cæſar, quem ait Fabius eadem vi, concitatione, atque animo dixiſſe quo bellauit. Et quidem Plutarchus ei tribuit ἀκμὴν ϗ θερμότητα, quæ veluti explicans Suetonius, *Pronunciaſſe*, inquit, *dicitur voce acuta, ardenti motu geſtúque non ſine venuſtate.* Eſt igitur duplex hæc notanda hominum varietas, & naturarum atque ingeniorum diſſimilitudo: in quoque genere multi nomen, & dignitatem eloquẽtiæ præclarè ſuſtinuerunt, dum genio indulgent ſuo & obſequuntur. Fab.lib.10. c.1. Plut.Cæſar. Suet.c.55.

Vtriúſque ſplendidiſſimum habemus exemplum in Gracchorum familia, in qua Tiberius Caiúſque fratres in dicendo admirabiles extiterunt, cùm natura genioque differentes ad eam laudem gloriámque peruenerint. E Plutarcho lubet eam varietatem hîc proponere: *πρῶτον μὲν οὖν ἰδέᾳ προσώπου ϗ βλέμματι ϗ κινήματι πρᾶος ϗ καταστηματικὸς ἦν ὁ Τιβέριος, ἔντονος δὲ ϗ σφοδρὸς ὁ Γάϊος, ὥστε*, &c. *Primùm vultu aſpectúque & motu blandus erat & compoſitus Tiberius, acer Caius & vehemens. Itaque in concionando, ille modeſtè non ſe mouebat loco: hic primus Romæ in roſtris deambulauit inter dicendum, & togam ex humero deiecit. Deinde oratio fulminans Caÿ exaggeratáque affectibus, dulcior Tiberÿ magíſque commiſerationem mouens.* Hæc Plutarchus. Horum viam atque regionem ſequuti plurimi, eadem ipſa diſcrepantes varietate, florent etiamnum, & in patronis clarum nomen & illuſtre obtinent. Plutar.in Gracch.

Duplici generi expoſito finitima vitia, hinc lentitudo, illinc audacior impetus. Falli Senecam, qui negauit Oratorem iraſci debere. quanta vis animi excitati. acres Oratores Promethei. SECTIO IV.

SED in vtróque genere quædam vitia reperiuntur, quibus nonnunquam eloquentiæ ſplendor & decus obſoleſcit.

Nam inter eos qui molliori ſunt ingenio & placidi, ſunt quidam ſpiſſigradi & hærentes, tardi, languidi, vt afflati ſydere, attoniti, qui non plus ſe moueant, quàm ſi Platonica illa torpedine defixi & colligati forent. *Stuporem* M. Tullius appellare ſolet, cui admouendæ ſint faces & aculei, qui in dicendo veternoſum animum ingeniúmque excitent. Illi fortè ad conſilium dandum non inepti fore videantur, ſi modo adſit inclyta prudentia & virtute quæſita autoritas, cùm lentitudo ſimile quidpiam habeat antiquæ & Cenſoriæ grauitatis. Sed profectò à iudiciis repelluntur, & fori contentione, vbi Iudices vix illis dicentibus ſomnum teneant. Sed qui prompti & acres ſunt, naturæque dono vegeti, ſi maximè ſint ad iracundiam proni, & leui motu inflammentur, prouidere omnino debent, ne æſtus quidam animum abripiat, nimiúſque ardor in agendo, ne in omni orationis parte, tanquam Reges in theatro ferociant, & in agendo ſint vehementiores quàm oportet. Eſt enim iræ proprium *totum concitum corpus* efficere, vt Seneca vir doctiſſimus verè dixit, tacita illa flamma erumpente in lucem, & per omnes artus emergente. Huiuſmodi vulgò ſunt magnanimi & inſita nobilitate generoſi, οἱ ἀνδρεῖοι θυμοειδεῖς, ait ille ſophus è Lyceo magiſter, *fortes ſunt iracundi:* ſubdit verò, ὁρμητικώτατον γὰρ ὁ θυμὸς, *res pleniſſima impetus & concitatiſſima iracundia.* Idem omnino Plato aſſeuerat, cuius illa ſunt lib. 2. de Rep. ἄμαχόν τι καὶ ἀνίκητον θυμὸς, &c. *Inuictum quid atque inſuperabile, & quod facilè cohiberi nequeat, eſt ira, quæ cùm adeſt, omnis animus ad omnia intrepidus eſt & vinci neſcius.* Ea cauſa faciendum eſſe oratori aiebam, qui feruidior eſt à natura, ne quando frænos abiiciat, ſed ſui compos dominúſque ſit illius impetus, qui nonnunquam ſine ratione geſtit erumpere.

l. 1. de ira c. 1.

Ariſtotel. in Ethic.

Plato l. 2. πολιτ.

In grauioribus cauſis iraſci commodū.

Alioqui in grauioribus rebus iraſci & commoueri animo, idque præ ſe ferre (quod negare tu Victor paulò antè videbaris) commodum eſt, & oratorio muneri conueniens, cùm improba & nefaria ad pœnam iudiciúmque vocantur, ſi volitent impunè conſcelerati, ſi reipublicæ quies dignitáſque perturbetur, ſi contaminentur boni mores, ſi diuina iura violentur. In his atque ſimilibus graui oratione lacerandis, vix orator verè & ex animo verſari queat, ſine inflammatione quadam ani-

mi & ardore, ſine quo, vt feſſus & malus canterius, languet in curſu, & debilitatur actio. Pyrrhum maximum præceptorem certaminis gymnici ſolitum aiunt his quos exercebat præcipere, ne iraſcerentur: ira enim artem perturbari, & qua noceat tantùm, non qua caueat aſpicere. Valere id hominis axioma poteſt, in palæſtra atque ceromate, & in eo grege hominum, vbi vis corporiſque robur dominari ſolet; at in choro erudito, & ſchola facundiæ, valere profectò nō debet. Habemus enim illius hominis oraculum, quem Deum in dicendo M. Tullius magnus & ipſe dæmoniúſque nominauit, qui ſubiicit aculeos oratori ſtimulóſque iracundiæ, quos admouere debeat, ſi quādo cauſa ratióque prudentiæ monuerit. Meminiſtis enim Antōniana illa plena ſummæ & peritiſſimæ grauitatis, *Quamobrem hoc vos doceo Sulpiti, bonus ego atque eruditus magiſter, vt in dicendo iraſci, vt dolere, vt flere poßitis.*

Senec l. 2. de ira c. 14.

Cic 2. de orat.

Et ſane frigida meo iudicio eſt Annæi Senecæ longa diſputatio, qua Lycei parentem atque lumen conatur refellere. Aiebat enim omnium artium compos Ariſtoteles, *Oratorem iratum aliquando meliorem eſſe. Imò*, inquit è Latio Stoicus, *imitabitur iratum*. Subiicit continuò ſimilitudinem, *Nam & hiſtriones* in pronunciando non irati populum mouent, ſed iratum benè agentes. Et apud Iudices itaque & in concione, & vbicunque alieni animi ad noſtrum arbitrium agendi ſunt, modò iram, modò metum, modò miſericordiam vt aliis incutiamus, ipſi ſimulabimus, & ſæpè id quod veri affectus non effeciſſent, effecit imitatio affectuum. Id nimirum hauſit è Sotione, eiuſdem mentis opinioniſque philoſopho, ſed græculo, qui de ira ſimiliter pronuncians, *Hiſtrionibus*, inquit, *etſi non iratis, iram tamen ſimulantibus conducit & confert*, οἱ δὲ σπουδαῖοι ἄνδρες οὐδ' ἐὰν ὡς ἀληθῶς ὀργίζονται, οὕτω χρῶνται τῷ σχήματι, *at viri boni nec verè etiam irati, hoc geſtu atque oris conformatione vtuntur*. Sed vt omittam illam ἀοργησίαν, vel potius ἀπάθειαν nugantium Stoicorum, iampridem eſſe excluſam & eliminatam è ſcholis, doctiſſimorū hominum diſputatione: certè magnus alioqui vir Seneca ſuiſſe acuminibus pungere, & pugnantia loqui videtur. Nam cùm velit ſimulatum eſſe oratorem, fucus autem & diſſimulatio diuturna eſſe nequeāt, plurimúmq; abſint à veritate & candore ſapientis, neceſſe eſt, quod minimè

Senec. l. 1. de ira c. 17. *Senecæ opinio de ira dicentis refellitur.*

apud Stobæum.

ipſe concedet, nullum apud eos ſapientem oratorem eſſe poſſe. Imò verò M. Tullius vt multarum palmarum gladiator, qui non tenuiter vt ipſe in angulo, nulla fori exercitatione, ſed diuturna glorioſi muneris functione contritus, de facundi hominis opificio diſſeruit, tantò antè, eam inertem & fucatam opinionem euerterat. Nam aureis de oratore libris ſic agit Antonius, vt oſtendat claros & probatos è ſcena hiſtriones commoueri animo, iraſci, dolere, cùm acerbas Heroum calamitates exprimunt: adeóque videri prope quotidie & animaduerti, *cùm ex perſona, hiſtrionis oculi ardere videantur* ſpondalia quædam pronunciantis, quibus & grauior corporis motus accedat, & ad miſerabilem ſonum vox inflexa, quod non ſine veriſſimo animi dolore, penitúſque inuſto fieri poſſe contendit. Tũ de ſe, déque ſua in dicendo conſuetudine Antonius iſta præclarè, *Quare nolite exiſtimare, meipſum qui non Heroum veteres caſus, fictóſque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo, neque actor eſſem alienæ perſonæ, ſed auctor meæ, quæ in illa cauſa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe.* Ac ne fortè magnum & mirabile eſſe videatur, hominem toties iraſci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præſertim in rebus alienis, magnam vim eſſe ait earum rerum quæ aguntur, & in Oratoris diligenti exercitatione, vt nihil ſit opus ſimulatione & fallaciis.

Quid ſentiat M. Tullius de vehementi Actione.

Cic. l. 2. de orat.

Sed quæ ibi excellenter dicuntur, ab eo fori iudiciorúmque principe, non proferam, quod ea vobis notiora multò ſint quã mihi; hoc dico, quod explicare paulò antè propoſueram, non eſſe alienum ab oratore & conſiderati hominis ſapientia, inflammari animo ſi quando res poſtulet, & in dicendo vim aculeóſque exerere. Nam ſi ad fortem & luculentam orationem, actionis item robur & impetus animi acceſſerit, nihil eſt quod Orator non dicendo conſequi poſſe videatur: tum vt Gallio de viro quendam eloquentiſſimo dicebat, *Rerum potitur*, tum incipiunt tremere aduerſarij, & tanquam fulmen & tempeſtatem exhorreſcere, tum ſpirans & aculeata viget, non exanguis & euanida oratio. Itaque Lucianus eleganter aiebat, oratores eſſe *Prometheos*; quod eorum orationes, ſint ζῶντα ὡς ἀληθῶς καὶ ἔμψυχα ἔργα. Et quidem multi iracundiæ veluti genio animati, multò meliùs ornatiúſque dixerunt, vt Seuerus Caſſius ſummus

Acres oratores quantũ poſſint. Iidem Promethei.

Senec præfat. l. 3. Declam.

Lucian. in eum qui dix. Prometh &c.

Multi irati melius dixerunt.

mus orator & omnium opinione commendatus, de quo Seneca pater, *Iam verò iratus commodius*, inquit, *dicebat, ideò diligentiſſimè cauebant homines ne dicentem interpellarent*. Hinc eiuſdem Senecę dictum meo iudicio pulcherrimum & venuſtiſſimum, *dolorem eſſe magnam partem ingenij*, quod Haterij exemplo illuſtrat copioſiſſimi hominis, qui Græcorum volubilitatem incredibili quadam vbertate & facilitate primus æquauit. Hic aliquando in miſerabili cauſa peroranda, cùm domeſtici luctus meminiſſet, commotus animo eſt & collacrymauit, ſed deinde *tanto maiore impetu dixit, tanto miſerabilius, vt appareret, quàm magna interim pars eſſet ingenij, dolor*. Ouidius quoque ſcitè & argutè, Epit. l. 3. Declam. Præfat. l. 4. Epitom.

---grande doloris
Ingenium eſt, miſeriſque venit ſolertia rebus. Ouidius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quod acui ſolertiam conſtet, & excitari illo veluti incaleſcentis animi motu, in quo putant ſapientes homini mediocriter erudito, neque hoſpiti & peregrino in humanitate, verba deeſſe non poſſe. Suetonius cùm memoriæ proderet, quàm prõptus oratione foret Caligula & facundus, quantóſque in dicendo proceſſus habuiſſet, in vltimo veluti actu prodeuntis eloquentiæ, in perorationibus, plurimum illum valuiſſe contendit. Sunt hæc illius vt notare potuiſtis verba, *Vtique ſi perorandum in aliquem eſſet, irato & verba & ſententiæ ſuppetebant*. Sueton. in Calig. Eundem paulò pòſt in iiſdem dicendi locis *telum ſuæ dictionis ſtringere* conſueuiſſe monet, cui nimirum vix parati fortéſque aduerſarij poſſent obſiſtere. Huius ornamenti inopia & defectu, certum eſt multos ingenioſiſſimos alioqui viros, ſtudio acerrimo, & ſumma doctrinæ varietate, in tenebris & hominum obliuione iacuiſſe. Quo in numero Papirium Fabianum docti ponunt, qui cùm Romæ adoleſcens de more declamando, in ſcholaſticorum omnium grege familiam duxiſſet, tum eximio corporis motu, tum vi dicendi & beata quadam abundantia orationis, poſtea ſe ad philoſophandum contulit, eo facto, vt collectam eloquentiæ laudem effunderet. *Defuit illi oratorium robur & ille pugnatorius mucro, vultus dicentis lenis & pro tranquillitate morum remiſſus, vocis nulla contentio, nulla corporis aſſeueratio, cùm verba velut iniuſſa fluerent*, &c. vt de illo refert is qui nobis illuſtrium Rhetorum Controuerſias reliquit. Sed Senec. Pater Præf. l. 2. Contr.

Digitized by Google

de hac re ſatis multa. Obſignabo totum hunc locum aurea Taciti aut Quintiliani gemma Dialogo de clar. Orator. *Magna eloquentia, ſicut flamma, materia alitur, & motibus excitatur, & vrendo clareſcit.*

SECT. V. *Actio varianda. Habenda ratio perſonarum, Oratoris, eorum quos imitatur, & Auditorum. non omnes decent omnia. quorundam proprietates. Imitatores quidam ridiculi. Libanius πίναξ ἠθῶν. Actionis varietas è rerum diuerſitate.*

GAVDEO, inquit Iuuentius, meam dicendi rationem à te probatam Honorate, eum autem repudiatum oratorem, quem Victor, opinor iocans, diſputatione ſua pingebat velut Epicuri Deum, nemini iraſcentem, nemini ſuccenſentem, nuſquam à leni & æquabili animi ſtatu abeuntem. Vterque veſtrũ ait Honoratus, extrema quædam ſecutus eſt, in quibus nolim Oratorem meum ſemper conquieſcere. Neque enim totam lenem & æquabili per omne ſpatiũ veluti pede gradientẽ orationem probauerim, quam inducere Victor mihi videbatur, nec quod tibi Iuuenti placet, totam vehementem, & vbique magno ſonitu & contentione velut tumultuãtem. Eſt omnino adhibenda varietas, & ille placidus gradariúſque debet curſum incitare aliquando ſuum, & hic acer & elatus, velut Æoli Neptunique imperio, tempeſtatem nonnunquam ponere, Fauonióque leni volitare. Quidam enim cùm ſemel inflammati ſunt & concitati, ita abripiuntur, vt deinde cùm placidius agendum eſt, nequeant conſiſtere. Sed profectò magna virtus artificiúmque eſt dicentis, ita ſui eſſe dominum, vt ratione tãquam Licinij fiſtula ſibi in agendo moderetur. Seneca vbi impetus animi furioſos & irreuocabiles arguit, iſta peregregiè & ſapienter, *Ea demum velocitas placet, quæ vbi iuſſa eſt veſtigium ſiſtit, nec vltra deſtinata procurrit, & quæ flecti & ad gradum reduci poteſt. Infirmitas corporis eſt, qui cùm ambulare vult currit: animi motus eos putemus ſaniſſimos validiſſimóſque, qui arbitrio noſtro ibunt, non ſuo ferentur.*

Senec. l. 2. de ira c. 35.

Sed ſi vultis vt de actione quædam generatim hîc attexam (voluendum nimirum eſt, quoniam impuliſtis) aio imprimis habendam eſſe rationem eorum qui dicunt, ne ineptos inconſideratóſque ſe exhibeant. Maior vulgò ſolet eſſe alacritas iuuenum & adoleſcentium, quàm ſenum, promptius volubiliúſque ingenium, motio corporis longè feruidior. Itaque fas illis ſeſe paulò iactare liberius, & ardorem animi ſui oſtendere: hi grauitatem lenitudinémque ſequũtur, prudentiæ comitem & maturi iudicij fœtum; & ſi quando atrocius agendum eſt, & ad motus grauiores perturbationéſque veniendum, amentata eloquentium tela vt Virgilianus Priamus debilius iaciunt. Vnde & orationis genus adferunt, nec tot coloribus floſculiſque diſtinctum, nec purpura & auro illuminatum, aut grandibus veluti vnionibus collucens, ſed eo cultu, qui elegantium hominum ſanctitatem frugalitatémque ſignificet, honeſtúmque ſplendorem. At Iuuenes vt ætatis beneficio geſtiunt, vt poſſũt dictionis velut opibus luxuriari, & beata copia circunfluere, ſic etiam magnificentiùs pronunciant atque lætius, & ſanguini etiam aliquid & vigori conceditur, ſi quando vt fieri amat, quidpiam atrocius aſperiúſque dimiſerint. Hæc dicentium varietas efficit, vt quæ ſunt in vnius ore magnifica & plena dignitatis, ab alio dicta, ſuperbiæ, aut inſaniæ furioſæ tribuantur. Therſites apud σκηπτούχοις βασιλέας ſeſe venditat, grandia loquitur, minatúrque etiam magnificè atque regiè, nos meritò petulantis iſtius linguæ profuſionem animique humilitatem ridemus, ſuſpiceremus autem & laudibus extolleremus, ſi ab Agamemnone illa, & Achille, aut magnanimis huiuſmodi heroibus dicerentur. Quippe non omnes decent omnia, & vt ſua cuique veſtis apta eſſe debet, & bellè communi dicto reprehenditur, *μείζω τοῦ ποδὸς ὑποδήματα φορεῖν, calceos pede grandiores geſtare*, ſic & cuique propria quædam eſt & conueniens tum oratio tum pronunciatio.

Habenda ratio dicẽtium, vt quid deceat intelligant.

Theophr. in Charact.

In quo mihi quidam notandi inſimulandíque videntur, Nouitij in dicendo & Suadelæ candidati, qui ſi fortè veteranũ patronum viderint, & vt cum docto Sidonio loquar tribaciſſimum, qui propter diuturnam exercitationem & ingenij ſpecimina, ſit famam & autoritatem conſecutus: ſi inciderint in Eccleſiaſten eloquentia celebratum, è cuius ore pendeant

Imitatores improuidi.

omnes vi & ſplendore obſtupefacti, eos ſibi in omnibus imitandos putant, nec quid quemque deceat intelligunt. Nutus forte capitis, ſuperciliorum motus, ſuſpenſa diutius manus, tremula vox grandiórque eos delectauit, vident etiam vitioſa quædam & in ſcholis reprehenſa, ſumma tamen auditorum aſſenſione, propter ſummam prudentiæ opinionem & dicentium auctoritatem excipi. Eadem igitur æmulari cupiunt, non ſine doctorum irriſione, & faſtidientis animi nauſea, quemadmodum ſi quis perſonam Herculis & cothurnos puſioni aptatos videret, quod ridiculum putat eſſe Fabius. Scitè Plutarchus τὰ μὲν γὰρ μικρὰ παιδία τῶν πατέρων ὁρῶντες ἐπιχειροῦντα τὰς κρηπῖδας ὑποδεῖσθαι, ἢ τοὺς στεφάνους περιτίθεσθαι, μετὰ παιδιᾶς γελῶμεν, *etenim cùm puerulos videmus parentum crepidas conari ſubligare ſibi, aut eorum coronas capitibus ſuis imponere, ſuauiter per iocum ridemus.* Sic qui tyrones illos animaduertunt, id ſequi, & cupidius adhibere, quod clariſſimi tantùm viri propter eximiam dignitatem & exquiſitam ſapientiam, conſecuti ſunt vt non vitioſè facerent, iure omnino illudunt puerilem contentionem, & ineptos oratores cenſent. Monet proinde non otioſè Quintilianus eſſe quaſdam *proprietates* quæ transferri nequeant, hoc eſt, ita quædam in agendo, certorum eſſe oratorum propria, vt in alium neminem conueniant. Demetrius actor Comœdiarum multa huiuſmodi adferebat, omnium opinione decentia, quæ ſi alius quiſpiam attuliſſet explodebatur, vt dulces exclamationes theatri cauſa producere, ingrediendo ventum concipere veſte, & nonnunquam dextro latere facere geſtus.

Fab l.6 c 1. Plutar. in præcept. polit.

l 11.c.3.

Orator habeat rationem eorum quos exprimit in dicendo.

Sit igitur in monitis hoc noſtris, non indignum animaduerſione, Oratori habendam eſſerationem perſonarum, primùm quidem ſuæ, de qua re iam hactenus ſatis: addo iam & aliorum, quos oratione ſua exprimit & imitatur. Inducit enim aliquando perſonas loquentéſque facit, eáſque veras aut fictas, vt cùm Cicero Appium Claudium ab inferis excitat, aut Verris patrem alióſque, quod magnam vim habet ad eos qui audiunt permouendos, ſiue ad terrendum inducantur, & coërcendam flagitioſorum libidinem & improbitatem, ſiue ad augendam bonorum conſtantiam.

In quo diligenter eſt prouidendum, vt apta illis & conueniens, non oratio modò, verùm etiam geſtus & pronunciatio tribuatur. Ego ſi Cleonem inducerem turbulentum hominem & factioſum, qui primus in Græcia petulanti vſus in dicendo ratione dicitur, alium quendam illi ſonum vocis, etiam vim & concitationem tribuerem, quàm Soloni, quàm Ariſtidi, quàm modeſtiſſimis aliis hominibus, quorum virtus atque humanitas annalium monumentis conſignatur. Sic cùm noſtri Cauſidici & Eccleſiaſtæ, de campis Elyſiis euocant heroes, Reges, Principes, religionis Antiſtites, Magiſtratus, mediocres, infimos, aliam vocem dant Regi, bellatori maximè, & ſingulari animi conſtantia excellentiáque prædito, quàm idiotæ ciuilium adminiſtrationum ignaro, qui vitam omnem in ſolitudine & contemplatione poſuiſſet. Nonnunquam Orator in alienis referendis prout dicta geſtáque ſunt verſatur, vel commendationis, vel irriſionis gratia: vt cùm M. Tullius Milonis dicta & conſtantiam exprimit, Orat. pro Milon.
cùm L. Craſſus ioco & facetiis vnus omnium præſtantiſſimus, vt aduerſarium illuderet ſuum, dicta illius quædam imitatione effinxit, de qua re ſic lib. 2. de Orat. *Ridiculum ex deprauata quoque imitatione ſumi ſolet, vt Craſſus, Per tuam nobilitatem, per veſtram familiam. Quid aliud fuit, in quo concio rideret, niſi illa vultus & vocis imitatio? Per tuas ſtatuas verò cùm dixit, & extento brachio paululum etiam de geſtu addidit, vehementius riſimus.* Sed hæc profecto quæ ἠθοποιΐα, vel παρῳδία inducuntur, ſunt Oratori periculoſa, ne dum alios cupit irridere, ipſe illudendus videatur, niſi multùm iudicio polleat, & natura ſit quoque factus ad imitandum, qualis memoratur Sophiſta Libanius, qui propter mirificam imitandi effingendíque mores aliorum facilitatem, dictus eſt πίναξ τις καὶ ἐκμαγεῖον παντοδαπῶν ἠθῶν, καὶ ποικίλων, *tabella veluti quædam & expreſſum ſimulachrum, naturas hominum & mores omnigenos repræſentans.* Cic. l. 2. de Orat. Eunapius in Liban.

Tertiò, auditorum etiam perſona moderatur actioni, alia enim apud alios auditores debet eſſe pronũciatio. In Italia acres feruntur, animoſi, & tragici penitus Oratores, qui etiam in pulpito ipſò diſcurrant, & ignea incitatione moueantur. Ii ſi forte irent in Germaniam, vereor vt æquis auribus animíſque audirentur, ſunt enim ferè omnes viri graues, *Habenda ratio eorum qui audiũt.*

qui lentè & maturè ponderant omnia, & feruidos illos exultantéſque repudiant. Si quis apud Regem dicat, ſi in lumine Patrum conſcriptorum, ſi in concione ad populum, ſi apud agreſtes, ſi in conuentu erudito adoleſcentium, aut religioſorum hominum corona, certum eſt ex audientium varietate, varium quoque geſtum & pronunciationem adhiberi oportere, cùm apud quoſdam pudor & modeſtia, & reuerentia maieſtatis, & honeſta quædam ſollicitudo, apud alios autem liberior actio ſolutiórque deceat.

Actionis varietas ex rebus ipſis. Ad extremum res ipſæ differentiam Actionis & diſſimilitudinem poſſunt inducere: ſunt enim triſtes, lætæ & hilares, amplæ, magnificæ, humiles, dubiæ, ſollicitæ, quib⁹ genus actionis proprium, orationiſque debetur. In dubiis & deploratis rebus eſt totius corporis animíque contractio atque ſummiſſio: in lætis atque felicibus geſtit quodammodo oratio & inſtructa veluti pompa ſpatiatur. Breuiter & rotundè Quintilianus in
l. 11. c. 3. hanc rem, *Si geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes, non autoritas modò verbis, ſed etiam fides deſit.*

DISPVTATIONI DE ACTIONE colophon imponitur.

CAPVT XIIII.

SECTIO I. *An eruditus ſermo decorus in conuiuiis. fabulæ literatæ. μουσικὰ συμπόσια. Ambroſia nouies melle dulcior. Cur tibicinæ & ſaltatrices inducta in conuiuia, & alicubi muſica. Tragemata ſapientum.*

DVM illa perſequitur Honoratus, accedit ſeruulus atque in aurem monet, extructam menſam, & parata eſſe omnia. Benè, inquit, habet, poſt longam diſputationem pedetentim labens hora Ζῆθι nobis inclamat, cui obediendum eſt. A

prādio de vobis vnum aut vtrumque audiemus de voce & pronunciatione differentem. Surgunt, abeunt in cœnationem, tum ſubitò cum pollubro & malluuio famulus, lauant, accumbunt, propitiato imprimis Ioue Xenio, ſed vero, ſed opulentiſſimo rerum omnium largitore Deo. Tum Honoratus, Prandium exhibeo vobis, vt ita dicam, ſcholaſticum, tenue, modicum atque parabile, raptim & ſubitò extructum ſine apparatu, addo & ruſticanum. Et profectò hîc habitabit hodierna die Bulimia, niſi ἔρανος ſit hoc conuiuium, & vos ſymbolam beneuolentiæ veſtræ conferatis diſſimulantis hanc tenuitatem. Tenuitatem, inquit Victor? ego ſanè vel in epulo nuptiali haud maiorem copiam petam. Et vide ne te Ariſtoteles reprehendat, qui ἐρανισταὶ habere velis: ait enim eſſe inuenuſtum genus magnificentiæ, ſi quis ἐρανιστὰς γαμικῶς ἑστιᾶται, *nuptiali apparatu eos accipit, qui ſymbolam in cœnam dederunt*. Sed vt libuerit voces licet, εἰλαπίνη mihi dicetur: & vt dicam ex animi mei ſententia quod ſentio, neque ſaliares dapes neque Pontificum cœnas, non Siciliæ luxum, aut Perſicos apparatus, huic menſæ, huic beneuolentiæ & amori prætulerim. Si veſtræ, inquit Honoratus, modeſtiæ ſatisfactum eſt, gaudeo ſanè haud mediocriter, nam me quidem in γάμον, in delicias exquiſitas, in adiicialem cœnam incidiſſe puto, præ illa fame & parſimonia, qua me hactenus noſter hic promus condus pænè enecuit: (intuebatur in feſtiuum adoleſcentem anagnoſten ſuum, tam ingenio promptum quàm manu, qui tum à cyathis) nam quaſi in Academia Platonis inhabitaremus, aut Romæ potius, cùm Nero interdixit Imperator, ne quid cocti præter legumina aut olera væniret, me braſſica & lactucis oppleuit. Tum puer, Tibi id quidem placuit, qui libros pro nectare habes atque ambroſia: quanquam columbas nuſquam ego vidi tam refractarias, támque ſacras, ita eas nemo Cocus in ius vocare audet. Sed tuo iuſſu quaſi noui Prætoris edicto tres illas obtorto collo rapui: itaque ſiſtunt ſe vadimonio vti vides, iure vt reor optimo. Hoc igitur iure vtamur, inquit Honoratus: tu Victor, tu Iuuenti, licet veſtro arbitrio experiamini. Mene, inquit Iuuentius, reum an actorem vis de iure certare? Nam ſodalis hic meus ſemper erit Victor. Sed appelles vti

l. 4. Ethic. c. 6.

Senec. in Neron. c. 16

voles, rem quidem meam agi puto. Et quoniam tuo edicto experiri licet, audacter manum iniicio, & hanc alam meam eſſe aio iure Quiritium. Deinde cùm guſtaſſet, Noſter, inquit, M. Tullius, qui olim in Romano foro ius Verrinum accu auit, hoc profectò columbinum probaret. At Victor dapſili hac lautitia delinitus, Omninò, inquit, Poenus hic euadam ille pultiſagonides, ita me delectant ſuauiter condita ad guſtum & voluptatem. Atenimuero metuo, ne his alis fretus Iuuentius paulò pòſt euolet è conſpectu, méque ſolum in via relinquat: quanquam & leuior ego quoque fieri poſſum au-
l. 6. Eth. c. 8 ctore Ariſtotele, apud quem lego ὀρνίθεια κρέα κοῦφα εἶναι. Falle, ait Honoratus, falle tuum ſodalem Victor, & ſi euolet, tu curre: quam in rem tibi hanc coxam ſtrenuè adiunge. Quanquam eſt mihi in animo, ſi fieri poteſt, vt in reditu Platonis alas habeatis, quas maturè pueris adhiberi cupiebat, ita enim iocans appellabat equos. Hic Victor cùm hæſiſſet paululum: Neſcio, inquit, an mihi vt Philoſopho pedes è veteri conſuetudine dederis Honorate, ſcis enim quid apud Athenæum eruditus ille Cocus diſputet, qui omni hominum generi quæ cuique propria eſſent apponere ſe conſueuiſſe dicit, ſenibus frigidulis ſinapi, loligines amatoribus,
Athen. l. 9. ſed Philoſopho κωλέαν καὶ πόδας, *pernam & pedes*, reddit rationem ἀδηφάγον τὸ ζῷον εἰς ὑπερβολήν ἐστι, *eſt enim per quam edax genus hoc animantis*. Rectè quidem illud in me conueniat, qui dum palato quid ſit optimum iudico, cœli palatium vt ait Ennius, non ſuſpexi.

Hæc & alia cùm iucundè fabularentur, & Honoratus totus in carpendo & tribuendo eſſet occupatus, illi enimuero mirari & petere, num quemadmodū rore cicadæ, ſic nidore ille paſceretur. Paſcor, inquit, veſtro hoc conſpectu mihi iucundiſſimo & eruditione, non minus quàm Seuerus Alexander Imperator, qui auctore Lampridio cùm inter ſuos
Themiſt. or. 1. conuiuaretur, aut Vlpianum, aut doctos homines adhibebat, vt haberet *fabulas literatas*, quibus ſe recreari dicebat & paſci.
Plat in Phædr. Sic Themiſtius illuſtrium rerum tractationem & cognitionem
Dio or. 4. doctrinarum nominat εὐωχίαν, *lautum conuiuium*. Socrates in
Philoſtr. de vit. Apol. l. 6. c. 8. Phædro θοίνην *exquiſitum epulum*: Dio Pruſæus, τροφήν, *eſcam mirabilis ſuauitatis*: Philoſtratus, λαμπρὰς δαῖτας, *pulcherrimas*

epulas:

Digitized by Google

epulas; Philo Iudæus ποτίμους λόγους, *ſermonem dulcem atque* Philo.
potabilem. S. Ioan. Chryſoſtomus κρατῆρα πολλῆς δαψιλείας, Chryſoſt.
copioſiſſimum & magnificentiſſimum craterem. D. Gregor. Nyſ- ſer. 7. de
ſenus κρᾶμα καὶ ἀφθονωτέρας τοῦ πνευματικοῦ λόγου τὰς κύλικας, verb Iſa.
meracius mixtum & fæcundiores ac largiores ſpiritalis ſermonis Greg Nyſſ.
calices, & alio in loco vocat πανδαισίαν, *opiparum & ſaliare con-* to.1.
uiuium: S. Chryſologus *ſermonis epulas.* Iamblichus lib. de ſect. Petr. Chryſolog ſerm. 40.
Pythagor. *nectar & ambroſiam* ad quam pro viribus haurien- Iamblichus l de ſect.
dam omnes inuitat, τὴν κατὰ σοφίαν θεωρημάτων ἀπολαυστέον ἐφ' Pythagor.
ὅσον οἷόν τε καθάπερ ἀμβροσίας καὶ νέκταρος. Sed Ibycus Poëta ve- Athen. l. 2.
tus ſcripſit ambroſiam melle nouies eſſe dulciorem, & in melle Hoc dictũ
nonam tantum partem eſſe eius voluptatis quæ in ambroſia Tzetzes E-
percipitur: ego verò auſim dicere has dulcium ſermonum lau- picureis tribuit Chi-
titias, eruditione conditas, eſſe nouies ipſa ambroſia dulcio- liad. 8.
res & iucundiores. Hanc pulcherrimam & honeſtiſſimam e-
brietatem eſſe puto, in quam ſapiens ille inciderat, qui de ſe ita
confitetur apud Lucianum, εὐθὺς καὶ μεθύων ὑπὸ τῶν λόγων πε- Lucianus in
ριέρχομαι, *diuinitus afflatus, ac verbis ſapientibus ebrius obambu-* Nigrino.
lo. Et Philo Iudæus venuſtiſſimè ſapientiam ait ſuadere ho- Philo Iud.
minibus μεθύειν τὴν νηφάλιον μέθην, *vt inebrientur ſobria temu-*
lentia. Igitur cùm ex veſtra eruditione & humanitate, non
nectar & ambroſiam, ſed neſcio quid etiam dulcius & ſuauius
haurire poſſim, nolitote mirari ſi ex cibis quotidianis parcius
guſtem.

Quòd ad ſermones eruditos attinet, exulabunt, ait Iuuen-
tius, hoc quidem tempore, bona tua cum venia Honorate.
Didici enim haud ita multos ante dies (nam prius ſanè aliud
ego ſentiebam, qui omne tempus eruditioni colligendæ peri-
doneum eſſe putarem) ſed me, inquam, Varro nuper Gelliuſ- Gell. l. 6. c.
que docuerunt viri vſu & cognitione elegantiſſimi, eos in con- 13. & l. 13. c.
uiuio adhibendos ſermones videri, qui iucunda quadam hu- 11.
manitate & remiſſione affluerent. Et quidem ſi inuenta conui-
uia ſunt ad honeſtam animi corporíſque voluptatem & iucun-
dam beneuolentiam exſuſcitandam, fateor graues & recon-
ditas illas abeſſe oportere diſputationes, vel decerptas è du-
metis Academiæ, vel è Stoa picturata coloratas, vel ex hortulis
Epicuri demeſſas, vel è puteo Democriti hauſtas & libatas.
Turpe eſt enim, vt ait M. Tullius, valdéq; vitioſum, in re ſeuera Cic. l. 1. Off.

conuiuio dignum aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Vbi conuiuio hominum quotidiano dignum ſermonem, iucundum quendam eſſe vult minimè ſeuerum, & contorta intelligentia impeditum & perplexum. Quare putidam ego iam appellem, & præpoſteram ſtudioſiſſimi Plinij diligentiam, quem ferunt inter cibos & vſitatam potionem, vel audiſſe peritum anagnoſten, vel ipſum oculos ad veterum docta monumenta adieciſſe. Neque mirum ſi Agellius vir præclara eruditione atque doctrina, qui in ſinu humanitatis conſenuit, politum de ſchola iuuenem, & inanes flantem glorias vituperet, qui plerúmque (vtar eius verbis) *in conuiuio ſermonibus qui poſt epulas haberi ſolent, multa atque immodica de Philoſophiæ doctrinis intempeſtiuè atque inſubidè diſſerebat.* Et tamen illi conuiuio interfuit & Herodes Atticus, qui lepore quodam inuſitato familiam eloquentium ducebat, & Agellius ipſe & vir clariſſimus Seruilianus, tum flos Academiæ delibatus, qui Athenis claro domicilio literarum tum ſtudio optimarum artium ducebatur. Atque hic mihi venit in mentem Iſocratis, cuius dictum modeſtiæ colore imbutum non poſſum non vehementiſſimè probare. Ille etenim pater eloquentiæ de quo palam ſummi viri prædicabant, cùm in epulis à ſodalium grege inuitaretur, vt de artium vberi fonte & copia, qua beatum illius pectus affluebat, in medium quiddam efferret, acroamate honeſto & memorabili ſe excuſauit, cùm diceret, quæ præſens locus tempúſque exigeret, minùs ſe callere, quæ verò ſciret & calleret, præſenti loco & tempori non opportuna videri.

Agell. l. 1. c. 2.

Plutarch. l. 1 Symp. q. 1. Macrob. l. 7 Saturn. c. 1.

Hic Victor, Non eſt Iuuenti, ea de re iudicium à literatoribus petendum, ſed à literatis: non tam, inquam, attendendum eſt, quid Varro, quid Agellius, & tenuis Grammaticorum natio præcipiat, quàm quid ſtudiis grauioribus exculti, atque ſapientiæ Oracula, qui vitæ leges poſuerunt. Hi te ſanè aliud docuiſſent, & in priſtina tua illa ſententia confirmaſſent. Eſt quidem verum, honeſtam quæri voluptatem in diſcubitu amicorum, & in iucunda hominum ſocietate, quæ hoſpitio atque menſa veluti ſanctiſſimo quodam ritu conglutinatur. Quare in prima & impexa antiquitate, bonarum artium inſcientes, tum qui deinde ſenſuum lenociniis vt

blandiſſimis dominis ancillati ſunt, inducebant in conuiuia tibicinas & ſaltatrices, vt cum doctis & honeſtis colloquiis oblectare ſe minùs poſſent, Gaditano illo è motu muliercularum, tibiarúmque ſono, aliquid voluptatis & lætitiæ perciperent, quod video diuinitus à Platone animaduerſum. Longe fuit honeſtius conſilium Maſſiniſſę Libyæ Regis, quem Ptolemæus 8. lib. Commentariorum ait euocaſſe muſicos è Græcia, & dulcem quandam è diſpari vocum varietate ſymphoniam in epulis adhibuiſſe. Sed profectò ad naturam hominum accommodatius, ad mentis animíque diuinitatem longe conuenientius illi fecerunt, qui remotis illis nugis & indoctæ multitudinis oblectatione, commodum eſſe cenſuerunt de iis rebus ad menſam diſſerere, quæ non eſſent à doctrinis & artium cognitione aliena. Illos ritus epulantium ingenuos, Athenæus qui ad quærendam ſapientiam voluminum immenſitatem peruolutarat, *μουσικὰ συμπόσια* nominat, alias *φιλολόγων δεῖπνα*, *doctorum & philologorum conuiuia.* Huiuſmodi ſane menſa fuit Menedemi Eretrienſis Philoſophi, de quo vetus Poëta memorans (Lycophronem puto) ait eum pro bellariis mellitos eruditionis ſermones habuiſſe.

Plato. in Protagor.

Illuſtrius de Philoſ.

——*τράγημα δὲ*
O *σωφρονιστὴς τοῖς φιλικόοις λόγος.*
——*tragematum vice*
Eſt eruditus ſermo cum ſodalibus.

quem eundem fuiſſe morem puto illuſtrium Philoſophorum, qui cæteris ad excolendam moderationem, ex ſapientiæ arce tanquam aliquod ſignum ſuſtulerunt. Atque in hoc mihi videris Honorate, magnificum & Philoſophia dignum animum tuum aperuiſſe, cùm diceres te doctiſſimis & humaniſſimis ſermonibus delectari, quos tamen plurimùm à me abeſſe & ſentio & doleo.

GGg ij

SECT. II. *Exquiſitius dictum de eruditis conuiuiis. Cur in iis hymni, muſica, Sanniones, recitationes, griphi.*

DE me non lubet dicere, inquit Honoratus, ſed ipſa de re, ſi per vos licet, opinionem meam explicabo; ne tu Victor Philoſophiæ ſcholam in triclinio eſſe velis, aut tu Iuuenti, Παιδείαν quaſi maleficam & criminoſam exulare è conuiuio putes oportere. Atque imprimis quantum oculos mentis meę in vltimam memoriam antiquitatis poſſum intendere, video incredibilem prope varietatem adhibitam fuiſſe in conuiuiis, ad hominum animos vel oblectandos, vel in officio retinendos. Initiò cùm fieri hominum coitiones cæpere, humanitatiſque & beneuolentiæ commercia, omnis ad conuiuium congreſſus & hominum conſociatio, deorum cauſa fieri exiſtimabatur, quos etiam propriis coronis, & canticis ſacris atque hymnis venerabantur. Sic enim exiſtimabant Iouem Xenium alióſque Deos ἐπιτραπεζίους menſæ adeſſe, atque omnium dicta ſpeculari, cuius ſanè opinionis magna vis fuit, ad conciliandam modeſtiam & omnium rerum moderationem. Id diutiſſimè fuit in vſu & multorum conſuetudine, vt in feſta conuiuiorum celebritate hymni concinerentur, quòd ab Hebræis manaſſe ad Græcos, qui religionem illam imitati, in conuiuiis ea quæ dicebantur σκολιά inſtituiſſent, autor eſt doctiſſimus Clemens Alexandrinus l. 2. Pædagogi. Qui deinde in libris Stromatum id proprium fuiſſe Chriſtianorũ ſignificauit, Ante cibum, inquit, fiunt ſcripturarum lectiones, pſalmi autem & hymni dum cibus ſumitur. Idipſum Tertullianus in Apologetico refert, & fortiſſimus claro martyrio Cyprianus epiſtola ad Donatum. Sed à diuinis delapſi homines ad humana, cœpere Græci barbarique in conuiuiorum accubatione, de iis quæ ad communem rem pertinerent conſilium capere, nam & Eubulum nominatum aiebant Bacchum, & Mercurio etiam ad menſam libabant, vt opinor ſignificarent, eloquentiam, mentem, conſilium, à vino & conuiuiis non abhorrere. De

Athen. l. 5. *Cœtus olim conuiuiorũ Deorum cauſa.*

l. 2 pęd. c. 4. l. 7. Strom.

Digitized by Google

Perſis id omnium temporum hiſtorię produnt, de Græcis poëtæ: huc etiam Cretenſium Syſſitia, & Phiditia Lacedæmoniorum, viri omnium opinione doctiſſimi referenda eſſe voluerunt.

Neque tamen vel illa grauis & honeſta conſuetudo impedire potuit ſeſe blandè inſinuantem voluptatem, & communem vitæ lætitiam, ad quam epulæ ipſæ inuitabant. Inducta eſt ergo ſymphonia, adhibitáque muſica ad laudes fortium virorum cum ſuauitate prædicandas: qua de re ita M. Tullius, *Eſt in Originibus, ſolitos eſſe in epulis canere conuiuas ad tibicines, de clarorum hominum laudibus.* Sic Alcinoi menſam Demodocus, Didonis magnificentiſſimum apparatum Ioppas, Penelopes caſtiſſimas epulas Phemius cantor dulciſſima & humaniſſima venuſtate illuſtrauerunt. Itaque Homerus elegantiarum omnium parens cantum & teſtudinem ait eſſe ἀναθήματα δαιτὸς, quæ Euſtathius in Odyſſ. α. interpretatur, ἱερά τινα κειμήλια quædam veluti *ſacra donaria.* Heſychius autem κοσμήματα, *conuiuiorum ornamenta.* Euripides in ſolenni conuiuiorum apparatu, atque epulis, inuentos ait fuiſſe hymnos βίου τερπνὰς, *vitæ iucundas auditu voluptates.* Quidam vocem atque lyram tantum adhibebant ad captandam eam voluptatem, vt forte magni Aſiæ reges, quos in eam rem, μουσουργοὺς regias pellices, quæ eximiè callerent Muſicam, habuiſſe eruditiſſimi viri monent. Sic Nyſſenus Gregorius exquiſitæ vir ſapientiæ cantores & cantatrices, de quibus eſt apud Salomonem, τῶν συμποσίων ἐντρυφήματα, *conuiuiorum delicias appellat.* Sed Plutarchus tibiæ aut lyræ cantum, abſque odâ & ſermone, minimè recreaturum ingenuum conuiuium opinatur, & proinde vocum eas flexiones, ὥσπερ ὄψον ἐπὶ τῷ λόγῳ, *velut quoddam condimentum ſermonis* adhibendas. Plurimi etiam ſine illa vocum temperatione aut tibia, de clarorum hominũ laudibus & morum excellentia, in dulci amicorum cœtu & triclinio diſſerebant, quod priſcam mihi redolere innocentiam, & animi ſapientis moderationem videtur. Hic Helenæ memini, quæ in conuiuio pulcherrima Vlyſſis facinora, heroë dignum animum, inuictámque conſtantiam narrabat, quibus Telemachus ad Genitoris imitationem excitabatur.

Cantus & Muſica in conuiuiis.

Cic. in Brut.

Odyſſ. ε.

Eurip. in Medea.

Nyſſ. Hom. 4. in Eccl.

l. 7. Symp. q. 8.

Πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω Odyſſ. 4

Ὅσσοι Ὀδυσῆος ταλασίφρονός εἰσιν ἄεθλοι. &c.
Sic omni genere laudis excellentiſſimus Æneas in Euandri conuiuio,

Æneid. 8. *Exquirítque audítque virum monumenta priorum.*

Plutarch in Cat. maior. De Catone ſeniore Plutarchus, *Menſam imprimis conciliandæ amicitiæ aptam eſſe putabat*, ἐς πολλὴ μὲν εὐφημία τῶν καλῶν ἐς ἀγαθῶν πολιτῶν ἐπεισήγετο, *& frequens illic laudatio egregiorum virorum introducebatur*, &c. Itaque magnificè atque regiè inclytus princeps Alexander Magnus aiebat, virum generoſum ac regium, ſiue bibat, ſiue canat, non debere obliuiſci virtutis, & illuſtrium facinorum, quæ magni viri olim edidiſſent.

Dio Pruſ. or. 2. de regn.

Hæc honeſtas conuiuiorum ſi perpetuò viguiſſet, non eſſet à nobis quærendum, qui ſermones forent maximè epulis accommodati, aut quòd genus conuiuiorum excelleret: Nam quæ hactenus ſunt à me propoſita, bellè ſe quidem habent omnia, súntque opportuna tum ad numinis colendam ſanctimoniam, tum ad recreandos vna cum corporibus animos, tum virtutum excellentium ſtudio incendendos. Sed pergite quæſo mecum veluti curſum antiquitatis relegere, quem certis indagare veſtigiis & notare volui, vt liquidius deinde quid ſentiam de tota quæſtione vobis exponam. Lyæus tandem liberiorem effecit animum blandiſſima domina voluptate lenocinante, & illa prima diuinorum cantuum religio, hæc ſymphonia quæ inſtar lyræ Achilleæ κλέα ἀνδρῶν caneret, ſermones illi magnifici & fructuoſi, cùm euanuiſſent pænè ex conſuetudine, & iucundi minùs haberentur, immiſſæ tandem ſunt in triclinia mulierculæ ſaltatrices, mimi, Copreæ, Sanniones, Scurræ, qui riſu & laſciuia ſaturos, acroamate, motu, pſalterio, & illiberalibus iocis tenerent. Qui tum fuerunt intelligentia & ſapientia nobiles, ægrè & iniquo animo ferebant, eſſe feneſtram veluti patefactam iſto choragio ad nequitiam turpitudinémque introducendam, nec quid ſentirent diſſimulare potuerunt. Sanè Plutarchus vt indignum facinus id inſequitur, quòd ea ludicra tanta nonnunquam turpitudine obſcœnitatéque verborum ſcateant, vt ne à ſeruulis quidem, qui modeſtis dominis calceos portant, ea ſpectari conueniat. *Quanquam*, inquit, *multi etiam vxoribus iuxta accumbentibus, & impuberibus filiis, imitationes oſtentant rerum & verborum, quæ magis*

Immiſſæ in cōuiuia ſaltatriculæ, mimi, &c.

Plutarch. l. 7 Sympoſ.

quauis ebrietate animos perturbant. Huc pertinet illa diuini Chryſoſtomi ſapiens admonitio, *Nonne videtis homines opulentos, quomodo poſt epulas citharœdos ac tibicinas introducunt? illi ſuas ædes theatrum efficiunt, tu tuas ædes cœlum effice.* Et tamen patuit latiſſimè illius voluptatis contagio, cùm etiam in clariſſimorum virorum ædes & familias, quarum dignitas in ciuitate princeps, & ſplendidiſſima foret gloria, penetraret. Haud enim Xenophontem puduit philoſophiæ nomine glorioſum, cùm Socrates, Antiſthenes, plurimique adeſſent alij conſimili profeſſione venerandi, Philippum ſcurram in conuiuium inducere: Et Plinium ſcimus alióſque eloquentia & autoritate præcipuos, ad condiendam epularum voluptatem, hiſtriones & Comœdos adhibuiſſe, ſed ita opinor, vt dictorum inuerecunda licentia, & omnis motuum obſcœnitas remoueretur. S. Chryſ. ſer. 7. in Geneſ.

Qui tamen ſtudioſiſſimi honeſtatis modeſtiæque retinendæ fuerunt, lubricas illas auditiones, flagitiorum illices, aut proſcribere, aut imminuere conati ſunt, aliis inuentis & excogitatis exercitationibus, in quibus eſſet plus grauitatis & elegantiæ. Nam recitationes fieri cœptæ poëmatum & aliorum operum, è quibus ob incredibilem venuſtatem, vel acumen, vel exquiſitum genus orationis & lumina, ingenui & liberales animi humaniſſimam voluptatem perciperet. Quam in Italia conſuetudinem non tam mihi reprehendiſſe poëtæ videntur, quàm ineptorum hominum temeritatem, qui vino pleni epulíſque laſciuientes, ſummorum ingeniorum cenſuram nonnunquam impudentiſſimè faciebant. Hinc illud aculeatum è Satyra, *Recitationes in conuiuiis.* *Perſ. ſat. 1.*

——Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi quid dia poemata narrent.

Illud quoque exiſtimatum fuit vtile, nec abhorrens à communi hominum prudentia, ſi pueri parati ad menſam adhiberentur, qui delectos Platonis Dialogos recitarent, non ſine decoro motu, corporíſque εὐρυθμίᾳ, & ſuaui quadam pronunciatione: quod ſero fuiſſe Romę inductũ, & per illuſtres familias diſſeminatum, doctæ antiquitatis monumenta ſignificant.

Sed illæ recitationes tum demum admiſſæ fuerunt, cùm longè vetuſtior, & iudicio meo pulcherrima & honeſtiſſima

Griphi conuiuarũ antiquiſſimis tẽporibus.

conuiuiorum ſermocinatio exoleuiſſet. Erat enim iam inde ab heroïcis ætatibus in more poſitum, vt quæſtiones ſibi inuicem proponerent ad enodandum aperiendúmque difficiles, quæ conuiuarum ingenia exacuerent, nec penitus obrui vino paterentur, *Griphos* indigitarunt. Griphus enim, vt ait Euſtathius in Homerum, eſt δύσκολον ζήτημα ἐν συμποσίοις, vel vt Suidas συμπεπλεγμένος λόγος: Iulius Pollux κυλίκειον ζήτημα, Ariſtophanis Scholiaſtes παροίνιον nominat: à Latinis *quæſtio*, *problema*, vel *ænigma* dicitur. Latiſſimè olim patuit ea conſuetudo inter Gentes, quibus barbaries lumen mentis & rationis non ademerat. Nam Græcos in eo genere humanitatis ingenij ſui aciem, vímque intendiſſe, prodit Athæneus copioſè lib. 10. Plutarchus de Ægyptiis in Conuiuio: qui ſumpſerunt forte ab Hebræis, qui omnium antiquiſſimi & diuinitus eruditi, omnium artium, omnium dictorum & benefactorum gloriam cum aliis orbis terræ populis communicarunt. Eorum autem

Iudic. 14.

conſuetudinem expreſſam videmus in diuinis literis, vbi Samſon in nuptiali conuiuio lauto & eleganti, quæſtionem proponit obſcuram atque difficilem, quam qui ſoluerent præmium aſſequerentur. Origenes veteris ſapientiæ gnarus eum morem videtur innuere commentationibus ſuis grauiſſimis in Cantica

Orig. hom. 5. in Cant.

Canticorum, *Sed & quæſtiones*, inquit, *de amore*, *quaſi in conuiuiis propoſitæ referuntur*. D. Ambroſius qui magna mente diuina & humana propè omnia complexus eſt, fontem illius conſuetudinis aperit, & excogitatam à nobis rationem confirmat, ſanctiſſimi viri hæc fere eſt ſententia, *Quoniam in conuiuiis homines interdum bene poti dicacius loqui ſolent*, *& intemperantius alios proſcindere*, *quæ res in iurgia & rixas frequenter erumpit: id ne fieret*, *graues homines ænigmata ſeu problemata proponere ſolebant*, *colloquiis perículoſis omiſſis*, *& animo conuerſo ad propoſitarum rerum explicationem*. Sed vt dixi illa pulchra & præclara euanuerunt, bulliente & furente Baccho, & dominante proteruia: de quo magnos viros doluiſſe, pleniſſimus eleganti varietate Suidas animaduertit, cuius hæc eſt oratio,

Suidas.

Ferunt olim in conuiuiis eruditas quæſtiones eſſe tractatas, *poſt pſaltriis & cithariſtriis introductis*, *quoſdam nouitatem illam accuſantes vſurpaſſe hoc prouerbium*, ἐκκέκοφθ' ἡ μουσική, *extincta & euulſa eſt muſica.*

Philoſo-

Philoſophorum conuiuia, & de iis leges, tum exercitationes eruditæ. Eorundem proteruia & ſophiſtica contentio in epulis. SECTIO III.

ATQVE hactenus eas rationes modóſque ſum perſecutus, quæ videntur prope omnium fuiſſe communes. Philoſophi autem & ſapientes, qui ſe natos ad hominum genus adiuuandum putant, & eam artem profitentur, quæ vitiis medicinam faciat, in eam curam diligentiſſimè incubuerunt, vt homines ſe in conuiuiis quàm honeſtiſſimè gererent. In quorum tamen inſtitutis, magna quoque fuit in curſu varietas, & à bono in deterius prolapſio. Multi imprimis ſe ad conuiuia ſcribenda contulerunt, in quibus eos inducunt ſermones, qui ſint decori maximè & iucundi, ad mutuam beneuolentiam conciliandam, & tuendũ excolendúmque officium non inopportuni. Quo in genere excellunt Plato, Xenophon, Ariſtoteles, Speuſippus, Epicurus, Hieronymus, Dio Academicus, Plutarchus, Athenæus, Apuleius, Macrobius, Gellius, Methodius, aliíque, quorum egregia monumenta partim ſunt in manibus, partim vetuſtatis inuidia perierunt, ſed ex iis tamen quæ habemus, quæ aliorum fuerit elegantia, licet colligere. Quanquam reprehenduntur quidem aliqui, imprimíſque Plato, qui cùm imperioſus & elatus politiam nouam condat, ab eáque Poëtas omnes lana coronatos eiiciat, ea tamen Alcibiadi in conuiuio ſuo tribuit, quæ ne quidem Poëtarum omnium flagitioſiſſimus nequiſſimúſque dixiſſet. *Cur ſympoſia ſcripta à Philoſophis*

Præter hanc ſcriptionem, leges quaſdam eruditis atque exercitationes inducere voluerunt, ad copiam varietatémque doctrinæ augendam, & mentem potius quàm ventrem exaturandam. Athenis quidem, cùm multi eſſent philoſophantium greges & Collegia, quæ à Diogene, Antipatro, Panætio aliíſque nomen haberent, Theophraſtus non magis opibus, quàm eloquentia diues & copioſus, annuam pecuniam in eos cœtus legauit, non vt laſciuè impudentérque agerent, ſed vt quos haberent in conuiuio ſermones σωφρόνως καὶ πεπαιδευμένως temperanter & doctè proſequerentur. Tum enim Philoſophis *Συμποτικοὶ νόμοι ſiue leges conuiuiorum.* Athen. l. 4.

curæ fuit, cum iuuenibus ad ſe euocatis ſtata quadam lege conuiuari, quam Xenocrates in Academia, Ariſtoteles in Lyceo moderandis conuiuiis tulerunt. Eos autem συμποτικοὺς νόμους iis auctoribus qui in arcem vſque ſapientiæ penetrauiſſent, omnibus ſuis numeris abſolutos, ac ſalutares fuiſſe maximè, par eſt credere. Cúmque Athenis cœnæ duæ celebrarentur, more non valde antiquo, vt autor eſt Athenæus, vna in Lyceo, altera in Academia, vero ſimile eſt, epulantium eos cœtus Philoſophiæ amore ſociatos, habuiſſe mirifica inſtituta ad retinendam modeſtiam & temperantiam, animóſque ſuauiſſimo eruditiſſimóque ſermone paſcendos.

l. 4. dipnoſ.

Exercitationes eruditæ in cõuiuiis.

Agell. l. 18 c. 2.

Fuerunt autem eiuſmodi exercitationes, quæ nimium quantum acuerent adoleſcentium ingenium, & importunam voluptatis appetitionẽ cohiberent. Qua de reſplendidè & verè Agellius, qui á delectis eximiáque doctrina viris mutitationes fuiſſe factas meminit, & ab vnoquoque apparatum conuiuium, qui præmium ſoluendæ quæſtionis proponebat antiqui ſcriptoris Codicem, vel Græcum, vel Latinum, & coronam è lauro plexam, totidémque res quærebat, quot homines in ſigmate accumbebant. Illæ porrò quæſtiones fuerunt huiuſmodi, *aut ſententia Poëtæ veteris lepide obſcura, non anxiè: aut hiſtoriæ antiquioris requiſitio: aut decreti cuiuſpiam ex Philoſophia perperam vulgati purgatio; aut captionis ſophiſticæ ſolutio, aut inopinati rarioriſque verbi indagatio, aut tempus item in verbo perſpicuo obſcuriſſimum.* Quæ omnia perſpicuis exemplis ab Agellio illuminantur. Conſimiles quoque exercitationes Athenæus memorat, vt quæ pertinent ad literarum & ſyllabarum contemplationem verſúſque Poëtarum. Exempli cauſa propoſito vno verſu Iambico, poſcere vt alius ex Poëta quopiam ſimilem recitet, qui eandem ſententiam contineat. Item ſingulorum Ducum qui ad Troianum bellum è Græcia profecti ſunt nomina eloqui, vel etiam Principum Troianorum. Item Aſiæ ciuitatem vnam à propoſito quolibet elemento nominare, vel etiam aliarum prouinciarum, quæ in Græcia, vel in diſſitis longè regnis imperiiſque viſantur. Qui luſus, vt doctus ille ſcriptor ait, ad parandam rerum cognitionem ac doctrinam non parum prodeſt. Præmium autem in his fuit, aut corona, aut laudatio

Athen. l. 10.

& plauſus, quibus maximè delectantur qui mutuò ſeſe amant.

Laſciuia inducta in cœnas Philoſophorũ.

Si Philoſophiæ illi duces in eo curſu honeſtatis & expoliendæ cognitionis perſeuerare conſtantiſſimè voluiſſent, benè cum illis & humano genere fuiſſet actum, ſed mutata fuit ratio, cum ſummo dedecore ſapientiæ & infamia. Cœperunt enim inter conuiuandum, fœdè & flagitioſè quærere de rebus turpiculis & obſcœnis, de ingurgitatione voluptatis, de menſarum exquiſitis delitiis, de cupediis, de piſcibus qui palato ſint omnium ſuauiſſimi: vbi victoribus præmia fuerunt, φιλήματα, *baſia*: quo nihil dici poteſt Philoſophia indignius. Quin inuentus eſt de numero philoſophantium vnus, Perſæus nomine, nullius conſilij homo, inconſideratæ potius temeritatis, qui συμποτικοὺς διαλόγους è Stilponis & Zenonis commentariis concinnauit, in quibus ille quærit, quando in conuiuium formoſi adoleſcentes, formoſæque virgines perducendæ ſint, quando venuſtate gratiáque commendabiles admittendi, de opſoniis, de panibus, de oſculis, de aliis huiuſmodi, quæ lenoniam potiùs ſcholam, quàm ſapientis redoleant.

Sophiſtica quæſtiones & nugæ in conuiuiis.

Hinc ortæ quoque Sophiſtarum quæſtiones in conuiuiis ineptæ, inamœnæ, plenæ contentionis, quæ ad Thracas ferocientéſque Centauros amandandæ videantur. Semper enim Sophiſtæ contentioſi pinguntur in triclinio, in quos haud ineleganti ioco torqueri illud poteſt,

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα.

Ite citi ad menſam linguáque laceſſite Martem.

l. 7. Symp. q. 8.

Eorum igitur quæſtiones iure Plutarchus appellat ζητήσεις εἰς ἁμίλλας ἀτερπῆ καὶ ἀγῶνα σοφιστικὸν ἐκφερομένας, *quæ ad ingratum certamen & ſophiſticam contentionem efferant*, quas proinde à conuiuiorum humanitate longè abeſſe iubet. Irriſit eas bellè Antigoni libertus, homo donis fortunæ cumulatus & ingenio magnus, qui Philoſophos cùm vocaſſet aliquando ad conuiuium, & minutulas eorum quæſtiones faſtidioſè audiret, ab iis ludens quæſiit, cur ex nigra & alba faba pulmentum vnius coloris edatur. Sic Cerephon ridiculè Gorgiæ quondam Sophiſtæ propoſuit, διὰ τί οἱ κύαμοι τὴν μὲν γαστέρα φυσῶσι, τὸ δὲ πῦρ οὐ φυσῶσιν, *Cur fabæ ventrem inflant, ignem verò minimè.* Iſtius generis multa ab iis Phi-

Macrob. l. 7. Saturn.

Philoſt. de vit. Soph.

loſophiæ laruis in medium adducebantur, quæ & aures omnium obtunderent, & lætitiæ voluptatem omnem extinguerent, quæ in cœtu amicorum capi ſolet.

SECTIO IV.

Profligatur quæſtio, & concluditur, honeſtis in conuiuiis adhibendam eruditionem, ſed cum modo.

HACTENVS poſui ante oculos veluti faciem antiquitatis & conuiuiorum modos, quantum fieri breuiſſimè potuit: quanquam vereor vt etiam hæc pauca meritò vobis ἀπροσδιόνυσα, & nimium multa videantur. Sed faciliùs mihi nunc erit veſtram illam controuerſiam dirimere, num ad menſam ſit doctrina & guſtus quidam eruditionis adhibendus. Imprimis hoc ſtatuo, nulla ratione probari poſſe, vt omnis humanitatis cognitio liberaliórque doctrina è conuiuiis exturbetur. Eſt enim is dulciſſimus animæ cibus, adeóque hominum proprius, qui mentis & rationis compotes, & miranda intelligētia prædíti, alias quærere debent voluptates, quàm quæ tardis languidíſque pecudibus conueniunt. λόγοι καλοί, τῆς ψυχῆς τροφὴ, ait quidam verè & ſapienter, quos non minus, quàm Mineruæ lampadem auream in conuiuio retinere debemus. Fingit Homerus, Calypſonem appoſuiſſe Mercurio ambroſiam dignam Deo potionem, quæ qualis fuerit, eius interpres Euſtathius exponit, nihil enim aliud fuiſſe vult, quàm ὁμιλίαν συμποτικὴν, dulces quoſdam & præſidi eloquentiæ Mercurio iucundos ſermones, magnificentiſſimo in conuiuio celebratos. Quod idem fuiſſe νηπενθὲς Helenæ, illud nimirum delinimentum inuſitatum & mirabile, quo mœror & perturbatio omnis ex animo eiiciebatur, doctiſſimi viri monuerunt.

Clariſſimi viri eruditis ſympoſiis delectati. Itaque video claros viros omnium ſæculorum memoria, qui prudentia conſilióque præſtiterunt, ſacros, profanos, omnium ordinum homines, ſuauiſſimam illam ambroſiam ſtudioſiſſimè adhibuiſſe. Erit in æterna gloria Pius ſecundus Pontifex Maximus, de quo multa cùm proferri in medium

poſſint, ad animi decus & excellentiam prædicandam, tum illud in annalium monumentis legere memini, *Inter cœnandum de ſtudiis bonarum artium loquebatur, memoriam veterum repetebat.* Conſimili in laude pono Pium 4. qui clauum item religionis ſumma poteſtate moderatus eſt, cum verò ſcribit Onufrius delectatum viris egregiis, literatis præſertim, eorúmque conſuetudine libenter eſſe viſum, *ita vt eius menſa doctorum virorum quaſi quoddam Gymnaſium eſſe videretur.* Simile quiddam in iis quoque video, qui voce & armis imperium orbis terræ ad dominatum ſuum adiunxerunt. De Auguſto eſt egregium & cõmemorabile id Philonis Iudæi teſtimonium, *Non ſummis labris philoſophiam guſtauerat, ſed plerúmque in conuiuiis quæ fere quotidiana erant, memoria retractabat, quæ à Philoſophis didicerat, aut ex doctorum virorum quos domi alebat conſuetudine. Nam cœnæ tempus vt plurimum* ἀπενέμετο τοῖς ἀπὸ παιδείας *tribuebatur eruditis fabulis, vt non ſolùm corpus, verùm & anima ſuis reficeretur delitiis.* De Catone Vticenſi ita ſcriptor ſapiens, ὁ πότος εἶχε μοῦσαν πολλὴν καὶ χάριν, ἄλλων ἐπ' ἄλλοις λόγων φιλοσόφων κυκλουμένων, *fuit inter pocula erudita confabulatio & feſtiuitas, aliáſque ex aliis diſputationes à philoſophia minimè abhorrentes verſarunt.* Hoc autem ego eſſe dixerim cum Heliodoro doctiſſimo Antiſtite τὸν Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθιδρύειν καὶ λόγων ἥδυσμα τῷ πότῳ συναναχέειν, *Bacchum Mercurio adiungere, & cùm potu miſcere orationis ſuauitatem;* vel vt ſcitè & venuſtè Plutarchus, non modò Nymphis, verùm & Muſis Bacchum diluere. Non eſt verendum, ne laſciuia & libido, & illa turpium hominum obſcœnitas, de qua paulò antè loquebamur, in hæc triclinia introëat, vbi Virtus & Pædia ſunt οἰνόπται & Modimperatrices. Quare haud exiguam eam laudem eſſe puto, qua Plinius Traianum afficit, cùm ait eius menſis *non petulantiam obſcœnam oberraſſe*, verùm potius *ſtudiorum honorem.* Illud idem honeſtiſſimæ genus voluptatis, appetitionem cibi & potionis vehementem & immoderatam comprimit, quæ ſæpè, velut excuſſis habenis rationis, in ſtruices patinarum inuolat, & rubro gurgite naufragium patitur. Quem modũ retinendæ modeſtiæ & dignitatis, ſapienti conſilio adhibuiſſe Opilium Macrinum autor eſt Capitolinus, *Adhibuit,* inquit, *conuiuio literatos, vt loquens de ſtudiis liberalibus neceſſariò abſtineret.* Sed rei

Platina.
Onufr in vit.
Philo de leg. ad Cai.
Plutar. in Cabon. Vtic.
Heliodor. l. 5. Æthio.
Plutar. l. 1. Symp. q. 1.
Plin. ſecũd. in panegyr.
Capitol. in Opil. macr.

voles,rem quidem meam agi puto. Et quoniam tuo edicto experiri licet, audacter manum iniicio, & hanc alam meam eſſe aio iure Quiritium. Deinde cùm guſtaſſet, Noſter, inquit, M. Tullius, qui olim in Romano foro ius Verrinum accuſauit, hoc profectò columbinum probaret. At Victor dapſili hac lautitia delinitus, Omninò, inquit, Poenus hic euadam ille pultifagonides, ita me delectant ſuauiter condita ad guſtum & voluptatem. Atenimuero metuo, ne his alis fretus Iuuentius paulò pòſt euolet è conſpectu, méque ſolum in via relinquat: quanquam & leuior ego quoque fieri poſſum auctore Ariſtotele, apud quem lego ὀρνίθεια κρέα κοῦφα εἶναι. Falle, ait Honoratus, falle tuum ſodalem Victor, & ſi euolet, tu curre: quam in rem tibi hanc coxam ſtrenuè adiunge. Quanquam eſt mihi in animo, ſi fieri poteſt, vt in reditu Platonis alas habeatis, quas maturè pueris adhiberi cupiebat, ita enim iocans appellabat equos. Hic Victor cùm hæſiſſet paululum: Neſcio, inquit, an mihi vt Philoſopho pedes è veteri conſuetudine dederis Honorate, ſcis enim quid apud Athenæum eruditus ille Cocus diſputet, qui omni hominum generi quæ cuique propria eſſent apponere ſe conſueuiſſe dicit, ſenibus frigidulis ſinapi, loligines amatoribus, ſed Philoſopho κωλίας καὶ πόδας, *pernam & pedes*, reddit rationem ἀδηφάγον τὸ ζῶον εἰς ὑπερβολὴν ὄν, *eſt enim per quam edax genus hoc animantis*. Rectè quidem illud in me conueniat, qui dum palato quid ſit optimum iudico, cœli palatium vt ait Ennius, non ſuſpexi.

1. 6. Eth. c. 8

Athen. l. 9.

Hæc & alia cùm iucundè fabularentur, & Honoratus totus in carpendo & tribuendo eſſet occupatus, illi enimuero mirari & petere, num quemadmodũ rore cicadæ, ſic nidore ille paſceretur. Paſcor, inquit, veſtro hoc conſpectu mihi iucundiſſimo & eruditione, non minus quàm Seuerus Alexander Imperator, qui auctore Lampridio cùm inter ſuos conuiuaretur, aut Vlpianum, aut doctos homines adhibebat, vt haberet *fabulas literatas*, quibus ſe recreari dicebat & paſci. Sic Themiſtius illuſtrium rerum tractationem & cognitionem doctrinarum nominat εὐωχίας, *lautum conuiuium*. Socrates in Phædro θοίνην *exquiſitum epulum*: Dio Pruſæus, τροφὴν, *eſcam mirabilis ſuauitatis*: Philoſtratus, λαμπρὰς δαῖτας, *pulcherrimas epulas*:

Themiſt. or. 1.
Plat. in Phædr.
Dio or. 4.
Philoſtr. de vit. Apol. l. 6. c. 8.

Digitized by Google

epulas; Philo Iudæus ποτίμους λόγους, *ſermonem dulcem atque potabilem*. S. Ioan. Chryſoſtomus κρατῆρα πολλῆς δαψιλείας, *copioſiſſimum & magnificentiſſimum craterem*. D. Gregor. Nyſſenus κρᾶμα καὶ ἀφθονωτέρας τοῦ πνευματικοῦ λόγου τὰς κύλικας, *meracius mixtum & fæcundiores ac largiores ſpiritalis ſermonis calices*, & alio in loco vocat πανδαισίαν, *opiparum & ſaliare conuiuium*: S. Chryſologus *ſermonis epulas*. Iamblichus lib. de ſect. Pythagor. *nectar & ambroſiam* ad quam pro viribus hauriendam omnes inuitat, τῶν κατὰ σοφίαν θεωρημάτων ἀπολαυστέον ἐφ' ὅσον οἷόν τε καθάπερ ἀμβροσίας καὶ νέκταρος. Sed Ibycus Poëta vetus ſcripſit ambroſiam melle nouies eſſe dulciorem, & in melle nonam tantum partem eſſe eius voluptatis quæ in ambroſia percipitur: ego verò auſim dicere has dulcium ſermonum lautitias, eruditione conditas, eſſe nouies ipſa ambroſia dulciores & iucundiores. Hanc pulcherrimam & honeſtiſſimam ebrietatem eſſe puto, in quam ſapiens ille inciderat, qui de ſe ita confitetur apud Lucianum, ἤδη καὶ μεθύων ὑπὸ τῶν λόγων περιέρχομαι, *diuinitus afflatus, ac verbis ſapientibus ebrius obambulo*. Et Philo Iudæus venuſtiſſimè ſapientiam ait ſuadere hominibus μεθύειν τὴν νηφάλιον μέθην, *vt inebrientur ſobria temulentia*. Igitur cùm ex veſtra eruditione & humanitate, non nectar & ambroſiam, ſed neſcio quid etiam dulcius & ſuauius haurire poſſim, nolitote mirari ſi ex cibis quotidianis parcius guſtem.

Philo. Chryſoſt. ſer. 7. de verb. Iſa. Greg Nyſſ. to. 1. Petr. Chryſolog. ſerm. 40. Iamblichus l. de ſect. Pythagor. Athen. l. 1. Hoc dictũ Tzetzes Epicureis tribuit Chiliad. 8. Lucianus in Nigrino. Philo Iud.

Quòd ad ſermones eruditos attinet, exulabunt, ait Iuuentius, hoc quidem tempore, bona tua cum venia Honorate. Didici enim haud ita multos ante dies (nam prius ſanè aliud ego ſentiebam, qui omne tempus eruditioni colligendæ peridoneum eſſe putarem) ſed me, inquam, Varro nuper Gelliuſque docuerunt viri vſu & cognitione elegantiſſimi, eos in conuiuio adhibendos ſermones videri, qui iucunda quadam humanitate & remiſſione affluerent. Et quidem ſi inuenta conuiuia ſunt ad honeſtam animi corporiſque voluptatem & iucundam beneuolentiam exſuſcitandam, fateor graues & reconditas illas abeſſe oportere diſputationes, vel decerptas è dumetis Academiæ, vel è Stoa picturata coloratas, vel ex hortulis Epicuri demeſſas, vel è puteo Democriti hauſtas & libatas. Turpe eſt enim, vt ait M. Tullius, valdéq; vitioſum, in re ſeuera

Gell. l. 6. c. 13. & l. 13. c. 11. Cic. l. 1. Off.

conuiuio dignum aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Vbi conuiuio hominum quotidiano dignum ſermonem, iucundum quendam eſſe vult minimè ſeuerum, & contorta intelligentia impeditum & perplexum. Quare putidam ego iam appellem, & præpoſteram ſtudioſiſſimi Plinij diligentiam, quem ferunt inter cibos & vſitatam potionem, vel audiſſe peritum anagnoſten, vel ipſum oculos ad veterum docta monumenta adieciſſe. Neque mirum ſi Agellius vir præclara eruditione atque doctrina, qui in ſinu humanitatis conſenuit, politum de ſchola iuuenem, & inanes flantem glorias vituperet, qui plerúmque (vtar eius verbis) *in conuiuio ſermonibus qui poſt epulas haberi ſolent, multa atque immodica de Philoſophiæ doctrinis intempeſtiuè atque inſubidè diſſerebat.* Et tamen illi conuiuio interfuit & Herodes Atticus, qui lepore quodam inuſitato familiam eloquentium ducebat, & Agellius ipſe & vir clariſſimus Seruilianus, tum flos Academiæ delibatus, qui Athenis claro domicilio literarum tum ſtudio optimarum artium ducebatur. Atque hic mihi venit in mentem Iſocratis, cuius dictum modeſtiæ colore imbutum non poſſum non vehementiſſimè probare. Ille etenim pater eloquentiæ de quo palam ſummi viri prædicabant, cùm in epulis à ſodalium grege inuitaretur, vt de artium vberi fonte & copia, qua beatum illius pectus affluebat, in medium quiddam efferret, acroamate honeſto & memorabili ſe excuſauit, cùm diceret, quæ præſens locus tempúſque exigeret, minùs ſe callere, quæ vero ſciret & calleret, præſenti loco & tempori non opportuna videri.

Agell. l. 1. c. 2.

Plutarch. l. 1 Symp. q. 1. Macrob. l. 7 Saturn. c. 1.

Hic Victor, Non eſt Iuuenti, ea de re iudicium à literatoribus petendum, ſed à literatis: non tam, inquam, attendendum eſt, quid Varro, quid Agellius, & tenuis Grammaticorum natio præcipiat, quàm quid ſtudiis grauioribus exculti, atque ſapientiæ Oracula, qui vitæ leges poſuerunt. Hi te ſanè aliud docuiſſent, & in priſtina tua illa ſententia confirmaſſent. Eſt quidem verum, honeſtam quæri voluptatem in diſcubitu amicorum, & in iucunda hominum ſocietate, quæ hoſpitio atque menſa veluti ſanctiſſimo quodam ritu conglutinatur. Quare in prima & impexa antiquitate, bonarum artium inſcientes, tum qui deinde ſenſuum lenociniis vt

blandiſſimis dominis ancillati ſunt, inducebant in conuiuia tibicinas & ſaltatrices, vt cum doctis & honeſtis colloquiis oblectare ſe minùs poſſent, Gaditano illo è motu muliercularum, tibiarúmque ſono, aliquid voluptatis & lætitiæ perciperent, quod video diuinitus à Platone animaduerſum. Longe fuit honeſtius conſilium Maſſiniſſę Libyæ Regis, quem Ptolemæus 8. lib. Commentariorum ait euocaſſe muſicos è Græcia, & dulcem quandam è diſpari vocum varietate ſymphoniam in epulis adhibuiſſe. Sed profectò ad naturam hominum accommodatius, ad mentis animíque diuinitatem longe conuenientius illi fecerunt, qui remotis illis nugis & indoctæ multitudinis oblectatione, commodum eſſe cenſuerunt de iis rebus ad menſam diſſerere, quæ non eſſent à doctrinis & artium cognitione aliena. Illos ritus epulantium ingenuos, Athenæus qui ad quærendam ſapientiam voluminum immenſitatem peruolutarat, μουσικὰ συμπόσια nominat, alias φιλοσπούδαστα, *doctorum & philologorum conuiuia.* Huiuſmodi ſane menſa fuit Menedemi Eretrienſis Philoſophi, de quo vetus Poëta memorans (Lycophronem puto) ait eum pro bellariis mellitos eruditionis ſermones habuiſſe. Plato in Protagor. Illuſtrius de Philoſ.

——τράγημα δὲ
Ο σωφρονιστὴς τοῖς φιλικόοις λόγος.
——*tragematum vice*
Eſt eruditus ſermo cum ſodalibus.

quem eundem fuiſſe morem puto illuſtrium Philoſophorum, qui cæteris ad excolendam moderationem, ex ſapientiæ arce tanquam aliquod ſignum ſuſtulerunt. Atque in hoc mihi videris Honorate, magnificum & Philoſophia dignum animum tuum aperuiſſe, cùm diceres te doctiſſimis & humaniſſimis ſermonibus delectari, quos tamen plurimùm à me abeſſe & ſentio & doleo.

SECT. II. *Exquiſitius dictum de eruditis conuiuiis. Cur in iis hymni, muſica, Sanniones, recitationes, griphi.*

DE me non lubet dicere, inquit Honoratus, ſed ipſa dere, ſi per vos licet, opinionem meam explicabo; ne tu Victor Philoſophiæ ſcholam in triclinio eſſe velis, aut tu Iuuenti, Παιδεία quaſi maleficam & criminoſam exulare è conuiuio putes oportere. Atque imprimis quantum oculos mentis meę in vltimam memoriam antiquitatis poſſum intendere, video incredibilem prope varietatem adhibitam fuiſſe in conuiuiis, ad hominum animos vel oblectandos, vel in officio retinen-
Athen. l. 5. *Cœtus olim conuiuiorũ Deorum cauſa.* dos. Initiò cùm fieri hominum coitiones cœpere, humanitatíſque & beneuolentiæ commercia, omnis ad conuiuium congreſſus & hominum conſociatio, deorum cauſa fieri exiſtimabatur, quos etiam propriis coronis, & canticis ſacris atque hymnis venerabantur. Sic enim exiſtimabant Iouem Xenium alióſque Deos ἐπιτραπεζίους menſæ adeſſe, atque omnium dicta ſpeculari, cuius ſanè opinionis magna vis fuit, ad conciliandam modeſtiam & omnium rerum moderationem. Id diutiſſimè fuit in vſu & multorum conſuetudine, vt in feſta conuiuiorum celebritate hymni concinerentur, quòd ab Hebræis manaſſe ad Græcos, qui religionem illam imitati, in conuiuiis ea quæ dicebantur σκολιά inſtituiſſent, autor eſt doctiſſimus
l. 2 pęd. c 4. Clemens Alexandrinus l. 2. Pædagogi. Qui deinde in libris
l. 7. Strom. Stromatum id proprium fuiſſe Chriſtianorũ ſignificauit, Ante cibum, inquit, fiunt ſcripturarum lectiones, pſalmi autem & hymni dum cibus ſumitur. Idipſum Tertullianus in Apologetico refert, & fortiſſimus claro martyrio Cyprianus epiſtola ad Donatum. Sed à diuinis delapſi homines ad humana, cœpere Græci barbaríque in conuiuiorum accubatione, de iis quæ ad communem rem pertinerent conſilium capere, nam & Eubulum nominatum aiebant Bacchum, & Mercurio etiam ad menſam libabant, vt opinor ſignificarent, eloquentiam, mentem, conſilium, à vino & conuiuiis non abhorrere. De

Perſis id omnium temporum hiſtoriç produnt, de Græcis poëtæ: huc etiam Cretenſium Syſſitia, & Phiditia Lacedæmoniorum, viri omnium opinione doctiſſimi referenda eſſe voluerunt.

Neque tamen vel illa grauis & honeſta conſuetudo impedire potuit ſeſe blandè inſinuantem voluptatem, & communem vitæ lætitiam, ad quam epulæ ipſæ inuitabant. Inducta eſt ergo ſymphonia, adhibitáque muſica ad laudes fortium virorum cum ſuauitate prædicandas: qua de re ita M. Tullius, *Eſt in Originibus, ſolitos eſſe in epulis canere conuiuas ad tibicines, de clarorum hominum laudibus.* Sic Alcinoi menſam Demodocus, Didonis magnificentiſſimum apparatum Ioppas, Penelopes caſtiſſimas epulas Phemius cantor dulciſſima & humaniſſima venuſtate illuſtrauerunt. Itaque Homerus elegantiarum omnium parens cantum & teſtudinem ait eſſe ἀναθήματα δαιτὸς, quæ Euſtathius in Odyſſ. α. interpretatur, ἱερά τινα κειμήλια quædam veluti *ſacra donaria.* Heſychius autem κοσμήματα, *conuiuiorum ornamenta.* Euripides in ſolenni conuiuiorum apparatu, atque epulis, inuentos ait fuiſſe hymnos βίου τερπνὰς, *vitæ iucundas auditu voluptates.* Quidam vocem atque lyram tantum adhibebant ad captandam eam voluptatem, vt forte magni Aſiæ reges, quos in eam rem, μουσουργοὺς regias pellices, quæ eximiè callerent Muſicam, habuiſſe eruditiſſimi viri monent. Sic Nyſſenus Gregorius exquiſitæ vir ſapientiæ cantores & cantatrices, de quibus eſt apud Salomonem, τῶν συμποσίων ἐντρυφήματα, *conuiuiorum delicias appellat.* Sed Plutarchus tibiæ aut lyræ cantum, abſque oda & ſermone, minimè recreaturum ingenuum conuiuium opinatur, & proinde vocum eas flexiones, ὥσπερ ὄψον ἐπὶ τῷ λόγῳ, *velut quoddam condimentum ſermonis* adhibendas. Plurimi etiam ſine illa vocum temperatione aut tibia, de clarorum hominũ laudibus & morum excellentia, in dulci amicorum cœtu & triclinio diſſerebant, quod priſcam mihi redolere innocentiam, & animi ſapientis moderationem videtur. Hic Helenæ memini, quæ in conuiuio pulcherrima Vlyſſis facinora, heroë dignum animum, inuictámque conſtantiam narrabat, quibus Telemachus ad Genitoris imitationem excitabatur.

Cantus & Muſica in conuiuiis.

Cic. in Brut.

Odyſſ. ϛ.

Eurip. in Medea.

Nyſſ. Hom. 4. in Eccl.

l. 7. Symp. q. 8.

Πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω — Odyſſ. 4

quauis ebrietate animos perturbant. Huc pertinet illa diuini Chryſoſtomi ſapiens admonitio, *Nonne videtis homines opulentos, quomodo poſt epulas citharœdos ac tibicinas introducunt? illi ſuas ædes theatrum efficiunt, tu tuas ædes cœlum effice.* Et tamen patuit latiſſimè illius voluptatis contagio, cùm etiam in clariſſimorum virorum ædes & familias, quarum dignitas in ciuitate princeps, & ſplendidiſſima foret gloria, penetraret. Haud enim Xenophontem puduit philoſophiæ nomine glorioſum, cùm Socrates, Antiſthenes, plurimique adeſſent alij conſimili profeſſione venerandi, Philippum ſcurram in conuiuium inducere: Et Plinium ſcimus aliósque eloquentia & autoritate præcipuos, ad condiendam epularum voluptatem, hiſtriones & Comœdos adhibuiſſe, ſed ita opinor, vt dictorum inuerecunda licentia, & omnis motuum obſcœnitas remoueretur. S. Chryſ. ſer. 7. in Geneſ.

Qui tamen ſtudioſiſſimi honeſtatis modeſtiæque retinendæ fuerunt, lubricas illas auditiones, flagitiorum illices, aut proſcribere, aut imminuere conati ſunt, aliis inuentis & excogitatis exercitationibus, in quibus eſſet plus grauitatis & elegantiæ. Nam recitationes fieri cœptæ poëmatum & aliorum operum, è quibus ob incredibilem venuſtatem, vel acumen, vel exquiſitum genus orationis & lumina, ingenui & liberales animi humaniſſimam voluptatem perciperet. Quam in Italia conſuetudinem non tam mihi reprehendiſſe poëtæ videntur, quàm ineptorum hominum temeritatem, qui vino pleni epuliſque laſciuientes, ſummorum ingeniorum cenſuram nonnunquam impudentiſſimè faciebant. Hinc illud aculeatum è Satyra, *Recitationes in conuiuiis.* Perſ. ſat. 1.

——Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi quid dia poemata narrent.

Illud quoque exiſtimatum fuit vtile, nec abhorrens à communi hominum prudentia, ſi pueri parui ad menſam adhiberentur, qui delectos Platonis Dialogos recitarent, non ſine decoro motu, corporiſque εὐρυθμίᾳ, & ſuaui quadam pronunciatione: quod ſero fuiſſe Romæ inductũ, & per illuſtres familias diſſeminatum, doctæ antiquitatis monumenta ſignificant.

Sed illæ recitationes tum demum admiſſæ fuerunt, cùm longè vetuſtior, & iudicio meo pulcherrima & honeſtiſſima

Griphi conuiuarũ antiquiſſimis tẽporibus.

conuiuiorum ſermocinatio exoleuiſſet. Erat enim iam inde ab heroïcis ætatibus in more poſitum, vt quæſtiones ſibi inuicem proponerent ad enodandum aperiendúmque difficiles, quæ conuiuarum ingenia exacuerent, nec penitus obrui vino paterentur, *Griphos* indigitarunt. Griphus enim, vt ait Euſtathius in Homerum, eſt δύσκολον ζήτημα ἐν συμποσίοις, vel vt Suidas συμπεπλεγμένος λόγος: Iulius Pollux κυλίκειον ζήτημα, Ariſtophanis Scholiaſtes παροίνιον nominat: à Latinis *quæſtio*, *problema*, vel *ænigma* dicitur. Latiſſimè olim patuit ea conſuetudo inter Gentes, quibus barbaries lumen mentis & rationis non ademerat. Nam Græcos in eo genere humanitatis ingenij ſui aciem, vímque intendiſſe, prodit Athæneus copioſè lib. 10. Plutarchus de Ægyptiis in Conuiuio: qui ſumpſerunt forte ab Hebræis, qui omnium antiquiſſimi & diuinitus eruditi, omnium artium, omnium dictorum & benefactorum gloriam cum aliis orbis terræ populis communicarunt. Eorum autem

Iudic. 14.

conſuetudinem expreſſam videmus in diuinis literis, vbi Samſon in nuptiali conuiuio lauto & eleganti, quæſtionem proponit obſcuram atque difficilem, quam qui ſoluerent præmium aſſequerentur. Origenes veteris ſapientiæ gnarus eum morem videtur innuere commentationibus ſuis grauiſſimis in Cantica

Orig. hom. 5. in Cant.

Canticorum, *Sed & quæſtiones*, inquit, *de amore, quaſi in conuiuiis propoſitæ referuntur*. D. Ambroſius qui magna mente diuina & humana prope omnia complexus eſt, fontem illius conſuetudinis aperit, & excogitatam à nobis rationem confirmat, ſanctiſſimi viri hæc fere eſt ſententia, *Quoniam in conuiuiis homines interdum bene poti dicacius loqui ſolent, & intemperantius alios proſcindere, quæ res in iurgia & rixas frequenter erumpit: id ne fieret, graues homines ænigmata ſeu problemata proponere ſolebant, colloquiis periculoſis omiſſis, & animo conuerſo ad propoſitarum rerum explicationem*. Sed vt dixi illa pulchra & præclara euanuerunt, bulliente & furente Baccho, & dominante proteruia: de quo magnos viros doluiſſe, pleniſſimus eleganti varietate Suidas animaduertit, cuius hæc eſt oratio,

Suidas.

Ferunt olim in conuiuiis eruditas quæſtiones eſſe tractatas, poſt pſaltriis & citharistriis introductis, quoſdam nouitatem illam accuſantes vſurpaſſe hoc prouerbium, ἐκκέκοφθ᾽ ἡ μουσική, *extincta & euulſa eſt muſica.*

Philoſo-

Philoſophorum conuiuia, & de iis leges, tum exercitationes eruditæ. Eorundem proteruia & ſophiſtica contentio in epulis. SECTIO III.

ATQVE hactenus eas rationes modóſque ſum perſecutus, quæ videntur prope omnium fuiſſe communes. Philoſophi autem & ſapientes, qui ſe natos ad hominum genus adiuuandum putant, & eam artem profitentur, quæ vitiis medidicinam faciat, in eam curam diligentiſſimè incubuerunt, vt homines ſe in conuiuiis quàm honeſtiſſimè gererent. In quorum tamen inſtitutis, magna quoque fuit in curſu varietas, & à bono in deterius prolapſio. Multi imprimis ſe ad conuiuia ſcribenda contulerunt, in quibus eos inducunt ſermones, qui ſint decori maximè & iucundi, ad mutuam beneuolentiam conciliandam, & tuendũ excolendúmque officium non inopportuni. Quo in genere excellunt Plato, Xenophon, Ariſtoteles, Speuſippus, Epicurus, Hieronymus, Dio Academicus, Plutarchus, Athenæus, Apuleius, Macrobius, Gellius, Methodius, aliíque, quorum egregia monumenta partim ſunt in manibus, partim vetuſtatis inuidia perierunt, ſed ex iis tamen quæ habemus, quæ aliorum fuerit elegantia, licet colligere. Quanquam reprehenduntur quidem aliqui, imprimíſque Plato, qui cùm imperioſus & elatus politiam nouam condat, ab eáque Poëtas omnes lana coronatos eiiciat, ea tamen Alcibiadi in conuiuio ſuo tribuit, quæ ne quidem Poëtarum omnium flagitioſiſſimus nequiſſimúſque dixiſſet. *Cur ſympoſia ſcripta à Philoſophis*

Præter hanc ſcriptionem, leges quaſdam eruditis atque exercitationes inducere voluerunt, ad copiam varietatémque doctrinæ augendam, & mentem potius quàm ventrem exaturandam. Athenis quidem, cùm multi eſſent philoſophantium greges & Collegia, quæ à Diogene, Antipatro, Panætio aliíſque nomen haberent, Theophraſtus non magis opibus, quàm eloquentia diues & copioſus, annuam pecuniam in eos cœtus legauit, non vt laſciuè impudentérque agerent, ſed vt quos haberent in conuiuio ſermones σωφρόνως ϗ πεπαιδευμένως temperanter & doctè proſequerentur. Tum enim Philoſophis *Συμποτικοὶ νόμοι ſiue leges conuiuiorum.* Athen. l. 4.

curæ fuit, cum iuuenibus ad ſe euocatis ſtata quadam lege conuiuari, quam Xenocrates in Academia, Ariſtoteles in Lyceo moderandis conuiuiis tulerunt. Eos autem συμποτικοὺς νόμους iis auctoribus qui in arcem vſque ſapientiæ penetrauiſſent, omnibus ſuis numeris abſolutos, ac ſalutares fuiſſe maximè, par eſt credere. Cúmque Athenis cœnæ duæ celebrarentur, more non valde antiquo, vt autor eſt Athenæus, vna in Lyceo, altera in Academia, vero ſimile eſt, epulantium eos cœtus Philoſophiæ amore ſociatos, habuiſſe mirifica inſtituta ad retinendam modeſtiam & temperantiam, animóſque ſuauiſſimo eruditiſſimóque ſermone paſcendos.

l. 4. dipnoſ.

Exercitationes eruditæ in cōuiuiis. Agell. l. 18. c. 2.

Fuerunt autem eiuſmodi exercitationes, quæ nimium quantum acuerent adoleſcentium ingenium, & importunam voluptatis appetitionē cohiberent. Qua de reſplendidè & verè Agellius, qui á delectis eximiáque doctrina viris mutitationes fuiſſe factas meminit, & ab vnoquoque apparatum conuiuium, qui præmium ſoluendæ quæſtionis proponebat antiqui ſcriptoris Codicem, vel Græcum, vel Latinum, & coronam è lauro plexam, totidémque res quærebat, quot homines in ſigmate accumbebant. Illæ porrò quæſtiones fuerũt huiuſmodi, *aut ſententia Poëtæ veteris lepide obſcura, non anxiè: aut hiſtoria antiquioris requiſitio: aut decreti cuiuſpiam ex Philoſophia perperam vulgati purgatio; aut captionis ſophiſticæ ſolutio, aut inopinati rarioriſque verbi indagatio, aut tempus item in verbo perſpicuo obſcuriſſimum.* Quæ omnia perſpicuis exemplis ab Agellio illuminantur. Conſimiles quoque exercitationes Athenæus memorat, vt quæ pertinent ad literarum & ſyllabarum contemplationem verſúſque Poëtarum. Exempli cauſa propoſito vno verſu Iambico, poſcere vt alius ex Poëta quopiam ſimilem recitet, qui eandem ſententiam contineat. Item ſingulorum Ducum qui ad Troianum bellum è Græcia profecti ſunt nomina eloqui, vel etiam Principum Troianorum. Item Aſiæ ciuitatem vnam à propoſito quolibet elemento nominare, vel etiam aliarum prouinciarum, quæ in Græcia, vel in diſſitis longè regnis imperiiſque viſantur. Qui luſus, vt doctus ille ſcriptor ait, ad parandam rerum cognitionem ac doctrinam non parum prodeſt. Præmium autem in his fuit, aut corona, aut laudatio

Athen. l. 10.

& plauſus, quibus maximè delectantur qui mutuò ſeſe amant.

Si Philoſophiæ illi duces in eo curſu honeſtatis & expoliendæ cognitionis perſeuerare conſtantiſſimè voluiſſent, benè cum illis & humano genere fuiſſet áctum, ſed mutata fuit ratio, cum ſummo dedecore ſapientiæ & infamia. Cœperunt enim inter conuiuandum, fœdè & flagitioſè quærere de rebus turpiculis & obſcœnis, de ingurgitatione voluptatis, de menſarum exquiſitis delitiis, de cupediis, de piſcibus qui palato ſint omnium ſuauiſſimi: vbi victoribus præmia fuerunt, φιλήματα, *baſia*: quo nihil dici poteſt Philoſophia indignius. Quin inuentus eſt de numero philoſophantium vnus, Perſæus nomine, nullius conſilij homo, inconſideratæ potius temeritatis, qui συμποτικοὺς διαλόγους è Stilponis & Zenonis commentariis concinnauit, in quibus ille quærit, quando in conuiuium formoſi adoleſcentes, formoſæque virgines perducendæ ſint, quando venuſtate gratiáque commendabiles admittendi, de opſoniis, de panibus, de oſculis, de aliis huiuſmodi, quæ lenoniam potiùs ſcholam, quàm ſapientis redoleant. *Laſciuia inducta in cœnas Philoſophorũ.*

Hinc ortæ quoque Sophiſtarum quæſtiones in conuiuiis ineptæ, inamœnæ, plenæ contentionis, quæ ad Thracas ferocientéſque Centauros amandandæ videantur. Semper enim Sophiſtæ contentioſi pinguntur in triclinio, in quos haud ineleganti ioco torqueri illud poteſt, *Sophiſticæ quæſtiones & nugæ in conuiuiis.*

> Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα.
> *Ite citi ad menſam linguáque laceſſite Martem.*

Eorum igitur quæſtiones iure Plutarchus appellat ζητήσεις εἰς ἁμίλλας ἀτερπῆ καὶ ἀγῶνα σοφιστικὸν ἐκφερομένας, *quæ ad ingratum certamen & ſophiſticam contentionem efferant*, quas proinde à conuiuiorum humanitate longè abeſſe iubet. Irriſit eas bellè Antigoni libertus, homo donis fortunæ cumulatus & ingenio magnus, qui Philoſophos cùm vocaſſet aliquando ad conuiuium, & minutulas eorum quæſtiones faſtidioſè audiret, ab iis ludens quæſiit, cur ex nigra & alba faba pulmentum vnius coloris edatur. Sic Cerephon ridiculè Gorgiæ quondam Sophiſtæ propoſuit, διὰ τί οἱ κύαμοι τὴν μὲν γαστέρα φυσῶσι, τὸ δὲ πῦρ οὐ φυσῶσιν, *Cur fabæ ventrem inflant, ignem verò minimè.* Iſtius generis multa ab iis Phi- l. 7. Symp. q. 8. Macrob. l. 7. Saturn. Philoſt. de vit. Soph.

loſophiæ laruis in medium adducebantur, quæ & aures omnium obtunderent, & lætitiæ voluptatem omnem extinguerent, quæ in cœtu amicorum capi ſolet.

SECTIO IV.

Profligatur quæſtio, & concluditur, honeſtis in conuiuiis adhibendam eruditionem, ſed cum modo.

HACTENVS poſui ante oculos veluti faciem antiquitatis & conuiuiorum modos, quantum fieri breuiſſimè potuit: quanquam vereor vt etiam hæc pauca meritò vobis ἀπροσδιόνυσα, & nimium multa videantur. Sed faciliùs mihi nunc erit veſtram illam controuerſiam dirimere, num ad menſam ſit doctrina & guſtus quidam eruditionis adhibendus. Imprimis hoc ſtatuo, nulla ratione probari poſſe, vt omnis humanitatis cognitio liberaliórque doctrina è conuiuiis exturbetur. Eſt enim is dulciſſimus animæ cibus, adeóque hominum proprius, qui mentis & rationis compotes, & miranda intelligẽtia præditi, alias quærere debent voluptates, quàm quæ tardis languidíſque pecudibus conueniunt. λόγοι καλοί, τῆς ψυχῆς τροφή, ait quidam verè & ſapienter, quos non minus, quàm Mineruæ lampadem auream in conuiuio retinere debemus. Fingit Homerus, Calypſonem appoſuiſſe Mercurio ambroſiam dignam Deo potionem, quæ qualis fuerit, eius interpres Euſtathius exponit, nihil enim aliud fuiſſe vult, quàm ὁμιλίας συμποτικὴν, dulces quoſdam & præſidi eloquentiæ Mercurio iucundos ſermones, magnificentiſſimo in conuiuio celebratos. Quod idem fuiſſe νηπενθὲς Helenæ, illud nimirum delinimentum inuſitatum & mirabile, quo mœror & perturbatio omnis ex animo eiiciebatur, doctiſſimi viri monuerunt.

Clariſſimi viri eruditis ſympoſiis delectati.

Itaque video claros viros omnium ſæculorum memoria, quî prudentia conſilióque præſtiterunt, ſacros, profanos, omnium ordinum homines, ſuauiſſimam illam ambroſiam ſtudioſiſſimè adhibuiſſe. Erit in æterna gloria Pius ſecundus Pontifex Maximus, de quo multa cùm proferri in medium

poſſint, ad animi decus & excellentiam prædicandam, tum illud in annalium monumentis legere memini, *Inter cœnandum de ſtudiis bonarum artium loquebatur, memoriam veterum repetebat.* Platina. Conſimili in laude pono Pium 4. qui clauum item religionis ſumma poteſtate moderatus eſt, cum verò ſcribit Onufrius delectatum viris egregiis, literatis præſertim, eorúmque conſuetudine libenter eſſe vſum, *ita vt eius menſa doctorum virorum quaſi quoddam Gymnaſium eſſe videretur.* Onufr. in vit. Simile quiddam in iis quoque video, qui voce & armis imperium orbis terræ ad dominatum ſuum adiunxerunt. De Auguſto eſt egregium & cõmemorabile id Philonis Iudæi teſtimonium, *Non ſummis labris philoſophiam guſtauerat, ſed plerúmque in conuiuiis quæ fere quotidiana erant, memoria retractabat, quæ à Philoſophis didicerat, aut ex doctorum virorum quos domi alebat conſuetudine. Nam cœnæ tempus vt plurimum* ἀπενέμετο τοῖς ἀπὸ παιδείας *tribuebatur eruditis fabulis, vt non ſolùm corpus, verùm & anima ſuis reficeretur delitiis.* Philo de leg. ad Cai. De Catone Vticenſi ita ſcriptor ſapiens, ὁ πότος εἶχε μοῦσαν πολλὴν καὶ χάριν, ἄλλων ἐπ' ἄλλοις λόγων φιλοσόφων κυκλούντων, *fuit inter pocula erudita confabulatio & feſtiuitas, aliáſque ex aliis diſputationes à philoſophia minimè abhorrentes verſarunt.* Plutar. in Cabon. Vtic. Hoc autem ego eſſe dixerim cum Heliodoro doctiſſimo Antiſtite τὸν Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθιδρύειν καὶ λόγων ἥδυσμα τῷ πότῳ συναναχέειν, *Bacchum Mercurio adiungere, & cùm potu miſcere orationis ſuauitatem*; Heliodor. l. 5. Æthio. vel vt ſcitè & venuſtè Plutarchus, non modò Nymphis, verùm & Muſis Bacchum diluere. Plutar. l. 1. Symp. q. 1. Non eſt verendum, ne laſciuia & libido, & illa turpium hominum obſcœnitas, de qua paulò antè loquebamur, in hæc triclinia introëat, vbi Virtus & Pædia ſunt σινόπλαι & Modimperatrices. Quare haud exiguam eam laudem eſſe puto, qua Plinius Traianum afficit, cùm ait eius menſis *non petulantiam obſcœnam oberraſſe*, verùm potius *ſtudiorum honorem*. Plin. ſecũd. in panegyr. Illud idem honeſtiſſimæ genus voluptatis, appetitionem cibi & potionis vehementem & immoderatam comprimit, quæ ſæpè, velut excuſſis habenis rationis, in ſtruices patinarum inuolat, & rubro gurgite naufragium patitur. Quem modũ retinendæ modeſtiæ & dignitatis, ſapienti conſilio adhibuiſſe Opilium Macrinum autor eſt Capitolinus, *Adhibuit*, inquit, *conuiuio literatos, vt loquens de ſtudiis liberalibus neceſſariò abſtineret.* Capitol. in Opil. macr. Sed rei

quidem honeſtas, & fructuoſiſſimę vtilitates tot ſunt & tantæ, tam in medio poſitæ, vt vix vllus copioſiſſimus in dicendo, eas omnes vberi oratione perſequatur.

Iuuenta ſapientum ad humanitatem in conuiuiis retinendã. Agell. l. 3. c. 16. Idem l. 9. c. 9. Porphyr. Suidas. Sido. Apol. l. 2. ep 9.

Neque poſſum non mirari & beneuolentiſſimè prædicare excogitatas ſapientum rationes, quibus ad literatos conuiuiorum ſermones imbutam rectiſſimis diſciplinis iuuentutem incitare voluerunt. Phauorinus in cœna iubebat legi Græcarum aliquid literarum aut Latinarum: Agellius quidem cùm adeſſet, legi de more vidit C. Baſſi eruditi viri librum de Origine verborum, vbi docta ipſius Phauorini diſputatio conſecuta eſt, plena humaniſſimæ delectationis, quæ politæ iuuentutis curioſitatem ad cognitionem rerum incendit. Alias Theocriti Bucolica legebantur, & Maronis, cum iudicio & contentione vtriúſque, vnde fiebat non minima eruditionis acceſſio. Plotinus in natalitiis Platonis & Socratis, conuiuio amicos excipiebat, ſed ita vt quiſque orationem ritè & accuratè compoſitam, in cœtu omnium qui vocati fuiſſent, voce clara & ſuaui pronunciaret. Epicharmus Syracuſius ad ſingula conuiuiorum fercula, adagium & verſiculos adiicere ſolere dicitur. Par doctorum conſuetudo in Gallia, quam Sidonius Apollinaris ſuis literis explicuit, ſic enim apud ipſum de conuiuio, ***Inter bibendum narratiunculæ, quarum cognitione hilararemur inſtitueremúrque, qui eàs bifariam orditas lætitia peritiáque comitābantur.*** Patere igitur Iuuenti, me cum his viris omnium confeſſione maximis labi & errare, qui me aiebam fabulis literatis in edundo paſci & recreari: hoc tamen intellige, ſi Pædia in triclinium acceſſerit, mox eo venturas ſplendidiſſimas virgines ſingulari venuſtate, quæ comitari dominam ſolent, Verecundiam dico, Modeſtiam, Temperantiam, Honeſtatem, aliáque humanæ vitæ ornamenta, quem diuinum & amabiliſſimum chorum, nemo niſi impius opinor eiecerit.

Quatenus eruditio inducenda in cœnationem.

Neque verò hic tu Victor nimium glorieris & geſtias, cuius pectus inuſitato quodam amore tenet Philoſophia, quaſi ego cùm eruditionẽ nomino, Philoſophiæ genus omne intelligã, quod inducendum in cœnationem videatur. Non eſt ita; ſcio multa in ſtudio ſapientiæ caligine inuoluta & abſtruſa arcanáque videri, quæque iure nominem myſteria, in quibus meditatione comprehendendis, vel explicandis oratione, mens

omnis ſit laborioſiſſimè intendenda. Quæ omnino vir intelligens & maturo iudicio præditus, à iucundo amicorum conuiuio reiici oportere iudicabit, ne lepidi Poëtæ Aſtydamantis quiſpiam id obiiciat,

Ληρεῖς ἐν οὐ δέοντι χαιρῷ φιλοσοφῶν.

Nugaris non congruenti tempore philoſophans.

Oportet verſari in conuiuiis ſermones vt caſtitate integros, ita appetibiles venuſtate, ait Macrobius: addo & faciles & communi eruditione iucundos, quales è penu hiſtoriarum & Poëticæ, & omnigena philologorum varietate poſſumus eruere. Peritè id Plutarchus lib. de tuenda ſanitate, *Hiſtoricas & Poëticas quæſtiones non ineleganter quidam, literatorum hominum ſecundas menſas dixerunt.* Eſt igitur id doctrinæ genus libandum, quod honeſta cognitione mentem alere poſſit, non excruciare, atque adeo veluti epularum ſit condimentum ad omnium guſtum & voluptatem comparatum. Dixit quidpiam in hanc rem Plinius ſecundus ille omnium ore, omnium admiratione celebratus, quod vt finiam diſputationem hîc repræſento, ſic enim ſcribit ad Cæcilium, *Veniam ad cœnam, ſed iam nunc paciſcor, ſit expedita, ſit parca, Socraticis tantùm ſermonibus abundet, in his quoque teneat modum.* Hunc igitur modum, Victor & Iuuenti, quantum fieri poteſt in conuentu & communione menſæ teneamus, ſi quo inquam modo fieri poteſt, auream hanc mediocritatem ſectemur, nam τοῦ μέσου τυχεῖν magnus Ariſtoteles longè omnium ait eſſe difficillimum.

Macrob. l. 1. ſat. c. 1.

Plutar. l. de ſanit.

Plin. l. 3 ep.

SECTIO V.

An aqua potus eloquentiam adiuuet, mentem acuat, prudenti oratori ſit vſurpandus. & primùm aduerſus aquam dictum.

ABSOLVTA diſputatione Honoratus, innuit puero vt vinum hoſpitibus daret, & φιλοτησίας κρατῆρα: ii cùm ebibiſſent, cùm iucundi amoris ſignificatione, aquam ipſe popoſcit. Hic miratus Iuuentius, Quid eſt, inquit, Honorate? an

obſecro aliquando in Arcadia fuiſti ad fontis Clitorij ſcaturiginem? nam

Ouid. l. 15. metamorp.

Clitorio quicúnque ſitim de fonte leuauit
Vina fugit gaudétque meris abſtemius vndis.

Reſpondet ſe in Arcadia nunquam fuiſſe, ſed in Mineruæ & Apollinis patria, vbi literarum & ſapientiæ ſtudioſi aquam bibunt. Illi me, inquit, docuerunt, hunc νήφοντα θεὸν (aquam ita Plato nominabat) colere, eiúſque mihi præſidium ad declamandum orandúmque aſciſcere. Pace tua dixerim, ait Iuuentius, Honorate falleris, niſi me fallunt boni & periti ſcriptores, qui mirifica animi conſenſione vinum aiunt ad exſuſcitandam vim ingenij colligendámque eruditionem valere. Hinc Chæremon tragœdiarum ſcriptor haud ignobilis, vino conciliari bibentibus ait σοφίαν, εὐμάθειαν, εὐβουλίαν, *ſapientiam, docilitatem; bona conſilia.* Quæ cauſa fortè fuit cur Diphilus qui ſcenam ingenio ſuo celebrauit, Bacchum nominaret σοφώτατον, Plutarchus autem è totius antiquitatis mente *Eubulum.* Cùm autem vinum diuino beneficio hominibus conceſſum, ingentia commoda, & incredibiles vtilitates omni hominum generi adferre ſoleat, tum maximè id oratori puto neceſſarium & glorioſiſſimæ iſti eloquentiæ, cui vni in hoc docto ſeceſſu, das operam Honorate, ad limandam poliendámque illam copiam, quam es in forum & Curiæ lucem allaturus. Eſt enim Alexandri Aphrodiſienſis id effatum longè veriſſimum. *Vinum ſi exiguum bibatur ſalubritatem largiri, ſi modicum,* FACVNDIAM *parere.*

Dion. Lóg.

Athen. l. 2.

Alexand. Aphrod. l. 2 problem.

Non videri aquam idoneam oratoris muneribus.

Atque vt liquidius quod in mente habeo, diſtinctiúſque enunciem, in Oratorij muneris functione, video requiri vim, robur, ſanitatem, acumen & vbertatem in dicendo; è quibus nihil penitus eſt, quod expectari ab aquæ potione valeat, nihil quod non eximiè à vino tribuatur. Nam ſi vox & contentio in dicente requiritur, ſi lacerti ſpiritúſque vehementia, ſi generoſa quodammodo oratio, quid pectus efficere queat robuſtius & valentius, quid ſplendidam & canoram vocem generare, quàm vinum? Quo reſpexit, opinor, Philoxenus ille Citherius, qui dulce nectar & Venerum ſuauitudinem ſuis carminibus illeuit: is enim πάμφωνον indigitabat vinum, *vndique reſonans*, in orando animoſum. Hinc exiſtit plenum dignitatis & magnificum genus humanitatis in oratore, & viuida vis animi,

animi, quæ promptum & paratum efficit, ad eludendas aduerſariorum petitiones, & Actores eos ψυχρολόγους & languidos illudendos, qui odioſa & vt ita dicam aquea lentitudine, nauſeam audientibus pariunt. Itaque hos videas hærere in curſu orationis, frangi animo & debilitari, & pronuntiando titubare, illos autem geſtire & triumphare, & more Vlyſſis niuem quandam exuberantis eloquentiæ deuoluere. *Vino continentéque oratione concalefacti verba facilius poſſunt copulare*, neque fiunt ἰσχνόφωνοι, hoc eſt *lingua hæſitantes*, vt aureum flumen orationis fundens ſcribit Ariſtoteles. Ariſt.ſect. 11.probl.54 Sanitatem verò ad ſuſtinendos in dicendo labores, qui feruntur eſſe grauiſſimi, neceſſariam, quid tueri vel commodius augere poſſit, quam Baccheius iſte liquor prudenter & honeſta moderatione ſumptus? Nam ſi quidem nihil ad ſanitatem pertinuiſſet, non prodidiſſet quondam ex oraculo Pythia, vinum ſeu Bacchum nominandum eſſe Υγιάτλω, id eſt, *præſidem ſanitatis*, quod Mneſitheus literis prodit. Nec conſideratè minus dictum eſt à Platone, vini vſum ὑγιείας ἕνεκα, *ſanitatis cauſa* inductum & repertum fuiſſe. Plat.l.2. de leg.

Iam verò vis illa ingenijque ſplendor & acumen, illa vegetæ mentis diuina præſtantia, ad difficilium rerum ſcientiam, ad negotiorum confectionem idonea, num ali & effloreſcere poteſt, niſi hoc coagulo fota, hoc irrigata fluento, hac purpura circumueſtita? *Vigor mẽtis & acumen à vino.* Audite Marium Victorinum ſanè ingenioſum & eruditum, vt eius ingenij monumenta declarant, cuius ipſam hic orationem adferre lubet, ne quid imprudens de doctiſſimi hominis ſententia decerpam, Mar.Vict. l.4 art. Gram. *Apud Veteres*, inquit, *plerique Poëtarum Oratorúmque ad excitandum calorem animi, vino hauſto velut incentiuo torpentis in ſe naturæ, ſeu ſenioris ingenij, cùm id ſibi pulchrè proueniſſe experti didiciſſent, ſcripturam propoſiti operis aggrediebantur. Teſtis huius rei etiam Horatius, apud quem legimus, Narratur & priſci Catonis ſæpè mero incaluiſſe virtus.* Hæc ille, qui fortè lapſus vini ſuauitate in fallacem opinionem videretur, niſi eandem viri ſapientes comprobauiſſent. Plutarchus enim hoc prope ipſum ita expoſuit, *Nonnulli ingenio ad inueniendum apto, ſed dum ſobrij ſunt minus audaci & quaſi concreto, quando ad pocula ventum eſt*, ὥσπερ λιβανωτὸς ὑπὸ θερμότητα ἀναθυμιῶνται, *thuris in morem à calore correpti* l.7.ſymp. q.10.

Plato concedit largiores inuitatiŭculas. *exhalauerunt*. Itaque Plato philoſophiæ magiſter, & coryphæus quidam ſapientum, non modò largiores concedit, atque lætiores inuitatiunculas ad bibendum vinum in conuiuiis, ſed etiam ad eas inuitat, vt fructuoſiſsimas humano generi & maximè ſalutares. Nam & *modicis honeſtiſque inter bibendum remiſsionibus, refici integrarique animos, ad inſtauranda ſobrietatis officia exiſtimauit, reddique eos ſenſim lætiores, atque ad intentiones rurſus capiendas fieri habiliores*, verba ſunt Agellij in veterum ſcriptis diu multúmque volutati. Et ex eodem fonte hauriens Macrobius, *Plato*, inquit, *exiſtimauit fomitem eſſe quẽdam & incitabulum ingenij virtutiſque, ſi mens & corpus hominis vino flagret*. Atque vt pergam viros clariſsimos attexere, qui è tabernaculo philoſophiæ prodierunt ad inſtituendos hominum mores, Seneca literarum monumentis protulit, fieri animum vino vegetiorem, & expedire nonnunquam bibere vſque ad ebrietatem: Solonem enim Arceſilaúmque ita vino indulſiſſe: ſic euenire, vt excitetur mens & grandia concipiat, remota paulisper inamœna ſobrietate. *Nam ſiue Græco*, inquit, *Poetæ credimus, aliquando & inſanire iucundum eſt: ſiue Platoni, fruſtra Poëticas fores compos ſui pepulit: ſiue Ariſtoteli, nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuit. Non poteſt grande aliquid & ſupra cæteros loqui, niſi mota mens. Cùm vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctúque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali*. Hæc igitur magna & mirabilia vini potione fieri ait, quæ *ab imo animum mouet*: quæ tanta ſunt, vt beatum oratorem futurum putem, & in agendo ſumma gloria & omnium commendatione triumphaturum, qui hanc animi inflammationem, hũc inſtinctum, hanc diuinæ mentis ſimilitudinem fuerit conſecutus.

Agell. l. 15. c. 2.

Macrob. l. 2 ſatur. c. 8.

de tranq. an. c. vlt.

Vinum triſtitiam diluit. Deinde quantum illud vini commodum exiſtimemus homini ſtudioſo literarum, & negotioſiſsimis in rebus occupato, quod triſtitiam eluit, & emollit omnem animi acerbitatem? Videmus enim eos qui ſe abdunt in Muſea, & continua ſtudiorum intentione frangũtur, ſæpe fieri in communi vita moleſtos & acerbos, & dulcem amicorum familiaritatem vultu & oratione lædere, qui mihi haud ſatis tueri poſſe videntur oratorium nomen & dignitatem, cùm ſit neceſſe omnium beneuolentiam ſibi adiungere ad perſuadendum. Qui ſi tamen

eam frontis animíque triſtitiam vino diluerint, ſi lætis felicibúſque auguriis, in fano Modeſtiæ, Baccho ſimul Gratiiſque litauerint, næ ij longè futuri ſunt aptiores ad copiam ſuam explicandam, animóſque omnium audientium quo ipſi volunt impellendos. Zeno Cittieus de quo nobis veterum annalium monumenta, eximia multa referunt, cùm eſſet nimium moroſus, in amicos durus, aſper, iracundus, ferocienti quodam ingenio & natura, multo vini hauſtu ἡδὺς ἐγένετο καὶ μείλιχος, *lenis*, *ſuauis*, *placidúſque fiebat*, & ad omnem humanitatem animique temperationem veniebat. Cúmque tantæ mutationis cauſa ab eo quæreretur, idem ſibi euenire aiebat, quod lupinis, qui priuſquam madefiant aqua ſunt amariſsimi, poſtea verò quàm macerati ſunt & imbuti, dulciſsimi & mitiſſimi. Quæ cùm apud me cogito, ſic iudico, tanta eſſe in vino præſidia non modò ad eloquentiam, verùm etiam ad omne genus literarum & ſapientiæ, vt ſine illo, vix præſtabile quidpiam & gloriandum poſſit effici. Athen. l. 2.

Quare hoc orbis terræ iudicio, his vocibus ſapientum, hoc omnium prope philoſophorum teſtimonio fretus, non mea prudentia, quàm nullam aut perexiguam eſſe confiteor, te paulò antè aiebam opinione tua falli, Honorate, qui neſcio qua perſuaſione inductus, vt in Charybdim, ſic in illam aquæ puræ conſuetudinem incidiſti, quæ tibi ſit aut inutilis, aut etiam pernicioſa futura. Quam enim vtilitatem potes capere ex ea potione, quem ingenij vigorem, quem animi impetum honeſtámque audaciã, quam negare non potes quin eloquenti & permouendis hominũ affectionibus idoneo ſit neceſſaria? Vetus verbum eſt omnium gentium experiẽtia comprobatũ, ὕδωρ δὲ πίνων χαλὸν οὐ τέκοις ἔπος, *aquam bibens pulchram non paries orationem*, quod acroama leuiter immutatum, Niceratus, aut quiſquis ille eſt lepidus è Græcia Poëta, verſibus ſuis illigauit. Itaque de iis qui fruſtra eloquentiæ darent operam, & inutili conatu pulcherrimũ illud ingeniorũ decus appeterent, olim dicebatur, ἄλλως ἀναλίσκεις ὕδωρ, *fruſtra conſumis aquam*, quod è fontibus, atque humido ranarũ domicilio, illud neſcio quid magnũ atque diuinum nequeat exiſtere. Ego ſanè animo commoueor, & amici omnes tui ſat ſcio metuent, ne ſi in ea ra- Suidas. Antholog. Græc.

tione perſeueres, pro dulci, magnifica, & copioſa oratione, quod potes, humilem quandam & exanguem, & vt propriè dicam ieiunam ſis habiturus. Quam ob cauſam opinor Empedocles aquam νῆστιν appellauit, quod qui eam bibunt ieiuni videantur, quod ne fiat, tibi eſt maturè prouidendum. In conuentu erudito cùm olim quæreretur, quæ ſuauiſſima eſſet aqua exiſtimanda, & hi quidem Lerneam eſſe dicerent, alij autem è Pirene; Carneus elegantiſſimi vir ingenij, quod Philoxenus etiam ante aſſeruerat, optimam eſſe dixit, qua manus abluuntur. Venuſtè ille quidem, & vt ita dicam [illegible]σιτικῶς, quod qui manus abluunt, ſint epulis continuò excipiendi atque cœna. Sed ego lympham eam eſſe putem & ſuauiſsimam & optimam, quæ cùm vino ſapienti quodam modo & temperatione miſceatur, vnde velut auſpicatiſsimo è connubio, & matrimonij ſocietate, pulcherrimi fœtus oriuntur, Mens, Humanitas, Hygia, Pædia, Facundia. Hæc ſi apud te reputes Honorate, facilè intelliges, tibi cum Baccho redeundum eſſe in gratiam, hoc ipſo in loco atque tempore, nihilque verius quàm quod Alexis Poëta canit, *Vinum reddere homines* φιλολόγους, hoc eſt mea quidem opinione, eruditos & oratione copioſos. Quod fiet a te lubentius ſi Victoris cohortatio acceſſerit, qui vt eſt philoſophiæ ſtudioſus, & multiplici rerum cognitione præditus, & plura poteſt ſapientum teſtimonia proferre, quàm à me fuerit factùm, & rem totam longè elegantius vberiúſque explicare.

Laërt. l. 8.

Athen. l. 4.

SECTIO VI.

Proprium Philoſophorum quondam fuiſſe aquam bibere. imò & ſanctiſsimos viros hydropoſia vſos ad intelligentiam acuendam. Diluuntur ſuperiora.

ΠΑξ πὰξ Iuuenti, ait Victor; tu velut in Aſiæ bello ad Troiam, vbi heroës cum diuis pugnarunt, in Neptunum aquarum deum, omnibus orationis copiis inueheris: neque tibi venit iſtud in mentem, quod cygnus è Bœotia canorus & ſublimè volans cecinit, ἄριστον μὲν

ὕδωρ. Scio quoſdam aquæ potionem repudiaſſe vt noxiam, neque ſatis vel animo vel corpori accommodatam: Amphis etiam Comœdiæ ſcriptor quoſdam aquam bibentes fieri ait *ἀβελτέρους, ſtupidiores*. Verùm Iuuenti, ſi ad doctores ſapientiæ Philoſophos diſputationem hanc reuocas, nimirum cauſa cecidiſti. Eſt enim hoc commune Philoſophiæ decretum, à Bacchi donis & muneribus abſtinendum, & aqua ſola contentum eſſe, vt pura mens & defæcata in illuſtrium rerum contemplatione verſetur, quod non modò in doctis clariſſimorum hominum ſcriptis, ſed in vita moribúſque ſapientum perſpicuè cernitur. Epictetus ad virtutis meditationem & experimentum, abſtinendum à vino delicatiſque cibis, vt doctor bonus & exquiſita prudentia iubet, vt qui mentem ad philoſophandum adiiciunt, in aureo moderationis gyro contineantur. Illud enim, credo, meminiſtis, quod eſt apud Arrianum lib. 3. *Præceptum*, inquit, *eſt animi ſapientis, ἀσίτησον, ὑδροπότησον, ἀπέχου ποτὲ παντάπασιν ὀρέξεως*, &c. *Abſtine à cibis, aquam pota*, &c. quæ verba vt propylæis Gymnaſiorum inſcripta, introeuntibus in Philoſophiæ curriculum obiiciuntur. Lucianus de Cynico loquens Diogenis æmulatore, πίνεις μὲν γὰρ ὕδωρ, ὅπερ καὶ τὰ θηρία, *nempe aquam bibis, quam etiam bibunt feræ*. Batonis Poëtæ verſus, in eandem rem eximios, memini me apud Athenæum legere, vbi quidam Philoſophum alloquens, cur, inquit, homo infeſtiſſime genium defraudas tuum?

Arrian. l. 3. diſſect. 13.

Lucian. in Cynic.

Ἀλυσιτελὴς εἶ τῇ πόλει πίνων ὕδωρ.
Inutilis es ciuitati, tametſi aquam bibas.

Athen. l. 4.

E quibus clariſſimè hoc conſtat, fuiſſe commune philoſophantium inſtitutum, in ipſa veluti profeſſione illuminatum & inuſtum, *aquam bibere*. Pythagoras ſanè quam bibebat aquam, ita voluit apud omnem poſteritatem commendatam, vt per eam magnà quadam religione iuraret, & vnum de natura librum ita ſit exorſus, Οὐ μὰ τὸ ὕδωρ τὸ πίνω, οὐ κατοίσω ψόγον περὶ τοῦ λόγου τοῦδε, *non per aquam quam bibo admittam huius ſermonis vituperationem*: eum enim οἴνου μὴ γεύεσθαι, *penitus à vino abſtinuiſſe* produnt hiſtoriæ. Demetrius Phalereus panes & vinum ad Cratetem miſerat, vir clariſſimus non modò vinum repudiauit, ſed conuitium etiam di-

Summi Philoſophi aquam biberunt.

Laert. l. 8.

xit homini plus nimio liberali, cùm exclamaret, εἴθε γὰρ αἱ κρῆναι καὶ ἄρτους ἔφερον, *Vtinam & fontes panes ferrent*: conſtabat enim, vt ait Laërtius, ὡς ὕδωρ ἔπινεν, *aquam eum bibiſſe*.

Laert. l. 6.

Sed plena quidem exemplorum ſunt omnia, quæ declarent, principes illos inueſtigandæ veritatis in Philoſophia nobiles, eo potu ſumma animi voluptate vſos. Epicurus literis ad Meneceum gloriatur, aquam & polentam ſibi adferre ἀκροτάτην ἡδονὴν, *ſummam & beatiſſimam voluptatem*, quod tamen neſcio an conſtanter fuerit ab eo dictum, qui hominis felicitatem in naturæ titillatione, & ſenſuum omnium ſuauitate ponebat. Brachmanæ denique omnes, qui apud Indos Philoſophiam excolebant, οὔτε ἔμψυχον ἐσθίουσι, οὔτε οἶνον πίνουσι, *nec animatum comedunt, neque vinum bibunt*, vt ait Clemens Alexandrinus.

Clem. Alex l. 2. Strom

Neque tamen eo conſilio hæc dico, Honorate, vt tu velis eam vitæ inſtitutionem perſequi, quam ne quidem mihi imitandam eſſe putaui, cenſeo enim vinum moderatè ſumptum vim ingenio corporibúſque adiungere, & quod ferè inter omnes conſtat, valetudinem efficere meliorem & conſtantiorem. Tuum autem in deligendo potu conſilium non eſt meum reprehendere, monere hoc poſſum, tuis ſtudiis & dicendi contentioni longè meliùs opportuniúſque videri, ſi aquam meram, & vt Græci dicunt, ὕδωρ ἄκρατον abiicias. Potus enim frigidæ nimius, & calorem innatum extinguit, & pectus offendit, & neruis omnibus eſt inimicus, vt doctor Cous Medicorum antiſtes admonuit.

Hippocr. l. 5. aphor.

Benè habet, inquit Honoratus, non vnum modò Bacchum εἴδωλον exhibuiſtis, ſed duos conſiliarios amiciſſimos & experientes, qui inſtitutam potus rationem mihi diſſuadeant. Sed quoniam blandiens illa veſtra oratio, & Lyæo delibuta, haud ſanè à meo me propoſito conſilióque demouent, eſt breuiter mihi oſtendendum, non dubiis me auctoribus id elegiſſe quod facio, ſed clariſſimis atque omnium ſapientiſſimis antiquitatis luminibus, qui exemplo aureíſque dictis mihi præluxerunt. Atque imprimis hoc ſine fuco fallaciíſque dicam, vos iocari & ludere mihi viſos, non ex animi ſententia diſſerere. Nam tu, Victor, cùm in medium in-

Digitized by Google

duxiſſes ſacram hominum choream, qui conſertis veluti manibus vna cum Nymphis Gratiiſque, modos ſapientiæ concinerent, & ad numerum elegantiſſimè tripudiarent, méque pararem ad diuinum eum numerum adiungere, ſubitò reuocauiſti, & meis ſtudiis id minus commodum fore dixiſti. Ego verò intelligere non poſſum, quomodo illud quod tot & tantis ſapientiæ ducibus opportunum fuit, ad ſublimium rerum intelligentiam comprehendendam, & cognoſcenda naturæ myſteria & arcana, quæ in media Philoſophia penitus abdita & retruſa latent, non item poſſit ad eloquentiæ decus, ad iuris & legum interpretationem, ad communium rerum cognitionem prouehere. Ἀσύστατα ſunt illa tua, ſed polito & ſubtili ingenio compoſita, ad veri ſimilitudinem & figuram, quæ vt à te animi cauſa ſuauiſſimè concinnantur, ſic cùm diluxit, non inuitus ea ſoles ponere. Inter alia diſciplinæ capita, quæ Zeno auditoribus ſuis proponebat, hoc vnum fuit præcipuum, ἐπιπιεῖν ὕδωρ, *aquam bibere*, vt ex Comico meminit Clemens Alexandrinus: haud profectò eſt æquum, vt qui Philoſophia gloriaris, iam ſcientiæ animíque magnitudine ſupra reliquos homines elatus, Zenonium hunc fontem, vt ad Silenos capiendos, ſic ad doctas hominum mentes vinciendas commutari in vinum exoptes. Clem. Alex a. Strom.

Tu autem, ingenioſiſſime Iuuenti, qui non ſecus ac vitem Centurionis, ita vinum elegantium hominum & eruditorum inſigne eſſe voluiſti, qui tantùm non Panegyricum Baccho, velut in Olympiis, ſophiſtico more ceciniſti, quid eſt de dulci illo humore à te quæſitum, ad eximiam quandam laudem & prædicationem, quod non melius in fontium latices, & liquida hæc Prouidentiæ dona conueniat? Vinum aiebas, vim, vigorem, & ſanitatem hominibus conciliare. Ad populum phaleras, Iuuenti; illa ſcholaſtico fuco illita, corollis poëticis amœnata, Rhetorum myrothecio inuncta, multitudini & coronæ ſeruentur, in cœtu intelligentium iaceant. Sic enim conſtat, non modò Bacchum non ſalutem valetudinémque adferre, ſed potiùs magnam hominum partem illius prope dicam veneni contagione conſumptam, rubro in vino purpuream mortem inueniſſe. Vrbes fama inclytæ vino ſepultæ hauriuntur, non vnum mo-

dò Alexandrum, quem nulla hoſtium vis, nulla tela conficere potuiſſent, Herculeum poculum miſerando caſu afflixit, ſed quotidie in omnium luce & conſpectu ſtrages fiunt ebriorum, aut etiam alioquin innocentium, qui minus cautè cum blando illo hoſte colludentes ſubitò abiiciuntur. Sed hoc non ago: quæ in hanc rem dici poſſent, hîc ſilentio prætereantur. Quid? nihil ne vndam ad ſanitatem conferre putas? Vnde igitur longa illa vita ſpatio prope infinito propagata maiorum, qui à mundi & excitatæ naturæ initiis, per multas ſæculorum ætates ſine vino effloruerunt? *Aquam biberunt* (ait Palladius Cappadociæ Antiſtes) *Pythagoras, & Diogenes, & Plato, & reliquus cœtus Theologorum Philoſophorum.* Hoc eodem potu ſunt vſi magni viri, ſolitudinis & eremi columnæ, qui vitæ animæque innocentia cum beatis mentibus certarunt; quorum tamen longiſſimas fuiſſe ætates, firma corporis affectione continuatas videmus. Quinimo conſtat, è veteri memoria Philoſophos, diuina mente conſilióque præditos, cùm vitæ & communium miſeriarum tædio lucem odiſſent, animúmque vellent agere, non alio toxico vſos, quàm vini potione, cùm aquæ puræ & alumnæ beneficio diutiùs viuere potuiſſent. Stilpo clarus in Philoſophia, cuius Zenonem Stoicorum principem auditorem fuiſſe volunt, cùm ſenectus grauius eum afficeret, vinum hauſit vitæ longioris faſtidio, ὅπως θᾶττον ἀποθάνῃ, *vt citius moreretur*, teſte Laërtio, quo etiam referente didicimus, Epicurum cùm ἄκρατον petiiſſet, ſupremum vitæ diem obiiſſe.

Ex aquæ potu ſanitas.

Epiſt. ad Lauſum.

Laert. l. 2. idem l. 10.

Ad mentis acumen opportuna hydropoſia.

At vinum mentem exacuit, & impulſu veluti magnifico & diuino attollit. Id nonnulli quidem prodiderunt, qui cupiditatibus ſuis velificantes, & voluptati blandiſſimæ dominæ obnoxij, lautæ menſæ patrocinium ſuſceperunt. Quid ſi oſtendo illa eadem veriùs aquæ, huic, inquam, ſaluberrimæ potioni & caſtiſſimæ conuenire? Audite igitur Eubulum, non Bacchum illum veſtrum, ſed eo nomine Poëtam opinione mea maximum, qui ſeriò grauiſſiméque aſſeruit, eos qui ſolam aquam biberent, eſſe εὑρετικούς, *inueniendis rebus peracutos & ingenioſos.* Pythagoras autem à quo non modò Italia exculta fuit diſciplinis, ſed infinitæ propè regiones eruditæ, aiebat

Athen. l. 2.

aiebat iis qui ſimplicem aquam biberent, *καὶ σώματος ὑγίειαν,* Laert. l. 8.
καὶ ψυχῆς ὀξύτητα παραγίνεσθαι, & corporis bonam valetudinem,
& ingenij acumen prouenire. Sed ne profani modò ſapientes, *Sancti viri ad deſcẽdum ingenium vſi aquę potu.*
quos tamen ſcholæ omnes venerantur, non ſat ponderis apud vos habeant & autoritatis, habemus diuina oracula & paginas, Dei afflatu piis monumentis impreſſas, quæ ſignificent, aquæ potum reddere mentem ſagaciorem, & plurimùm ad ſapientiam, & ſubtilium rerum cognitionem valere. Salomon ipſe non tam Iudeæ, quàm ſapientiæ Rex & moderator, cùm de ſe loquitur, id myſterium & pleriſque hominibus ignotum aperuit. *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abſtrahere à* Eccleſ. 2.3.
vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam. Imitati illum ſunt tres illi adoleſcentes inuicti & mirabiles, qui quod aquam biberent, & leguminibus veſcerentur, ſummo ingeniorum acumine fuerunt, & incredibilem ſunt à Deo cœleſtium & occultarum rerum intelligentiam conſecuti. Id viderunt etiam Chriſtiani heroes eſfloreſcente religione, & cupidè ſequi voluerunt, quorum inſignem, & longè & latè collucentem moderationem beatus Cyrillus oratione propa- S. Cyrill. l.
gauit. Qui Iuliani improbiſſimis commentariis impudentiæ- 7. in Iulian.
que reſpondens, qui de cibis quædam Chriſtianis obiecerat, autor eſt, multos in Eccleſia præſtantes fuiſſe viros, qui pura tantùm aqua bibendo vterentur, quo *mentis oculum* magis acrem & acutum haberent ad res diuinas contemplandas. Itaque Origenem portentum illud ingenij & doctrinæ, ait Zonaras, *οὐκ οἴνῳ κεχρῆσθαι, à vino abſtinuiſſe.* Sic Baſilius Zonar. to.
mente, ſcientia, & pulcherrimis facinoribus magnus & incly- 2. in Seuer.
tus, cùm ad ſapientiam contenderet, in curſu grauiorum ſtudiorum, *aqua ſemper eſt vſus*, vt Amphilochius in eius vita prodidit. Sciebant illi viri doctiſſimi, qui omnium veterum ſcripta gnomáſque excuſſerant, à Poëta principe iure aquam nominatam fuiſſe, *ἱμερτὸν, optabilem & iucundam*, à Clemente ve- l. 2. pędag.
rò Alexandrino *σωφροσύνης φάρμακον, temperantiæ medicamen-* c. 2.
tum. Neque enim memoriam obturbat atque ſenſus, neque mentis luminibus officit, ſed vt eſt apud Athenæum, ex Dioclis & Pythagoræ ſententia, *ὕδωρ ὀξυδερκὲς καὶ ἥκιστα καρηβαρικόν, καὶ κινητικὸν ψυχῆς καὶ σώματος, videndi aciem intendit, mi-*

KKk

nimè caput onerat & (quod eſt maximè optandum Oratori) animi corporiſque motum facilem ac promptum reddit.

SECTIO VII. *Oſtenditur clariſſimos Oratores à vino abſtinuiſſe, idque videri commodum. Qui ad agendas cauſas ſe olim parabant, ſolenni more bibebant aquam.*

SED commodè Oratoris mentionem feci, quod pars magna orationis tuæ Iuuenti, conſumpta eſt, vt oſtenderes nihil eſſe ad eloquentiam optabiliùs quàm vinum, nihil quod magis eidem incommodet, quàm aquæ vſum & conſuetudinem. Hic verò eſt, in quo te, vt antè aiebam, aut iocatum putem, aut opinione deceptum, aut tui & totius antiquitatis oblitum. Hoc enim ſine cuiuſquam reprehenſione confirmare mihi poſſe videor, nullum fuiſſe vnquam Oratorem acutum & induſtrium, nullum varium elegantem & copioſum, in excogitando ornandóque limatum, qui non aquam meram biberit. Eſt omninò, eſt propria eloquentium ὑδροποσία, vnde illa flumina orationis, fulmináque prodierunt, vt quidem ab omni hominum memoria fuit exiſtimatum. Quod ſenex apud Lucianum, plurimarum rerum ſciens & magiſter oſtendit, qui veriſſimam ad Rhetoricam viam deſcribens, tria ponit omninò neceſſaria, πόνον, ἀγρυπνίας, καὶ ὑδροποσίας, *laborem, vigilias, & aquæ potum.* Sic Horatius Vatem à ſtudio eloquentium diſcriminans, Poëtas eſſe furentes & extra ſe poſitos, ebrioſóſque non inuitus patitur, ſiccos, ſobrios & potores aquæ, ad forum & publica negotia puteálque Libonis amandat. Quod ſi nihil ea de re illi monuiſſent, ex ea tamen exemplorum vbertate & copia, quæ nobis annalium vetuſtas benignè ſuppeditat, hoc conſtaret, nihil fuiſſe magnis Oratoribus antiquius, quàm vt frigida in epulis vterentur. Sanctiſſimus Ioannes qui ab aurea fandi copia Chryſoſtomus fuit nuncupatus, à vino penitus abſtinuit, vt Gregorius Alexandrinus in eius vita monet: qui quantus eloquentia fuerit, non eſt meum dicere, cùm omnium

Proprium Oratorum aquam bibere.

gentium linguis & literarum præconiis celebretur. Auctorem habeo Hegeſandrum Apollinis docti ciuem (quippe Delphis oriūdus fuit) qui ſcribit Anchimolum & Moſchum duos gloria literarum iudicióque nobiles, in Elide Philoſophiæ quidem illum, hunc eloquentiæ doctorem, in omni vitæ curſu aquam tantùm ad potionem adhibuiſſe. M. Tullium eloquentiæ Romanæ columen atque decus, aqua ſola fuiſſe vſum Plutarchus aliíque tradiderunt. Quid Demoſthenes? vt coryphæos tantùm Oratorum ſumam, an non conſtat vtriuſque hiſtoriæ Græcæ & Romanæ teſtimonio, ad annum vſque vitæ quinquageſimum, vt Sophi Cheronei verbis vtar, ὑδροποσίᾳ χρήσασθαι. Ac ne fortè rei familiaris inopia quiſpiam id factũ exiſtimaret, non ex certa animi inductione, monere ſolitum, ait Libanius, τὸ ὕδωρ οἴνου χρησιμώτερον τῷ γε ἐν λόγοις βοιουῶτι, *aquam eſſe accommodatiorem quàm vinum, vtilioremque illi, qui in ſtudio eloquentiæ operam ſuam induſtriámque poneret.* Itaque Sophiſta ille eruditus audet etiam alio quodam in loco pronunciare, εἰ μὴ ἔδεισε τὸν οἶνον ὁ Δημοσθένης, οὐκ ἂν ἐπὶ τοσοῦτον ἀφίκετο τῆς τέχνης, *niſi Demoſthenes abhorruiſſet à vino, futurum nunquam, vt ad tantum artis faſtigium & eloquentiæ gloriam perueniret.* Lubet igitur cum Thebano Poëta hîc exclamare, μελιγαθὲς ἀμβρόσιον ὕδωρ, *O melle dulcior & par ambroſiæ lympha:* tu fontes eloquentiæ aperis, tu menti & ingenio vim, robur, & acumen inſeris, tu forum optimis actoribus, Curiam ſummis & eloquentiſſimis hominibus comples.

Athen. — Plutarc. in Cicer. — idem in Demoſth. — Liban. Chr. 3. — Libanius ἐν ψογ. ἀμπλ. — Pindar.

Quid autem magis eidem eloquentiæ nocet quàm vinum? λόγοις δὲ καὶ φιλοσοφίᾳ τί οὕτως ἐμποδὼν ὡς οἶνος; ait Libanius Antiochenus Orator, *facultatem copiámque dicendi & ſapientiæ ſtudium, quid tardare & impedire vehementius poteſt, quàm meracus è vite liquor mentis inimicus?* An Iuſtinus fide & oratione purpuratus non rectè & ſapiẽter aſſeruit vinum τὴν γλῶτταν δεσμεύειν, *vt vinculis linguam illigare?* Aut parum vidit Nyſſenus Gregorius homo acutiſſimus, cùm vinum dixit παρανοίας νέκρωσιν, *mentis interitum atque ſtuporem?* Et quidem fuere olim, & etiamnum reperiuntur viri omni genere humanitatis expoliti, in ampliſſima familia nati, fortuna opulenti, ingenio & animo quodam generoſo illuſtres, qui quod vino cupidius vterentur, è ſumma nominis gloria, & facundiæ exiſtimatione

Vinum eloquentiæ nocet. — Iuſtin Mar. ep. ad Zenam.

plurimùm deruerunt. Teſtis mihi erit Traianus Imperator, de Iulian. in Cæſarib. quo in hunc modum ſcribit Iulianus, οὐκ ἦν ἔξω δυνάσθαι ῥητορεύειν, ὑπὸ δὲ τῆς φιλοποσίας ἀμβλύτερος ἑαυτοῦ πολλάκις ἦν, *haud dicendi facultate carebat, ſed propter vinolentiam, ſæpenumero fuit hebetior.* Itaque omnis eloquentiæ ſtudioſus vinum propinanti id me auctore dicet, quod Hector apud Homerum, qui aduerſus Danaos conſueta animi excelſi & inuicti magnitudine bellaturus, vinum à parente oblatum repudiauit, & quantum meminiſſe queo, ita grauiſſimè loquebatur,

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μῆτερ
Μή μ' ἀπογυιώσῃς, &c.
Ne promas veneranda parens mihi dulcia vina,
Ne me debilitent.

Sed nimis in re clariſſima inhæreo, finiam ſi vnum propoſuero, quod cùm vos audietis, tum de meo hoc inſtituto, pro arbitrio veſtro iudicate. Acturus ſum propediem in Curia, in ampliſſimorum hominum ea multitudine, quę ſperari poteſt maxima: hîc me comparo ad decretorium illum diẽ & contentionem.

Qui parabant ſe ad cauſas agendas olim aquam bibebant. An verò vobis ignotum inauditúmque eſt, conſueuiſſe veteres, ſe aquæ potu ad agendas cauſas diligentiſſimè comparare? aut turpe ſit eorum induſtriam prouidentiámque æmulari, quorum magnam & in iudiciis dominantem eloquentiam cupias exprimere? Atque vt agam tabulis quod aiunt obſignatis, eius moris auctorem habeo Poëtam, eximium antiquitatis pictorem Ariſtophanem in Comœdia, vbi Cleon, *Scio*, inquit, Ariſtoph. in Equitib. *quomodo te paraſti noctem inſomnem ducendo*, ὕδωρ τε πίνων, *& aquam bibendo:* quem in locum eruditus Scholiaſtes ita ſcribit, *Qui cauſam dicendam ſuſceperunt, ſi non admodum ſint à natura comparati*, ἀσκοῦνται δὲ ἰδίως διάγουσι, καὶ γρηγοροῦσι διὰ τῆς νυκτὸς, καὶ ὕδωρ πίνουσι, *ſedulò exercentur inter priuatos parietes, & de nocte vigilant, & aquam bibunt.* Hoc certè à M. Tullio videmus factum, de quo ſic Calenus apud Dionem, *Conuiuium etiam quoddam exprobrare Antonio auſus fuit*, αὐτὸς μὲν ὕδωρ (ὥς φησι) πίνων, ἵνα τοὺς καθ' ὑμῶν λόγους νυκτερεύων συγγράφῃ, Dio.l.46. *ipſe aquam vt refert bibens, vt orationes contra nos elucubrare poſſit.* De Demoſthene Libanius, *Aquam bibebat*, ἵνα ἐγρηγορυῖαν μᾶλλον παρέχηται τὴν διάνοιαν, *vt ingenio eſſet vigilantiore.* Hæc habui quæ vobis reſponderem, quæ probari à vobis cer-

Digitized by Google

tò ſcio, cùm præſertim aqua tantùm colorata vti ſoleatis, & quod venuſtè aiebat Plato, inſanum Deum alio ſobrio temperetis. Propè eſt ait Victor, vt tibi Honorate dicam, quod Apollonius Tyaneus ad Tarſenſes epiſtola quadam ſua perſcripſit, *παῦσαι μεθύων τῷ ὕδατι*, *Deſine aqua temulentus fieri*: ſed cùm te hic aliquot dies laboribus confeceris, & declamando & meditando cruciaueris, ab illa duriſſima vitæ ratiòne ſpero te ad honeſtam moderationem rediturum.

Plutar. an ſen. ger. reſp.

Philoſt. l. 1. c. 5.

SEMEN FVTVRAE DISPVTATIONIS de Pronunciatione.

CAPVT XV.

Bellaria. Μῆλον ὑπερφυὲς Theodoſij. Poma eloquentiæ ſymbola. poma amorum. poma triumphorum, &c.

SECT. I.

CVM inferrentur bellaria, nunciat puer adeſſe Baccalaureum *Theodorū*. Fuit is homo doctiſſimus, & præditus multiplici rerum cognitione, qui baccas iam Theologiæ legerat, ſummus in dicendo & eloquentiſſimus Eccleſiaſtes in ipſo adhuc ætatis flore, ſic vt in vrbe facilè vnus è primis haberetur, vel ingenij, vel pietatis magnitudine & gloria: ita familiaris Honorato, vt cum fere quotidie humaniſſimè inuiſeret, & ſemper de honeſtiſſimis artium ſtudiis, aut doceret aliquid, aut diſceret. Neque longè aberat, quòd valetudinis cauſa, & laxamenti prope neceſſarij, tum in prædio finitimo ruſticaretur. Ingreſſus igitur eſt in conclaue: tum illi honoris cauſa velle exurgere, at è ianua D. Theodorus, Abeo, inquit, ſi quiſquam moueat. Tum ſubitò adfertur ſedes, & poſt amicam ſalutationem, ab Honorato velut Æneas in ſummo thoro, ſic honeſtiſſimo in loco ponitur. Neſciebam, inquit, Honorate, habere te hoſpites, quos equidem incredibiliter gaudeo, nunc adeſſe amicos, eximia morum ſuauitate, & me-

rito ſuo omnibus caros & iucundos. Et hoc quidem conuiuium ego muſicum, & dulcium Gratiarum menſam nominare meritò poſſum, cui nolim Solis menſam veterum monimentis laudatam anteponere. Ternos video eóſque delectos conuiuas, qui numerus ſacer eſt, totus à Gratiis & à cœlo: quartus ego accedo, ſed opinor velut muſca, quæ vnguenti ſuauitatem perdat, hoc eſt illam honeſtam & amabilem animi voluptatem, quam mutuò è congreſſu percipitis, fortè impediat. Minimè verò, ait Honoratus, neque eſt vllus, quem lubentius hi cognati mei & ego videamus. Sed videorne vobis eſſe dignus, inquit Theodorus, qui ad eorum ſermonum communionem admittar, quos inſtituiſtis? Neque enim mihi dubium vllum eſt, quin deprompti ex intima eruditione fuerint & cognitione digniſſimi. Frequens ait Honoratus, nobis quidem ſermo de literis; vides hunc Victorem Philoſophum, Rhetorem hunc Iuuentium, vtrúmque non in ſuo tantùm genere perfectum, ſed complurium rerum ſcientem: loqui non poſſunt, quin ego habeam quod diſcam. Sed vide quid ab illis factum fuerit, & quantum facinus cogitatum, quo ego aio hoſpitij ius fuiſſe violatum; loquor nunc audacius te præſente, quod antea cùm ſolus eſſem, vix duobus potuiſſem reſiſtere. Ipſi igitur me impulerunt in quandam diſputationem, quid impulerunt dico? iniecta prope manu vim intulerunt, vt dicerem de oratoris Actione, re difficili & in ſumma varietate poſita, quam vix vnquam primoribus labris attigiſſem. Sed diuina quod aiunt virgula, & opinor eloquentiæ genio prouidente, nobis ades doctiſſime Theodore, vt de voce & Pronunciatione nos doceas, quod vt ſpero pro incredibili tua beneuolentia non recuſabis. Miror, inquit Theodorus, te Honorate, cùm alios parum æquos tibi fuiſſe expoſtules, in me iniquum eſſe velle. An tu igitur mihi quoque vim inferre paras, aut tuas fortè iniurias in me vlciſci lubet? Iniurias, ait Honoratus, obliuiſcor, & alia tua ratio eſt, qui eas res, in quibus nos tyrones ſudamus, & ignoratione prolabimur, tam facilè tractes quàm manu, præſertim cùm ad eximiam præceptorum cognitionem, vſus quoque & dicendi conſuetudo acceſſerit. Hic Victor, Vix auſus id fuiſſem à te poſtulare D. Theodore, ſed quoniam aditum nobis Honoratus aperuit, idem ego Iuuentiúſ-

que petimus, & ſi pateris obſecramus. Elabi nulla ratione potes, ait Honoratus, ne ſi quidem ſis Proteo mutabilior, nã parata nobis vincula quæ iniiciamus. Sed fiet id quidem poſt meridiem in horto, ſub patulis arboribus, vbi ſedes opportunæ ſermoni. Iam autem his bellariis fruamur. Rectè atque ordine, ait Theodorus, à vi & violentia, quam Honorate minaris, ad bellaria nos vocas: nam bellaria propriè res bellis aptæ, ſeu bellica ſunt inſtrumenta, vt Pompeius Feſtus memorat. Vnde Franciſcus Patritius in conuiuiis bellaria vult dicta, quod bellatoribus ſint accommodata. Illud ait Victor, neſcio an verum tibi videatur, cùm ij qui olim armis, & bellico robore, & inuicti animi fortitudine præſtiterunt, bellaria contempſerint. Teſtis Ageſilaus, cui cùm Thaſij magnam placentarum copiam & tragematum varietatem miſiſſent; ipſe vt indigna generoſo bellatore abiecit, & Ilotis qui mancipia fuerunt dari iuſſit. Si cenſendi mihi ius foret, putarem dicta bellaria quaſi bella, & natura vel hominum artificio venuſta, nam & eadem *ſitamẽta* quidam nominauerunt: & ſcimus vina dulcia nominata fuiſſe quondam Liberi bellaria, vt eſt apud Agellium. Non nemo, ait Iuuentius, ſic appellari voluit κατ' ἀντίφρασιν, quod minimè ſint bella & vtilia, quódque omnino valetudini noceant, ego vt φιλοτραγήμων non potui hactenus comprobare iſtam opinionem, quòd hiſce arborum baccis amœniſſimóque fœtu, maximè in ſummis anni caloribus recreari planè corpus reficíque video. Sed ſi bella quærimus bellaria, quid in hoc genere poteſt pulchrius ſuauiúſque reperiri, quàm in hac menſa? Hoc cùm diceret, manum præſertim intendebat in patentem lancem plenam pomis optimis, quæ cùm magna eſſet fructuũ omnigenorum copia & vbertas, eminebant tamen, & facilè omnium in ſe oculos illiciebant. Nam & erant magnitudine grandia, colore aurea, odore ſuauiſſima. Vnum manu cepit D. Theodorus, admouénſque ad nares, Haud vereor, inquit, ne ſenſuum lenociniis & reprehendenda voluptate me nimiũ rapi exiſtimetis, qui ſuaui hoc odore paſcar. Negat enim Ariſtoteles τοὺς χαίροντας μήλων ἢ ῥόδων ὀσμαῖς λέγεσθαι ἀκολάστους, *eos qui pomorum aut roſarum odoribus capiuntur, intemperantes dici.* Prope eſt iam vt credam, quod de Aſtomis erudititiſſimi viri prodiderunt, homines fuiſſe ad Gangis fontem, nullius opis

Bellaria cur ſic nominata.

Ariſtotel l. 3 Ethic. c. 13.

Solin c. 55. Plinius. indigos ad corporis ſuſtentationem, pomorum enim ſylueſtrium odore viuere, longiúſque pergentes eadem illa in præſidio circunferre, vt odore alantur. Papæ! quanta magnitudo! Zonar. t. 3. non tale neque tantum fuiſſe puto id Theodoſij iunioris *μῆλον ὑπερφυὲς inuſitatæ magnitudinis pomum*, quod vt regium & magnificum munus vxori Auguſtæ dedit. Ipſa verò Heſperidum mala tam aurea profecto non fuerunt, aut ſpecie & bonitate pretioſa: & ſi Romæ fuiſſent olim, auro contra væniiſſent in Sacra via. Quænam igitur illa ſit bonitas, inquit Honoratus, experiendo videamus. Neque verò metuendum eſt, ne hæc copia deficiat, nam quæ videtis, ſunt vernacula & domeſtica nobis, in horto pomariiſque nata: itaque id genus in Oporothecis conditiua multa ſunt, quædam etiãnum in arboribus matureſcunt. Hoc verò eſt, ait Theodorus, quod vehementiſſimè admiror, quæ exotica & peregrina exiſtimabam, propter excellentiam illam formæ & ſuauitatis, hic naſci potuiſſe. Neceſſe omnino eſt, aut hic cœli eſſe dulcem & benignam aſpirationem, aut ſoli genium vberem & fœcundum, aut eorum hominum qui coluerunt, mirificam induſtriam, qui mihi è Saturni regis proſapia fuiſſe videantur, ſic enim de colonis piis & vtilibus olim exiſtimauerunt: aut denique voluiſſe naturam excellentiæ tuæ blandientem, inſignibus pomis tuæ eloquentiæ & eruditionis magnitudinem declarare.

Pomorum laudatiuncula. *Varro de re ruſt.*

Poma eloquentiæ ſymbola. Poma enim in diuinis paginis, hieroglyphica ſunt reconditi artificij in dicendo, & ſpecioſiſſimæ facundiæ, quæ audientes opere nimio delectet. Ita enim memini dicere Sapientem, Prou. 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore ſuo*, vel vt eſt in Hebræo, *verbum dictum ſuper rotas ſuas*, vbi Caietanus, *Super rotas ſuas*, inquit, *hoc eſt ſuper loca topica, ſuper colores rhetoricos, ſuper modos loquendi, hæ enim ſunt rotæ ſermonis, in quibus vehitur ſermo ad perſuadendum*; quam explicationem doctiſſimus quoque Ianſenius eſt ſecutus. Sed vndecúmque id contigerit, ſic exiſtimo, nihil ſimile in hac tota regione, ac ne quidem in omni Gallia exiſtere. Itaque iam non miror, ſi profanæ Theologiæ Myſtæ & Hierophantæ pomum Veneri amoribúſque dicarint, propter eximiam pulchritudinem & ſpeciem, quæ amorem conciliare ſolet. Et præclarè ad communem hanc hominum exiſtimationem, diuina oracula, cœleſtis

leſtis & formoſiſſimæ ſponſæ genas, humanam omnem venuſtatem ſuperantis, cum dimidiato malo comparant, in quo ſimul & modicè extuberantem effigiem, & coloris ſuauitatem volunt exprimere. Habes igitur hîc Honorate hortorum miracula, quæ longè hortos Adonidis, Alcinoi pometa, Heſperidúmque lucos anteeant. Praxilla Græciæ poëtria elegantiſſimi ingenij, Adonidem prodit apud Inferos interrogatum, quæ pulcherrima apud ſuperos vidiſſet, reſpondiſſe *Solem, cucumeres, poma:* hæc profectò poma ſi vidiſſet, aliorum omnium oblitus, poma tantum nominauiſſet, quæ digna hominum prædicatione viderentur. Terræ cùm ſint propè infinita varietate, genio quodã ſuo diſcrepant, & aliæ ob res alias celebrantur: fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Caſinas oleum, Tuſculanus ficum, mel Tarentinus, vt Varro meminit rerum human. lib. 11. Cuius hominis æuo ſi hoc tuum ſolum fuiſſet hac fructuum amœnitate circunfluens, nõ eſt dubium, quin de his pomis adiunxiſſet. Sed benè tecum agitur, quod non iis temporibus fuerint, quibus, dominis illis orbis terrarum & Imperatoribus ſumma potentia inflatis, cœlum, mare, tellúſque ſeruiebant: neque enim eſt dubium, quin ſicut alia dignitate vel pulchritudine egregia, inſolentia & raritate viſenda, pretio maxima, ſic ornatum hunc tuum ſpoliauiſſent: præſertim Domitianus neſcio quis, qui ſuper cœnam *nil præter Matianum pomum ſumebat*; aut Seuerus Alexander Imperator, *qui pomis ita vehementer indulſit, vt ſecunda menſa illi ſæpius poneretur*, aut alij conſimili animi cupiditate & regiis affectionibus elati. De nomine autem horum pomorum, non eſt quod interrogem: quædam reperiuntur quæ *Melanzana*, à quibuſdam nuncupantur, quæ à Gallis nominari *poma amorum*, ſcribit Ruellius. Alij paradiſi quædam poma indigitant, quo nomine neſcio an excogitatum ſit illuſtrius ad bonitatis præſtabilitatem indicãdã: ſunt alia huiuſmodi nomina, quæ inuehũtur etiam in dies, & in conſuetudinem abeunt. His verò nomen imponi velim à perito & ſapiente, qualem ſummi Philoſophiæ myſtagogi ὀνοματοθέτην eſſe volunt, ſed ab eo præſertim, qui ea prius guſtauiſſet, ex quo etiam iudicium fieri eſt neceſſe, qui denique alia etiam diligẽtius & perfectius intueatur, quæ augere dignitatem poſſunt. *Gratiſſima eſſe poma cùm fu-*

Cantic. 4. 3.

Sueton in Domit. c. 21.

Lamprid. in Alex.

Ruell. de Stirp.

Sen. ep. 12.

giunt, ait Seneca, quod generatim verum eſſe puto, hæc autem etiam florentia, & opinor modo ex arbore decerpta, ita ſuauia ſunt, vt nihil mihi videatur ad guſtum & voluptatem iucundius. Itaque ſatietas me nulla capere poteſt hanc inſolitam & inuſitatam pulchritudinem contuentem, verúmque iam experior, quod tantò antè monuit Philoſtratus, τὸ μῆλον εἶναι αὐτόματον καλὸν, *ex eorum genere eſſe pomum, quæ ſponte ſunt elegantia atque pulchra.* Quod ſi Romanæ reipublicæ temporibus, quibus olim triumphi magnificentiam & ſplendorem coniectis pomis cohoneſtare mos fuit, hæc ſparſa publicè fuiſſent, atque omnium oculis propoſita, audeo dicere plures futuros, quorum animos hæc fructuum inſatiabilis pulchritudo & viſenda ſpecies alliceret, quàm aurea omnis pompa triumphantis. Et ſi quidpiam de antiquitate ſuſpicari licet, & pro animi ſui arbitrio diuinare, huiuſmodi plane fuiſſe poma exiſtimo, quæ in maxima celebritate Græciæ, ludiſque ſacris, in præmiũ Hieronicis tribuebãtur. Pono mihi ante oculos Eridis pomũ poëtarum fabulis ad omnium poſterorum cognitionem trãſmiſſum, quod ea coloris ſuauitate fuiſſe dicitur, & formoſitate ad aſpectum planè mirabili, vt dignum eſſe donum videretur, quod Dearum omnium pulcherrimam & ſpecioſiſſimam deceret. Sed hæc eò ſuperant & plurimum anteeunt, quod cùm ſint tantæ venuſtatis, vt aras deceant & beati numinis religionem, non diſcordiam, ſed placidiſſimam animorum ſocietatem & beneuolentiam ingenerant.

Philoſt. in epiſt.
Plutar. l. 8. ſymp.

SECT. II. *Pomis delectati Philoſophi. Vndè illa nomen habeant. Crater τῶν χαρίτων. Poſt pomum vinum vel aquam bibi conſimili effectu.*

HÆC diſſerebat Theodorus copioſius, & de induſtria orationem ſuam explicabat, quod & ipſe prandiſſet, & pauxillum guſtare volebat, & adoleſcentes animaduertebat locũ vt aiunt placentæ reliquiſſe, quibus moram pro animi ſui prudentia concedendam exiſtimabat. Tum conuerſus ad Victorem, Tu inquit, Victor, quaſi in copia inops & expers huius

Digitized by Google

tantæ ſuauitatis, vix primori dente carpis hæc naturæ dona, quæ felix hoc prætorium educat: quod neſcio an vt Philoſophus, an verò etiam vt Medicus facias, quas duas artes humanæ ſapientiæ vulgo ſubiiciunt. Nam Philoſophi plerique omnes à cupediis delitiiſque abſtinent, aut videri certè volunt cõtemnere, ne appetentes voluptatis habeantur, & plus nimio iſtius aucupes ſuauitatis, quæ eſt in guſtu rerum ſuauium & delicatarum. Quo maximè nomine priſci illi barbati vituperantur, qui tribonio duplicíque abolla ſæpe helluonum intemperantiam tegebãt. Quos venuſtè Lucianus aliíque dicunt, cum placenta in menſam inferretur, vt canes venaticos ad prædam, aut milites ad diripiendam vrbem, ſic impetu & ſtudio incenſo conuolauiſſe. Sed poma tamen minimè Philoſophiam dedecent, modeſtiamque frugalem & expetendam, niſi me veterum opinio decipit. Nam Indorum Brachmanæ, & Gymnoſophiſtæ Ægyptiorum, & Samanæi maximè pomis & penè ſolis veſcebantur, vt ſanctiſſimus Hieronymus eſt auctor. Quod D. Hie. ep. 7. & l. 2. in Iouinan.
verò ad medicos attinet, ſcio quoſdam prohibere fructus maximè crudos iis quibus ſtomachus eſt debilior: qua de re ſic opinor dicere Celſum medicũ eruditiſſimum, *ſecunda menſa bono ſtomacho nihil nocet, in imbecillo coaceſcit.* Celſ l. 1. c. 1.
Poma tamen excipere videtur, ſubdit enim, *Si quis itaque hoc parum valet, palmulas pomaque, & ſimilia melius primo loco aſſumit.* Sed quidquid ipſe aliique dicant, hæc certe poma tam matura ſunt, ita ſolis beneficio temperata, vt nocere nemini queant. Itaque nec Philoſophia, nec medicina abſtinere te Victor iubet. Tertium ait Victor, omittis D. Theodore, nimirum ſaturitatem, quæ frænum in os iniicit, cohibetque. Nam Honoratus tam lauto nos apparatu excepit, vt verè cum poëta dicere queamus.

--- Saturis mitia poma dedit. Martial. l. 10.

Hîc Honoratus iuſſit puerum cyathos ferre ſingulis: &, Miror, inquit, vos D. Theodore Victorque, cùm de pomis agatis, non meminiſſe cur ita nominata fuerint: poma enim à potu Varro deducit, quod vero ſimilius fortè videatur, quàm quod putat Iſidorus, pomum dici quaſi opimum. Sanè de potu recte mones, ait Theodorus. Nam ni mea memoria me fallit, Ariſtoteles bellaria apponi conſueuiſſe dicit, *ἕνεκα τοῦ πιεῖν ἱκανὸν, vt bibamus.* Sect. 22. problem. 6.
Non enim, inquit, ſitis gratia ſolùm, quæ per primam

menſam nos teneat, bibendum, verùm etiam poſt aliquid hauſiſſe iuuat. Da ergo puer τῆς ὑγείας κρατῆρα, ita enim poëta Eubulus primum ſapientum poculum nominat: Panyaſis au-
Athen.l.1. tem primum cyathum ἀπονέμει χαρίσιν, ait Athenæus, & tu dignus es Honorate, cui Charites omnes propinent.

Bibit ille, cæterique: Honoratus more ſuo aquam poſcit, tũ Theodorus, Fallor, inquit, aut te medici id minimè docuerunt, qui poſt crudum merũ vulgò præcipiunt. Id ratio philoſophiáque me docuit, ait Honoratus. Nec enim te latet, quod in eam rem vir ſummus prædicet Ariſtoteles, ait enim poſt bellaria & pomorum eſitationem, aut vinum, aut aquam ſumi, conſimili omnino effectu. Nam quia ſuccus pomi veluti ardorem quendam intus per ignem excitat, vt muſtum ſolet efferueſcere, vi tamen hebetiore: aqua ſuo frigore vim & ardorem illum frangit & extinguit: vinum quoque ſuo calore idem plerúmque poteſt efficere, vt ignis copia exuberans igni exiguo vires demit. Remotis menſis, gratiiſque actis Numini, legitimum tempus in iucunda & humaniſſima animi recreatione poſuerunt, donec Honoratus memor diſputationis, ad viſendum illos hortum inuitauit.

VACATIONVM AVTVMNALIVM

LIBER TERTIVS,

De Voce et Pronunciatione Oratoris.

AD PROPOSITAM DISPVTAtionem via.

CAPVT I.

Horti pulcherrimi deſcriptio. fontes item artificioſi, quos Romani Muſea, *Galli nunc* Grottas *vocant, ſuis coloribus accuratè pinguntur.*

CVM iam cálor ſe pomeridianus frangeret, Honoratus animo iam præcipiens Theodori Baccalaurei doctam & reconditam elegantiam, quam minimè negaturum opinabatur, hoſpites in hortum inuitat, & volentes ducit. Introgreſſi adoleſcentes ſubitò admiratione cohorruerunt, in ea loci amœnitate, quæ opinionem omnem ſuperabat. Imprimis enim in aprico & patenti loco poſitus erat & deſcriptus Hortus, è monitis virorum illuſtrium, qui *flores atque fructus Sole nutricari* perhibent. Pro Priapo, Vertumno, & Venere, qui ferè in hortis antiquorum

M. Varro de re ruſt.

vt cuſtodes & τοπικοὶ numina colebantur, fuit è Pario marmore caſta ſapiénſque virgo Minerua, ore nitido, micantibus oculis, honeſto amiculo, qualem ferè M. Tullius vidit conſilij principem, & diuina quædam monentem: pro ægide, Gorgoneo inſigni capite, læua tenebat librum aurea fronte, ianthino tergo ſtellulis aureis interpuncto; aberat caſſis ab augusto vertice humaniſſimæ diuæ, ſed cincinnos annulis decenter implexos Daphnæa corolla inumbrabat, oleæ baccis amœnata, vt pacificam innueret muſis amicam. Intendunt oculos, vidéntque in medio fontem vnda liquida vberibus maſtis fluentem, non modò ad voluptatem, ſed ad ſingu-

Plin. l. 19 c. 8. lares quoque vtilitates, quod, vt ait doctiſſimus Plinius, *humore omnia hortenſia gaudeant*. Hinc Perſarum amœniſſimos

Suidas. Paradiſos, παρὰ τὸ δεῦσαι, *ab irrigando* nominari quidam voluerunt. Erat autem ita elegans & artificioſa omnis horti deſcriptio, vt cùm magna eſſet rerum & opificij varietas, quam te cúmque in partem dediſſes, noua quædam inauditæ ſeges delectationis occurreret. Hîc erant quæ dicuntur floralia,

Mart. l. 12. *--- nec bifero ceſſura roſaria Pæſto.*

& dulces veluti manubiæ noti ignotíque orbis: ibi labyrinthi Mæandris illuſi & diuerticulis propè infinitis, tum aliæ imagines opere topiario inſignes: vbique areæ luculentæ, & diſtinctæ reſupinis puluinorum toris, nitida ſemita & vernante ſinu. Iam quadrarum margines, quibus viæ & hypæthræ ambulationes definiebantur, tonſili buxo & libanotide, aut exotico arbuſto & frutice, baccis & corymbis odoratis erant veſtitæ, in quibus etiam eminebant è plectilibus ramis, vel hominum, vel animantium effigies, hîc moloſſi currentis, hîc clauam minantis Alcidæ, illic arcum intendentis Centauri, viridi ſchemate, animato colore. Cernunt hinc inde tum pergulas ſubdiales, tum trichilas iugatione vitis compluuiata & textili palmite opacatas, aut myrto lauróque vmbrantes, hiantibus ad latera feneſtellis. Euntibus ſe porrò obiiciunt Daphnones, Platanones, Syluulæ, atque Xyſti in plurimas ſpecies conciſi, vbi vis magna copiáque auicularum tenui gutture dulce carmen fundentium perſonabat. Ipſa verò iugis & æterna plurium arborum vi-

riditas Inſulam Indiæ quam Thilon nominant, præcellebat etiam ornatu & felicitate, vbi nunquam ramos arborum nudari tegmine foliorum ait Petrus Damiani. Denique, vt Dam. l. 2. breui dicam, erat ea loci pulchritudo, & omnium pænè ep. 17. rerum affluens opulentia, vt ſpecioſiſſimis illis hortis non cederet, quos Xenophon aureo orationis flumine irrigauit, Xenoph in pinxitque, *πάντων καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν μεστοὺς ὁπόσα γῆ φύειν* Oeconom. *ἐθέλει*.

Hic Victor, Vt in cœna dubia, inquit, Honorate, mens hæret & fluctuatur, & animus mihi per oculos eripitur hanc intuenti opimitatem, hanc texturam Gratiarum, & elegantiarum pandectas. Proh quanta, & quàm bella & inſatiabilis omnium ſpecies atque varietas! Vt omnes ſenſus humaniſſima & liquida voluptate complentur! nam qui odores hîc afflantur? quæ blandiuntur oculis? quæ item auribus excipiuntur? Inops ego verborum ſum ad exponenda quæ ſentio, & vt mutuer quidpiam ab Ennodio: *Hic mutuis* Ennod. *palmitum brachiis vinearum texitur aprica formoſitas, & vbi* Dict. 1. *comæ explicantur arboreæ & omnia ramorum plectura diffuditur, auium cantilena comitur ſapore modulato*: vel vt cum Fulgentio dicam, *auicularum vernulitas fragili quadam dul-* Fulgent. in *cedine criſpantes ſibilos corneis edunt organulis*. Hîc, vt ore præfat. magni Cypriani loquar, *dum erratici palmitum lapſus nexi-* S. Cypr. *bus pendulis per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt*. Ipſe fons tuus Phrygio lapide tot ſalientibus apertus, vincit profectò Romanum fontem, quem Muſarum nominabant Camœnis ſacrum. Hæc vbertas omnigena florum & herbarum, in Midæ roſetis & Adonidis hortis non fuit: Hæc poma Iunonis digna gameliis, Alcinoi copiam Heſperidúmque pometum longè antecunt. Itaque tuo iure potes cum Poëta dicere,

Si mihi Nauſicæ patrios concederet hortos, Martial. l. 12.
Alcinoo poſſem dicere, malo meos.

Theologos quærere aiunt, Theodore, illos tuos, viros ſapientes, de Edeneo horto, quem diuinæ mentis induſtria conſeuerat, ſit necne ſit etiamnum in natura: qui ſi huc veniſſent aliquando, non dubitarent, opinor, id aſſerere, cùm ſimillimum hîc viderent, ita Chloris & Fructuum,

ita Flora & Pomona, ita omniparens Tellus munificem hîc mammam poſuiſſe videtur, vnde hæc tanta támque admiranda oriantur & exiſtant.

Sanè, inquit Theodorus, tametſi ego iam aliquoties hîc fuerim, tamen non poſſum non ſuſpicere hanc eximiam præſtantíſque naturæ fœcunditatem, artíſque induſtriam planè mirabilem & prædicandam. Redolentes hi tori, hi puluini variegati, vmbra textilis cameras & pergulas operiens, viridiſſimus ille veſtitus arborum atque fructus, viuæ ſcaturigines riuíque, hæc tot & tanta aut naturæ genio culta, aut hominum ingenio perfecta, quæ ſingula pellicere mentem potuiſſent, vniuerſa obruunt. Omnis fructus docti Varonis opinione, quinto denique gradu peruenit ad perfectum, hîc quæcunque in oculos incidunt, omnibus ſuis numeris abſoluta ſunt atque perfecta, ſeu faciat id parentis tui Honorate beata felicitas, cui ad nutum & voluntatem fluunt omnia, ſeu mitis cœli aſpiratio, ſiue cura labórque eorum hominum, qui tuis imperiis obſequuntur. Prope Hieroſolymam horti regij conſiti olim fuerunt, partim à Salomone, partim ab aliis Regibus aut Dynaſtis, quos præfixi numeri diſtinguebant: hinc Gethſemani nomen, quod octauum ſignificat. Ea ſi eſſet in Gallia conſuetudo, & à numeris horti nominarentur ad pulchritudinem amœnitatémque ſignificandam: hunc primùm indigitandum eſſe contenderem.

M Varro de re ruſt.

Dolebam, ait Honoratus, hoc aduentu cariſſimorum ſodalium, hinc abeſſe magnam partem ornamentorum, flores nimirum vernos & æſtiuos, qui hac prima autumnitate fruſtra quærantur: ſed verè dicam, nunquam lætius quàm hodierna die, in hac læta & picturata commendatione veſtra locus hic efflorüit, ita mihi videor, non roſam aut violas, aut minuta huiuſmodi quæpiam & quotidiana, ſed diuinum quoddam genus orationis omnium gratiarum floſculis & corollis redundans olere. Sed placetne vt artificioſos etiam fontes videamus? Cùm ſe non nolle dixiſſent, nota via progrediuntur.

Erat ædificatio ſane peregregia omnium ingeniorum mechanematis, vt Amphyonis lyra concinna, vt Troiani Apollinis

linis manu ſtructa, Naiadum & Lympharum domus ludentium, doctæ manus & ingenij ſpecimen, qualia Hermolaus Barbarus ait, *muſaica* vulgò nuncupari. Doctè ille quidem & ſcienter; nam Euripides in Helen. ἐναυλίοις ὑπὸ δενδροκόμοις μουσεῖα, *rupibus ſub frondoſis muſea* vocat, & antiqui Romani *Muſea* dixerunt loca in ædificiis, vbi ſaxa eroſa annis dependentia conſtruebantur, ad imaginem ſpecus natiui arte reddendam, vnde imitati Galliæ proceres *Grottes* vocant. Qui tamen non contenti ea veterum ſimplicitate & pæne dicam ieiuna inopia, ornatiſſima eſſe illa ſua Muſea voluerunt pulcherrimis rebus, tum natiuis, tum factitiis, & exotica raritate & formoſitate viſendis. Hæc certè Honorati ſtructura, non totius modò antiquitatis memoriam, ſed earum quę nunc ſunt gratiam, artificiúmque ſuperabat, cuius pretium & venuſtatem nulla meo iudicio cuiuſquam oratio, nulla beata ſtyli vbertas facilitáſque poſſit conſequi. Nam cùm in mari atque fluminibus, ſint ὀστρακόδερμα ſumma varietate formæ & coloris, turbinata quædam, alia rotunda, hæc nigra, illa purpurea, quædam etiam lutea, alia variegata, flos ibi omnium generum viſebatur. Imprimis fuere lepades atque patellæ, & multæ ſpecies tellinarum, teſta pellucida, clauis & lineolis diſcriminata ſummo naturæ opificio & elegantia mirabili: tum pectines mole inſigni, effigie quidem ad intuendum ſummæ voluptatis, quòd ſtriæ ſiue exochæ per latus prominulum eminentes, vt circino & regula dimenſæ incredibili quadam naturæ machinatione decurrerent ad laciniatam marginem, lineis pari ſpatio tranſuerſim euntibus. Fuerunt & buccinæ atque turbines, ab ore in imum rotundatis voluminibus decreſcentes & vmbilicati, doctæ manus artificio coëuntes in vermiculatam conſtructionem. Viſebatur innumerabilis vis concharum, quæ diſparili quidem imagine, ſed omnium quæ reperiuntur pulcherrimæ fuerunt. Ibi & lithophyta quædam vi naturæ in diſſimillimas rerum imagines elaborata: ibi laxi leuiſſimíque pumices, foraminulenta ſpongia, fiſtuloſi tophi, coticulæ, corallia, ſcutulæ vitreæ, luce & coloribus gemmarum prope omnium effigiem & pulchritudinem exprimentes.

Hermolaus in Diſcor.

Euripid. in Helen.

Sed in hoc genere mirificum ornatum faciebant magari-

tiferæ conchæ, quas Nacras perlarum vulgò nominamus, quæ in tholo camerato & fornice variè ſectæ, opere ingenioſiſſimè teſſellato, dulci quodam & argenteo ſplendore vibrabant: cuiuſmodi olim in Aſia, & maximè in Perſide, & reliquis ad Orientem locis vendi conſueuiſſe πρὸς χρυσίον, author eſt Athenæus. Accedebat & Veneris cochlea frequens, procelanam vulgus indigitat, muricem Plinius è Mutiano, quibus totum opus diſtinctum, & muſiua compaginatione venuſtatum rapiebat animos intuentium, & viſenda pulchritudine titillabat. Epheſi in vrbe Aſiæ nobiliſſima Hecates fuit ſimulacrum, in cuius contemplatione monere ſolebant æditui, *Parcere oculis*, tanta marmoris radiatio fuit: quod tempeſtiuum hîc fuiſſe admonitum reor, tantus ex omni parte ſplendor effundebatur. Pauimentum autem è marmore teſſellis minutis encauſto pictis aſaroti modò effigiatum lucebat, epiſtomiis frequentibus ſparſum, quibus cùm eſſet libitum per tubos occultos aqua eiiceretur.

Ad latera incruſtationes mirificæ: marmor aliis in locis candidum, aliàs maculis & coloribus illuminatum, eximia figura vndatim criſpum in vortices, aut vt telis diei radiatum naturæque gemmantis. Commiſſuræ omnes filis aureis obductæ, interpuncto etiam colore puniceo in loco, ad ſuauiſſimum oculorum ſpectaculum. Cyri domus regificè extructa in Ecbatanis, quam fecit Memnon lapidibus variis, & candidis vinctis auro, neſcio an ſimile quidpiam habuerit. Hinc inde variis in locis omnium artium & opificum imitamenta collocabantur, quę tum quidem in ocio veluti quieſcebant, ſed Honoratus cùm epiſtomia nota recludi iuberet, tum vt ſigno in commune dato, ſubitò vidiſſes hîc rotam agi, molendinum obſtrepere, homunciones moueri: ibi ſerram vi ſumma reciprocari, hic totius corporis adductione lignũ findi, illic etiam tundi incudem, mulceri ferrum, malleos ad numerum cieri, atque vt in benè morata ciuitate omnia vigere opificia: cantillare interim auiculas viridibus ramis inſidentes.

Sed frons ipſa, palmarium opus, tum ſimulacris fuit marmoreis inſignis, tum rupe imprimis, caua modicè, & complexa caſtellum ſiue grande ſolium nitidis aquis redundans, quod Tritones hinc inde plurimi ſpecie longè gratiſſima cingebant. In-

timũ artificium oſtendere voluit Honoratus, vel potiùs δεῖγμα tantùm, quod breui temporis ſpatio id omne cognoſci non potuiſſet: itaque ſeruulo cùm innuiſſet, ſubitò. nilis patefactis, agente lympha, Tritones inflare concham & dulciter perſonare, emergere deinde Neptunus, tridente pollens, curru vectus cymatili & auguſto, generoſis equis trahentibus, ſpumeo fluctu obſecundante, qui pompa inſignis & triumphans præter ora intuentium labitur, ſéque in regiam condit ſuam. Tum ecce tibi intumeſcere vnda cœpit & turbari, ſenſim attolli monſtrum vaſto rictu, flammantibus oculis, ſquammeo tergo, horrifica ſpecie & immani, Cetus eſſe videbatur Poëtarum fabulis pictus, qui virgini perniciem ſtruebat: ad quem interficiendum, paribus momentis & motuum interuallis, dum monſtrum exurgit, iuuenis deſcendit egregius, diuina forma, clypeo gorgoneo inſtructus & machæra, lorica trilice inaurata & cœleſtibus armis thoracatus, qui cæſo monſtro claram victoriam reuehit, iterúmque in ſublime reuocatur. Deinde vetus inuentum feliciſſimè renouatum oculis ſubiicitur, organa videlicet hydraulica, quorum directi argenteique tubi imparibus ſcapis ſeriatim expreſſi, & aqueo ſpiritu animati, inuſitatam penitus ſymphoniam ediderunt, prout Nympha digitis modulabatur, quæ modicè caput mouens, aure veluti captare videbatur incredibilem illam ſonorum ſuauitatem: animo & ingenio præditam opinarere, ſi modò loqui potuiſſet. Similia quædam ſunt in hortis regiis prope Lutetiam Pariſiorum, ad oppidum ſancti Germani. Sed ab iis qui vtrumque viderunt opus, ſic ferè dici comperio, regia quidem illa numine & inſita quadam maieſtate illuſtriora auguſtioráque videri, hæc verò artificij ſubtilitate varietatéque excellere.

Cæterum noluit Honoratus, aut è ſummo tholo ſtillare vndique rorem pluuialem, aut tranſuerſim à lateribus proiici, aut doloſè è pauimento erumpere, ne ſodalibus id minus lætũ & iucundum fortè videretur: ac ne quidem illa multa & mirabilia exprimi, quæ variandis ex aqua imaginibus, æreis inſtrumentis fieri ſolent, quæ protrita & tralatitia exiſtimabat. De vno monuit, quod neſcio an reliqua in Gallia modò viſatur, ſed in frequenti vſu fuit apud Romanos, tum in theatris, tum etiam in potentiorum & illuſtrium hominum tricliniis.

Aiebat enim conſueuiſſe parentem ſuum, hominem magnificum, & in opulentia liberalem, ſi quando principes & Dynaſtæ Muſeum inuiſerent, prodendæ beneuolentiæ gratia, ſparſionem adhibere ſiue imbrem odoratum, qui ex croco fiebat olim, vino vel aqua diluto, *κρόκοι ῥαινόμενοι* Græci vocant, Corycium nimbum Martialis, cui etiam è vetuſto more aloës & cinnamomum adhiberetur. Atque in eam rem eſſe in parietibus fiſtulas, minutis foraminibus latè poſitas, quæ odora & dulci aſpergine homines inficerent. Sic Choſroes Perſarum dominus Heraclij temporibus, in palatio regiam habuit aulam inſignibus laquearibus in modum eximij cœli perfectis, vnde fulgura & tonitrua *μηχανητοὶ καὶ ὄμβροι ἑστιωμένων πρέσβεων ἐρρήγνυντο πρὸς θάμβος, machinatique imbres* conuiuio exceptis legatis erumpebant ad ſtuporem, ait Tzetzes.

Tzetzes.

Vtrum Eloquentia naturæ vi an potiùs artificio nitatur. Propoſitæ materiæ delibatio.

CAPVT II.

E Mvseo digreſſi, tanquam è Calypſonis diuino Semneo, Hypodromum ſubeunt cameratum, cuius fuit pars vltima plena amœnitatis, viridi conopeo intecta, & commodis ſedilibus ornata, vbi luſtratis præcipuis ornamentis, tacita omnium conſenſione hæſerunt. Vtque omnes conſederant, Iam pridem, inquit Honoratus, hunc locum mea mens appetebat, tam commodum, tam opprotunum diſputationi: & tempus iam eſt, vt Theodore tuæ fidei ſatis & pollicitationi facias. Quam pollicitationem, inquit, dicis? num ſymbolam me dare cupis pro bellariis ſuauiſſimis illis tuis, quibus amicè & munificè nos donaſti? Ita licet appelles, ait Honoratus, ad quam tamen exoluendam, non ſacculi folléſque tibi, ſed beatæ memoriæ cimelia ſunt excutienda. Hi mecum à te ſodales quærunt, quid de Voce & Pronunciatione ſentias, quódque ſit tuum reconditum iudicium de artifi-

cio illo dicendi, in quo ſcimus peccari à multis, & audientium coronam offendi. De iis rebus, inquit Theodorus, neminem qui ineptius diceret atque inſulſius reperire potuiſſetis. Quid enim? an exiſtimatis aut artificioſè me dicere, aut omnino putare vllum eſſe artificium dicendi? Scio id quidem aſſeri à multis, qui Suadam non in Semonibus collocant diis atque Patellariis, ſed ad Conſentes & maximos depinnato attollunt orationis eloquio. Quibus Honorate, bona tua cum venia, lubens obiicerem illud aureum bracteatæ mentis oraculum Fabij Quintiliani, *Pectus eſt quod diſertos facit & vis mentis*, pectus inquam, & generoſi animi contentio, non minutæ illæ ſcholarum cantilenæ, quæ priuſquam excogitatæ fuiſſent otioſorum hominum ingenio & labore, infinita prope copia fuerat dicentium, qui diuino genere orationis incredibilia quædam feciſſent. Nam illi qui feruntur antiquiſſimis temporibus reliquis hominibus præſtitiſſe Heroes, ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, *à dicendo*, vt grauiſſimus Plato cenſuit, nomen habuerunt: quos Honorate ſi artificium habuiſſe dicendi, & à ſcholis expolitam declamationem contenderes, hic quærerem de Hercule in Gallia olim celebrato, quem Iſocratem aut Molonem, quem elegantiæ doctorem habuiſſet, quam dicendi officinam aſſiduiſſimè triuiſſet, quem Deum aut hominem, de locis, de argumentis, de exordio, & reliquo apparatu illo veſtro, tam extructo támque magnifico, de tam lauta & diuite Oratorum ſupellectile diſputantem audiiſſet. Et tamen catenulæ illæ aureæ, quas in eius ore poſuerunt, ſat declarant, eum ſplendida orationis ſuauitate, & ſapientis animi gloria, capere homines & tenere potuiſſe. Quod idem de magnis illis fundatoribus vrbium dici poteſt, qui omni memoria facile principes, & propter eximiã prudentiam hominum pæne opinione conſecrati, priuſquam ſuſpicari quiſquam potuiſſet, quid eſſet artificioſè dicere, ſumma dictionis grauitate & copia res magnas confecerunt. Intuemini mihi mentibus Athenarum illa initia quæ fuerint, cùm ſylueſtrium arborum ramis familiam omnem ſuam Αὐτόχθονες, illi glorioſi integerent. Occurrit mihi imprimis Theſeus acerrimo vir ingenio, atque haud ſcio an ſummo omniũ in Græcia: qui homines belluarum more per montes & nemora diſſipatos in Aſtu coëgit, & ad aliquam reipublicæ formam

Fabius l. 10.

Plato in Cratylo.

& humanitatem reuocauit. Vtrum igitur eam tantam in dicendo facultatem, eam vim, eam maieſtatem, qua facile obtinuit, quod nullis armis conficere potuiſſet, in ſcholam & pręcepta quædam leuia referetis, & non potiùs in altam mentem & præſentis animi conſtantiam, propter quam, laude & omnium beneuolentia dignus videbatur? Pericles in eadem Græcia fuit Olympius, qui cœleſti ratione communem rem adminiſtrauit: nihil cogitari eo homine potuit ſapientius, nihil perfectius: omnes illum vt de cœlo delapſum intuebātur, in eius ſinum auctoritatis non mediocres tantùm & infimi, ſed etiam maximi confugiebant, ſui regendi poteſtatem, quaſi quaſdam habenas, eidem ſponte, & omnium animorum conſenſione tradebant: eloquentia verò tantùm valuit, non communi hac noſtra & exangui, ſed magnifica, ſed exaggerata & diuina, vt tonare, fulgurare, permiſcere Græciam omnem diceretur. Hic expecto dum tu mihi Honorate, eximium illum nomines, quem vir tantus & triumphans in dicendo, facundiæ doctorem habuerit, à quo fuerit diligentiſſimè in omni dicendi ratione inſtructus. Video quid inſinues, auditum fuiſſe ab illo Anaxagoram, Phyſicorum illum quendam quaſi Deum & parentem, ab eo rationes accepiſſe tum ſentiendi tum loquendi. Philoſophum ergo ſtatuis artis in dicendo magiſtrum, copiæ fontem, eloquentiæ præceptorem? Cui ſano aut literarum & humanitatis ſcienti hoc probares? Nihil velim contumelioſè dictum in Anaxagoram, quem νοῦν, hoc eſt Mentem viri ſapientes indigitarunt: ab eo fateor Periclem multa cognoſcere potuiſſe de cœlo, de luce, de magnitudine ſyderum, de polis, de circulis, de epicyclis, de vacuo, de atomis, de huiuſmodi puerilibus delitiis bellè in otio ad fallendum tempus excogitatis: potuit cum illo vt cum Luciano dicam ἀεροβατεῖν, μετεωρολεσχεῖν, & pulicum ſaltus metiri: addo etiam contortis concluſiunculis vrgere aduerſarium, tonare in diſputando, & nouis opinionibus & à communi hominum mente alienis permiſcere non modò Græciam, ſed Europam vniuerſam. Hæc & huiuſmodi ab otioſo illo diſputatore potuit percipere, viam autem & eloquendi rationem, copiam, vbertatem, & diuinos eos ſonos concionum, in quibus homines exhorreſcebant, profectò non

Lucian.

Digitized by Google

potuit. Noſtis enim quæ ſit Philoſophorum dictio, quàm tenuis & ieiuna, atque inops humanitatis, & earum literarum, quæ tenere audientes conſueuerunt, quàm horrida atque inamœna de ſpinoſis difficilibúſque rebus, & inuolutis ſumma naturæ obſcuritate. Verbis etiam abutuntur inſolenter, quo ſpecioſa illa effata plus opinor dignitatis habere videantur: inaudita quædam inuehunt, non ex Saliorum carminibus prompta, ſed elato ſupercilio cuſa, ſcindapſi, tragelaphi, blitiri, ſymbata, paraſymbata, ly hoc, ly illud, & talia quędam portenta ad ſimplicium mentes obſtupefaciendas opportuna. Hinc tu petes eloquentiæ ornatum? in hoc piſtrinum Græciæ lumen atq; decus Periclem coniicies, qui omnes qui antea illi ciuitati præfuiſſent, cum vitæ magnificentia & moribus, tum oratione ſuperauit? Dicendum nimirum eſt, quod veritas ipſa poſtulat, excellentem illius quandam, & diuinitus ſubornatam fuiſſe naturam, quam prudentia conſilióque ita regebat ſuo, vt petitas è ludo nænias, & σκιαμαχίαι minimè expeteret.

Hæreo in Græcia. quid? apud Romanos nonne omnes qui hominum fama & opinione inter ſuos excelluerunt, non tam arte, quàm natura, ſunt ad eam laudem faſtigiúmque honoris euecti? Longior ſim atque putidior, ſi colligere hic velim glorioſiſſimos illos architectos, qui primi fundamenta poſuerunt imperij orbis terrarum, à quibus videmus diſſimillimas gentes ad eandem iuris communionem euocatas, ſtabilitos mores, inſtituta coniugia, diſſenſiones ad perniciem reipublicæ erupturas ſapienti conſilio pacatas, bella compoſita, alia multa atque magna, in quibus ſanè perficiendis exquiſita eloquentia opus fuit, & tamen hic omnia plena prudentiæ video, præceptionum inania, quas multis poſtea ætatibus vix probare potuerunt.

Atque hoc mirandum minus videretur, ſi vna in ætate, aut in paucis modo hominibus eueniſſet: nunc verò quod tu mihi tempus Honorate, quam vrbem nominare potes, in qua non multi dicendi principes longè elegantiſſimi & potentiſſimi extiterint, qui tamen veſtros illos fontes ambroſiámque non attigiſſent, nunquam illa Suadæ Orgia ne de primo quidem limine ſalutauiſſent? Quintilianus longiſſimi temporis ſpatium in iſtis puerilibus pigmentis coloribúſque poſuit: ſcripſit libros

ſanè accuratè, vt fuit homo non rudis neque inexercitatus, potius callidus, quíque venas curioſæ iuuentutis attigiſſet.

Procem. l. 4 Scripſerit ille ſanè diuinitùs, quippe Domitianum Imperatorem vt auguſtæ mentis Deum poëtarum more ad ſcribendum inuocauit, ſudat tamen & laborat, quidlibet denique facit, vt illis oratorium nomen inuideat, qui aureis Platonis alis, hoc eſt naturæ præſtantia, ad eloquentiæ gloriam, ſine ductu iſtius artificij euolauerunt. In quo mihi placuit vehementer magnifica planè vox, & polito homine digna, cuiuſdam oratoris, de quo idem Quintilianus memorat. Ab eo fortè cùm aliquando quæreretur, quid eſſet σχῆμα & νόημα, neſcire ſe quidem, ſed ſi ad rem pertineret, eſſe in ſua declamatione reſpondit. Nihil dici argutius potuit, nihil verius. Ille excellenti quodam ingenio, & multis atque magnis naturæ muneribus ornatus, orationem adferebat prout tempus & cauſa popoſciſſet, ſumma induſtria iudicióque temperatam. Appella tu ſi ita lubet, ſchema, noema, lepores, veneres, concinnitudines, lumina, tropos, neruos, fulmina, tragœdias, orbem, ambitum, comprehenſionem, numeros, cùm rem teneret, non magnoperè ſibi laborandum de nomine ſentiebat. Quare hic noſter à natura fictus & limatus orator, quaſi equo vectus celeri & expedito, clariſſima vocis & animi contentione inſequens vænabatur, & hominum aſſenſionem multò meliùs captabat, quàm veſtri Rhetorum filij, plagis, linea, formidine, & veſtigiis rem odorari aut commouere potuiſſent. Hæc laudanda & glorianda maximè, hæc germana mihi ſemper viſa fuit eloquentia, quam politæ mentis conſilium innatúſque genius, non minutæ præceptiones inducerent. Quare deſine tu Honorate, iſta neſcio quæ dudum in ſcholis lecta & audita, tantum non deorum inuenta credere: deſine, inquam, arcem è cloaca, artem certè è conſilio & mediocri prudentia & exercitatione facere. Niſi lubet ad animos recreandos illa promere eloquentium hominum myſteria, quæ tu Honorate velut Suadæ Hierophanta ſumma laude & ingenij gloria explicare ſoles. Id ſi velis etiamnum quoque facere, adhibebo ſanè lubens animum & attentionem, & tua voce delinitus ſententiam forte meam commutabo, atque in hoc ipſo loco deponam.

Fabius l. 2. c. 11.

Hæc Theodorus non ex animi ſui ſententia proferebat, ſed vt poſ-

vt poſſet diſputationem illam effugere, cùm adeſſent & doctiſſimi & ingenioſiſſimi adoleſcentes, qui recenti etiam diſciplina imbuti & ſolertes, notare vitia poſſent & iudicio animaduertere, ſi quid forte ab illo fuiſſet peccatum. Sed occurrit Honoratus, aitque ſibi videri, id Theodoro quod Platoni eueniſſe, quem nunquam maiori artificio dixiſſe volunt, quam cum ipſum dicendi artificium oppugnauit. Et prope abfuit quin Iuuëtius multa è M. Tullio & Quintiliano argumēta expromeret, quibus eloquentiam non probaret modò artem eſſe maximam, ſed è quinque pulcherrimis & clariſſimis artibus cōſtare. At enimuero ſimul omnes premere Theodorum atque vrgere cœperunt ad opus quod honeſtè recuſare non poſſet. Nā cùm nobis, ait Victor, antemeridianum tēpus conceſſerit Honoratus, ſtudiiſque noſtris & voluntati ſit beneuolētiſſimè obſecutus, minimè in eo te vinci patieris, quod ſumma omnium voluptate potes facere. Imò illud ipſum, inquit Theodorus, me vehementiſſimè deterret, quod poſt cygneam Honorati vocē, neſcio quid à me ſtreperum atque oppidanum exaudiretis: & vt cum S. Gregorio Nyſſeno loquar, vereor ἐπάνω τῶν χρυσῶν λόγων οἷόν τισι μολυβδίνοις νομίσμασι τὴν μνήμην ἐπιφορτίζειν, *ne poſt aureos ſermones memoriā veſtrā plumbeis numiſmatibus oneremus.* Hic cùm tres itidem ingeminarent preces, modico ſilentio interpoſito, Deprehenſum ait Theodorus plane me video, nolens titubánſque impellor in eam diſputationem, in qua nemo niſi egregiè diſciplinis excultus, & elegantiſſimo iudicio ornatus, & agendi peritus ſine fraude & prolapſione verſari poteſt. Quare ſi minus reſpondero expectationi veſtræ & cupiditati, veſtra culpa erit, nō mea, quanquā mea, qui tam facilè petitioni veſtræ prope iniuſtæ obtemperem, ſed veſtra maximè, quorum iſta imperia Manliana conficiuntur. Sed de voce & pronunciatione diſſerenti adeſte quæſo animis, & ingenua beneuolentia fulcite labantem: & vt Scrofa apud M. Varronem, ea conditione de re pecuaria ſe dicturum recipit, ſi alij etiam quæ ſciunt proponant, *nemo enim*, inquit, *omnia poteſt ſcire*; ſic ea lege dicam, vt vos quoque loco & tempore eruditionem veſtram commodetis.

S. Greg. Nyſſ. or. in ſuā ordin.

Varro l. de re ruſt.

Quantum momenti ſit in Oratoris voce poſitum, non iniucunda varietate oſtenditur.

CAPVT III.

NON eſt dubium quin plurimum momenti ſit poſitũ in voce Oratoris, ad ea multa & magnifica perficienda, quorum cauſa clariſſimum in vulgo nomẽ aſſequitur. Eſt enim reſonans quiddam atque muſicum in hominum animis, quod ſi pulchra elegantique voce ab eo qui dicit commoueatur, nõ mirificam modo voluptatem creat, ſed nimium quantum prodeſt ad perſuadendum. Platonici quidem è diuina ſchola prodeuntes, ſono & muſica haud dubiè capi omne quod viuit, inde colligũt, quod cœleſtem animũ quo vniuerſitas animatur, à mirabili quodam concentu atque harmonia ducere originem putent. Inde fieri, vt etiam belluæ ſymphonia & dulcium varietate modorum & temperatione capiantur. Strabo vnus omniũ in prodenda veterũ hiſtoria facilè doctiſſimus, elephãtes ſono tympanorum mulceri ait: Ælianus ouium greges muſica pingueſcere: brutas omnium generũ animantes, ſono quodam vocum & tibiarum incredibiliter affici, ſuis quoque eruditis Commentariis Plutarchus memorauit. Et cùm multa machinatum ſit hominum genus inſtumenta ad iucundam modulationem & diſſimillimos ſonos, quibus afflatæ audientium mentes aut ſuaui motu liquefactæ quieſcant, aut vt Phrygiis modis incitentur, aut aliis affectionibus obtemperent; tum vox hominis ita in omnem partem dominatur, vt fidium neruorúmque modos, & tibiarum quæ πίνελλα Græci nominauerunt, longiſſime anteeat. Hinc Philoſophi quorum eſt ſumma in litteris & humanitate autoritas, in hominis definitione, τὸ φωνητικὸν poſuerunt, quaſi propria vnius hominis vox eſſe videatur. Theophilus Protoſpatharius de corporis humani fabrica ſapientiſſimè atque ornatiſſimè diſputans, *Homo*, inquit, ζῶόν ἐστι λογικόν, φωνητικόν τε καὶ διαλεκτικόν, vbi *vocalem animantem*, videtur appellaſſe hominem, quod cùm ſit ratione præditus, eius proprium ſit, intimas animi cogitationes voce exprimere. Id verò ita poteſt artificio quodam exequi, vt eadẽ

Aquæus in Plin.

Strabo.

Aelian. de anim. l. 7.

Plutarch.

Theoph. de c. hum. fabr l. 1.

voce pro animi arbitrio, in varios mutata flexus, & tonorum incitationes, incredibilem quoque in eorũ animis qui audiunt, ſenſum procreet, & infinitam affectionum varietatem. Quare vim vocis quæ multiplici variari modo poſſit, & facili mutatione diſtingui, venuſtè & perquam ſcitè Fulgentius perſequitur in hunc modum, *Viua vox ſibi in omnibus muſicis neceſſitatibus celerrima ſubuenit: poteſt enim lemmata ſubrigere, & paralelos concordare, & dyſtonias mollire, phthongos iuuare, & ornare chromata.* Fulgent. l. 3. Mythol.

Sed cùm id bonum ſit commune omnium hominum, qui neceſſariis rebus ſubornati in hanc vitam, tanquam in viã ingrediuntur, tum profectò vocis moderandæ cognitio ad Oratorem maximè pertinet, ad tuendam aliorum ſalutem, ad reipublicæ vtilitatem, ad ſuum decus & gloriam amplificandã. Vis & poteſtas oratoriæ vocis & ſplendidæ, à poëtis fictis fabulis exponitur, cùm pingunt Orpheum, coniugem ab inferis educentem, quod non tam lyra meo iudicio, quàm ſuauitate vocis, & artificio quodam perfecit. Orpheus enim *vir fuit magnus ingenio & eloquio præfulgens*, ait Albricus, hoc eſt planè eximius & præſtabilis orator, qui cantu & orationis ſuauitudine vel ipſos Manes flectere potuerit: itaque Orpheus nominatus fuit quaſi *ὡραία φωνή*, *grata & iucunda voce*, vt è choro ſapiẽtũ quidam monuerunt. Quare mythologi politiſſimi homines qui ſubtilius de Muſarũ conditione diſputarunt, earũ numerũ & myſterij plenum & reconditæ elegantiæ, ad vim vocis varietatémque retulerunt. Aiunt enim eas nouem cũ decimo Apolline fuiſſe inductas, & veterũ teſtimonio celebratas, quod humanæ vocis decem modulamina notentur, eámque ob cauſam cum decachorda etiam cithara pingi Appollinem cõſueuiſſe. Quin & vltimam Camœnarũ, à ſplendore & pulchritudine vocis, nominari voluerunt Calliopen, quam Poëtæ quidem ἀοιδοὶ ſiue *Cantores* nuncupati, operum ſuorum initiis, & ſcopuloſis difficillimiſque in locis inuocare ſolent: ſed verius ea propria eſt orantium, quam propitiam omni ratione placare conueniat. *Calliope*, inquit Phornutus, *eſt Rhetorica, ſuaui voce ac dictione venuſta præcellens, per quam rempublicam adminiſtrant, & populum hortationibus emibrant, perſuaſione & non vi ad id quod cupiunt ducentes.* Et Fulgentius cùm Muſarum nouem eſſe dicat veluti munera, ad efficiendam in animis cognitionem, quæ to-

Vis oratoria vocis illuſtrata.

Albric. de Deorum imag.

Phornut. de nat. Deor.

tidem nominibus exprimuntur, vltimam à voce nominatam putat Calliopen, quod eruditi & ſapientis hominis vltimum eſſe videatur, bene voce proferre quod animo perceperit.

Sed vt à fabulis abeamus, & inuentis Mythologorum ſummo iudicio & venuſtate excogitatis, Plutarchus vir ſine exceptione maximus, ciuilem oratorem inſtruẽs, de voce illius hoc velut è cortina fundit, δεῖ φωνῆς εὐεξίᾳ, καὶ πνεύματος ῥώμῃ, πρὸς οὐ φαῦλον, ἀλλὰ πάμμαχον ἀγῶνα τὸν τῆς πολιτείας ἠθληκότα κομίζειν τὸν λόγον, *Oportet bono vocis habitu, ac robore ſpiritus exercitatum, atque firmatum orationem adferre, ad reipublica non vilia ſed accerrima certamina*, ne aliquãdo feſſum & prope examinatum dicendo ſuperet aliquis,

Plutar. de ciuil. inſtit.

Splendida vox in ſũmis viris quantum requiratur.

Ἅρπαξ κεκράκτης Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων,
Clamator audax Cyclobori vocem gerens.

Quæ mihi ſane quidem videtur magna, in politia gubernanda vtilitas, poſſe dignitate quadam vocis, & maieſtate, plena honeſtæ grauitatis, coërcere importunam hominum audaciã, & impiæ linguæ motus frangere, & impetus furibundos conſceleratorum, ſic vt ne mutire quidem audeant. Sed non iis modicis regionibus definita eſt aptæ pronunciationis tanta támque eximia opportunitas, ſed longè & latè patet ad omnẽ oratorij muneris partem, & clariſſimi in republica viri prouinciam & adminiſtrationem. Itaque maximus Tyrius audet dicere vocis modulationem δυνὴν καὶ τῆς πολιτείας ἦθος περάσαι τῷ μέτρῳ, *ciuium mores atque adeo communem rem aptè poſſe temperare.* Hinc poëtæ Regibus communẽ eſſe voluerũt perennem & perpetuam Calliopen, excellentis pronunciationis effectricẽ, quod eorum proprium ſit, oratione moderari eos, quos dominatu & iure complectuntur, ſintque veluti florentium ora imperiorum, tubæque cœleſtes, quibus vt beati Numinis internuncij bona & ſalutaria pronunciant. Hac fretus ſapienti conſideratione princeps poëta, Vlyſſi quem ſuis numeris abſolutum oratorem fingebat, magnã & illuſtrem vocem conceſſit.

Max. Tyr. Diſſert. 21.

Calliope cur comes Regum.

Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
Sed quando magnam mittebat pectore vocem.

Iliad. 3.

Sine qua, nec torrentem, & niuis ritu fuſam orationem emittere potuiſſet, neque alios tam feliciter in ſentẽtiam ſuam perducere. Iphicrates cùm ab Ariſtophonte Oratore voce

& motu in dicendo eximio premeretur, dicere ſolebat, aduerſarium meliorem eſſe quidem hiſtrionem, fabulam autem ſuam cauſámque potiorem, vinci proinde non iure atque legum autoritate, ſed eloquentia concinnè & artificioſè pronunciante.

Itaque ſæpe contigit, vt vita & facinoribus inclyti, ſumma animi magnitudine & gloria, tamen inſigni eloquentium pronunciatione ſuperati, Euripidea illa vota conciperent,

Εἴθ' ἦν ἄφωνον σπέρμα δυστήνων βροτῶν,

Vtinam eſſet expers vocis humanum genus.

Et alio in loco.

---φεῦ τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν

φωνὴν, ἵν' ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.

Heu cur data non eſt rebus mortalium

Vox, vt diſerti nullo in pretio eſſent.

Huiuſmodi afflicti animi querelæ, ſéque de eloquentia dominante vlciſci cupientis, ſatis indicant, vim eſſe vocis mirabilem ad perſuadendum, ad alios oppugnandos, ad flectendas audientium mentes, atque omni ratione permouendas. Atque hoc ipſum luculentum Æſchinis facinus perſpicuè declarauit, qui cùm Rhodi orationem Demoſthenis recitauiſſet, & omnes vim, robur, & lacertos magnifici operis artificiúmque ſuſpicerent, quid ſi belluam, inquit, ipſam orantem audiiſſetis? cùm haud obſcurè ſignificaret, vnam & eandem orationem, aliam videri actore mutato, & ad præſtantem elegantiſſimæ dictionis copiam & compoſitionem, ſi decora pronũciatio acceſſerit, quidpiam tum exiſtere longè diuiniſſimum, quod miranda & inſueta ſpecie omnes obſtupefaciat. Itaque ſanctiſſimus Chryſoſtomus è numero dicentium planè aureus, de eo genere loquens orationis, quod eſſet ad perſuadendũ opportunũ, tria quædam notat, quæ magnum pondus & gratiam Oratori conciliarent, *geſtũ, oculorũ obtutũ, atque vocem*: τέρπει, inquit, τὸν θεατὴν, καὶ τῷ σχήματι, καὶ τῷ βλέμματι, καὶ τῇ φωνῇ: & *vocẽ* quidẽ quã vltimo loco poſuit, ſine dubio in primo honoris loco & dignitatis collocabat. Quod idẽ mihi vidiſſe videtur par prope illi facũdię gloria & pietate Nyſſenus Greg. qui inter ea quæ inamabilem efficiunt ſenectutem, ponit voce abſurda & inepta pronunciare. Et meo quidẽ iudicio benè &

S. Chryſ. in Pſal. 4.

Philoſt. l. 2. de vit. Sop. ſapienter olim iſtud Imperator Antoninus protulit, τὸν μὲν ἄνδρα δείκνυσιν ἡ κόμη: τὸν δὲ ῥήτορα ἡ φωνή. *Virum coma, vox autem Oratorem oſtendit.*

Atque ex his colligi poteſt, quantum momenti ſit in vocis conformatione repoſitum: quámque vtilis foret de pronunciatione diſputatio, non quidem mea, quem Honorate, iubes Andabatarum more pugnare, & in apertum ſtadium humanitatis ligneo veluti crure excurrere, ſed doctiſſimorum hominum, qui orandi munus cum laude ſuſtinuiſſent. Quod etiam apparebit opinor illuſtrius, ſi conſideremus, quamlibet fictam & ornatam, & pigmentis omnibus affluentem orationem iacere, neque vim obtinere ſuam ad terrendum, ad blandiendum, ad perſuadendum, ſi deſit accommodata vox & pronunciatio cum ipſis rebus conſentiens. Qualem videmus eſſe quorundam adoleſcentium dictionem, qui aucupantes vndique floſculos & carpentes, & contenti eo fuco puerili, quemadmodum dicant minimi faciunt, & tanquam Veneris puppam in medium induxiſſent auro & margaritis, atque omni opulentia inſigniter excultam, ſed ſine voce animíque ſenſu, re infecta diſcedunt. Contrà verò periti Oratores iámque diu in acie & campo celebrati, voce vnumquémque feriunt, & pænè etiam repugnantes ad opinionem ſuam adiungunt. Vnde poëticæ venuſtatis promi-condi, Mineruæ haſtam longam tribuerunt, *quod ſapientia longè verbo percutiat*, vt memini Fulgentium dicere. (Fulgent. l. 2. Mythol.) Quid? eæ quæ vocantur *Cauſſidicorum figuræ*, quas leuiſſimè pertuliſſe Veſpaſianum ait Suetonius, illi *morſus figurati*, vt cum Macrobio loquar, vel vt cum Sidonio Apollinari *piperata illa dicta*, poſſuntne vim habere vllam, & in animum altiùs deſcendere, ſine pronunciandi modo, quem rei natura poſtulat? in Ironia denique an non certa conformatio vocis ita eſt neceſſaria, vt ſi abſit, pereat dictionis gratia, & vero etiam contrarium intelligatur? Huiuſmodi animaduerti poſſunt prope infinita & oratione explicari, quæ declarent, eſſe imprimis habendam rationem pronunciationis Oratori atque vocis, è qua ſæpe totius cauſæ euentus atque victoria, & ipſius dicentis exiſtimatio dependet.

De differentiis vocis, queque probanda aut reiicienda videatur in dicendo.

CAPVT IV.

MVSICI Organum tres quondam habuiſſe intentiones aiũt, *grauem, mediam & acutam*, & inde Muſas apud eruditam antiquitatem pari numero æſtimatas, quæ olim *Hypate, Meſe, Nete*, indigitabantur. Quam eandem partitionem elegantiſſimi Rhetores ad dicentium vocem accommodarunt. *Mira eſt quidem natura vocis*, ait M. Tullius, *cuius quidem è tribus omnino ſonis inflexo, acuto, & graui tanta ſit & tam ſuauis varietas perfecta in cantibus.* Alij duo tantùm præcipua eſſe genera voluerunt, qui vocem aiunt aliàs grauiorem mitti, aliàs acutiorẽ, ſed inter ſummam infimámque vocem, multa eſſe poſſe, atque adeò prope infinita in ordine poſita diaſtemata, quæ magnam illam varietatem complectantur, vt ſit vox modò parua aut mediocris, modò magna, cita, tarda, lenis, aſpera, fuſa, attenuata, canora, fuſca, ſummiſſa, inclinata, fracta, ſciſſa, effœminata, vlulans, incondita, tot denique ſpecies, quot mortales, *quibus ſuam cuique eſſe propriam, vt faciem*, autor eſt Plinius. Quas vocis differentias, aliáſque prope innumeras quæ ſubtilius animaduerti poſſunt, nihil refert, ſiue quantitatem ſiue qualitatem nominemus, magnos eos viros ſequuti, qui de Muſica doctè & mirabiliter ſcripſerunt. Ariſtoxenus quippe ſonorum differentias ſecundum grauitatem & acumen exiſtimabat in qualitate conſiſtere. Pythagoriſti verò in quantitate ponebant; quorum opinioni propior eſt Ptolemęus, qui ipſam quoque grauitatem & acumen non in qualitate putat, ſed in quantitate conſtitui, vt memini à Seuerino Boetio notatum. Vocem tamen, ſi capiamus, non prout tantum in intentione verſatur, non eſt dubium, quin eruditi omnes eius & quantitatem, & qualitatem agnoſcant: quo modo rem conſiderauit Quintilianus; *Natura*, inquit, *vocis ſpectatur quantitate & qualitate.* Nos ea genera vno differentiæ nomine comprehendemus, agemúſque de voce, non quemadmodum muſici conſueuerunt ex-

Cicer. in Orat.

Plin. l. 10. c. 51.

quiſitius, & ſubtili diſputatione, ſed prout ad dicentem Oratorem pertinet: & aliquot differentias proponemus, quæ in vſum maximè venire poſſunt. In iis autem vocum differentiis, cùm ſint quædam, quæ teretium & elegantium aurium iudicio probentur, quædam etiam quas cœtus hominum ingenui & humaniſſimi repudient; ſic erit moderandum orationi meæ, vt propoſitis ſingulis, quæ laudabiles videantur, proximè ſubiiciam, quæ in eo genere ſint optimo, & ad laudem famámque hominum efflorеſcenti Oratori fugiendæ.

VOX VIRILIS.} {EFFOEMINATA.

CAPVT V.

SECTIO I.

Sophiſtarum pronunciatio. λαρυγγίζειν. γαργαλίζειν. vox tremula. Eloquentia libidinoſa. Vocem eliquare, ſupplantare, πλάττειν φωνήν. Plaſma.

IMPRIMIS commendari vocem in Oratore virilem animaduerto atque naturalem, quæ nullis fucata modis, nulla inepta flexione adulteretur. Quod enim abit à natura, vitio pronunciantis & puerili affectatione, mirum quantum ſapienti auditori réſque ſuo iudicio ponderanti diſplicet. Eam au-
Fab.l.11.c.3. tem vocem nominauit Quintilianus, *liberalem*, & non leuiter prædicauit, cùm ita loquitur, *Sed ne vox quidem niſi liberalis a-*
Virili voce pronunciãdum. *ctionem habere optimam poteſt.* Sanè *virilem* in dicendo vocem à ſanctiſſimis viris, quorum in ſumma vitæ innocentia & religione nobilitatum fuit eximiúmque iudicium, probari conſtat, & laudibus veriſſimis ornari. Ennodius Ticinenſis Paſtor æuo ſuo tum eloquentia, tum moribus clariſſi-
Ennod. in vit. B. Epiph. mus, beatum Epiphanium laudans; *Vox*, inquit, *ſonora, ſucco virilis elegantiæ condita, non infracta, gradatimque à maſcula ſoliditate depoſita.* Qui mihi videtur monito ſapienti obſecutus eruditiſſimi & religioſiſſimi Ambroſij Mediolanenſis, qui in libris Officiorum hoc præceptum reliquit,
l.1.offic.c.23. *Sit vox diſtincta pronunciationis modo, & plena ſucci virilis,*

lis, vt agreſtem & ſubruſticum fugiat ſonum, non vt rythmum affectet ſcenicum. Eos mihi facundiæ principes atque heroas ſemper in concionibus ſequēdos putaui, tametſi non aſſequor, propter naturæ imbecillitatem fortè meæ, iudiciíque inopiam: ſed omnes, me auctore, publicè orantes, honeſtiſſima corona ſepti hominum intelligentium, hoc tantum eloquentiæ decus habere conabuntur, vt virili omnia voce pronuncient.

Peccant in eo molles quidam & delicatuli Rhetores, qui teneritudine diffluentes, & corpore animóque iuxta effœminati, liquido gutture tenuatas voculas modulantur. Id vitium inſedit olim in pronunciatione Sophiſtarum, qui cùm vellēt mirabiliter omnia dicere, & blanditiis elegantiſſimæ voluptatis perfundere animos audientium & ſuauitudine cōplere, non modò inuſitatam orationis ſtructuram, & amœnam compoſitionem inducebant, verùm etiam *picta tectoria lingua*, & molliſſimam pronunciationem. Grauis autor Plutarchus id memoriȩ prodidit in hæc verba, *Sed complurium Sophiſtarum orationes atque declamationes, non vocabulis modò vt cortinis velant ſententias,* ἀλλὰ καὶ τὴν φωνὴν ἐμμελείαις τισὶ καὶ μαλακότησι καὶ περιάσεσι ἐφηδύνοντες ἐκβακχεύουσι καὶ περιφέρουσι τοὺς ἀκροωμένους, κενὴν ἡδονὴν διδόντες, &c. *Sed vocem quoque accuratis quibuſdam ſonis ac mollitie, & cantillationibus edulcantes, bacchicum in animis auditorum quiddam concitant, eóſque tranſuerſos abripiunt, pro vana quam adferunt voluptate, vaniorem etiam gloriolam reportantes.* Eos proinde Græcorum Patrum politiſſimus Gregorius Nazianzenus ait cōſueuiſſe κομψὰ λαρυγγίζειν, *ſcita & venuſta ſonoro gutture funditare*: Et Clemens Alexandrinus κνήθειν καὶ γαργαλίζειν οὐκ ἀνδρικῶς τὰς ἀκοάς, *aures non ſatis viriliter mulcere & titillare.* Sophiſtæ vnius exemplum lubet hic apponere, vt quantum à prudentium moderatione, ea linguæ effœminatio mollitiéſque abhorreat intelligamus. Philiſcus Orator cùm audiente Imperatore Antonino Romæ orationem inſtituiſſet, cœtum illum hominum illuſtrium, qui paratus ad audiendum acceſſerat, grauiter offendit: nam in prætorium ingreſſus, veſte obſoleta inuenuſtus apparuit, καὶ τὴν φωνὴν μιξόθηλυς, καὶ τὴν γλῶτταν ὕπτιος, *effœminata muliebriter voce & lingua ſupinus*, vt autor eſt Philoſtratus. Quia dicendi ratione commotus Imperator, ἐπεστόμισεν αὐτόν, *illius os continuò repreſſit*,

Sophiſtarū delicata pronunciatio.

Plutarchus de.ἀκρ.

Greg. Naz. or.3.

Clem. l.1. ſtrom.

Philoſtr. de vit. Sophiſt.

OOo

Lucian. in Rhet. præc. hominémque exagitauit. Simillimum quoque Lucianus depingit oratorem mollicellum & effœminatum. Ille, inquit, Αὐτοθαΐδα τὴν κωμικὴν, ἢ Μαλθάκην, ἢ γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος τῷ τορετισμῷ τοῦ φθέγματος, *Comicam Thaidem ipſiſſimam vel Malthacen, aut Glyceram tenella voce imitatus.*

Vocem criſpare & eliquare. Et quidem vocem criſpare & eliquare dicendo, præſertim in re graui, ſummæ eſt leuitatis & intemperantis animi, & decori honeſtatem obliti, qui dum colligit aſſenſum aurium & voluptatem, neruos elidit modeſtiæ, & pænè dicam audientes mulieroſos facit. Id maximè in Nerone grauis ille acerbúſque monitor reprehendit, qui fuit *petulanti ſplene cachinno*: nam cùm bellus Imperator non iam veneres & concinnitudines ſuis in verſibus colligeret, ſed eoſdem Veneria manu ingenióque pangeret, tremula deinde liquidáque voce pronunciabat. Hinc *tremuli* Perſio verſus nominati.

Perſ. Sat. 1. ——*& tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.*

Sic apud Tibullum,

Tibullus. *Et ſibi blanditias tremula componere voce.*

Et in media ſuperſtitione, quaſi vellent Numinibus quoque delitias facere, precationes ſuas fundere ſolitos, aliquando φωνῇ παλλομένῃ, ait Plutarchus. Eam autem vocis mollitudinem vt minimè viro conuenientem, acri etiam aceto diluit Perſius in hæc verba, ——*vocem*

Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato.

Eſt autem *vocem eliquare*, vt Cornutus interpretatur, lenocinio vocis pronunciare, & vocem diſſoluere in cantilenam. Apul. l. 2. Florid. Floridè Apuleius & venuſtè vt ſolet, *Canticum*, inquit, *videtur ore tereti ſemihiantibus in conatu labellis eliquare.* S. Petrus Chryſolog. ſer. 61. Petrus Chryſologus religioſè diſertus proprium ait eſſe nutritiorum, qui filiolis blandiuntur, *liquare ſermones, & tenuare verba*, quibus opponit *ſermones quadrare*, quaſi prius illud ſit tertiare & dimidiata verba liquare. S. Hieron. ep. 7. Alludit & magnus Hieronymus ſcribens ad Lætam, *Placeat ei comes non compta atque laſciua, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur.*

Ex ea verò pronunciatione fiebat, vt præter molliſſimos ductus vocis, & liquidam attenuationem, id etiam conſequeretur vitium, quod Perſius eodem ipſo carmine reprehendit. *Supplãtare verba.* Nam in ea flagitioſa recitatione, abeuntium dictionum caudę

vltimæ, vt in cœno, ſic in putri palato mergebantur, & quod Craſſus 3. de Oratore vetat, verba exiliter exanimata prodibant, dum vocis canoræ ſonus in vltimi palati cauo leniter infringeretur, quò fieret iucundior, quod propriè verba *ſupplantare* fuit. Diuine rem expreſſit doctiſſimus Hieronymus in hunc modum, *Non delumbem matronarum ſaliuam delicata ſecteris, quæ nunc ſtrictis dentibus, nunc labiis diſſolutis, balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur.* Paulò etiam pòſt eleganter vocat *adulterium linguæ*: quemadmodum Fabius Quintilianus *eloquentiam libidinoſam*, reſupina voluptate titillantem. Ariſtophanes μαλακὴν φυράσασθαι φωνὴν, *molliculam ſubigere vocem.* Syneſius ſermones χλιδῶντας, *delicata mollitie luxuriantes.* Et alio in loco, διαθρυφθέντας ἐν ἡδονῇ τὰ μειράκια, *qui libidine voluptatis adoleſcentiam afficiant.* Communem eam fuiſſe labem ſui temporis adoleſcentium notat Seneca, in eóſque reprehenſionis aculeos emittit, *Ad muliebres*, inquit, *blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Extenuare vocem ad muliebres blanditias Græci dicunt πλάττειν φωνὴν; quòd ne in fœmina quidem tolerandum putat vir grauiſſimus Clemens Alexandrinus in Pædagogo, vbi mores mulierum diſſolutos referens, hæc inter alia, καὶ φωναῖς ταῖς πεπλασμέναις χλαδαρὸν παραβλέπουσαι, *voce muliebriter effœminata, ſcintillantibus oculis intuentur.* Hinc *plaſma*, Rhetorum præceptionibus exterminatum à bene dicendi ſtudio & eloquentiæ diſciplina, de quo ita Fabius, *Sit vox non in canticum diſſoluta, nec plaſmate (vt nunc à pleriſque fit) effœminata.* Itaque Plutarchus reprehenſum fuiſſe Demoſthenem à ſapientibus ait, cùm primùm animum ad dicendum appulit, quod illius foret ἀγεννὲς τὸ πλάσμα καὶ μαλακόν. Et ni fallor eam ipſam ob cauſam nòminatus fuit *Batalus*: βάταλοι enim ſunt apud Græcos, qui delicato illo plaſmate & muliebriter emollito vtuntur. Quod videor didiciſſe à Clemente Alexandrino doctrinarum omnium varietate abundanti, cuius hæc eſt oratio, οὐκ ἄνδρας, βατάλους δὲ καὶ γυναῖκας καλεῖν τούτους χρὴ, ὧν αἱ φωναὶ τεθρυμμέναι, *non viri ſed Batali & fœminæ ſunt dicendi, quorum voces ſunt ad effœminationem attenuatæ.* Gre-

S. Hieron. ep. 22.

Fabius l. 5.

Ariſtoph. in Nubib.

Senec. l. 1. Controu.

Clem. Alex. l. 3. pædag.

Fab. l. 1. c. 8.

Plutarch. in vit.

Clem. Alex. l. 3. pædag.

Naz.car.de vit. gorius Nazianzenus vocat λυγίσματα, *delicatas vocis flexiones*, quibus impenſè delectatos ait Sophiſtas. Zonaras Canones Conciliorum exponens, μινυρίσματα, *infractos modorum ſonos & argutas veluti cantillationes*. Gregorius Nyſſenus τὸ ἄλογον θρύψιν τῆς φωνῆς, *fractionem vocis minime rationi conſentaneam*.

Zonaras.

Nyſſen. in Eccl.Hom. 2.

SECT. II. *Iterum de plaſmate. Voce mellitus. vocem in dicendo muliebriter frangere.* τὸ κεκλασμένον. *tenerè dicentes.*

HIC Iuuentius, Licetne, inquit, doctiſſime Theodore è formula Iuriſconſultorum conſulere. Imo & docere licet, ait Theodorus, ſi quid habes rectius iſtis. Videor, inquit, apud eruditos autores legiſſe τὸ πλάσμα in laude poſitum, & à viris politiſſimis vſurpatum. Certè Periclem non de grege vnum, ſed omnium facile principem aiunt habuiſſe τὸ πλάσμα φωνῆς ἀθόρυβον, vertunt *modulationem ſedatam vocis*. Et Plutarchus cum pueros paruos ait Romanorum, Platonis Dialogos in triclinio recitauiſſe, monet adhibitum ab illis fuiſſe τὸ πλάσμα φωνῆς, hoc eſt opinor aptam ad eas res quæ dicebantur & decoram pronunciationem.

Scio iſta, inquit Theodorus, nec magnoperè mihi monendum videbatur, πλάσμα apud Græcos vocabulum eſſe τῶν μέσων, & modò in bonam, modò in contrariam partem accipi: qua etiam ratione Plutarchus τῆς φωνῆς πλάσιν dixit pro figura quadam vocis & honeſta conformatione. Plaſma item Oratorũ potionem ſignificat, de qua nobis alio loco erit dicendum. Illuc redeo, & hæc à me tot & tanta ſcriptorum elogia proferuntur, vt conſtet, quanto ſtudio fugere debeamus eam fractam & elumbem teneræ vocis mollitudinem, ob quam multi omnium iudicio illuſi abſque honore iacuerunt. Quidã enim ſe melle dulcius locuturos putant, ſi artificio quodam circumliniant dictionem, melleáque voce pronuncient, quorum ille exitus orantium eſt, vt inter viros fœminæ, & non è ſchola, ſed à colu & penſo meretriculæ prodiſſe videantur.

Plutarch. in Cicer.

Lucianus deſcribens hominem effœminatum, *γυναικεῖον*, inquit, *τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα*, *vultu mulieroſum*, *voce mellitum*. Eandem ipſam vocem magni viri *fractam* indigitant, & omni orationis copia vituperant. Plinius quidem ille quem Italia poſt M. Tullium in principibus patronis vnum vidit, ſic habet, *Pudet referre quæ quàm fracta pronunciatione dicantur, quibus quam teneris clamoribus excipiantur*. Doctor eloquentiæ Fabius, *Nolo eum quem inſtituimus, aut fœmineæ vocis exilitate frangi, aut ſeniliter tremere*. Præclarè D. Ambroſius, *Vox ipſa non remiſſa, non fracta; nihil fœmineum ſonans*. Et paulò pôſt ait nulla ratione probandum eſſe molliculum & infractum vocis ſonum. Sic etiam Græci τὸ κεκλασμένον in voce repudiant. S. Chryſoſtomus muliebrem mollitiem ante oculos ſubiiciens, inter alia memorat φωνῆς διάκλασιν, cui opponit ἀσχημάτιστον φωνὴν, *naturalem vocem & minimè figuratam*. Et alio in loco, πορνικὰ ᾄσματα καὶ κεκλασμένα ᾄδοντες μέλη, *meretricios cantus fractos & emollitos canentes*. Itaque ſemper fuit inter ſapientes creditum, id Cinædorum eſſe proprium & flagitioſorum. Quo ſenſu illa canebat Claudianus in Eutropium.

Lucianus ῥητορ. διδασκ. — Plin l. 2. Epiſt. — Fabius l. 1. c. 11. — D. Ambr. l. 1 Off. c. 19. — S. Chryſoſt. l. 6 de Sacerd. — Homil 2. de verb. Iſa.

> *——verbíſque ſonat plorabile quiddam*
> *Vltra nequitiam fractis.*

Et Iuuenalis de flagitioſo grege Corybantum.

> *Hic turpis Cybeles & fracta voce loquendi*
> *Libertas.*

Claudianus in Eutrop. — Iuuen. Satir. 11.

Eoſdem Pindarus vocauit *μαλθακοφώνους*: Cornelius Tacitus *tenerè dicentes*, ex eóque oriri quendam cantum molliſſimorum oratorum, quem grauiſſimè & ſummo ſtudio reprehendit. Hæc qui tacitus apud ſe reputauerit, facilè opinor dici à nobis meritò intelliget, nihil videri putidius, quàm vt Orator tanquam in gynæceo, vocem mollibus blanditiis effœminet, & tenero ſupplantet verba palato.

Tacit. Dialog. de Or.

VOX PLENA, MAGNA, illuſtris. Obſcura, exilis, ἰσχνοφωνία.

CAP. VI.

SECT. I. *Plenioris vocis dignitas & commoda in dicendo, cuius ſpecimen tum in ſacris, tum in profanis Oratoribus exponitur. μέγα φθέγξεσθαι nonnunquam ſuperbiæ.*

Cic. 3. de Orat.

AD *actionis vſum atque laudem*, ait M. Tullius, *maximam ſine dubio partem vox obtinet: quæ primùm eſt optanda nobis, deinde quæcunque erit, ea tuenda.* Quod ſi optanda vox Oratori eſt atque omni ratione tuenda, eam maximè appetendam eſſe putem, & omni ſtudio artificióque inſtruendam, quæ ſit plena, magna, illuſtris & ſonora. Habet enim in orante vox plenior non modò auctoritatem maximam, & cuiuſdam amplitudinis ornamentum, verùm etiam ad efficiendos motus animorũ eſt opportuna. Eam igitur teſtimoniis ſuis atque oraculis probant ſapientes, eáque oratores cum eruditio libero homine digna acceſſerit, in cauſa triumphant. Quare Poëta iudicio & elegãtia princeps Diis maximis, quos omni excellentia ornatos, & exquiſitæ naturæ choragio feliciſſimos prædicat, magnum tribuit ſonum vocis & valentem, quod id quoque ad ſplendorem beatiſſimi numinis facere videatur. Sanè Chryſippus Stoicorũ omnium doctiſſimus, Iouem aiebat dictum εὐρύοπα Κρονίδην, propter admirabilem eloquentiæ vim & magnæ vocis dignitatem. Atq; vt Reges & dynaſtæ ſunt expreſſæ numinum effigies, iíque omnes qui honoribus aucti ciuium & pollentes, communem rem auctoritate conſilióq; ſuo gubernant, voluit Plutarchus eos pariter nobili hac voce inſtructos, & regio pęne dicam ore pronunciare, vt non modò commodè exaudiantur in ſumma hominum frequentia, & ſtrepitu indoctæ multitudinis, ſi quid velint ad commune otium vtilitatémq; monere: verùm etiam vt ſeditiones ſi quæ exoriantur compeſcere, & ſono vocis

atque amplitudine, hominum furentium & turbulentiſſimorum conatus, & clamores coërcere poſſint.

Iam ſi de oratore loquamur, in eius omni ſupellectili, poſt doctrinam, veluti purpuram auro & gemmis illuminatam, nihil profectò video maius atque ſplendidius, quàm huiuſmodi vocem plenam & beatam, qua qui carent, incredibili quodam præſidio ſunt ad agendum deſtituti. *Vox plena magnum Oratorum bonum.* Id de ſe mœrens fatebatur olim Iſocrates, qui natus annos quatuor & nonaginta cùm Panathenaicum ſciberet, ait ſibi duas omninò res, quæ in ciuitate plurimùm poſſunt defuiſſe, *φωνὴν ἰσχυρὰν καὶ τόλμαν, vocis magnitudinem & audaciam.* Quibus facultatibus qui deſtituuntur ait eſſe *ἀτιμοτέρους*. Æſchines autem multis quidam rebus fuit à natura inſtructus & locupletatus, ſummo præditus ingenio, exprompta facilique eloquentia, animo acri & erecto, quem vix vlla inimicorum contentio de gradu ſuo poſſet deiicere: ſed tamen nullùm ei fuit telum potentius ad lacerandam Demoſthenis copiam, & tardandum incredibile genus orationis glorioſè triumphantis, quàm vox plena & magnifica, ſuauiſſimo quodam motu voluptatis in omnium auribus inſidens, quæ res eum mirabilem efficiebat. Id videbat ingenioſiſſimus Demoſthenes, cúmque illa vi premeretur, ample ſonantis facundiæ & ſplendore luculentiſſimæ actionis, ad id decus velut teli aciem retundendum, vim, induſtriam, artificiúmque ſuum contulit, & præſertim in nobiliſſima illa contentione *de Corona*, vbi nonnunquam variè illum illudit, quaſi in pompa, ſuam vocem glorioſiſſimè oſtentantem. Ait enim illum *μέγα φθέγγεσθαι, εὔφωνον εἶναι, ὑπέρλαμπρον ὀλολύζειν*: interdum enim vocat *λαρυγγίζοντα, πεφωνασκηκότα, λαμπροφωνότατον.* Demoſth. Orat. de Coron. Quæ quia laudari conſueuiſſent, ea ipſa conatur in inuidiam pertrahere. Quid? inquit, ipſe vocem iuueniliter attollens & geſtiens, canoris nugis & molliſſimi ſoni flexione exultans, inſimulare me vllius criminis poſſe putauit? *ἐπάρας τὴν φωνὴν, καὶ γεγωνὸς, καὶ λαρυγγίζων, ᾤετό μου κατηγορεῖν.* Aſperius agit nonnunquam, vt animos audientium ab illa tam excellenti pronunciatione, quantam fieri poſſit auocet, cùm ait ipſum *τραγῳδεῖν, tragice vociferari, ὑποκρίνεσθαι, hiſtrionem agere, ὡς ἐν τραγῳδίᾳ βοᾷν*, atque ſimilia. Et videte acutiſſimi illius coryphæi artificium: monet auditores,

non mirandos eſſe orantium eos ſonitus, & vocis plenioris cõcentum, quo in cõmunis rei perniciem conſcelerati abutantur: ἔϛι δ᾽ οὐχ᾽ ὁ λόγος τοῦ ῥήτορος Αἰσχίνη τίμιος, οὐδὲ ὁ τόνος τῆς φωνῆς, &c. *Neque enim magno æſtimanda eſt Oratoris vel dictio, vel ipſius vocis contentio, ſed idem velle cum populo atque idem nolle*, &c. In oratione verò de falſa legat. cùm Aeſchinem opere maximo propter vocem gloriari doceret, qua fretus ſperet ſe poſſe fucum facere Athenienſibus: ſimillimo artificio ſubiungit, procul ciues abeſſe ab illa ſtultitia, vt quem in ſcena Thyeſten malè repræſentantem eiecerint, eius in foro pronunciatione capiantur. Nam ſi quidem de præcone inquireretur, vocalem quempiam eſſe deligendum, Legatum autem qui res populi multas atque magnas adminiſtrauit, bonum & præſtantem ciuem atque ſuis vtilem videri oportere.

Hæc cùm vir magnus ille diceret, imminuebatur ſcilicet ea dignitas pronunciationis, qua dicentis Aeſchinis oratio in mentes omnium influebat, cum inuſitata voluptate & gratia, ſed profecto eximium illum ſplendorem non penitus inobſcurabat. Itaque Rhodum etiam ipſum extulit, obſtupefacto illo Aſiæ theatro & delinitis adoleſcentibus, quos audiendi nulla capere potuit ſatietas. Cuius rei cùm meminit M. Tullius, ait miratos fuiſſe omnes Rhodios, cùm orationem *ſuauiſſima & maxima voce legiſſet*. Idem etiam pronunciationis ornamentum Quintilianus in Trachallo ſui temporis oratore clariſſimo, laude & prædicatione commendat, *Eminere*, inquit, *inter æquales Trachallus videbatur: ea corporis ſublimitas erat, is ardor oculorum, frontis autoritas, geſtus præſtantia, vox quidem non vt Cicero deſiderat pæne tragœdorum, ſed ſuper omnes quos ego quidem audierim tragœdos*. Addit paulò poſt, eum in baſilica Iulia cùm omnia clamoribus fremerent, variiſque in locis fierent iudicia, & auditum, & intellectum, & laudatum ab omni multitudine fuiſſe. *Sed hoc*, inquit, *votum eſt, & rara fœlicitas*.

Cic. 3. de Orat.

Fab. l. 12. c. 5.

Commoda vocis plenioris.

Inter eas autem vtilitates, quæ ex plena & illuſtri voce conſequuntur, eam pono, quod eadem vulgo ſit robuſtior atque durabilis, nec tam cito fatigationi obnoxia, quod in oratoriis contentionibus plurimum habet momenti & commodorum. Itaque M. Cato cuius vox erat canora & magna, & ſufficiens vt à frequenti populo exaudiretur, ſi videret perditorum hominum

Plutarch in Cat.

minum conſilium ad reipublicæ perniciem incumbere, in Senatu diem integrum ſine fatigatione orabat, quò nefariæ & peſtilentes ſententiæ impedirentur. C. Gracchus μεγαλοφωνότατος ϗ ῥωμαλεώτατος ἐν τῷ λέγειν, vt ait Plutarchus, pulcherrimi illius inſtrumenti beneficio multa confecit. Sed præſertim ea dos Oratoris in affectibus dominatur; qui enim grandem, plenam, & ornatam habent vocem, autoritatis & grauitatis indicem, ſi modò eam flectere, & ad quencunque motum animorum torquere didicerint, nihil eſt, quod ab auditoribus non eripiant. Hinc in virtute commendanda, & in mentibus illiminanda, plena dignitatis contentio; hinc in turbandis impiorum hominum conatibus, in perfidia cruentanda, in ſceleribus exagitandis vehementia, & exaggeratæ mentis ardor & pondus exiſtit.

Atque huius laudis ſpecimen licet in Eccleſiaſticis animaduertere, qui piis & doctiſſimis concionibus, ſummi Numinis voluntatem, & maieſtatem Catholicæ Religionis explicant. Qui hoc præſidio inſtructi, & vt ſplendido & ſonoro pegmate, diuina pompa, verbum Dei circunferentes, declarare poſſe videntur, quis ille ſit, quem diuinæ literæ concelebrant, *malleus conterens petras*. Nam cùm illa vberi voce atque magnifica dicere in vitium cœperint, & generoſiſſimè tonare, tum videas ſceleribus coopertos defigi, attonitóſque hærere, perturbari: cadit illico flagitioſæ libidinis cupiditas aduerſus dominam rationem incitata, defluunt ex animo ſordes auaritiæ, elata ceruix tumido prius faſtidio inſolens, perutili demiſſione abiicitur, ſi præſertim ſacri illi Oratores vocem *toto inſtructam organo*, vt cum Fabio loquar, emittant, & apertis veluti tibiis in diuinæ iuſtitiæ commemoratione verſentur. *Vox plena in Concionatore plurimùm poteſt.*

Sed vt huiuſmodi ſonus vocis autoritatem habet, vt ſuperiùs diximus, & dominantis veluti animi ſignificationem, ita periculum eſt, ne dicentis vitio, ſuperbiæ nonnunquam arrogantiæque ſeruiat. Qui enim ſunt natura aut conſuetudine faſtidioſi, & opinione ſui inaniſſima inflantur, ſolent magnum quiddam ſonare, *altum loqui* vulgò dicimus in Gallia, Græci μέγα φθέγγεσθαι. Id Demoſthenes in Æſchine reprehendit, quem inſolentia tumefactum ait μέγα φθέγγεσθαι, *Μέγα φθέγγεσθαι in vitio.* Demoſth. π. στφ.

vocem attollere, imperioſè loqui, ſono quodam pleniore Salmoneum imitari velle. Sanctus Gregorius Nyſſenus vir eloquentiſſimus ſuperbiam ſuis coloribus eleganter pingens, *Vidiſti*, inquit, *ſuperbum aliquem & arrogantem variis indutum veſtimentis, pretioſum annulum pala ornatum geſtantem in digito*, μέγα βαδίζοντα, μέγα φθεγγόμενον, μέγα φρονοῦντα. Atque hactenus de plenioris & grandioris vocis dignitate.

Nyſſen. or. 1. de creat. hom.

SECTIO II.

Tenuis vox & obſcura. Demoſthenes ἰσχνόφωνος *quomodo* λαμπροφωνίας *aſſecutus. Exilitas vocis irriſa, inopportuna mouendis affectibus.*

HVIC contraria eſt vox obſcura & exilis, quæ in multis literatis alioquin hominibus & diſertis, quique omnem encyclopædiæ curſum peregiſſent, eloquentiæ pænè omnem laudem infregit. Thereus Battus, qui Cyrenas vrbem ædificauit, cùm eſſet à natura ἰσχνόφωνος καὶ τραυλός, *ſono exili vocis & balbutienti*, vidit hoc magnum ſibi futurum incommodum in iis perficiundis, quibus laudem inter homines & dulcem nominis gloriam aſſequeretur. Ad Pythium igitur Apollinem ſciſcitatum de voce miſit; de qua tamen nihil Pythia è cortina reſpondit, cùm ad ignotam eum regionem viſendam impelleret,

Herodot. Melpom.

Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων
Ἐς Λιβύην πέμπει.
Batte venis de voce rogans: te Phœbus Apollo
In Libyam ire iubet.

Et fortè ea de re ſiluit Dæmon, quod illud vitium ita foret inſitum à natura, vt nullis opibus, nulla hominum induſtria tolli poſſet. Emendauit in ſe tamen laborioſiſſimus Demoſthenes, qui cùm videret, ſibi anguſtiores vocis meatus, atque ductus eſſe tenuiſſimos à natura datos, qui λαμπροφωνίας impedirent, hanc iniit rationem ad eos amplificandos & augendos, ἔλαιον μὲν ἐμβάλλων τῷ στόματι, vt ſcribit Photius, ἀνατρέχων δὲ πρὸς τὰ τῶν χωρίων ἀνάντη, &c. *Oleum in os immittens, per accliuia loca decurrebat, quo motu oleum ad*

Demoſthenes claram vocem exercitatione conſecutus.

Photius.

nares alliſum & abſorptum, tenuiores illos anguſtioréſque meatus naturæ functioni idoneos reddidit, & claræ voci accommodatos. Id facundiæ impedimentum ætas nonnunquam atque dies importat, vocem enim in ſenecta exiliorem eſſe tradit Plinius. Ad diuinam prouidentiam id reuocauit ſanctus Chryſoſtomus in Moſe, quem ait fuiſſe ἰσχνόφωνον, neque tamen Deum iuſtas ob cauſas μεταβαλεῖν αὐτοῦ τὴν ἰσχνότητα, *id linguæ vitium ab eo ſuſtuliſſe.* Plin. l. 11. c. 51. S. Chryſoſt hom 10. in 2. ad Tim.

Sed vndecunque tandem eueniat, ſanè plurimùm de benè dicendi laude & præſtantia deruit, & ea vulgò tenuitas rideri ſolet. Poëta doctus ſatyricè illud & argutè,

> *Miratur vocem anguſtam, qua deterius nec*
> *Ille ſonat quo mordetur gallina marito.* Iuuenal. ſat. 3.

Cum gallo gallinaçeo comparat: medici quidam circunforanei cum equo apud Hippocratem, qui cùm memorat de agyrtis, qui luſtrationibus quibuſdam ſanabant, *Si ager*, inquit, *acutiorem vocem edat, equo ſimilem eſſe dicunt, & ad Neptunum cauſam referunt.* De Nerone Xiphilinus, βραχὺ δὲ μέλαν φώνημα εἶχε, ὥστε καὶ γέλωτα ἅμα δὲ δάκρυα πᾶσι κινῆσαι, *vocem habuit exiguam & obſcuram, ſic vt riſum ſimul omnibus & fletum excitaret.* Adde quod illa exilitas vocis arguit nonnunquam animi molliciem, quam expreſſit in laſciuiente Sardanapalo Dio Chryſoſtomus, ὀξύτερον, inquit, φθεγγόμενος εὐνούχου, *acutiorem emittens vocem quam Eunuchi.* Quæ cauſa fuit, cur olim multi optimis diſciplinis eruditi, quos ciuium gratia & ingenij ſplendor ad eximios honores euocabat, & feliciſſimum eloquentiæ principatum, quod tamen vocis ea tenuitate laborarent, à dicendo abſtinuerint. Platonem quidem quem ἰσχνόφωνον fuiſſe Timotheus ſcribit Athenienſis, à Rhetorum pompa & Theatro alienum fuiſſe videmus, & à forenſi dictione abhorruiſſe, cui tamen Lucianus verè tribuit, καλλιφωνίαν δεινῶς ἀττικὴν δὲ τὸ κεχαρισμένον καὶ πειθοῦς μεστὸν, *eloquentiam attico lepore plenam, flexanimam & venuſtam.* Hippocr. l. de morb. ſacr. Xiphilin. in Neron. Dio Chryſ. orat. 62. Lucian. in Reui.

Atque in ea exilitate vocis, hoc quoque video eſſe incommodum, quod fortiſſimam Oratorum contentionem pati nequeat, & commotionem affectuum, in quo lucet maximè atque eminet dicentis victoria. Quare vix illi ἰσχνοφω- *Exilis vox minus apta commouendis affectibus.*

νίᾳ debilitati pugnatorium mucronem audent exerere, aut agere vehementius, ne tanquã vetus Poëtæ canterius peccent ad extremũ ridendi, & ilia ducant. Quo loco memini Demoſthenis, quem in dicendo cùm vox defeciſſet, à corona fuit exploſus: quãquam ille fœdam prolapſionem excogitata ſubitò ratione tueri conatus eſt, & aliqua ſpecie honeſtatis obtegere, τοὺς ὑποκριτὰς ἔφη δεῖν κρίνειν ἐκ τῆς φωνῆς, τοὺς δὲ ῥήτορας ἐκ τῆς γνώμης, *De hiſtrionibus*, inquit, *ex voce, de Oratoribus autem, è ſententia iudicium eſſe petendum.* Quæ cùm diceret, efficiebat quidem, vt humanum id eſſe omnes putarent, quod eueniſſet; ſed profectò non efficiebat, vt excellenter & è ſummi Oratoris dignitate egiſſe videretur.

Plutarc. in 10. orat.

VOX CANORA.

CAPVT VII.

SECTIO I.

Canorus Orator probatus. λευκὴ φωνή. Sophiſtæ cupidi ſonoritatis, in quorum dictione κρότος & ἠχὼ ſæpe, & mollior quidam cantus.

FONTEM eſſe in Africa nomine Zamen, qui canoras efficiat voces, eruditiſſimus omnium ferè togatorum prodidit Varro. Ad eum ego noſtrum Oratorem non minus quàm ad Heſiodeum, vnde Poëtæ laureati fiunt, amandandum eſſe putarem. *Canorum enim Oratorem*, ait Marcus Tullius, *concurſus hominum foríque ſtrepitus deſiderat.* Quod dicentium ornamentum facilius optare Galli poſſunt, quàm aſſequi, illos dico, qui propius ad Occidentem ſolem accedunt aut Septentrionẽ. Nam in Oriente quidẽ λαμπροφώνους ἀνθρώπους generari monuit Hippocrates, ad meridiem autem naſci homines βαρυφώνους καὶ βραγχώδεας διὰ τὸν ἠέρα, *grauem & raucam vocem habentes propter aëris affectionem.* Et tamen in pronunciatione Oratoris vix quidquã eſſe video, quod ſuauius ad animũ auditoris affluat, quã ſit huiuſmodi vox canora, iudicio

Vitruuius l. 8. c. 4.

Cicer. in Brut.

lib. de aer. loc. & aq.

accommodata & rebus ipſis conſentiens, prout hominis cogitata ratio poſtulat. Eius cauſa in annalium monumentis videmus eos celebratos, qui è benè dicendi artificio eloquentiæ palmam retulerunt. In Hortenſio quidem id omnis elegantiæ moderator & princeps, ſuauiſſimè vt ſolet prædicauit Cicero, *Vox*, inquit, *canora & ſuauis, motus & geſtus etiam plus artis habebat*, &c.

Sed ne quis forte ea blanda commendatione illectus, aliud quiddam ſuſpicetur, quàm quod hîc volumus intelligi, canoram eam vocem capio, non quæ ſit fœde & muliebriter in canticum diſſoluta, ſed ſplendidum quiddam in pronunciatione atque reſonans, quod hominum aures humaniſſimo quodam motu delectet: *ſplendorem* appellauit M. Tullius, cùm Cn. Pompeium togæ militiæque lumen exornat, ſic enim loquitur, *Actio verò eius habebat & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem.* Græci λευκὴν φωνὴν *candidam vocem* nominant, velut opinor candidi argenti lucem atque ſonum exprimeret. Socrates qui philoſophiæ parens iure dici poteſt, id ipſum dicebat λόγον ſiue φθόγγον εὔαυλον, & laudibus mirificè in cœlum efferebat, ludens forte ſui temporis oratores, vt erat feſtiui ſermonis, atque in omni oratione ſimulator. Sed ex quo tamen quanta ſit illius ornamenti vis & pulchritudo liceat colligere. Sic enim eum Plato loquentem inducit, atque eloquentium hominum ſuauitatem explicantem, οὕτως εὔαυλος ὁ λόγος τε καὶ ὁ φθόγγος παρὰ τοῦ λέγοντος ἐνδύεται εἰς τὰ ὦτα, ὥστε μόγις τετάρτῃ ἢ πέμπτῃ ἡμέρᾳ ἀναμιμνήσκομαι ἐμαυτοῦ, καὶ αἰσθάνομαι οὗ γῆς εἰμι. *Adeo concinna oratio canoráque vox oratoris ore dimanans, auribus meis infunditur, vt vix tandem quarta poſt die vel quinta mei ipſius reminiſcar, & vbinam terrarum ſim agnoſcam.*

Huius autem elegantiæ & ſplendoris incredibili quodam ſtudio, & appetitione flagrabant ij, qui fuerunt nominati Sophiſtæ, quos etiam dulci vſos potione ferunt, & panchreſto medicamento, vt τὸ εὔηχες canorum hoc in dicendo conſequerentur. Itaque magnificè quidem illi gloriari ſolebant, ſi τὴν ἠχὼ, ſi κρότον, ſi vt appellant τόνον σοφιστικὸν & ἰδέαν πανηγυρικὴν haberet oratio, quod veluti interpretans Gellius *claros canoroſoſque ſonitus* vocat. Sed vt blandè ſeſe inſinuat,

Canora vox qua commendetur.

Cic. in Brut.

Plat. in Menexen.

Sophiſtarũ pronunciatio.

De hac re copioſè diximus in Theatro Rhetorum

& necopinantes rapit ſuauitudo voluptatis, quæ creſcere, & in dies augeri conſueuit; eo prouecta eſt dicentium pronunciatio, cùm placere vehementiſſimè cuperent, delectationis quodam aucupio & delinimento linguæ dulciter reſonantis, vt cantus quidam molliſſimus exoriretur, quem ſapientes graui iudicio repudiarent. Iſæus clariſſimus dicendi magiſter, cùm inter auditores haberet ſuos Dionyſium quendam Mileſium, venuſtulum adoleſcentem, qui non magis aureo cultu & corporis elegantia, quàm vario dictionis ornatu atque magnifico geſtiret, eum in declamatione cantillantem ita increpuit, μειράκιον ἔφη Ἰωνικὸν, ἐγὼ δέ σε ᾄδειν οὐκ ἐπαίδευσα, *Heus tu*, inquit, *Ionice adoleſcens, ego te canere minimè docui*. Rectè ille quidem & ſapienter eam peſtem minimè allabi ſinebat ad feſtiui adoleſcentis animum, quæ deinceps in grauioribus cauſis occupato, & in ciuium ſuorum luce dicenti reprehenſionem attuliſſet. Itaque Varus ſophiſta alioqui dicendi artificio nobilis & canorus, quam habebat εὐφωνίαν, ἤχωυε καμπαῖς ᾀσμάτων, *flexibus cantuum dedecorabat, quibus ſubſiliret aliquis è laſciuiorum grege*, vt Philoſtratus memoriæ prodidit. Venit mihi in mentem Ariſtidis, oratoris meo iudicio ſummi, qui profiteri aliquando eſt auſus, magna audiente corona, nullam eſſe orationis bonæ virtutem, quam non ipſe μεθ' ὑπερβολῆς in dicendo adhibuiſſet. Hic quendam oratorem inſimulans & illudens, qui cantum in orando adhibuerat, vt operis delicati emblema pulchrum & pretioſum, ſic arguto & attico μυκτῆρι hominẽ exagitat, ἤδη μὲν ἐγκλίνας τῶν χαρίτων ἕνεκα, &c. *Voce inflexa venuſtior vt videretur, canebat, finem autem ad ſingula commata, tanquam in cantico eundem accinebat. Tum verò auditores ita ad eius canticum obſtupefieri, vt cùm ad finis vocabulum perueniſſent, id ipſi cum riſu ſuggererent, vocem non vt Echo reddentes ſed præoccupantes.* Id Sophiſtis communem fuiſſe non obſcurè ſignificat Themiſtius, de quibus ita loquitur, *Hi dicendi facultatem exercent*, οἱ δὲ ᾄδουσι καὶ προσᾴδουσι γλυκεῖάν τε, καὶ μαλακὴν καταχέοντες ὑμῖν ἁρμονίαν, *canunt alij atque accinunt, ſuauique vos ac molli concentione perfundunt.*

Philoſt. de vit. ſoph.

Ariſtid. o. 3.

Themiſt. or. 3.

Verſuum olim recitatio cum cantu. quæ canendi conſuetudo à ſchola migrauit in forum. Oratorum cantus irriſus. Obeſt affectibus generandis. SECTIO II.

SED hic quidem morbus atque ineptiæ per Græciam longè & latè patuerunt: quin peruenit eorum etiam contagio ad Romanos aliquando, qui tamen longè videri cupiebant Græcis hominibus, vt vita, ſic oratione ſeueriores. Nam cùm vſu didiciſſent, audientium mentes, non modò grauiſſimis rationum momentis, ad decus & dignitatem impelli, verumetiam artificioſa quadam pronunciatione; modos quidam veluti Muſicos, & inflexionem dulciorem adhibere cœperunt, quæ nouitas ſubito in greges teneræ adoleſcentiæ atque ſcholas inuaſit. Quod Seneca parens in Suaſoriis haud obſcurè ſignificat, vbi de Fuſco Rhetore, *Has*, inquit, *explicationes Fuſci, alius alia inclinatione vocis, vel vt ſua quiſque modulatione cantabat.* Vnde fortè manauit id dicendi genus, vt *decantata* in ſcholis quædam fuiſſe dicamus. D. Hieronymus omnium literarum ſciens, *Teſtamentum Grunÿ Corocottæ porcelli decantant in ſcholis puerorum agmina cachinnantium.*

Themiſt. or. 3.

Senec. Suaſor. 2.

S. Hieron. ep. ad Euſt.

Niſi fortè hoc malis ad verſuum recitationem accommodare, qui alio quodam ſono vocis quam ſoluta oratio, & certo veluti cantico pronunciabantur. De qua re Quintilianus lib. 1. *Sit*, inquit, *lectio non quidem proſæ ſimilis, quia carmen eſt, & ſe poëtæ canere teſtantur*, &c. Sic Epictetus apud apud Arrianũ lib. 3. cap. 10. διὰ στίχων ἀναφωνεῖν, *verſuum cantum adhibere dixit.* Martianus item Capella triplicem vocis rationem eſſe ait, *Continuam vt in proſa, Diaſtematicam vt in muſica modulatione, & mixtam qua recitantur carmina*: quam etiam diuiſionem agnoſcit apud Seuerinum Boëtium Albutius. Proinde videmus eueniſſe aliquando, vt qui commodè recitarent orationes, ij verſus malè pronunciarent, quod diſertè Plinius de ſe voluit confiteri. Hinc Grammatici quorum propria olim fuit poëtarum tractatio, *canere* dicti. Quo locus D. Gregorij magni referendus eſt,

Qualis olim verſuum recitatio.

Martia. l. 3.

Boët. l. 1. de muſic.

Plin. l. 9. ep. 34.

qui alioqui videretur obſcurior: ſcribens enim ad Deſiderium Epiſcopũ, qui contemptis & repudiatis quæ ſui muneris officiique videbantur, in docenda Grammatica ſtudium operámque ſuam ponebat, eum arguit quod Iouis laudes in ore

S.Greg.l. 9. epiſt.48. ſemper haberet, tum ſubiungit, *Et quàm graue nefandúmque ſit Epiſcopis, canere quod nec laico religioſo conueniat, ipſe conſidera.* vbi *canere* de recitatione poëtarum eſt intelligendum. Hinc

S. Hieron. ep.146. lux quoque doctiſſimo Hieronymo accedit, cùm *verſuum verba cantare* dicit, ſic enim ſcribit ad Damaſum, *Sacerdotes dimiſſis Euangeliis & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum verſuum verba cantare, tenere Virgilium, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.*

Voluptatem intelligit quam ex eo verſuum cãtu & recitatione capiebant. Appoſitè ad eam conſuetudinem magnus Auguſtinus lib. de muſic. his verbis. *Quare illud nunc quæro vtrum ſonus verſuum aliquando te aliqua per aures voluptate commouerit?* Reſpondet Diſcipulus, *Prorſus ſæpiſſimè ita vt nunquam fere ſine delectatione verſum audierim.* Itaque iuuentus cùm à primis ſcholarum initiis modulationi veluti cuidam aſſueuiſſet, non mirum ſi deinde ad Rhetorum declamationes euecta & theatrum eloquentiæ, iucundiores vocum flexiones ſuauitatémque retineret.

Sed oratorum in dicendo cantum, placendi ſtudium, vt paulò antè memorabam, audientiúmque voluptas maximè inflammauit. Quam virilis eloquentiæ vomicam atque labem, iudicio præſtantes & cognitione viri ſuis aculeis pupugerunt, & ſanare monendo voluerunt: ſed imprimis Fabius cuius illæ grauiſſimæ ſunt querelæ, *Sed quodcunque ex his vitium magis tulerim, quàm quo nunc maximè laboratur in cauſis omnibus ſcholiſque, cantandi, quod inutilius ſit an fœdius neſcio. Quid enim minus Oratori conuenit quam modulatio ſce-*

Pli. l. 2. ep. *nica?* &c. Plinius ſecundus omnium ore celebratus Orator pudere ſe dicit fractæ pronunciationis, quam patroni cauſarum inducebant, *Plauſus*, inquit, *tantum, ac potius ſola cymbala & tympana illis cantibus deſunt.* C. Cæſar adhuc impubis & prætextatus ingenij ſui lumen oſtendit, in adoleſcente illudendo, qui dum legeret cantillabat, *Si cantas*, inquit, *malè cantas, ſi legis, cantas.*

Cantum

Cantum autem illi de ſchola politi, qui vel in foro, vel Curia dicerent, in duobus maximè orationis generibus adhibebant. Primùm quidem in rebus lætis gaudióque ſignificando: Sic Demoſthenes, aiebat Aeſchinem, ἐπάρας τὴν φωνὴν γεγηθότα, *geſtientem canere ſolitum*, & tantùm non in dicendo vibriſſare. Hinc magnus vbiq; Hieronymus illa peritè, *Oratoriis declamationibus ludere, & in narrationibus atque epilogis Aſiatico more cantare, audientes in affectu lætitiæ concitare.* Etiam in mœrore atque luctu idem faciebant: *vlulatum* id vocauit M. Tullius, & ita pingit, *Cùm verò inclinata vlulantique voce more Aſiatico canere cœpiſſet, quis eum ferret?* Lucianus Comico ſale leuiſſimum quendam Sophiſtam bellè aſperſit, qui in Olympiis de Pythagora orationem habuiſſet, ὁ μὲν τὴν φωνὴν ἐντρέψας εἰς μέλος, ὡς ᾤετο, θρῆνόν τινα ἐπηύλει τῷ Πυθαγόρᾳ, *Cùm ille voce in canticum inflexa, lamentationem quandam vt ipſi videbatur Pythagoræ decantaret*, &c. Et meritò ille quidem irridet hominem, in luctu Muſicam inducentem, quòd eſſe tum odioſum, tum alienum à ratione, commune adagium declarat. Itaque Longinus vir excellenti iudicio præditus & doctrina, monuit cantum mirificè impedire affectus, animíque motum fere omnem, quem Orator inflammare ſtudeat. Grauiúſque proinde Quintilianus in cantores illos præpoſteros & putidos inuehitur, *Quid verò*, inquit, *mouendis affectibus contrarium magis, quàm cùm dolendum, iraſcendum, indignandum, commiſerandum ſit*, &c. addit paulò pòſt, *nihil eſſe peruerſius, nihil ineptius, quàm ſi quis in lite cantet.* Quod etiam video reprehenſum à Satyrico.

Quando maximè olim Oratores cantum adhibebãt.

S. Hieron. in Oſeam.

Cic. in Or. perf.

Lucianus in Pſeudol.

Dionyſ. Longin.

Cantus impedit affectus.

Fab. l. 11. c. 3

> *Men' moueat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem*
> *Protulerim.* Perſ. Sat. 1.

Obſcurior cantus non dedecet Oratorem. Adhibitus olim à ſummis viris. Quibus in rebus valeat. Phauorini ᾠδή. SECTIO III.

HÆc & ſimilia oſtendunt cantum eſſe remouendum à dictione, ſi quis velit tueri famam ingenij ſui, & doctorum

QQq

hominum offenſionem inuidiámque effugere. Nihilominus tamen fatendum eſt, cantum eſſe quendam obſcuriorem qui non dedeceat, de quo M. Tullius ſcribit in hunc modum, *Eſt autem in dicendo etiam quidam cantus obſcurior, non hic è Phrygia & Caria Rhetorum epilogus, pæne canticum: ſed ille quem ſignificat Demoſthenes & Aeſchines, cùm alter alteri obiicit vocis flexiones.* Quis enim eſt tam durus, tam inhumanus, támque ab omni ſuauitate abhorrens & honeſtiſſima voluptate, qui iam in oratore condemnet, quod videat placuiſſe Demoſtheni & Aeſchini, iis nimirum qui eminebant inter omnes in omni genere dicendi, qui ſingulari orationis copia & inuſitato artificio, excellentium hominum ſtudia concitarunt? Fatendum eſt enim, quod diſſimulari non poteſt, magnam vim eſſe pulchritudinis & decori ad hominum animos alliciendos, atque in omnem partem commouendos, quæ non oculis modò, verùm etiam auribus ſtudio eruditis excipi ſolent: eſſe verò in auditu pulchritudinem Plotinus olim in philoſophia nobilis aiebat, *quod cantus*, inquit, *numeroſi pulchri ſint, & formoſa quadam venuſtate reficiant.*

Plotin. Ennead. 1. l. 6

Hinc à Rhetoribus iure quæſitæ venuſtates, & elaborata concinnitas, & elegantia numerorum, variúſque lepos atque lumina, quibus ineſſet delectationis aucupium, minimè iudicio meo reprehendendum, ſi modo adſit digna ſapiente moderatio. Dicam ex animi mei ſententia, nimium quantum valere puto, non modò ad recreandas audientium mentes, verũ etiam ad perſuadendum, ſi in rebus lætiſſimis explicandis geſtiat ipſa quodãmodo oratio, & lætiori quadam vocum inflexione cantum illum obſcuriorem adhibeat. Hac gratia artificióque excelluit Phauorinus, è Gallia orator clariſſimus, idémque ſapientiæ nomine celebratus, à cuius ore dicentis, & mirifica ſuauitudine pronunciantis, omnes vt ferrum à magnete pendebant: quippe cantum veluti quendam adferebat & ſonoræ vocis dulcedinem, quam ᾠδὴν quidam nominabant, alij verò ἠχὼ τοῦ φθέγματος, vt qui audirent, iucundo quodam animi ſenſu & lætitia perfunderentur.

Cantus quidam in rebus lætiſſimis.

Neque minùs momenti poſitum eſſe reor in mœrore ſignificando, vt certum quendam ſonum inflexionémque vocis adhibeamus à cantu illo obſcuro minimè alienum. Nam ſi vis

Etiam obſcurior cãtus in flebili oratione.

tanta eſt in tibiis, vt modorum commutatione, vel homines furioſi quodammodo fiant, vel placida & remiſſa tranquillitate ſedentur, quid viua vox oratoris efficiat, cùm ad fletum ciendum incubuerit, ſéque blandè inſinuarit in ànimos, eóſque perturbarit? Non eſt igitur quod hunc cantum orator bonus prudénſq; refugiat, modò habeat poſitum ante oculos ſapientis illud effatum μηδὲν ἄγαν. In aliis autem generibus orationis velle canere periculoſum eſt, puerile, putidum, odioſum.

VOX MODERATA. }{ EFFVSE contenta.

CAP. VIII.

Vox moderata probata ſapientibus. Iuſto altior ab infeſto genio vel ἀγροικίᾳ. Cleon primus in dicendo clamator. Vitium id Cauſſidicorum. Clamatores opponi Oratoribus, inſanos dici, tubas, latrare, emugire. quam id dedeceat. SECT. I.

IN varietate vocum grauium & acutarum, nullus eſt definitus terminus, ſi ipſius vocis rationem cõſideremus, cùm non repugnet in immẽſum vocem aut minui, aut etiam excreſcere; ſed natura hominum certos quoſdam cancellos impoſuit, neq; enim efficiundæ vocis patiuntur inſtrumenta, & conſiderati hominis cogitatio, vt acutæ voces in infinitũ attollantur. Erit igitur diaſtematicæ voci, à iudicio & moderatione ſapientis, imponenda finitio, quod docti & intelligentis viri eſt opus. Scitè meo iudicio & eleganter Iſidorus Peluſiota, Ὀξὺ μὲν ἢ βαρὺ κομιδῇ φθέγξασθαι ῥᾴδιον, τοῦ δὲ μέσου τυχεῖν, μουσικῆς ἐστιν ἕξεως, *acutè quidem & grauiſſimè loqui eſt facile, mediocriatem autem tenere, Muſici habitus eſſe videtur.* Quàm ſit verè hoc ab eruditiſſimo Patre pronunciatũ, τῶν ἀμούσων immenſa copia, temerè agentium, omnium ſæculorum memoria comprobauit, cùm aut voce demiſſiſſima dicerent, aut furioſè exclamarent. Iſidor. Peluſ. l. 3. ep.

Placidam vulgò moderatámq; vocem eſſe adhibendã. Hæc autem non inutilis præceptio bona veſtra cum venia hoc à me loco ponatur, vulgò placidam moderatámque vocem eſſe adhibendam oratori; quòd non tam meum eſt admonitum, quàm ſapientum, qui antiquitatis lumina fuerunt. Sanctus quidem Baſilius quem Athenæ miratæ ſunt in omni genere elegantiæ ducem & coryphæum, inuitatus aliquando à Libanio Sophiſta, vt adoleſcentes quos præceptis eloquentiæ inſtruebat, ad officium & animi excellentiam oratione ſua cohortaretur, inter alia eos monuit *vocem temperatam & ſermonem ordinatum habere.* Ad huius diuini hominis ſententiam magnus etiam accedit Ambroſius, *Ipſum*, inquit, *vocis ſonum libret modeſtia, ne cuiuſquam offendat aurem vox fortior.* Atque vt θεῖον χορὸν videamus ſanctiſſimorum hominum ſibi conſertè continentérque hærentium, ecce tibi Caſſiodorus paria monet deſcribens hominem virtute & ſapientia præditum, *Vox ipſa mediocris, nec debilis vicino ſilentio, nec robuſta clamore dilatato.* Quæ cùm in omne genus ſermonis conueniant, tum prouidenda ſunt illi maximè, qui grauiſſimam perſonam ſuſtinet, & complurium auditorum ſilentium vnus oratione moderatur. Dio Pruſæus hac dicendi laude præſtitit, is nimirum, qui à diuina quadam elegantia dictionis aureum nomen inuenit, de quo memorauit ita Photius, φωνὴν δ' ἠρεμαίαν ἠφίει, &c. *vocem mittebat placidam, & ſingularis in eo moderatio elucebat.* Sed quid vnum Dionem Chryſoſtomum hîc nomino? quotus quiſque ab hominum memoria in agendo fuit inclytus, & communi omnium prædicatione celebratus, qui non eam ſibi tuendam moderationem eſſe putaret? Præſertim cùm ex modo pronuntiandi atque ſono, de actoribus fieri iudicia conſtet, & hos quidem rudes & inficetos & agreſti educatione deformes, alios velut in ſinu Gratiarum natos & humanitatis, cultos & politos exiſtimari. Xenophon cuius ſermo eſt melle dulcior animúſque ſapiens, cùm pulchritudinem amorémque laudaret, pro ſtudiorum hominúmque varietate, in geſtu atque voce diuerſas commutationes animaduertit. Nam qui ab infeſto aliquo genio minúſque propitio afflantur, eos ait φοβερώτερον φθέγγεσθαι, καὶ σφοδροτέροις φέρεσθαι, *in loquendo eſſe terribiliores, in agendo vehementiores:* caſti verò &

Amphiloc. in vit.

D. Ambr l. 1. Off c. 18.

Caſſiod. l. de anim.

Photius.

Xenoph in Conui.

humaniſſimi amoris diuinitate impulſos compoſita habere omnia, atque imprimis τὴν φωνὴν πραοτέραν ποιεῖσθαι, *vocem mitiorem & moderatiorem emittere.* Quare Theophraſtus in notandis hominum vitiis & naturæ varietate imprimis acutus atque ſolers, & exquiſito planè iudicio, non dubitauit inter ſigna τῆς ἀγροικίας ponere μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαλεῖν, *iuſto altiore voce loqui & maiori.* Et ſapienter D. Auguſtinus, *In emittenda*, inquit, *voce*, *nonne quod præco bene facit*, *etiam ſi clarius ac melius id faciat Senator*, *inſanus eſt?* Theophr. in Charact. D. Auguſt. l. de duab. an. c. 13.

Quid igitur iis hominibus faciemus, qui effunduntur in dicendo, qui furioſè perſonant, qui futiliter inſoleſcunt, vt omnes obtundere velle videantur? Quos feſtiuè Libanius appellabat ἄνδρας δεινοὺς λέγειν τε καὶ βοᾶν, *ad dicendum & clamandum exercitatos:* & quibus iam tanto ante Cleon Athenienſis, turbulentus orator & vehemens, & audacia nobilitatus, veluti quoddam ſignum ad imitandum ſuſtulit. Primus enim τὸν ἐπὶ τοῦ βήματος κόσμον ἀνελὼν, πρῶτος ἐν τῷ δημηγορεῖν ἀνακραγὼν, *tum decorum ſuſtulit è ſuggeſto, tum in concionando maximis clamoribus eſt vſus*, ait Plutarchus. Libanius Declam. 8. Plutarch. in Nicia.

Hinc copia illa excreuit ſegéſque furentium Cauſidicorum, quorum tam nota fuit quondam in foro, tamque effræmata in clamando licentia, vt Mercurius apud Lucianum proprium eſſe diceret, τῶν δικαιολογούντων, *patronorum*, τὸ μέγα κεκραγέναι, *boare*, *vociferari*, *contentiſſima voce clamare.* Id autem vitium atque labem M. Tullius ſic putauit eſſe alienam ab eloquentia, vt Oratori *clamatorem* opponat, ſic enim in Bruto, Ego tamen ita de vnoquoque dicam, vt intelligi poſſit quem exiſtimem *clamatorem*, quem *Oratorem* fuiſſe. Ea cauſa non dubitauit C. Fimbriam nominare *inſanum, qui*, inquit, *omnia magna voce dicens, verborum ſanè bonorũ curſu quodam incitato ita furebat tamen, vt mirarere tam alias res agere populum, vt eſſet inſano inter diſertos locus.* Alij item docti & eloquentes & ſcholarum diſputationibus expoliti iudicióque præſtantes, M. Tullij ſequuti opinionem, eos homines grauiſſimo conuicio non loqui & copioſè dicere, ſed *latrare* voluerunt. Tertullianus quidem certè *cauſas elatrare* dixit: Fulgentius eleganter, *Clamatores Cauſidici.* Lucian in Timon. Tertull. de Pall. Fulgent. Aſtron. Ouid. in Ibin.

Legirepi tundunt, latrant fora.

& alius Poëta,

Latrat & in toto verba canina foro.

Quippe Craſſus quo nemo fuit ſuauitate conditior, prius dixerat de Pericle loquens apud Ciceronem, *quem non*, inquit, *declamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat, ſed vt accepimus Clazomenius Anaxagoras*. Fabius autem Quintilianus eoſdem ait *emugire*, ſic enim habet, *Clamant vbique, & omnia leuata vt ipſi vocant manu, emugiunt*, &c. Diogenes eos clamatores appellabat *tubas*: nam Antiſthenem cùm vidiſſet φθεγγόμενον μέγιστον, vocauit σάλπιγγα *tubam*, pingue quiddam & agreſte ſonantem, & hoc quidem λοιδορῶν conuicium illi faciens, vt doctiſſimi viri prodiderunt.

Cic. 3. de orat.

Fab. l. 1. c. 11.

Sed huiuſmodi ſanè alia ſunt quamplurima teſtimonia, & iudicia clariſſimorum hominum, de odioſis illis clamoribus & effuſis, quæ ſi quis refellenda & contemnenda putet, amens ſit. Et tamen ſi deeſſent omnia, ſatis quemque ipſe vſus monere poſſet, nihil fœdius, nihil eſſe odioſius, nihil quod minùs in conuentum hominum honeſtiſſimum conueniat. *Regi vociferatio non ex maieſtate eſt*, ait Seneca, quod ego ſapiens & conſideratum axioma non dubitem omni hominum generi accommodare. Dedecet, inquã, clamor & vociferatio, & dignitatis grauitatiſque laudem obliterat, neque poteſt cum animi moderatione ſapientiáque conſiſtere: ſignum eſt atque ſpecimen aut furentis, aut inepti, aut vitioſi, aut irati, aut inſoleſcentis & immodeſti, aut temeritate geſtientis, aut inſani, ſui quidem obliti, non ſat memoris neque rationem habentis eorum apud quos agit, qui ſæpe non ſine ſtomacho atque nauſea boatum illum faſtidioſiſſimè perferunt. *Quæ concitato impetu vox fertur*, ait Polemon Athenienſ. in Phyſiogn. *conſilij expertem eſſe, ac impium arguit.*

Clamare indecorum.

Senec. l. 1. de Clemẽt.

Et quidem eum ipſum multi ad petulantiam & impotentis animi ferociam ſignificandam retulerũt. Auctor ad Herenniũ in deſcriptione hominis impudentis illud ſanè cõſiderate, *Tum verò iſte cœpit clamare voce iſta, quæ facile cuiuis ruborem excire poſſet*. Et Demoſthenes ad inuidiam Eubulidi conflandam, eadem è re inhumanum & pæne furioſum coarguit, *Vt meum nomen citatum fuit, exiliens iſte, in me ſubito multa maledicta congerebat*, ἐκ μεγάλη φωνῇ ὥσπερ ἐκ νῦν, *& magna voce vt etiam nunc*. Pari modo Lucianus inter ea quę ſtulto & leuiſſimo Rhe-

Ad Heren. l. 4.

Demoſth. contra Eubul.

Lucianus ἐν ῥητ. διδ.

tori conueniunt, ponit *βοὴν μεγίστην*, *validiſſimum clamorem*.

Quod ſi mentem ad æuum noſtrum cogitationémq; referamus, lubens eam vocis prauitatem quorundam hominum inſcitię, & non ſatis politæ mentis imbecillitati tribuerim. Vidi enim è concionatoribus aliquos iudicio mediocri atq; doctrina, qui falſa opinione deluſi exiſtimarent, ſe plurimum autoritatis habituros, ſi profuſa elatáque voce dicerent omnia, & non minus quàm in tragœdia baccharentur. Quibus foret è Græ- Plutarchus.
cia Princeps audiēdus Orator, qui cùm vidiſſet Dæmagogum inter alios vnum immodicè clamantem, ἀλλ' οὐ τὸ μέγα, εὖ ἐστι, τὸ δὲ εὖ, μέγα, *Non*, inquit, *quod magnum, bene eſt, ſed quod bene, magnum eſt*. Eoſdem Cicero ſimillimos eſſe claudis aiebat, qui præ animi ſui infirmitate iudiciíque inopia, ſic ad clamorem vt illi ad equos confugerent. Et quidem meo iudicio venuſtiſſimè D. Chryſoſtomus *clamorem equum eſſe dixit iracundiæ, ſæpe impunè volitantem*, ἵππος γάρ ἐστιν ἀναβάτην φέρων ἡ κραυγὴ τὴν ὀργήν. Homil. 15. in ep. ad Epheſ.
Sed hunc equum impediendum eſſe monet per quàm ſapienter; vt eques importunus ruat, συμπόδισον τὸν ἵππον, καὶ κατέστρεψας τὸν ἐπιβάτην.

Vociferari periculoſum. Κλωσμός. *Hortenſij vox eliſa. Oratores vocis contentione mortui. quæ iuſta vocis aureaque menſura. Gracchi* Τονάριον. SECT. II.

ATQVE hactenus ex annaliũ monumentis & conſentiente peritorum opinione conſtat, vaſtum & importunum in dicendo clamorem, fœdum eſſe atque vitioſum, & cum decoro modeſtiáque pugnare. Quid quod etiam periculoſa eſt vociferatio, neque expers incommodorum, an non iuſta cauſa fuerit cur incautæ mētes ab ea labe reuocentur? Poſſem enim numerare haud paucos ſummis opibus, eruditione multa, dignitate honoribúſq; florentes, qui quod nimium in dicendo vocem intendiſſent, aut in κλωσμὸν, aut in morbum & extremum fatum Κλωσμὸς
inciderunt. Græci Rhetores à gallorum cantu immaturo, κλωσμὸν dixerunt eam vocis rationem, quæ quod vltra vires vrgeatur, ſuffocata, & maiore niſu minùs clara, ſæpius eliditur: quid. Fab. l. 11. c. 3.
Quod non leue atque exiguum eſſe dicentis incommodum,

& iis qui audiunt perquam iniucundum & acerbum, quotidiana experientia docet. Funeſtum reipubl. Romæ & humanitati illum diem fuiſſe puto, cùm Hortenſius profundendo clamore, non modò vocem eliſit, ſed funditus immaturo fato perdidit. Hac pernicie illa Suadæ medulla emarcuit, illa fori luſcinia conticuit, ille mutus ſubitò factus eſt, qui pro ſua diuina copia, ac ſingulari facultate dicendi, *eloquentiam*, vt ait M. Tullius, *in cælum extuliſſet*. Eam cladem elegantiæ & literarum, gemino Phœbo nobilis Sammonicus medicus & Poëta, vt funus tibia, ſic cantu & mœrore proſecutus eſt.

Hortenſij vox eliſa.

Q. Seren. Sam. de medic.

Aegreſcunt teneræ fauces, cùm frigoris atri
Vis ſubiit, &c.
Vel rabidus clamor fracto cum forte ſonore
Planum radit iter. Sic eſt Hortenſius olim
Abſumptus; cauſis etenim confectus agendis
Obticuit, cùm vox domino viuente periret,
Et nondum extincti morcretur lingua diſerti.

Senec. de breuit. vit:

Rupta vena dicentium.

Idem etiam plurimis eueniſſe, bonus autor antiquitatis Seneca perſpicuè ſignificat, *Quàm multorum*, inquit, *eloquentia, quotidiano oſtentandi ingenij ſpatio ſanguinem eduxit?* cùm nimirum è vehementiſſima contentione venam rupiſſent, vt Lipſius magni ſapientis interpres doctè expoſuit.

Nec eſt quod tanti incommodi ignoratio quendam excuſet, cùm longè ante Poëtæ, & dicendi præceptores claro præconio monuerint: *Læduntur*, ait Auctor ad Herennium, *arteriæ, ſi antequam leni voce permulſæ ſunt, acri clamore compleantur.* Quare quod dicit alicubi M. Tullius *agreſte* videri *ſtatim ab initio clamare*, adiungam lubens, etiam ineptum, ſtultum, periculoſum. Rem eandem Vates ab hortulis & delicato vitæ ſtudio ſic canit.

Autor ad Heren. l. 3.

Lucret. l. 4.

Præterradit enim vox fauces ſæpe, facitque
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.

Sed illuſtris mihi præ omnibus illa videtur Gregorij Nazianzeni monitio, qui in omni genere dicendi ſic enituit, vt meritò elegantiæ princeps, & coryphæus eloquentium habeatur. Hæc igitur eſt illius ſententia, αἱ φωναὶ παντελῶς ἐκλείπουσιν, ἐὰν ὑπερφωνῶνται δι' ἀμετρίαν, *ſi vehemen-*

D. Greg. Naz. or. 26.

hementius contendantur voces, propter exceſſum omnino deficiunt.

Inſignia mihi videor attuliſſe detrimenta, quæ prudens & famæ ſtudioſus orator diligénſque vitare debeat: ſed illa vt ſint magna, certè maxima non ſunt, cùm ex ea quoque peſte luctuoſum interitum accidiſſe videamus. Niger dicendi artifex magnus & nobilis Rhetor in Galatia, æmuli ſui declamatione prouocatus, ſic in agendo contendit, vt concepta in faucibus inflammatione paucis poſt diebus occumberet. Quam rem cùm exponeret Plutarchus, hanc philoſopho eruditiſſimo & grauiſſimo dignam animaduerſionẽ adiecit, *Id vnum*, inquit, *cauendum eſt, ne conſcij nobis repletionis aut defatigationis vocem aſperius contendamus, quod multis Rhetoribus ac Sophiſtis vſuuenit, cùm ad certamen dicendi, vel gloria & ambitione, vel ſpe mercedis, vel propter ciuiles contentiones importunè feruntur.* Vrgere hunc locum poſſem, euocatis ex annalium monumentis exemplis clariſſimis quibus illam impotentium hominum vociferationem periculi plenã eſſe conſtaret. Nam cùm eſſet Imperatori Valentiniano renunciatum, innumerabilem Scytharum copiam in Romanorum fines irruiſſe, & prædam maximam abegiſſe, ira ſubitò inflammatus, vehementiúſque inclamans, ἐῤῥάγη τὰ τῆς φωνῆς αἴτια, *inſtrumenta vocis perfregit, & vitam poſuit*, ait Suidas. Sic Antigonus Macedoniæ rex cùm Cleomenem Lacedæmonium ſuperaſſet, confecto prælio, cum magnitudine gaudij & impotenti lætitia contentiſſima voce exclamaret, ὦ καλῆς ἡμέρας! *O pulchrum diem!* multum cruoris primum quidem ore emiſit, tum acuta febri, paulò pòſt, immatura morte eſt ſolutus.

Ecôtentione vocis mors.

Plutar. de tuend. ſan.

Suidas.

Sed hæc quidem, quod oratorum non ſunt, velut ſtrictim per tranſennam viſa & notata, prætereuntes relinquamus. Satis multa verba feciſſe videor, vt oſtenderem, hos effuſos elatóſque clamores, minimè in doctum, ornatum, compoſitum, & induſtrium oratorem conuenire. Qui næuus glorioſæ facundiæ cùm ſit cunctis omni ratione vitandus, tum iis maximè prouidendum, & in eo elaborandum cenſeo, qui natura & indolis genio ſunt εὔφωνοι, animoſi & iracundi, qualem Cæſarem fuiſſe volunt, quem pronunciaſſe voce acuta, ardenti motu geſtúque prodit Suetonius: qualis

Suet. c 55.

Sueto. c. 55.

Cic. in Bru.

item fuit M. Tullius initio, qui de ſe memorans ſic ait, *Omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebam.* Periculum enim eſt ne huiuſmodi oratores magna voce præditi atque magnanimi, nonnunquam vehementius efferueſcant, & vel in ea quæ propoſita ſunt vitia prolabantur, vel ſaltem audientes obtundant. Quod videmus eueniſſe Carneadi eloquentiſſimo, & nullius Philoſophiæ partis ignaro, quem *μεγαλοφωνότατον* fuiſſe docet Laërtius. Is quum aliquando in Gymnaſio diſputaret in magna elegantium hominum frequentia, cùm ad eum audiendum eruditionis amantes vndique affluerent,

Laert. in Carned.

& non ſatis moderatè voce vteretur: miſit ad eum Gymnaſij præfectus qui nuntiaret, *μὴ οὕτω βοᾶν, ne ea clamoris inſolentia omnia conturbaret.* Ad quem ille, Da igitur vocis modum & contentionis: & Epiſtates perquam ſapienter

Aurea vocis in dicendo mēſura.

& conſideratè reſpondit *μέτρον ἔχεις τοὺς ἀκούοντας, ſint pro menſura auditores.* Non Sibyllæ folium tam colendum támque venerandum fuerit, quàm hoc effatum magni viri, & ſine dubio excellenti iudicio exculti recipiendum & probandum, quod in mente omnium oratorum inſidere altius, & inuri volo. Debent enim conſiderare quid corona multitudóque poſtulet, vt ab omnibus commodè audiri poſſint, & ad locū auditorúmque frequētiam ſe accommodare. Nam qui vellet in anguſto & perexiguo auditorio tantùm voce contendere, quantùm in baſilica longè ampliſſima aut magnificētiſſimo delubro, in quo multa hominum millia contineantur, is profectò ſit ineptus & præpoſterus, & ſolitudine potius dignus quàm conuentu ſapientum. Au-

D. Baſil. ὁρωτ. ϛρα.

ream quoque illam menſuram ponit S. Baſilius Cenſor morum eximius atque diuinus, cuius ſunt illa tanquam ex tripode, *τῆς φωνῆς τὸ μέτρον ὁρίζει ἡ χρεία τῶν ἀκουόντων, Prorſus vocis modum audientium neceſsitas ipſa definit.* Ele-

Theod. l. 5. hæret. fab.

ganter omnino Theodoretus oris ad loquendum inſtrumentum à Deo perfectum ſapientiſſimè eſſe dixit, in quo dentes quidem implent vſum chordarum, lingua verò imitatur plectrum, mens autem dextrā muſici. Mentis igitur erit atque iudicij moderari vocē, tantúmque intendère, quantū locus, reique dignitas atque audientium ratio poſtulabit.

Sed quoniam non ſemper ratio, in iis præſertim qui θυμοειδεῖς ſunt à natura vehementéſque dominatur: Tib. Gracchus artificio nouo & inſolenti fiſtulam excogitauit, quam Fabius nominat τονάριον, Plutarchus φωνασκικὸν ὄργανον, Gellius *tibiam concionatoriam*, Cicero *eburneam fiſtulam*, qua Licinius eius libertus homo literatus, ſtans poſt ipſum occultè cùm concionaretur, inflabat celeriter eũ ſonũ, qui illũ aut remiſſum excitaret, aut à contentione reuocaret. Nam ſæpe illum παρὰ γνώμην ἐν τῷ λέγειν ἐκφέρεσθαι, *rapi etiã præter voluntatem in dicendo conſueuiſſe*, ait Plutarchus. Huius fortè imitatione alij quidam ſummi oratores libertos habuerunt, à quibus in dicendo monerẽtur. De ſe quidem Plinius ſecundus, qui non modò fuit comptus in dicendo, verùm etiam acerrimus ita refert, *Cæſar quidem* (qui tum Conſul iudicio pręerat) *mihi tantum ſtudium, tantam etiam curam præſtitit, vt libertum meum poſt me ſtantem, ſæpius admoneret, voci laterique conſulerem, quum me vehementius putaret intendi quàm gracilitas mea perpeti poſſet*. De Q. Haterio ſummo etiam & volubili oratore Seneca.

Fab. lib. 1. cap. 10. Plut. in Gracch. Gellius l. 1. c. 11. Cic. 3. de orat.

Plin. l. 2. epiſt. Senec. præfat. l. 4. epi. Declam.

Quando vox attolli poſſit aut debeat in dicendo. Tenor vocis. Ardens illa pronunciantis contentio in multis rebus opportuna.

SECTIO III.

HIC verò dicat aliquis, quid? nunquam igitur vocem intendere ſublimiúſque loqui in agendo licet? Imo licet, modò tamen habeatur ratio perſonarum, loci, temporis, & earum rerum quæ exponuntur. Viros quidem militares qui animosè & concitate omnia faciunt, non dedecet magna vox, incitata & paulò etiam vehementior. Itaque Iulium Cæſarem eadem vi animóque pronunciaſſe, quo bellauit, dixit Quintilianus. Doctiſſimus Sidonius Apollinaris cùm Deorum præconia deſcriberet, quę quiſq; Ioui ceciniſſet, Marti audaciæ principi, turbulentóque Deo atque fortiſſimo, ſonum quendam fulmineum κατὰ τὸ πρέπον ingenioſiſſimè attribuit,

Fab. l. 10. c. 1.

Mars clangente tuba patris præconia dixit,

Laudauitque ſono fulmina fulmineo.

In rebus etiam grauioribus & quodammodo bellicis, vox debet eſſe vibrans & contenta, *vocis tenor* ab Auſonio dicitur, (Auſon. in Grat. act.) cùm principis Gratiani facundiam exornat: ſunt eius hæc opinor verba, *Qui tenor vocis cum incitata pronuncias? quæ inflexio cum remiſſa? quæ temperatio cum vtráque diſpenſas?* Itaque S. Chryſoſtomus vtile eſſe clamare aiebat in duobus, (Homil. 5. in ep. ad Epheſ.) ἐν τῷ κηρύττειν, καὶ διδάσκειν nempe *in prædicando & docendo*.

Sed præſertim id neceſſario adhibetur in obiurgando, in minando, grauiuſque invehendo, cùm Orator ſcelus & maleficium inſequitur, cùm indigniſſimam hominum fraudem malitiámque refellit, cùm Iudicum iracundiam mouet, cùm exterret, cùm denique in omni dicendi amplificatione exardeſcit. M. Tullius boni & præſtantis in republica viri officia deſcribens, (Cic l. 1. offic.) hoc more ſuo prouidentiſſimè, *Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt neceſſariò, in quibus vtendum eſt fortaſſe, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore.* Eſt enim magna vis poſita in generoſo illo ſpiritu, atque vocis elatione, ad verberandum os audacium & impiorum, ad faciendos animorum motus & veluti obſtupefaciendos. (Plutarq. in Cat. maior.) Itaque M. Cato ſenior ille atque Cenſorius, τραχύτητι φωνῆς πρὸς τοὺς πολεμίους ἐχρῆτο, *grandiore quodã ſono vocis & aſperiore vtebatur in hoſtem.* Et eadem è proſapia Vticenſis, (Idem in Vticenſ.) vt è Plutarcho didicimus, vbi grauior contentio incideret, τόνον προσθεῖναι καὶ τραχύτητα φωνῆς ſolebat, vel vt alio loco dicit μέγα φθέγξασθαι. Illa grandia cùm alte & magnificè dicuntur, pondus habent & autoritatem, audientéſque perturbant, iacent verò & obſoleſcunt, & vt plurimum ſunt inania, ſi fracta & exangui voce, ſi leniter & remiſsè proferantur.

Neque verò non audiendum illud etiam oratori putem illuſtrium virorum admonitum, qui tum licere voce vti maiore aiunt, & vehementius dicere, cùm lentiores ſunt illi qui audiunt, cùm nauſeant, cùm in audiendo peregrinantur, cum ſomno & inertia conniuent. (D. Baſil. Inter. 151.) Diuiniſſimus certè Baſilius τῇ κραυγῇ nos vti poſſe monuit ſine reprehenſione, διὰ τὸ νωθρὸν τοῦ ἀκούοντος, quando is torpor & lentitudo eſt audien-

tis, vt faces veluti admouendæ videantur, quò illum à ſomno & languore excitemus. Id factum à peritis cauſarum patronis, diſceptante Claudio Imperatore, meminit Suetonius, *Nonnunquam*, inquit, *in iure dicendo obdormiſcebat, vixque ab aduocatis, de induſtria vocem augentibus excitabatur.* Eandem eſſe vidi ſacrorum hominum induſtriam in concionibus, qui ſi quando illis dicentibus corona indormiat, aliáſque res videatur agere, in re non graui fingunt tamen conatum maiorem, commouentur toto corpore, & vel pulpitum euerberant, aut ſupplodunt pedibus dicto quondam præter expectationem inducto, aut maiori tono vocis efferuntur, vt grandior & inexpectatus ille ſonus per aures in animum ſubiens languidulos increpet, & attentos eſſe iubeat, tum ad aptam & accommodatam dicendi rationem tonúmque reuertuntur. Sueton. in Claud. c. 33.

VOX LENIS, SVAVIS, FLORIDA.
Aſpera, rauca, dura, abſona.

CAPVT IX.

Vocis ſuauißimæ dignitas : inde Oratores ſuauiloquentes, aureę Luſciniæ, & Meliphthongi nominati. SECTIO I.
Muſæ Ligiæ. ἱμερόφωνοι *Charites.*
Homerici Oratores ἡδυεπεῖς.
vox λειριόεσσα *florida.*

M. TVLLIVS cùm ciuium ſuorum mores ſapientiæ documentis inſtruit: *In voce*, inquit, *duo ſequamur, vt clara ſit, & ſuauis*: cuius rei pulcherrimum decus & gloriam in Catulis ornatiſſimis & elegantiſſimis hominibus ſtatuit, qui propterea exquiſito iudicio vti literarum putabantur. Et ſanè magnum quoddam ornamentum & merita induſtria quærendum, eſt vocis in Oratore ſuauitas, quam olim in dicendo principes optare facilius, quàm felicius conſequi potuerunt. Cùm enim eſſet Oratoribus, propter incredibilem hominum Cic. l. 1. off.

frequentiam, neceſſaria vox maior & plenior, quo facilius commodiúſque audiri poſſent, & indoctæ multitudinis ſtrepitum obruere, plurimùm ſuauitati oberat illa contentio, cùm præſertim plures horas dicendo inſumerent. Eſt autem operoſum & perdifficile, vno in homine vocem reperire, quæ ſimul plena ſit & ſuauis, qualem in Sulpitio laudat Craſſus Tullianæ facundiæ proxeneta, *Ego neminem, nec motu corporis, neque ipſo habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem aut ſuauiorem mihi videor audiſſe.* Sic in Seuero Caſſio laudatur à Seneca parente, *Suauitas valentiſſimæ vocis*: & ſubdit, *quamuis hæc inter ſe raro coëant, vt eadem vox & dulcis ſit & ſolida.* Nunc verò cùm vnius horæ curriculum vix noſtrorum Oratorum dictio prætergrediatur, longè eſt procliuius atque promptius alere ſuauitatem atque retinere, & eam aſperitatem effugere, quæ ſæpe ex nimia continuatione oriri ſolet.

Cicer. l. 1. de Orat.

Senec. epit. l. 3. Contr.

Quod ſi quis velit cognoſcere penitùs quantum momenti in dulcitudine vocis collocatum ſit, ad tenendos audientium animos atque ducendos, in doctam & elegantem antiquitatem mentis oculos intendat, & ni me ludit coniectura videbit, nihil fuiſſe ad hominum famam & opinionem expeditius, nihil ad promendas ingenij opes & eloquentiæ dignitatem accommodatius. Miratur Æſchinem M. Tullius, ſed efferendum in eo prædicandúmque iudicat, quod *ſuauiſſima & maxima voce* diceret. P. Virgilium coronatum laurea, qui poëſim ſtellifero cœlo ingenij ſui magnitudine inſeruit, magna fuiſſe in pronunciando ſuauitate accepimus, quem in theatro populus Romanus cùm ſuos verſus recitantem audiiſſet, pari cum Auguſto ipſo honore eſt proſecutus. Itaque Poëtam eruditiſſimum Iulium Montanum Seneca refert dicere ſolitum, inuolaturum ſe quædam Virgilio, *ſi & vocem poſſet & os, & hypocriſim*: eoſdem enim verſus eo pronunciante benè ſonare, ſine illo inareſcere quaſi mutos. Quin tanto antè Poëta Ennius Cethegum minimè honoris cauſâ *ſuauiloquentem* dixiſſet, niſi rei venuſtas & gratia præſtantes in republica ciues claro quodam inſigni ornaret.

Donatus in vit. Tacit. de Orat.

Et quidem fatendum eſt aures ſoni & pronunciandi iudices, mirùm quantum dulcedine iſta capi & recreari: eſt animi

lenocinium illud potentiſſimum, quod molliter influens animóſque delinicns, vt Gallicus Hercules aureis catenulis omnes conſtringit: fitque nonnunquam vt mediocri doctrina viri, & protrita modò eruditione & copia, ſingulari tamen omnium attentione, propter vocis mirabilem ſuauitatem audiantur. Id eloquentiæ lumen & ornamentum videre mihi videor, in ſummis illis heroibus, tum noſtris, hoc eſt, Patribus eloquentiſſimis, tum prophanis, qui multùm cæteris hominibus orando præſtiterunt. In ſancto Baſilio multa quidem ſuſpicienda hominum generi fuerunt, ſumma eruditio, literæ interiores atque reconditæ, vis animi, oris dignitas, religionis magna cognitio, vitæ ſanctimonia, aliáque eius generis, quibus audientes recreare, mentes flectere, euellere ex animis opiniones, eoſdem placare aut quietos mouere potuiſſet: ſed ſi tamen eum loquentem intueamur, auſim dicere, ea magna atque mirabilia eſſe præſertim in dulcem oris ſuauitatem referenda. Quæ cauſa fuit cur Gregorius Nyſſenus, pietate & dicendi artificio nobiles, eum χρυσῆν ἀηδόνα, *auream luſciniam* appellarit. Propter eandem vocis dignitatem & ſplendorem, Ælianus in numero Sophiſtarum illuſtris cognomen tulit μελιφθόγγου & μελιγλώσσου. Qui Dionem Pruſæum aureo ore dicētem audiebant, capti penitus illa ipſa dulcedine & obſtupefacti, nominabant ἀηδόνα σοφιστῶν, *Philomelam Sophiſtarum*, vt de ſe ipſe literarum monumentis reliquit. Itaque Veteres, qui concinnis fabellarum vmbraculis ſapientiam tectam eſſe voluerunt, Muſas indigitauerunt Ligyas à ſuauitate cantus atque vocis, qua doctorum animos incredibili voluptate afficiunt. Et Poëta Siculus doctus & venuſtus & Gratiarum muneribus locuples, Gratias ipſas ἱμεροφώνους *grata & iucunda voce* dixit, Iulius Pollux Oratores ἡδυφώνους, *ſuauiloquentes*. Quod ſi audire lubet Homerum antiquiſſimum Poëtarum, qui ſons quidam fuit eruditionis & copiæ, cuíque nihil latuit eorum quæ in naturis hominum magna, & memorabilia videri poſſunt, Oratores eos quos præſtantes & coryphæos aliorum, & ſuis numeris abſolutos eſſe voluit, Neſtorem, Vlyſſem, alióſque eius ordinis atque muneris, aut λιγέας vocat, *dulci voce*, aut ἡδυεπεῖς *maxima orationis ſuauitate præditos*. Illos etiam qui dicendi facultate

S. Greg. Nyſſen.

Suidas.

Dio Chryſ. or. 47.

Theocrit. Idyl. 29.

Pollux in Onom.

apud Troianos valuerunt, *floridam* habuiſſe vocem, hoc eſt, dulcem, incredibiliter iucundam. Quod neſcio an Atticus Lucianus primus animaduertit, apud quem ita Sophus quidam è Gallia, *Apud vos* (Græcos) *& Neſtoris lingua melle profluit*, καὶ οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὄπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσιν, εὐανθῆ τινα, λείρια γὰρ καλεῖται τὰ ἄνθη, *& Troianorum Concionatores Lirioeſſam edunt, videlicet floridam quandam vocem: nam Liria, ſi ſatis commemini, flores appellantur.*

Lucian. in Hercul. Gallic.

SECTIO II.

Quanta cura in polienda voce antiqui elaborarint. Suauitas vocis à Phonaſco. Ληκύθιον *Sophiſtarum & Tragacantha. Vox mollita in fœmineam exilitatem reiicitur.*

ITAQVE non mirùm ſi deinde Græci Latiníque ſtudio laudis & commendationis euecti, in polienda voce tantùm incubuerint. Nam in eam rem Phonaſcos adhibebant, & muſicos, ſuauitatis opifices doctos & peritos, à quibus varios flexus, commutationéſque vocum & ſonorum ediſcerent. Quod feciſſe Octauium Auguſtum veterum monumenta referunt: Suetonius quidem certè ita meminit, *Pronunciabat dulci & proprio quodam oris ſono, dabátque aſſiduè Phonaſco operam*, &c. Sophiſtæ autem qui vnam modò aurium voluptatem moliebantur, ſcutellam dulciculæ potionis ſumebant, & Tragacantha vtebantur, & ſeruulum habebant cum ληκυθίῳ, vt ſubinde os & fauces colluentes incredibili vocis ſuauitate coronam delectarent. Itaque illis dicentibus infiniti clamores commouebantur atque plauſus, & omnes diuinis illis ſonis ἐκπεπληγμένοι (ita loquebãtur) manuum intentu, & totius corporis agitatione, præ gaudio & mirabilitate prope deſipientes laudabant. Neque verò ſine fructu & emolumento orantium, fuit ea dulcis & iucunda pronunciatio: Nam Pollux quidem Sophiſta Naucratites, cùm audiente Commodo Imperatore declamationem haberet, ſic illum orbis dominum μελιχρᾷ τῇ φωνῇ ἔθελξε (vt Lemnij Rhetoris vtar oratione) ita melliflua & dulci voce conciliauit ſibi Imperatorem,

Suet. in Octau. c. 84.

Syneſ. in Dion.

Tragacantha & ληκύθιον Sophiſtarum.

Philoſt. l. 2. de Sop.

rem, vt ſingulari prærogatiua honoris atque laudis *τὸν Ἀθήνῃσι θρόνον*, hoc eſt, *Athenis primarium docendæ eloquentiæ locum* aſſequeretur. E ſchola Medicorum ſine dubio potionem ipſam hauſerant. Nam Galenus dum ſecundum locos Medicinam inſtruit, inter eas confectiones quas appellari dicit arteriacas, tuendæ voci aut etiam recuperandæ maximè idoneas, vnum genus ponit citra acrimoniam extergentis facultatis atque leniſſimum, quod, inquit, ex paſſo Cretico, & gummi, & tragacantha, ac radice dulci apparatur. Sanè mihi perſuadeo, ſimile quidpiam illos habuiſſe diuinos homines in dicendo atque mirabiles, qui Sophiſtæ nominabantur. Nolim quidem hac ſophiſtica & inani ambitione duci noſtrum illum Oratorem, quem ſine cuiuſquam reprehenſione, potius omnium gratia in communi luce verſari cupimus; ſed tamen ſi quid mei iudicij eſt, autor ſim, vt ad parandam conciliandámque vocis dulcedinem, partem etiam induſtriæ ſuæ laboríſque deriuet. Sic enim conſtat orationem quæ ſuaui & iucundo quodam motu allabatur ad animum, perſuadere faciliùs poſſe, cùm auditor ea cantus veluti dulcedine illectus, & ſuauiloquentiæ delinimento obligatus, ſuopte nutu beneuolentiáque propendet.

Neque tamen cùm ſuauitatem nomino vocis, attenuationem intelligi velim, & fœmineam exilitatem, quæ puerili affectatione quærat blanditias, & flexu modulato mentes flagitioſè titillet. Nam huiuſmodi illecebroſam nequitiam meretricióſque ſonos, procul abeſſe oportere à dicentis humanitate & ſtudio, ſuperius oſtendebamus. Neque item eam vocem effingi imitatione decet, quam vt omnium pulcherrimam Lucianus omnibus floſculis & pigmentis orationis ſtudioſiſſimè colorauit. Nam cùm ipſe Pandoram veluti quandam Pantheámque effingeret, ſpecimen elegantiæ & formoſiſſimæ dignitatis, vult imprimis illam eſſe *λίγειαν* dulci voce inſtructam, & de qua illud *γλυκίων μέλιτος ἀπὸ τῆς γλώττης*, dici veriùs, quàm de Neſtore Homerico poſſit. Ad illam autem vocem exquiſito artificio pingendam, Atticorum omnium arculas & myrothecia curioſus exhauſit, in hunc modum, *Omnis verborum* pronunciandíque tonus, cuiuſmodi delicatiſſimus eſſe ſolet, neque himium graui &

Lucian. εἰκον.

aſpero tinnitu ſonet quaſi ad virilem vocem informatus ſit, neque rurſus nimium tenui, quaſi impenſe effœminatus, ſed qualis eſſe ſolet pueri nondum pubeſcentis, dulcis & blandus, comiter & iucundè ſemet in animum inſerens, vt etiam illa loqui deſinente, verba audita leni quodam murmure tinniant, ac quædam dulciſſimæ vocis reliquiæ durent aliquantiſper, liquidóque ſuſurro aures circunſonent: tum Echo veluti vocem imitatione referentem imitetur, mellitiſſima quædam verborum veſtigia, necnon perſuaſionis pleniſſima in animis audientium relinquens. Hæc quidem ille dictionis copia quàm vita moribúſque melior, de mirabili & eximio genere vocis politiſſimè atque ornatiſſimè excogitauit, quæ tametſi minimè omnia Oratori æmulanda videantur, ſignificare tamen poſſunt dulciſſimæ pronunciationis vim & ſplendorem, quod etiam cùm Orator conticuit, maneat quædam reſonans in auribus modulatio, blandientiſque ſoni reliquiæ, quæ humaniſſima voluptate mouent animum: adeóque efficiunt, vt appetitio audiendi & cupiditas non tam longa & multiplici vbertate & continuatione reſtinguatur, quàm dulcibus illis blandimentis inuitata renouetur.

SECTIO III.

Rauca vox inimica ſuauitati. Cyclobori. Galli olim τραχύφωνοι. Rauci Oratores vt plurimùm iniucundi. Vnde vocis aſperitas. fit ſuauior exercitatione.

ATQVE hoc tantùm vocis ornamentum, & inuſitata ſpecies & pulchritudo, quanta ſit, liquidiùs etiam poterit intelligi, ſi contrarium vitium conſideremus. Sunt enim ita quidam abſoni, tam agreſti pronunciatione, voce tam dura, támque aſpera & inſuaui, qui quaſi de induſtria vellent in offenſionem incurrere, inuitiſſimis omnium animis dicunt. Nuper incidi in conuentum hominum elegantium, qui vt fit de Oratore quodam ſacro loquebantur, ad quem eo ipſo die audiendum magna hominum vis multi-

tudóque affluxerat, quod varius & multiplex & copioſus atque ſciens magnarum artium eſſe diceretur. Rogatus vir honeſtiſſimus, quid ſibi videretur, laudauit imprimis hominis ingenium atque doctrinam, ſed quod ad vocem attinet, (quæ ſanè fuit omnium quas mihi audire contigit aſperrima) ſtrangulatæ felis ſonitum audire ſibi viſum reſpondit, quod ex animi ſui ſententia, vt inter amicos, & exponendæ potiùs veritatis, quàm vllius contumeliæ cauſa dicebat. Nimirum vocis illa durities non aures modò eruditorum & intelligentium peruellit, ſed animum quoque moleſtiſſimè & odioſiſſimè pungit & cruentat, vt non mirum ſi qui ita agunt repudientur. Eos homines aſperè & inconditè pronunciantes, κυκλοβόρους antiqui nominauerunt, Cycloborus enim fuit Atticæ torrens obſtreperus, vnde apud Ariſtophanem, clamator quidam abſona & agreſti voce κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων dicitur. Fuit olim famoſa noſtra Gallia iſto vitio, ſi Diodoro Siculo fides, qui veteres ait Gallos fuiſſe βαρυήχους καὶ παντελῶς τραχυφώνους, *graui quodam aſperóque ſono fuiſſe vſos in loquendo.* Id in multis fateor eſſe veriſſimum, quod etiam de multis finitimis nationibus eſt dicendum, vbi magna humoris copia ex conditione loci dominatur, quæ copia illabens in fauces eáſque opplens, puram & liquidam vocem eſſe non permittit.

Suidas.

Didor. Sic. lib. 5.

Sed cauſæ quædam ſunt aſperitatis notandæ Oratori, quo eas ſtudioſius vitare poſſit, aut ſi caſu euenerint aliquando, peropportuno remedio ſanare. Non eſt dubium, quin nocturna ſtudia, continuatæque vigiliæ horridiorem vocem efficiant & duriorem. Eſt enim id effatum Ariſtotelis ductum ab experientia, τοῖς ἠγρυπνηκόσιν εἶναι φωνὴν τραχυτέραν, cuius cauſas ſubtiliter & acutè perueſtigat in Problematis. E ſiti fit etiam aſpera, vnde illud poëtæ Ouidij,

Variæ cauſæ aſperitatis vocis.

Ariſt. ſect. 11. prob. 11.

---caret os humore loquentis,
Et fauces arent, víxque eſt via vocis in illis.

Ouid. 5. Metamor.

Ab ætate id etiam contingit, quod notum in adoleſcentia, vocem enim fieri aſperiorem in hirquitallis & inæquabilem, autor eſt Cenſorinus: quod τραγίζειν Dæmonius Sophus ap-

Cenſor. de die nat.

pellauit. Etiam à natura id compluribus inſitum, vt ſint rauci & voce minùs iucunda, qualem in Antonio Oratore clariſſimo dicit fuiſſe Marcus Tullius, *Vox*, inquit, *ſubrauca natura, ſed hoc vitium huic vni in bonum vertebat; habebat enim flebile quiddam in conqueſtionibus aptúmque tum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam.* Vitium vocat, & in ſolo M. Antonio commodi quidpiam & gratiæ vult habuiſſe. De Oratore Gorgonio meminit Seneca, eum obtuſam, ſed pugnaciſſimam vocem habuiſſe, cui Baros ſcurra, rem, inquit, venuſtiſſimam dixit, *Centum raucorum voces habes.* Ita nimirum acerbo ſonitu omnes obtundebat. Pius tamen Antoninus Imperator quod mirandum fortè videatur, fuit voce rauca ſimul & ſonora, vt Scriptores Annalium retulerunt. Sed rarum id eſt, vt raucus Orator ſit audienti iucundus & ſonorus, niſi fortè recondita quædam magnifico ſtylo veſtita, & exquiſitius ornata proferantur, quæ inamœnum oris ſonum veluti obruant, animóſque à vitiis abductos atque næuis ſua magnitudine & ſplendore delectent.

Cicer. in Brut.

Senec. controu. 7.

Iul. Capitol. in vit.

Rauca vox leniri poteſt.

Sed vndecunque vocis oriatur in dicendo acerbitas, ſtudio certè diligentiáque Oratoris, & ſapienti exercitatione poteſt minui & perpoliri. Quod exemplo Marci Tullij eloquentiæ candidatos monere mihi videtur Plutarchus: vox enim Ciceronis primùm σκληρὰ καὶ ἄπλαστος, *dura & incondita fuit*: ſed cùm iuiſſet aliquando in Græciam & magnam partem Aſiæ, & ſe cum viris doctiſſimis & eloquentiſſimis exercuiſſet, rediit multò in Italiam robuſtior, itaque vox elegantius conformata, iucunda hominum auribus pleniórque accidebat.

Plutarc. in Cicer.

Digitized by Google

VOCIS VARIETAS. } { Μονοτονία.

CAPVT X.

Vox flexibilis & nata varietati. Rerum ſimilitudo vbique ſatiat, maximè ἐν ἀκούσμασι. Μονοτονία ab Oratore fugienda, vt vitium Pronunciationis.

VOCES, inquit M. Tullius, *vt chordæ ſunt intentæ, quæ ad quemque tactum reſpondeant, acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua*, &c. Non ſine cauſa vocem cum fidibus comparauit intentis, ſed meo iudicio muſicè & eleganter, vt oſtenderet, quod vt fidibus & neruorum cantu ex diſſimillimis ſonis artificioſè temperatis dulciſſima oritur ſymphonia: ſic è toni varietate in dicendo, arte & conſilio moderata, plena honeſtæ voluptatis ſuauitas emergat, quæ tenere audientem poſſit. Debet enim eſſe omnino in agendo varietas, ſine qua nemo oratoris nomen & dignitatem, pro eo ac par eſt, in ciuium ſuorum luce tuebitur. Quam in rem multa ſolers & omnium parens natura machinata eſt mirabili prouidentia, cùm nihil tam tenerum atque flexibile videatur, quódque tot & tantas commutationes habeat, quàm vox, quàm pronunciandi modus, quàm eloquentis & de ſchola politi oratio. ποικίλον ἡ φωνὴ, ait Plutarchus, *Varium quiddam atque mutabile vox haberi debet*, quæ tam vtili támque ſpecioſa facilitate pro animi arbitrio fingatur. De quo ſcitum & concinnum Apulei dictum lubet hic expromere, *vox hominis & tuba rudore toruior, & lyra concentu variatior, & tibia queſtu delectabilior, & fiſtula ſuſurru iucundior, & buccina ſignificatu longinquior. Mitto dicere multorum animalium immeditatos ſonores, diſtinctis proprietatibus admirandos, vt eſt taurorum grauis mugitus, luporum acutus vlulatus, elephantorum triſtis barritus, equorum hilaris hinnitus:*

Vox natura flexibilis.

Plutar de prim. Frig.

Apul. Florid. 3

nec non auium inſtigati angores , nec non leonum indignati fremores , cæteræque id genus voces animalium truces ac liquidæ , quas infeſta rabies vel propitia voluptas cient. Pro quibus homini vox diuinitus data , anguſtior quidem , ſed maiorem habet vtilitatem mentibus , quàm auribus delectationem.

Neceſſaria in voce varietas.

Hoc naturæ beneficio ita vti debet orator prudens, & de honeſta laude ſollicitus, turpè vt exiſtimet & odioſum faſtidiique pleniſſimum, ſi continuò eadem oberret chorda, idem inflet, idem reſonet; eadem vocis contentione vtatur. *Iucundũ nihil eſt niſi quod reficit varietas*, ait moratus & ſententioſus mimi ſcriptor: & veriſſimũ eſt quod Virgilius dixit olim Mecænati, *omnium rerum ſimilitudinem ſtomachum facere*, & moliri ſatietatem. Sed maximè ἐν ἀκούσμασιν *in auditionibus* , vt ſophus Cheronenſis animaduertit, qui cùm ætatem puerilem inſtruit ad eloquentiam , aliáque decora vitæ, quibus eminere pulchrum putatur, μονῳδία, inquit, ἐν ἅπασιν ἐστι πλήσμιόν τε καὶ προσάντες, ἡ δὲ ποικιλία τερπνόν. καθάπερ κἂν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, οἷον ἀκούσμασιν ἢ θεάμασιν. *Vbique enim vnius tenoris cãtilena ſatietatem affert & offendit , varietas delectat, & hîc & vbique vt in auditionibus & ſpectaculis.* Quam μονῳδίαν vocat, Rhetores μονοτονίαν dixerunt, cùm vna quædam eſt ſpiritus ac ſoni intentio, vt exponit Quintilianus: quam ego verè opinor indigitarim facundiæ perniciem & dehoneſtamentum. Nàm tametſi auream inducas orationem, muſæo lepòre tinctam, cincinis comptam , calamiſtro inuſtam, ad amuſſim directam, læuigatam ad vnguem, vt circino & regula dimenſam, Tullianis myrotheciis odoratam, vi Demoſthenica vibrantem, luminibus vt pauonem irradiatam , vt muſiuo in opere variegatam, membris & inciſis vt teſſellis vermiculatam , verſicolorem inſtar prati picti omnium florum amœnitate, ληκυθίῳ Sophiſtarum delibutam, neque tantùm Xenophontea dulcedine, ſed Iouia mulcedine compoſitam: ſit denique vt Promethei mirabilis imago, ad quam efficiendam omnes vndique perfectiones concurrerint: ſi tamen eodem omnia modo dicas, ſi nulla dictionem varietate & diſſimilitudine diſtinguas , ſi parili voce pronuncies , placere non poſſis. Audiui nuper Oratorem ſacrum in religioſiſſimo templo, magnis de rebus

Donat. in vit. Virg.

Plut. de puer. educ.

Fab l. 11. c. 3.

agentem, qui non modò vir bonus erat ſummæque modeſtiæ, verùm etiam in Theologia volutatus. Plena fuit concio viris optimis atque ornatiſſimis, qui cùm vellent ſtudioſiſſimè attendere, & ſingulari audiendi cupiditate raperentur, vix tamen ſomnum tenebant, quem dicentis volubilis oratio ſine vlla varietate fuſa conciliabat. Nam in quo veſtigio pedē poſuiſſet, in eo perpetuo hærebat, idem oris plauſus, eadē linguæ ſpiritúſque intentio: non vox ad miſerabilem ſonum inflexa, non in graui amplificatione contenta, non remiſſa in minimis & attenuata, in affectuum diſſimilitudine ſimilis, atque vt in aëre medio nubes, ſic medio quodam in tono ſuſpenſa ſumma æquabilitate fluebat. Illi doctrinam & cœleſtium rerum cognitionem amplam & eximiam tribuerim, certè eloquentiam non conceſſerim, quam ſine hac eleganti varietate, non modò non ſplendidiſſimam & conuentu hominum dignam, ſed nullam aut perexiguam eſſe puto. Atque hic mihi venit in mentem de eodem dicere, quod Plinius de ſæculi ſui viro diſerto quidem, ſed μονοειδεῖ, *Nihil* Plin l 9. ep. ad Lupere.
peccat niſi quod nihil peccat: debet enim Orator erigi, attolli, interdum etiam efferueſcere, efferri, ac ſæpe accedere ad præceps, &c. Sic in vocis moderatione faciendum eſt Oratori, qui ſacro aut profano in loco pronunciat, ſit elata nonnumquam atque vibrans, modò lenitate depreſſa, quotidianum modò ſonum, alias alium æmuletur. In foro & Curia domicilio æquitatis, quàm multi ſunt cauſarum patroni, qui hoc næuo prudentiæ laudem inobſcurarunt? Quos tu ludēs appellare ſoles tuos magiſtros Honorate, quod iam ſæpè in eorum faſtidio didiceris, quid in agendo tibi fugiendum eſſe videatur. Vſum habent illi quidem, in ſubſelliis diu habitarunt, ſunt vt verbo Sidoniano loquar tribaciſſimi: ſed totius artificij in dicendo inſolentes & ignari: qui cùm cœperunt dicere, vel à corona deſeruntur, vel ſi qui adſunt, capita conferunt, ſuauiſſimè in ſinu garriunt, tempus fallunt, dum ille fabulator tympanum quatit ſuum, & bombo eodem circūſonat. Etiam in ſcholas ante aliquot annos ineptiæ iſtæ penetrauerant, donec μελέται à lectiſſimis Doctoribus inductæ, iucundam geſtus & vocis conformationem attulerunt. Quibus opinor debes Iuuenti, quod præſtantiſſimus modo ſis & venuſtiſſimus in agendo. Nam primis annis,

Cic. in Brut. vt dici audiebam, in veſtigia M. Tullij incurrebas, qui de ſe confitetur, ſe primùm omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis & totius corporis contentione dixiſſe.

VELITATIO DE VOCIS commutatione.

SECTIO II. *Vnde grauis & acuta vox. Medium in omni voce à quo petitur varietas. Aequabilitas vocis quando ſit conſtantiæ. Vitioſum genus varietatis in pronuntiando. Laudatæ commutationis vocis emolumenta.*

IN me quidem, inquit Iuuentius, aliquid huiuſmodi fuit, doctiſſime Theodore, quod meritò à te reprehendi potuiſſet, qui ab iſtis Acroceraunijs, hoc eſt ab artis oratoriæ faſtigio tonare ſoles & fulmine modulato vibrare, Sed miror tamen quod paulò antè dicebas, nullam omnino eloquentiam à te reputari, quæ non eſſet varietatis velut inſtructu & ornatu comitata. Sic enim mihi loqui videris, quaſi omnes ſonos, graues, acutos, medios, in ſua quiſque poteſtate habeat, nihilque in ea re locus, nihil ætas, nihil alia multa poſſint & dominentur.

Ariſt. ſect. 11. probl. 16 & 34. Alexand. Aphr. l. 1. probl. 97. Cre. Rhod. l. 19. c. 12. Imprimis enim videmus pueros, eunuchos, fœminas, ἀγόνους denique omnes tenuem & acutum edere ſonum, vt Pphiloſophiæ lumen Ariſtoteles, vt Alexander Aphrodiſieus, maiorum veluti gentium philoſophi animaduertunt. Eadem exilitate vocis laborant & ſenes, propter humoris copiam & debilitatem, quos proinde ingenioſiſſimus Homerus cum cicadis ſolet componere. Sunt verò vt ſciunt omnes ὀξύφωνοι illæ animantes, & ſtridore acutiſſimo cõcinunt. Euripid. in Androma. Euripides autem eos vmbris ſimillimam habere vocem ait, apud quem ſic Menelaus Peleum ſenem alloquitur, Σκιᾷ γὰρ ἀντίστοιχος ὡς φωνὴν ἔχεις, *nam ſimilis vmbræ vocem habes.* Horum igitur acutam vocem tenuitate definitam, commutare ſi velis grauémque efficere, Medea quædam tibi adhibenda eſt, quæ naturam ipſam refingat & immutet.

Locus

Locus quoque & regio differentias vocum & ſonorum hominibus vt natura inſerunt, quas ne quidem Gigantes effeti qui cum Deo pugnare auſi ſunt, poſſint conuellere. Nam quæ gentes propius ad ſeptentrionem pertinent, quo ſublimiorem poli habent eleuationem, eo ſonitu grauiori loquuntur, quæ verò poſitæ ſunt ad meridiem, acutiori. Cuius rei docti homines rationem petunt ex luce & calore illius ſyderis, à quo res omnes procreatæ vim & vitam accipiant: ad eámque rem illuſtrandam, encyclio doctrinarum nobilis Vitruuius quiddam excogitauit, è muſico artificio promptum mirabili ſolertia. Vitru. l. 6. c. 1. Mundum hunc omnem adſpectabilem à Deo parente ſapientiſſimo architecto per ſolis temperaturam ad harmoniam generatum fuiſſe ait, & ſambucam referre triquetrum inſtrumentum organicum, in quo breuiores quædam chordæ ſint, aliæ longiores: has autem grauem ſonum habere, illas verò quæ proximè ad angulum accedunt, breues & intentas, acutum, medias autem vt in diaſtemate moderatum. Ita quæ nationes ſunt inter axis meridiani cardinem & ſeptentrionalis medio poſitæ, vt in Diagrammate muſico medianæ vocis habere ſonitum in ſermone, quæque progredientibus ad ſeptentrionem ſunt nationes, quod altiores habeant diſtantias ad mundum, ſpiritus vocis habentes humore completos, ad hypatas & proſlambanomenon à rerum natura ſonitu grauiore cogi: vt eadem ratione medio progredientibus ad meridiem gentes, paranetarum acutiſſimam ſonitu vocis perficere tenuitatem. Hæc ille; à quo tamen diſſentit Albertus in omni philoſophiæ parte curioſus & diligens, qui populos Cynoſuræ vicinos ait ſono eſſe acutiori, quàm qui ad meridiem ſuarum rerum domicilium habent. Sed quæcunque tandem opinio ſit verior, hoc conſtat, à climate genióque regionum, eas vocum proprietates indi hominibus, quas non magis clariſſime Theodore quàm naturam ipſam furca expellere, & mutare queas. Noli igitur ſic varietatem amare iſtam & prædicare, vt tanquam in ſambuca & teſtudine hypaten velis eſſe neten, & proſlambanomenon acutiſſimè ſonare, quod odioſum & præpoſterum omnes iudicarent. Quid quod etiam videtur eſſe conſtantiæ animique magni & generoſi, vocem ita moderari ſuam, vt neque attol.

latur, neque deprimatur, poſſitne etiam tuam opinionem quatere? atqui in laude id fuiſſe poſitum olim, Themiſtius vir dicendo magnus, & intelligendo ſapiens doctè & eximiè declarauit. Nam cùm Valentem ornaret imperij ducem & rectorem, Tu, inquit, vnus fuiſti Imperator, qui in eadem

Themiſt. or. 9.

animi conſtantia vultúque perſtiteris, καὶ μήτε ἐπάρας, μήτε ὑφεὶς τῆς φωνῆς, *ac nec ſuſtuleris vocem, neque demiſeris.* Deinde à te peto quid aliud ſit in oratione cantus, quam illa ipſa varietas ſoni & commutatio, cùm gradatim vox attollitur, mox deprimitur ſonora quadam viciſſitudine quæ delectet? & tamen putidum eſſe in oratione cantum ſapienter paulò antè ſignificabas. Addo etiam doctiſſimas Rhetorum ſcholas perſonare longè diuerſis & contrariis monitionibus:

Vitioſum genus commutationis vocis.

Aiunt enim imperitorum eſſe & ἀμούσων, ita vocem commutare ſuam in dicendo, vt in membro vno periodi attollatur, demittatur in ſequente, tum erigatur in tertio, mox iterum deprimatur, reciproca & continua vnius modi varietate, qua præceptor quidem meus nihil aiebat eſſe vitioſius, nihil quod magis ſit inficetum & ruſticanum. Hæc Iuuentius proferebat ambitioſiùs, vt quoniam notata fuerat eius pronunciatio, in ſpeciem ſaltem oſtenderet, non ſine quadam ratione, ſe in eo genere fuiſſe verſatum.

At Theodorus, Bona fide agamus, inquit, Iuuenti, & ſine diſſimulatione prome quæ ſentis, ne fortè vrbem eloquentiæ prodas, dum caſtellum defendis. Luſorias autem illas haſtas, quas vt in campo, in opinionem meam bellè & concinnè torſiſti, leui manu poſſum auertere. Nam quod dicis grauem eſſe quibuſdam vocem, acutam aliis à natura, ſiue à loci & aëris qualitate; fateor id quidem, ſed in ea vocis conditione, poteſt eſſe cùm honeſta tum neceſſaria varietas, cùm non ſit tantùm vnus hominibus ſonus, vt ſoricibus, à natura datus, qui non attolli deprimíque poſſit. Qua de re quid

Cic. 3. de orat.

Medium in omni voce vnde petitur varietas.

excellens ſapientia Craſſi prodiderit, è M. Tullio ſic accipe, *In omni voce eſt quiddam medium*, ſed ſuum cuique voci: hinc gradatim aſcendere vocem vtile & ſuaue eſt. Nam à principio clamare agreſte quiddam eſt, & illud idem ad firmandam vocem eſt ſalutare. Deinde eſt quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius eſt quàm acutiſſimus cla-

Digitized by Google

mor, quo te fiſtula (Grachi inuentum) progredi non ſinet, & tamen ab ipſa contentione reuocabit. Eſt item contra quiddam in remiſſione grauiſſimum, quóque tanquam ſonorum gradibus deſcenditur. *Hæc varietas, & hic per omnes ſonos vocis curſus, & ſe tuebitur, & actioni afferet ſuauitatem.* Hæc ille ſummus dicendi magiſter, è quibus liquidò intelligitur nullam eſſe vocem hominibus à natura conceſſam, quæ non medium habeat ſuum, vnde liceat quibuſdam gradibus arte iudicióque aſcendere vel demitti. At conſtantiæ eſt, inquis, animíque celſi & inuicti, æquabilem habere vocem, ſine vlla commutatione. Iſtuc quidem in ſubitis caſibus & obiecta formidine valet, quo tempore timidus frangitur, & vt animo, ſic etiam voce debilitatur. Sed hîc non de bellatore quærimus, qui audacia fretus & magnanimitate, ore firmo & conſtanti reſpondeat: ſed de Oratore, cuius proprium eſt oblectare animos, inſinuare ſe mentibus, & quem poſtulet cauſa motum adferre, quod non ſine grata & iucunda varietate fieri poteſt. Ad extremum genus quoddam varietatis attuliſti vitioſum, quod ego tecum iuxta repudio & condemno. Sunt enim quidam qui dum cupiunt μονοτονίας effugere, ita pronunciant, vt quod vetat Fabius ſermo ſubſultet imparibus ſpatiis atque ſonis, & claudicare perenni inæqualitate videatur oratio. Sed puerilis & inepta eſt illa varietas, quæ tyronem, hoſpitem & peregrinum in dicendo ſignificat, & eloquentiæ lumen extinguit.

Aequabilitas vocis quando ſit conſtantiæ.

In eo verò ſita eſt laudata & quærenda varietas, vt vox rebus accommodetur, & alia ſit cùm narramus, alia cùm indignamur, cùm lætitiam, fletum, miſericordiam, alióſque animi motus agitamus, cùm denique naturā iudicio moderatam artificióque politam imitamur, quæ non vno modo dicit omnia. Hoc eloquentium hominum decus, doctorum plurium laude & commendatione celebratū videmus, & ſempiterno honoris elogio decoratum. Certè Auſonius poëta Gallus & orator, cùm haberet in Gratiano Auguſto propè infinita, quæ dicendi copia illuminaret, non omiſit vocis varietatem, quam orādo rebus eximiè accommodabat: ſic enim opinor ait, *Qui tenor vocis, cùm incitata pronuncias? quæ inflexio cùm remiſſa? quæ temperatio cùm vtráque diſpenſas? quis*

In quo ſita laudata vocis commutatio.

Auſon. in Grat. act.

Oratorum læta iucundius, facunda cultius, pugnantia denſius, denſata glomeratius dixit? Paria de aliis quoque dici poſſent, qui orandi laude floruerunt. Atque huius varietatis commoda quotquot ſunt Doctores Rhetorici explicant: nam ad vocem in dicendo tuendam nihil eſt vtilius, quàm crebra mutatio: nihil perniciosius quàm effuſa ſine intermiſſione contentio. Ad actionis verò ſuauitatem auréſque noſtras, quid eſt viciſſitudine, & varietate, & commutatione aptius? quid contra faciliùs nauſeam ciere auditori ſolet, præſertim docto & liberaliſſimè inſtituto, quàm perpetua vnius ſoni continuatio? *Ars variandi*, inquit Fabius, *cùm gratiam præbet ac renouat aures, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit.* Et præclarè flos Lycei, τὸ μεταβάλλειν, inquit, ἡδύ, *commutatio res omnino eſt iucunda.* Sed hæc quidem aliáque huiuſmodi, quia vobis quàm mihi notiora ſunt, prætermittam.

Ariſt. l. 1. Rhetoric.

DE VOCE TVENDA.

CAPVT XI.

SECTIO I.

Voci plurimùm nocent quidam fructus, libido, frigus, inedia, lucubrationes. Iuuant eandem quæ leniunt fauces aut detergunt. Fabarij cur olim nominati Cantores.

VOCEM primùm optandam aiebat eſſe Craſſus, tum quæcunque fuerit eam tuendam, adeóque illi magnopere ſeruiendum exiſtimabat. Res planè digna ſtudio & prouidentia oratoris, quam in duobus collocatam eſſe puto, vt nimirum ſtudioſiſſimè illa vitentur, quæ dignitatem ſplendorémque vocis ſolent minuere, & quæ iuuant ſapienter adſciſcantur. De his duobus ratio inſtituti monet eſſe dicendum, ſed breuiter, quod vberior eorum tractatio ad alios artifices pertineat.

Nocent igitur, vt dicam aliquid generatim, quæ fauces male afficiunt, pectus debilitant, claritatem impediunt & infuſcant,

vt ſunt morbi quidam leuiores, cùm è capite humoris copia delabens in guttur & pulmones, vel obtuſam reddit vocem, aut infractam, eliſam, & extenuatam, aut minùs firmam & diuturnam, neque ſatis laboribus exorbendis, & contentioni parem. Sed præſertim fructus quidam ab eruditiſſimis viris nominantur, qui raucedinem odioſam adferant & inualetudinem, à quibus olim facundiæ principes & fori adoreis inclyti ſummo ſtudio & diligentiſſimè abſtinuerint. In hoc genere ſunt *ficus*, quas minimè dicentibus *Ficus nocent voci.* opportunas, ſi maximè meridie ſumerentur, Græci Poëtæ ſuis monumentis referunt. Scribit autem Demetrius Sceptius Annalium opifex, eos qui ficus non ederent, εὐφώνους γίνεσθαι, *eſſe vocaliores*. Itaque Hegeſianacta ciuem Alexan- *Athen. l. 3. Cœlius l. 19.* drinum memorant, cùm initio rerum omnium inopia premeretur, eximium Tragœdiarum actorem & hiſtrionem euaſiſſe, καὶ εὔηχον, & voce nimium quantum ſonora, quod per annos ferè octodecim ficum non guſtaſſet. Qui tamen ſunt clamatores, vt rabulæ in foro, & in exedris Philoſophi ἐριστικοί, nil obſtat quo minus ficus edant, vel etiam meridie, & Platonem ſuum imitentur, quem φιλόσυκον fuiſſe prodit Phanocritus. *Poma* item obeſſe vocis dulcedini, *Athen. 17 Poma & Pyra.* communis olim fuit opinio. Nero quidem cùm alendæ vocis gratia (quam ἱερὰν dici voluit) ageret omnia & perpeteretur, *abſtinere pomis cibiſque officientibus ſolebat*, vt refert Suetonius. De *Pyris* idem iudicium. Quare Thraſybulus cùm *Sueton. in Neron. c. 20.* eſſet magno animo repugnaturus Legatis Spartanorum, qui fœdus & reconciliationem animorum petebant, auro & largitione corruptus, ſe ex pyrorum ſylueſtrium vſu incidiſſe *Suidas.* in rauim ſimulauit, nec publicè eſt locutus. Præterea *nuces* *Nuces.* efficere vocis raucedinem ſcribit Athenæus libro ſecundo, Perſicas maximè, quod & graues ſint capiti, & os & fauces proprietate ſua exaſperent. Veteres item qui eloquentiæ darent operam; tuendæ vocis gratia *mulſum frigidum* non bibebant, quod feſtiuum Granij dictum apud Ciceronem ſignificat: nam infanti malóque patrono, cùm vocem in *Cicer. 2. de Orat.* dicendo obtudiſſet, ſuadebat Granius vt mulſum frigidum biberet, ſimul ac domum rediſſet, Perdam, inquit, vocem ſi id fecero: Melius eſt, inquit, quàm reum. De *frigidæ potu*

Plutarc. de adulat.

idem ſentiebant, quàm diſertè Plutarchus ait obeſſe voci, quippe ψυχροποτοῦντας διαφθείρειν τὴν ἀρτηρίαν. Addo *libidinem omnem voluptatis*, non minus voci, quàm animæ labem & damnum inferre. Itaque ſcribit Ariſtoteles lib. 7. de animal. cantores abſtinere ſolitos à Veneris obſcœnitate, vt diutius, ſine vlla mutatione vocem retinere poſſent ſuauem & canoram, quæ flagitio corrumperetur. Et Caluus Orator plumbeas laminas de nocte adhibebat corpori, ad cohibendos libidinum ſenſus & ludificationes, quæ in ſomno contingerent, quo vegetior deinde laborem ſtudiorum & dicendi contentionem ſuſtineret. Proximum vitium eſt *vinolentia*, qua frangi vocem ait Lycei dominus atque princeps, & cauſam ponit, τὸ πεπληρῶσθαι, quod repletis vox multò faciliùs obtundatur.

Hippocr. ſect. 3.

Atque hæc Orator vitare quidem incommoda facilè poteſt, quæ verò ſequuntur, fortè haud facilè. Sunt enim quidam à natura morboſi atque delicati, quibus afflatus quoque aëris aſpiratióque noceat. Prouidere ſanè illi debent, ne præſertim cùm incaluerint, in frigidum aquilonem incidant, ex eo enim, vt animaduertit in Aphoriſmis ſuis Hippocrates, βῆχες, φάρυγγες, &c. *tuſsis*, *raucitas*, aliáque valetudinis oriuntur incommoda, quæ ibidem à clariſſimo illo viro memorantur. Alij ſunt moroſiores in ſcribendo, quique nunquam ſibi ipſi ſatisfaciant, dum limant poliúntque omnia, & eximiarum rerum cupidi anquirunt inuſitata quædam & exotica, dum interiores literas ſcrutantur, dum artium flores delibant, comúntque omni diligentia orationem, ſæpe de nocte lucubrant; inedia ſe vigiliiſque conficiunt, quod præſentem eſſe interitum vocis puto. Porcij Latronis in ſtudiis moderandis inſolens temeritas clariſſimum illius rei exemplum ſuppeditat, qui cùm eſſet negligens ſui, & duratæ ad omnia conſuetudinis & naturæ, nihil vocis tuendæ cauſa faciebat. *Sæpè cùm per totam lucubrauerat noctem* (Senecæ verba cognoſcitis) *ab ipſo cibo ſtatim ad declamandum perueniebat*. Itaque illius vox robuſta, ſed ſordida lucubrationibus fuit, & negligentia non natura infuſcata. Declamator apud Libanium non ſine cauſa id mihi videtur proponere, ὅτι γὰρ φωνὴ πάρεστί μοι λιμῷ προσαπο-

Senec præf. l. 1. Cont.

Liban. Declam. 7.

ῥηκότι, καὶ τὸ τῆς μνήμης ἀποῤῥεῖ μὴ ὕπνου τετυχηκότι, *nec enim vox mihi ſuppetit iamdudum fame enecto & memoriæ vis effluxit non fruenti ſomno & quiete.* Hæc de iis dicta ſint quæ voci noceant, nunc quæ iuuent eodem orationis curſu & breuitate colligamus.

Medici rerum aiunt eſſe duo genera quæ vocis clarita- *Quę clari-*
tem augere poſſint, ſuauitatémque efficere. Quædam enim *tatem &*
arterias & pulmonis aſperitatem leniunt, vt pruna dulcia, *ſuauitatem*
cremor hordei, ſuccus amygdalarum dulcium, ſemen mal- *vocis effi-*
uæ, viola, glycyrhiza, mel coctum, ſaccharum. Quædam *ciant.*
verò non leniendo, ſed detergendo & extenuando vitia pectoris & pulmonis tollunt, vua paſſa, ficus, hyſſopus, ſatureia, thymus, cepa, porrum, allium. De porro quidem &
allio, magnus naturæ myſtes conſentit, ea enim quod ex- Ariſt. ſect.
tergendi vim habeant, ait, πρὸς εὐφωνίαν συμφέρειν, *canoram* 11. probl.
vocem efficere. Adeóque illa nobilitauit Nero princeps ſtulta
& ignobili ſua diligentia, de qua Plinius in hunc modum, Plin. lib. 19.
Porro ſectiuo nuper auctoritatem dedit Princeps Nero, vocis gra- c. 6.
tia ex oleo ſtatis omnium menſium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem veſcendo. Et alio loco Plinius, *porrum voci ſplen-* l. 20. c. 6.
dorem adferre dicit. Eandem etiam vim portulacæ tribuit.
De leguminibus idem putat ſanctus Iſidorus, *Pſallentes*, in- B. Iſidor. l.
quit, *legumine in cauſa vocis aſſiduè vtebantur*: vnde & can- 2. de diuin. offic.
tores apud Gentiles *fabarij* dicti ſunt. *Ouorum quoque lutea* Raban. de
proſunt faucium ſcabritiæ, ait Beroaldus ad Suetonium. inſtit. cler. l. 2. c 48.
Clearchus item Poëta candidum Congrum, & viſcidos om- Beroald. in
nes piſces alere ſpiritus aiebat, & efficere τὸ φωνάριον περί- Suet. Neron.
εργον, *celeriorem & expeditam magis vocem.* Itaque Fortu- Athen. l 14.
natiani Rhetoris conſiderata illa eſt & audienda monitio,
Firmam efficit vocem & ſuauem obſeruantia cibi, & potus, & Hermol.
ventris continentia. E baccis commendatur maximè in eam Bar. l. 4.
rem *Carpeſium*, de quo Hermolaus Barbarus ita memorat, Coroll. in Dioſcor.
Carpeſium ſi ore contineatur, claram vocem facit pronunciantibus: ob id Bernardus Iuſtinianus, homo imprimis doctus & eloquens, nunquam ſine hoc ſemine concionabatur.

Digitized by Google

SECTIO II.

Plaſma adhibitum olim à Recitatoribus. quale id fuit genus potionis. Decocta Neronis. dulce medicamen Cantorum & Tragœdorum. Quatenus ea delinimenta reprehenſa in Chriſtianis, vt & Eclegmata.

SED inter ea quæ ore capiuntur, ad tuendam vocem & augendam, conciliandámque ſuauitatem, potio quædam celebratur propria Oratorum & Poëtarum, qui dicebant quàm poterant ſuauiſſimè, & dicendo vocem eliquabant. Sophiſtæ quidem habebant ληκύθιον plenum dulciſſimæ potionis, vt autor eſt Syneſius, & Romani Cauſſidici ampullas, è quibus inter moras dictionum biberent. Eam potionem appellauere Græci & Latini *plaſma*, vt Perſius,

Syneſ. in Dion.

Perſ. ſat. 1.

---liquido cum plaſmate guttur
Mobile collueris.

Vbi Cornutus, ſeu verus, ſeu falſus, Πλάσμα, inquit, *dicitur medicamentum quo recreantur fauces clamore ſauciatæ.* Quid illud autem fuerit, iamdiu quæro: ſuſpicari quis fortè poſſet ex Martiale, aquam modò fuiſſe tepentem, nam de Cauſſidico Cæciliano ita canit,

Martial. l. 6. ep 35.

At tu multa diu dicis, vitreiſque tepentem
Ampullis potas ſemiſupinus aquam.

Mihi veriſsimile eſt vino potius conſtitiſſe, quod innuere videtur in Traditionibus Hebraicis doctiſsimus Hieronymus, vbi inter alia, *Chodanaſar*, inquit, *capiens plaſma vinum.* Huc referam quod eſt apud Suetonium de Nerone, *Media in orcheſtra frequenti populo epulatus, ſi paullum ſubbibiſſet, aliquid ſe ſufferti tinniturum Græco ſermone promiſit.* Niſi quis malit hoc ad *decoctam* Neronis referre, de qua Plinius & Hiſtorici meminere. Neque tamen merum fuit, purúmque vinum, ſed dulcibus rebus temperatum, quare idem Hieronymus aliàs *dulce medicamen* appellauit, ſcribens in Epiſt. ad Epheſ. vbi quoſdam

S. Hieron. in Paralip.

Sueton. in Neron c. 20.

quoſdam Eccleſiæ addictos iuuenes reprehendit, qui plaſmate vtebantur, *Audiant*, inquit, *hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce ſed corde cantandum, nec in Tragædorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Eccleſia theatrales moduli audiantur & cantica*, &c. Reprehendit & ſanctiſſimus Gregorius orbis terræ Pontifex maximus l. 4. Epiſt. *Fit*, inquit, *plerunque vt ad ſacrum miniſterium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur.* Linire tamen fauces, vt quis melius pronunciet, vel vti electuario, peccatum non eſt, ſi ad laudem Dei, & non gratia laudis conſequendæ deliniantur, ait Gloſſa in Pontificios Canones. Sed voluerunt ſapientiſſimi illi Patres ſignificare, etiam κακοφώνους vt eſt apud S. Hieronymum, dulciſſimè in auribus Dei canere, ſi preſtanti vitę innocentia excellerent. Vnde verſus noti & elegantes ab Eccleſię Tractatoribus adferuntur.

S.Hiero in c.5. Epiſt. ad Epheſ. — S.Greg.l.4 ep 44. — Gloſſ. in diſt. 92.

Non vox, ſed votum, non chordula muſica, ſed cor,
Non clamans, ſed amans cantat in aure Dei.

Galenus qui naturæ modò lumen & vim honeſtatis intuebatur, non dulcia tantùm medicamenta concedit, verùm etiam eſſe aliquando neceſſaria monet, cùm dicendo, aut alia ratione fauces arteriáque ſumma læduntur. Duas enim malas affectiones in ſumma gula ſeu pharynge contingere prodit è veterum Gymnaſtarum animaduerſione, vnam appellat κόπον τονώδη, vertunt *laſſitudinem intenſiuam*: alteram κόπον φλεγμονώδη, *laſſitudinem inflammatam*, cùm eæ partes plurimum ignis caloriſque ſentiunt, ob recrementa circumfuſa. Cùm igitur hoc contigerit, ait Galenus vti Phonaſcos ſolere cibis, qui ex lacte, amylo, alica, ouis, & τοῖς ἰτρίοις componuntur. Τὰ ἴτρια exponunt quidam πεμμάτια & τραγήματα, hoc eſt *placentulas & bellaria*, addunt alij διὰ σησάμου καὶ μέλιτος γενόμενα, *quæ ex ſeſamo & melle parantur.* Cornarius dulciaria in genere liba intelligit, & maximè è ſaccharo panes, quos Marzepanes, corrupta è maſſa panis voce vulgò nominant. Quæ omnia mirificè leniunt, & affecta vocum inſtrumenta recreant. Addit Galenus cùm moderatior facta eſt inflammatio, licere dulce vinum Theræum aut Scybelites bibere, aut aduectum ex Aſia. Intelligit vina qualia apud nos Cretica nominātur, & menſæ initio prælibari ſolent. Denique ſorbitionem in eandem rem conficit ex

Galen. de comp. med. l.7.c.1.

VVv

lacte & melle diutius coctis, amylo iniecto. Sed cur adyta Medicorum ingredior, te forte repugnante & inuito Honorate, vobis quoque Victor & Iuuenti minus volentibus? Igitur ſobrius pedem refero, meque in gradu & via contineo.

ALIA QVAEDAM ALENDAE vocis adiumenta.

CAP. XII.

SECT. I. *Ambulatio quanam vocem iuuet. ea olim à Magiſtro Rhetorico dimenſa. Exercitatio vocis multiplex. cur à ieiunis olim adhibita. Genus quoddam exercitationis mutæ.*

PRÆTER ea quæ paulò antè poſita ſunt, ad leniendum, aut liniendum guttur accommodata, alia quædam à Doctoribus Rhetoricis enumerantur, quæ cõſeruādæ alendæque voci plurimùm inſeruiant. A Fabio quidem commendantur *ambulatio*, *vnctio*, *Veneris abſtinentia*, *ciborum digeſtio, id eſt frugalitas*, quæ dicit eſſe oratoribus cum iis communia, quià Phonaſco inſtituuntur: quanquam certa tempora ad ſpatiandum dari nõ poſſint tot ciuilibus officiis muneribúſque occupatis. Genus autem ambulationis exponere Philippus Beroaldus videtur ſcribens in Suetonium, eius verba ſunt, *Alitur autem vox, ſi à lectulo ſtatim corpus deambulando moueamus.* Addit ſi vexata vox fuerit, medicos ſolere etiam dormituris *laſer inſtillare*. Quanquam ambulationem modicis ille quidem regionibus definit & coërcet. Neque enim mane tantùm adhiberi conſueuit, ſed aliis quoque temporibus, cùm commodum videretur. In eamque rem Græculum olim habuere magiſtrum & moderatorem, qui gradus pæne dicam omnes ſpatiáque metiretur. Quod vnus opinor Seneca memoriæ literíſque prodidit, ſic enim habet in epiſtolis. *Quod ſi velis quemadmodum ambules diſcere, admittes iſtos quos noua artificia docuit fames, erit qui gradus tuos temperet*, &c. Solebant etiam Oratores vt ex Seneca patre Controuerſiarũ ſcriptore didicimus, poſt dicendi

Fab. l. 11. c. 3.

Beroald. in Suet.

ep. 15.

contentionem *latus ambulatione reparare*, quod ad firmitudi- Proœm. nem vocis bonitatémque retulit. Eam autem ambulationem Controu. quæ ad alendam vocem adhibetur, neque longam, neque diuturnam eſſe debere, Martianus putat Capella, *Prodeſt*, inquit, Martian. l. *vt corpus deambulando moueatur intra breue ſpatium, reditu ma-* 5 de Rhet. *turato*, &c. *Vocem nimia excurſio, vel longa deambulatio extenuat ac fatigat.* Sed hæc forte leuiora.

Princeps & palmarium tuendæ vocis adiumentum eſt *Exercitatio*, vt monent ferè omnes ſapientes, qui nobis aliquid de literis & humanitate, artificióque bene dicendi reliquerũt. *Bona vocis*, inquit Fabius, *augentur cura, negligentia minuuntur*, itaque pronunciat eſſe optimum exercere vocem. Craſſus item velut è cortina ſic effatur, *Iam vocis & ſpiritus & totius corporis & ipſius linguæ motus & exercitationes non tam artis indigent quàm laboris.* Pari ſapientia auctor ad Herennium, cùm vocem diuidat in magnitudinem, firmitudinem & mollitudinem, omnia egere cura & exercitatione contendit. Quare Tragœdi quibus neceſſaria eſt liquidæ vocis & heroïcæ contentio, ſummum in ea re ſtudium curámque ponebant. De qua re ſic meminit Apuleius, *Profectò vt gladius vſu ſplendeſcit, ſitu rubiginat, ita vox in* Apul. Flo- *vagina ſilentij condita diutino torpore hebetatur. Deſuetudo omnibus* rid. 3. *pigritiam, pigritia veternum parit. Tragœdis adeo ni quotidie proclament, claritudo arteriis obſoleſcit, igitur identidem boando purgant rauim.* Eius autem exercitationis vtilitates, breui orationis compendio, ſubtilis & intelligens Plutarchus mihi complexus videtur, τῆς λόγου χρεία διὰ φωνῆς περαινομένη, *quotidiana exerci-* Plutarch de *tatio mirum quantum valet* οὐ μόνον πρὸς ὑγίειαν, ἀλλὰ καὶ εἰς ἰσχὺν; *non* ſanit. tuen. *modò ad valetudinem, verùm etiam ad corporis vim atque robur.* Itaq; Medici id quoque genus exercitationis commendant, vt in legẽdo vox attollatur, quod ea contentione fiat robuſtior, & laterum debilitatio minuatur; & gutturi facilitas quædam ad pronunciandum accedat. Id Stoicus in toga Philoſophus diſertè notauit ſcribens ad Lucilium, *Medicus iubebit vt legas* Senec. ep. *clarius, & ſpiritum cuius iter & receptaculum laborat, exerceas.* 78. Eadem mente Clemens Alexandrinus, πολλοῖς δ' ἐσθ' ὅτε καὶ τὸ Clem. Alex. γεγωνὸν τῆς ἀναγνώσεως, γυμνάσιόν ἐστι, *multis quoque quæ alta* l. 3 pædag. *ſit voce lectio, eſt exercitium.* Plinius Secundus Orator in Italia maximus, de ratione vitæ ſuæ & quotidiana occupatione

diſputans, inter alia ponit claram & diſtinctam lectionem,
Plin.l 9.ep qua ſtomachus paritérque vocis intentio formetur, *In Xyſtum me*, inquit, *vel cryptoporticum confero*, &c. *Dein ambulo, mox orationem Græcam Latinámve clarè & intentè, non tam vocis cauſa quàm ſtomachi lego, pariter tamen & illa firmatur.* Ex hoc vſu hominum excellentium, & clariſſimis teſtimoniis liquet, non inutile ad tuendam vocem oratori futurum, ſi proclamet aliquando, & vt verbo vtar Apulei boët; ſi legat alta voce & contentè pronunciet.

Fab.l.11.c.3 Sed potentiſſimum in hoc genere putat Fabius *dicere quotidie*, & in abditis parietum vmbraculis ſic agere, quemadmodum eſt in foro deinde, & communi hominum luce dicendum, adeóque monet capienda eſſe maximè varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonem, & flexus habeant, vt eloquentiæ candidatus ſimul in omnia paretur. Negat autem ſine hac varietate, ſatis peritum aut paratum eſſe oratorem ad dicendum, nam nitida & exculta modò vox, inſuetum laborem & contentionem recuſabit, niſi quemadmodum aſſueta Gymnaſiis & oleo corpora, & ſuis in certaminibus ſpecioſa, ſeſe quoque ad militare iter, & vigilias, & opera grauiora exerceant. Porro vocem exercere à prandio minùs expedit, quod frangatur poſt cibum & potionem facilius: itaque omnes qui
Ariſt. Sect. 11 probl.22. & 36. vocis curam olim habuerunt, ἕωθέν τε καὶ νήστεις ὄντες, *mane & ieiuni* conſuetam exercitationem capiebant, vt meminit Ariſtoteles in Problematis. Hæ communes ſunt tuendæ & augendæ vocis rationes, quibus veteres vtebantur, ſine quibus mea quidem opinione vox ſæpe dicenti obtundetur.

Hic Victor, Omittiſneait, doctiſſime Theodore, aut reſpuis genus illud exercitationis in voce, quod mutum haud inuitus appellem? Quod, inquit, mutum genus appellas? nam ſi vox eſt, & ſonos ſuos commutationéſque habet, quonam modo dici muta poteſt? Neſcio, inquit Victor, an intimo in animo quandam poſſimus debeamúſque reponere, quæ acri meditatione fiat eius omnis varietatis, quam Oratores adhibere in dicendo ſolent. Nam eſſe huiuſmodi quandam exercitationem,
Muta exercitatio vocis. quæ ſine vllo externo ſono & contentione, conformationes tamen vocum erudiat, videor mihi è brutis animantibus colligere, in quibus hanc ipſam vocis inſtitutionem natura impreſ-

ſit. De pica illa Romana, de qua Græci Latiníque memorarũt, ſæpe audiuimus, quam mirificè garrulam & vocalem ciuis ad honeſtam recreationem alebat. Illa fortè cùm tubicines aliquando diutiſſimè in funere concinentes audiiſſet, trium dierum ſpatio ita conticuit, vt Dominus obſurduiſſe illam penitus æneatorum illo ſono putaret, vocémque omnem perdidiſſe. Sed ecce tibi poſt diuturnum illud ſilentium, incredibili venuſtate & naturæ ingenio, tubarum ſonitus & clangorem, & numeroſam modulationẽ ſumma omnium admiratione expreſſit. Cauſa igitur triduani ſilentij fuit ἄσκησις καὶ ἀναχώρησις Plutar. de
εἰς ἑαυτὸ τοῦ μιμητικοῦ, καθάπερ ὄργανον ἐξαρτυομένου τὴν φωνὴν Solert. an.
καὶ παρασκευάζοντος, *tacita exercitatio vi imitandi in ſe conuerſa, & vocem tanquam inſtrumentum concinnante atque apparante.* Sed vt iſtam auiculam prętereamus, certè Marcum Orato- Philoſtr. de
rem Byzantinum accepimus, non de multis vnum, ſed exi- vit. Soph.
mium & præſtantem, in quiete & ſilentio exercere ſe conſueuiſſe: qui aiebat familiaribus σιωπῇ ἐνεργῷ χρῆσθαι, *ſeſe vti operoſa taciturnitate*, & continuò mente muſas peruolutare in ſilentio. Illam, Victor, ait Theodorus, tuam mutam exercitationem, vel meditationem potiùs, haud inutilem & nullius momenti eſſe puto: eſt enim iudicij atque prudentiæ commentari longe prius, & apud ſe reputare, quandonam vox attollenda eſſe videatur aut premenda, vbi adhibendæ flexiones, vbi apertis velut tibiis concinendum. Iſta enim prouidentis animi cogitatio multùm valet, vt qui dicit, non accedat nouus & imparatus ad agendum. Sed profectò diuturna meditatio non efficiet, vt liquidior ſit vox oratoris & ſonora magis ac ſuauis, quàm ſi nullam ea de re cogitationem antea ſuſcepiſſet.

Phonaſci ſiue edomatores vocis. Eorum artificium an Oratori iam vtile. Ἀναφωνήσεις inter exercitationes. παιωνίζειν. Tres toni commendantur. SECT. II.

SED pergo exædificare quod de voce tuenda inſtitueram. Vltimum genus exercitationis à Phonaſcorum artificio pe-

titur, quod Tragœdi quidem adhibebant, Chorique fere omnes, ad ſonos quàm elegantiſſimè ciendos & moderandos, ſed nec ob oratorum ſtudio fuit alienum. Præſertim verò Græci in eo ſtudioſiſſimè elaborarunt, quos ait primò de Oratore Antonius & annos complures ſedentes declamitare conſueuiſſe, & quotidie antequam pronuntiarent vocem ſenſim cubantes excitare, eandémque cùm egerunt ſedentes ab acutiſſimo ſono, vſque ad grauiſſimum ſonum recipere, & quaſi quodammodo colligere. Qui alios in ea re inſtituerent, ij φωνασκοὶ & φωνασκητοὶ nominati à Græcis, & Veteribus Latinis *Vociferarij* & *Vocales*. Tertullianus *edomatores vocis* appellat. Plinius vocis ſtudioſos, & vocem ſub certamine exercentes. Galenus tamen l.7. de compoſit. pharmac. Phonaſcos appellat, non modò eos qui docerent alios, atque ad tuendā alendámque vocem informarēt, verùm etiam omnes, qui vocē ipſi excolerent ſuam, ad proprium artificium cum plauſu hominū & voluptate obeūdum. Nam cùm balnea dulcium aquarum inter ea poſuiſſet, quæ vocem mirificè lenire poſſent atq; iuuare, eámque ob cauſam à quibuſdam adhiberentur: ita faciunt, inquit, Phonaſci qui magno vocis exercitio vtuntur, quum contendendo oblæſerint vocem. Sunt autē hi, citharœdi, præcones, & tragœdiam ac comœdiam perſonati repræſentantes, balneis enim multis vtūtur, & cibos lenes ac laxātes edūt, &c. Paulò verò ante vocis moderādæ magiſtros appellarat Gymnaſtas. Sed ſiue hoc, ſiue illo donentur nomine, eorum hominū induſtriā repudiat & contemnit, non M. Tullius, ſed apud illum Antonius vt decoro ſeruiatur, quod diuturnior eſſet occupatis hominibus illa meditatio, & leuium Græcorum ſtudia redolere videretur. Quem ſecutus Quintilianus, communiter quidem ait tum Phonaſcis, tum oratoribus neceſſariā eſſe exercitationem, non idem tamen curæ genus eſſe contendit, quod iis qui in foro negotiis multis onerētur minùs per otium liceat *præparare ab imis ſonis vocem ad ſummos, nec ſemper à contentione conquieſcere.* Eodem intendit Stoico ſupercilio Seneca, *Nec tu*, inquit, *intentionem vocis contempſeris, quam veto te per gradus & certos modos attollere, deinde deprimere.*

l. de pall. c. vlt.

Senec. ep 15

Ego verò vt non omnia quæ fiebant à Phonaſcis adhi-

benda oratori dixerim, ſic eorum in polienda & excolenda voce ſtudium, non repudiandum penitus & illudendum, quod à doctis clariſſimiſque viris celebratum eſſe conſtat. Nam Aeſchinem elegantem hominem & eximiè diſertum, voce maxima & ſuauiſſima fuiſſe volunt, quod vt prodit æmulus Demoſthenes eſſet πεφωνασκηκώς: & Gracchi fiſtulam ὄργα- Demoſth.
νον φωνασκηκὸν ait fuiſſe Plutarchus. Octauius quoque Augu- de cor.
ſtus *dabat aſſiduè Phonaſco operam*, idque fuerat eo labore con- Plut. de ira fræn.
ſecutus, vt dulci omnia & proprio quodam oris ſono pro- Suet. in
nunciaret. Galenus homo doctiſſimus & intelligens de ſe ita Aug c. 84.
ſcribit, ἃς τὰς καλουμένας ὑπὸ τῶν φωνασκῶν ἀναφωνήσεις παρε- Galen. l. 5. de ſanit.
λάμβανον, *& quas Phonaſci vocis excitationes, vociferationéſ-* tuend.
que appellant aſſumebam. Nero princeps qui ſummam curam vocis habuit & incredibilem diligentiam, nihil pænè ſine Phonaſco, aut dicebat, aut moliebatur. Quæ vetuſtatis grauiſſima teſtimonia ſignificant, nec ſuperuacaneum eſſe id artificium, nec omnino defugiendum oratori, qui modo excellere in dicendo velit, nitorémque vocis & magnitudinem ſuæ tueri. Quanquam non omnia, vt paulò antè aiebam, quæ ab illis exercitoribus fiebant, iam in vſum reuocanda eſſe putauerim. Adhibebant ἑωθινὰς μελέτας, & quotidia- *Phonaſcorũ*
nas, vt auctor eſt Ariſtoteles, quæ forte delicatæ no- *diſciplina.*
ſtræ adoleſcentiæ moleſtiores videantur: laminam ad pectus admouebant, quam per me licet Orator abiiciat: ſtata tempora ſpatiandi habuerunt quæ religioſè obſeruarent, quæ omittere iam mihi quidem nulla ſit religio: abſtinebant à certis cibis & delectum genus potionis habuerunt, ea de re quid ego ſentiam, ſuperiori iam capite expoſui.

Quid igitur eſt quod ſumendum ab illis mutuandúmque *Vtiles ἀνα-*
exiſtimem? Illas profecto, vt Galeni verbis vtar, καλουμένας *φωνήσεις.*
ἀναφωνήσεις, haud dubitem ad tempora hæc noſtra & conſuetudinem accommodare. Solebant enim ſenſim vocem & veluti per gradus attollere, mox deponere, tum molliendæ arteriæ cauſa & firmandæ, tum conciliandæ varietatis, vt nulla eſſet flexio, quam non commodè, prout cauſa ratióque poſtulauiſſet, adhiberent. Id non modò vſurpatum à Græcis, verùm etiam & Latinis Oratoribus, è Seneca patre, homine

Digitized by Google

eruditiſſimo cognoſcimus : qui de Porcio Latrone memorans, qui inuſitatum eloquentiæ curſum & vitæ modum ſequebatur, ait ipſum nil vocis cauſa facere ſolitum, *Non illam per gradus paulatim ab imo vſque ad ſummum perducere, non rurſus à ſumma contentione paribus interuallis deſcendere,* quod fuiſſe aliorum dicentium commune videtur. Id propriè doctoribus Græcis eſt παιωνίζειν, de quo ſic Alexander Aphrodiſieus, Οἱ φωνασκοὶ δὲ παιωνίζοντες προμαλακύνουσι τὰ ἀναπνευστικά, *Phonaſci pæanem citantes arterias præmolliunt.* Ex eorum mente Autor ad Herennium, *arterias*, ait, *lædi, ſi antè quàm vox permulſa eſt, acri clamore compleantur.*

Senec. Proœm. Controu.

Tres toni cõmendati.

Cæterùm illud Phonaſcorum artificium, ita viri quidam ſapientes quorum inſtitutione ſum ego doctior, ad noſtram hanc tempeſtatem accommodant, vt tres vocis principes commutationes eſſe dicant, (vocant *Tonos*) & primam quidem eorum eſſe propriam qui communi & familiari ſermone vtuntur, alteram paulò maiorem aptam ad cohortandum, conſolandum, exornandum, & quoties leniores motus ciendi ſunt: tertiam denique vehementem & contentam, qualis in amplificationibus eſſe ſolet. Iam induſtria boni & ſtudioſi Oratoris in eo poſita eſt, vt frequenti vſu diſcat, à primo illo gradu ad ſecundum, ab hoc ad tertium, facile vocem & ſuauiter attollere, tum ab illo acutiſſimo ſono cùm libuerit reuocare. Quod quam vim habeat tum ad fidem faciendam, tum ad reficiendos animos audientium, ingenioſus quilibet è corona percipit, & qui dicunt, ſi modo habent decori ſenſum & dignitatis experiuntur. Hæc habui quæ de voce monerem, nunc ſi lubet de pronunciando videamus.

DE EMEN-

DE EMENDATA PRO-nunciatione.

CAPVT XIII.

Fœda literarum & ſyllabarum commutatio. E pro I olim vſurpatum. Plotini vitium in loquendo. Aſpiratio & geminatio literarum reprehenſa. num Antiqui geminarint. SECTIO I.

EST illa Marci Tullij non tam ſpecioſa quàm neceſſaria monitio de Pronunciatione Oratoris, *Nolo exprimi literas putidiùs, nolo obſcurari negligentiùs, nolo verba exiliter exanimata exire, non inflata & quaſi anhelata grauius proferri.* (Cicer. 3. de Orat.) Neceſſaria, inquam, planè monitio, quod ſolum & veluti fundamentum bonæ & laudatæ pronunciationis ſit ὀρθοέπεια, ſine qua nemo eloquentiæ decus & nomen conſequetur. Imprimis ergo prouidere debet Orator, vt pronunciatio ſit *emendata & dilucida*, vt nihil præpoſterè dicat, aut putidè, nihil obſcuratum negligentius aut deminutum, nihil abſonum & ruſticanum, nihil denique quod non poſſit ab audiente percipi cum iucunda voluptate. Pluribus autem in hac re modis peccari animaduerto, in literis, in ſyllabis, in dictionibus, vitiáque ſunt adeò nota, vt gentium & regionum propria eſſe videantur. Sanè luſtraui prouincias Galliæ multas, poſſémque dicere, quæ notarim in ſingulis, genio veluti patriæ, & indocta conſuetudine loquentium, ad puerilem inſtitutionem adhæſiſſe; quæ deinde etiam in iuuentute perſeuerarent.

Nonnulli fœda negligentia literas inter ſe commutant: E pro A & contrà, ſolenne eſt reponere, *quidam* ſi occurrerit, *quidem* pronũciant: *Vrbem* opinor illis eſt tenuius, *Vrbam* malunt. (*Inepta cõmutatio literarum.*) His ineptiis imbuti quidam pædagogi leuiores, in tenellas deinde mentes eam oris prauitatem inſtillant, quam plurium annorum diligentia, vix doctiſſimi & ingenioſiſſimi viri

poſſunt euellere. Hoc meſſorum proprium eſſe aiebat Craſſus non Oratorum, cùm Cottam & Sulpitium reprehendit, qui pro iota litera, E pleniſſimum diceba*t*. Faciebat id Cotta, vt Marcus Tullius ſignificat, *veterum imitatione* quo plus autoritatis habere videretur oratio. Sanè conſtat veteres minimè malos e pro i in multis poſuiſſe, dicebant enim *Menerua*, *leber*; & *mageſter*, autore Quintiliano: ſic in vetuſto lapide ſcriptum de Duellio priſca ratione, *Rem naucbous marid Conſol primus geſſit*. Id opinor ſumptum à ruſticis, qui vt ait M. Varro dicebant, *veham pro via*, *vellam & ſpecam* pro *villa* & *ſpica*, vt non ſine cauſa dicere Craſſus videatur, *Cottam meſſores imitari voluiſſe*. Et quidem in hoc ille ſe inconſideratum oſtendebat, quod in ea ætate in qua plurima ingenia floruerũt, optimis artibus ſtudiiſque expolita, genus quoddam pronunciandi ruſticum & oppidanum vellet aſſumere. Abſit ergo ab eo quem inſtituimus illa rudis & exoleta commutatio literarum, ſuum cuique ſonum tribuat, caueatque diligenter, ne in corona hominum intelligentium non *Auditores*, ſed *Oditores* compellet.

Cicer. 3. de Orat.

Fab. l. 1. c. 4.

Varr. de re ruſt. lib. 1. c. 2. & 48.

Imitari meſſores in pronuntiãdo.

Alij verò quod longè fœdius opinor videbitur, literas ſyllabáſque transferunt, qualis Tinca fuit Placentinus, illuſus quondam eleganter ab Hortenſio, qui errore gemino *preculam* pro *pergulam* dicebat. Eadem labe notatus fuit Plotinus vir alioqui in Philoſophia nobilis, neque enim *meminiſſe* pronunciabat, ſed *neminiſſe*, ſummo audientium faſtidio & offenſione, vt auditor eius Porphyrius ſcriptis commendauit.

Literas aut ſyllabas tranſponere in dicendo.

Porph. in vit. Plot.

Quidam anhelata grauius, vt Craſſus aiebat, & ſpiritu vehementi efferunt omnia, quod vitium olim etiam antiquis inſederat. Nam cùm primis temporibus in Italia vix vlla aſpiratione vterentur, & *ædos ircoſque* dicerent, fecit opinor bellandi conſuetudo, & Martiæ gentis alti ſpiritus, vt frequentius in communem ſermonem irreperet, hinc *Chorona Chenturiones*, *prachones* reperiuntur. Quanquam hoc veterum Atticorum imitatione factum eſſe prodit Agellius; quemadmodum enim illi ἰχθυὼ, & ἱπὸν, aliáque ſimilia, non ex communi more Græciæ, ſic Latini *honera* & *honuſtum* dixerunt. Sed ea res quantum ab elegantium hominum iudicio aliena ſit, è feſtiuo Catulli verſu licet cognoſcere, quo-

Anhelare grauius & aſpirare literas.

Agell. l. 2. c. 3.

inſulſam Arrij pronunciationem ad æternam memoriã illuſit, Catull. ep. 85.

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Et tunc mirificè ſperabat ſe eſſe locutum
Cùm quantum poterat dixerat hinſidias, &c.

In hunc ſcopulum incidere illos video tum ſacros tum profanos Oratores, qui veluti de lacu & muſto feruidam orationem adferunt, animíque ardorem in craſſo plenóque ſpiritu, & vehementi aſpirationis afflatu poſitum eſſe putant.

Nonnulli geminant incompoſitè literas & inuenuſtè, & quidem eam quæ odioſiſſima eſt, quámque irritatæ caniculæ exprimunt. Itaque apud illos ſæpe auditur, *amorr*, & *amarre*, & velut terrere auditores velle videantur, *terretes* aures perſonant non *teretes*, & non ferenda inſcitia *fere* non poſſunt dicere, *ferre* dicunt. In huiuſmodi erraticos declamatores meritò id conueniret è ſatira, *Literas geminare.*

---ſonat hic de nare canina Littera. Perſius ſat. 1.

neque alios verius habere putem *loquendi ſartaginem*, quorum aſpera & inſolens pronunciatio ſtreperæ ſartaginis ſonitum imitatur. Iure proinde olim Eretrienſes apud eruditos malè audierunt, quod literam ρ. crebrius aſperiúſque inculcarent. Et doctiſſimus Pater Hieronymus meritiſſimo quendam illudit conſimili modo ineptientem, de quo ſic habet, *Grammaticum quidam Afrum habuit Romæ virum eruditiſſimum, & in eo ſe æmulum præceptoris putabat, ſi ſtridorem linguæ eius, & vitia tantùm oris exprimeret.* Hinc λαμβδακισμοὶ, μετακισμοὶ & iſtius generis alia compoſitionis & dictionis portenta oriuntur: placet diſertis illis hominibus *alla*, non *ala*: *facilis* celerius ex ore fugit, *facillis* efferunt: de menſa & conuiuio ſi loquantur, quaſi de veſte velamentíſque ſermo fiat, *pannis* in ore potius, quàm *panis* habent. Contrà verò (hic mihi videte quæ humani ſit infirmitas ingenij, & præpoſteræ conſuetudinis vis & poteſtas) alij reperiuntur qui ſublata geminatione literarum, dictionem vt piſcem exenterent: fruſtrà moneas vt *flammam* dicant, *flamam* ſciunt: *vele* apud illos delicatum eſt, dulce & politum, *velle* durum & inuſitatum. Fortè cupiunt veteres Italiæ proceres æmulari, de quibus ita Feſtus Pompeius, *Antiqui nec mutas*,

Cœlius l. 13. c. 2.

D Hieron. in Ruffin.

Feſt. v. Totum. *nec ſemiuocales literas geminabant, vt fit in Ennio, Arrio, Annio.* Sed Romanos illi quidem ab ſtiua & aratro Duces & Imperatores, innocentia vitæ animique magnitudine ſi velint imitentur, eloquendi autem rationem nonniſi à doctis & eloquentiſſimis hominibus debent capere.

SECTIO II.

Aliud monitum de emendata pronunciatione. Truncare verba quorum proprium. In accentu indecora prolapſio.

Proprium ſuperborũ truncare verba.

ECCE tibi aliud genus hominum, qui tanquam nepotuli Gigantum, aut è proſapia immanium tyrannorum, verba truncant atque exanimant, & ſæua laceratione modò caput eripiunt, modò caudam. Omninò ſuperborum & inſolentium hominum eſt, aut iratorum, aut etiam ruſticanorum, dimidiare in dicẽdo verba, & truncare: quod faſtidio quodam & contumacia fieri ſolere, Poëta in Comœdia nobilis putat Amphis, qui arrogantem piſcatorem bellè ante oculos obiiciens, Inflatus, inquit, homo inſolentia,

---οὐ λαβὼν

Ολα τὰ ῥήματ᾽, ἀλλὰ συλλαβὴν ἀφελὼν, τάρων
Οβολῶν, &c.

Haud integris verbis reſpondet, ſed eiecta ſyllaba, tuor pro quatuor. Iidem vix diducere labra conſueuerunt, aut planè & perſpicuè loqui, qualis ille qui acceptum beneficium inobſcurat apud Senecam. *Alius*, inquit, *vix labra diduxit, & ingratior quàm ſi tacuiſſet fuit.* Atque hoc ferè modo loquebatur Octauius Auguſtus in Senatu, cui verba facienti apud Curiæ Patres quidam liberius dixit, *Non intellexi.* Fœdum autem & indignum videri neceſſe eſt, ſi cum multi è frequenti concione diſcedunt, illa omnium vox audiatur, *Non intellexi*: quod tamen omninò eueniet, ſi quod fieri à multis intelligo, deuorentur vltimæ ſyllabæ, & inuidioſiſſimè obruantur. Laudo ſanè Doctores quoſdam humanitatis, & plurimùm efferendos in hoc genere clariſſimæ induſtriæ puto, quos audii puerulos ſæpe arguentes, quòd vitio primæ inſtitutionis, vltimas

Senec. l. 2. de benef. c. 24.

Suet. c. 54.

ſyllabas dictionum non ſat clarè & diſtinctè pronunciarent. Memini que me puerum in ſcholis vidiſſe mulctam, & eam grauem diuturnámque impoſitam adoleſcentibus, quos docentis nulla monitio ab ea labe potuiſſet auertere. Id præſertim odioſiſſimum eſſe conſueuit audienti maximè intento & curioſo, ſi quid emphaſim & eruditionem habeat, aut notabile videatur: tum dictiones ſi dimidiatæ præteruolent, & ob inepti Oratoris pronunciationem animum effugiant, dolent ſcilicet omnes, & taciti conuicium faciunt tam indocto blateroni.

Age verò quid iis oratoribus faciamus, qui τόνον ſeu προσῳδίας inuertunt, quem *Accentum* vulgò nominamus? Scimus fuiſſe irriſum Demoſthenem quod malè in pronunciando accentum poſuiſſet, cùm exclamaret Æſchines æmulus eius gloriæ & facultatis, non ab illo verba, ſed verborum quædam prodigia in mediam concionem effundi. Ex quo profecto inhærebat animis auditorum neſcio quæ ſuſpicio leuioris infantiæ, quæ plurimum de fama nominis & exiſtimationis cumulo deruebat. Ad hunc lapidem etiamnum impingunt benè multi cauſarum patroni, ſi quando doctorum hominum ſententiis aureiſque dictis, ſua vt fieri amat, ornare volunt, & è latinis argumenta promere. Id adeò euenire puto, vel ignoratione linguæ Græcæ, è qua multa in Latinam vocabula deriuãtur, vel quod in prima puerili inſtitutione, illa elementa eruditionis, dum ad altiora feſtinant, pro nihilo habuerunt. Vidi nuper in luce Curiæ hominem alioqui non indoctũ, & vtriúſque iuris peritum, qui cùm ſacros Eccleſiæ canones in rem ſuam laudaret, vehementer ſibi placere videbatur, cùm plena voce atque magnificè *Canónes* diceret penultima acuta. Idem voluit ex Ariſtotele petere teſtimonium veritatis, ſed fecit peripatetico iniuriam, cùm breuiorem eius inambulationem faceret, nulla opinor maleuolentia, ſed inſcitia, nam *Lyceum*, media breui audacter pronunciabat. Addidit & ſententiolam è Græco, ſed eadem peruerſitate diuinæ mentis nomen violauit, cùm θέον diceret acuta prima. Itaque mihi venit in mentem Sabini Clodij, quem vno die Græcè & Latinè Romæ aliquando declamauiſſe memorant: cúmque rediens ab eius auditione Seuerus Caſſus interrogaretur, quonam modo di- Senec. l. 9. Contrau.

Os blæſum tibi debiliſque lingua eſt
Nobis filia fortius loquetur. Martial. l. 10. ep. 65.

Et cum minutis quidem puellis ſi quis balbutiat, non magnoperè mihi reprehendendus videatur. Nam vt ait Orator ſummus, idémque ſanctiſſimus Ioannes Chryſoſtomus: ὅτι πρὸς παιδίον φθεγγόμεθα, συμψελλίζομεν, κἂν μυριάκις ὦμεν σοφοί, *quando cum puero loquimur, vna cum eo balbutimus, & vt millies docti ſimus, ad humilitatem illius nos demittimus*. (S. Chryſ. in pſal. 6. & homil. 3. in ep. ad Titũ.) Et Epictetus è porticu ſapiens, *Puelli*, inquit, *feſtiui & argutuli quem non prouocant*, πρὸς τὸ συμπαίζειν αὐτοῖς, ἢ πρὸς τὸ συμψελλίζειν. Sed in cœtu virorum ſapientum reperiri aliquem oratorem, qui puerorum more infantium balbutiat, hoc verò vel mediocris iudicij homines merito explodendum exiſtimarent. (Arrian. de Epict. l. 2. c. 24.)

Et tamen delicatuli quidam reperiuntur, qui affectata pronunciationis teneritudine, eam balborum molliciem aucupẽtur. (*Delicati balbutiẽtes.*) Vnde apud Horatium *Balbutit Scaurum*, hoc eſt amantium more fracta & tremula voce nominat Scaurum. (Horat. l. 1. Serm. ſat. 3.) D. Hieronymus eleganter, Non delumbem matronarum ſaliuam delicata ſecteris, quæ nunc ſtrictis dentibus, nunc labiis diſſolutis *balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur*. (Hieron. ep. 2.) Notatúmque eſt à ſapientibus pinguioris & curatæ cutis homines, quoſque languidæ voluptates effœminarint, in eam vitioſitatem propenſos. Inducuntur in eam fortè mentem, quod in paruulis id habere gratiam & ſuauitudinem quandam videant, quæ vnumquemque delectet. Nam Minutius quidem Felix ſanè quàm eleganter puſionum *loquelam ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorem* ait, dimidiata verba tentantium. In veterum quoque monumentis legerunt balbum fuiſſe Alcibiadem, hominem ciuibus carum, & ſplendidiſſima gloria celebratum, de quo refert Plutarchus τῇ φωνῇ ἢ τὴν τραυλότητα ἐμπρέψαι, *voci eius vel balbutiem decorem addidiſſe*, & loquentiæ blandam conciliauiſſe gratiam. (Plutar. in vit.) Quanquam Ariſtophanes cum ipſum Veneris amaſium in theatro bellè irriſit, vt qui ſolita balbutiê ὀλᾷς pro ὁρᾷς & Θέωλον pro θέωρον diceret, ſic enim habet. (Ariſt. in Veſp.)

Ἀλκιβιάδης εἶπε πρός με τραυλίσας
Ὀλᾷς Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει.

Vbi Scholiaſtes, τοῦτον διαβάλλει ὡς τραυλόν. Sed quidquid ſit de Alcibiade; certè Plato cuius diuinum ingenium multi prædicant & iudicium acerrimum, balbutientes homines, ridiculos, molles & effœminatos pronunciat, & quod eſt grauius ſcutica dignos, verberibus afficiendos, ὅταν, inquit, ἀνδρὸς ἀκούσῃ τις ψελλιζομένου ἢ παίζοντα ὁρᾷ, καταγέλαστον φαίνεται, καὶ ἄνανδρον καὶ πληγῶν ἄξιον. Adde quòd cum eo vitio ſit perennis & profluens, & quotidiana iuncta loquacitas, vt Symmachus vir clariſſimus animaduertit, *Natura rerum eſt*, inquit, *vt qui plus balbutiunt, plus loquantur, affectant enim copiam pudore defectus*. Scio id euenire aliquando ex metu & trepidatione, vt illi de quo Sidonius Apollinaris, *Reſpondit ipſe quamquam eſſet tepidus & ſternax, & præ reatu balbutiret ore*. Quod *blaterare* olim dicebant, ſi modo verum monet Fulgentius, apud quem ita lego, *Blaterare enim Veteres quaſi verba trepidantia metu balbutire dixerunt*. Memores humanitatis diſſimulare id homines ſolent, cùm ſubito magnitudine mali imminentis atque metu mens opprimitur.

Plato in Gorgia. p. 296. g.

Symmach. l. 1. ep. 70.

Sidon. l. 4. epiſt. 12.

Fulgent. de voc. antiq.

Vitioſa blæſitas emendari poteſt.

Sed odioſior eſt illa blæſitas, quæ conſuetudine, aut puerili inſtitutione, vel à natura contingit, quæ tamen ſtudio & induſtria tolli poteſt. Sapienter enim aureum flumen orationis fundens S. Chryſoſtomus, ἐννόησον γοῦν ὅτι παρ' Ἕλλησι πολλοὶ οἱ μὲν τραυλίζοντες μελέτῃ πολλῇ χωλεύουσαν αὐτοῖς τὴν γλῶτταν διώρθωσαν, *Cogita multos in Græcia fuiſſe viros, qui cùm primùm balbutie laborarent, diligenti & continua exercitatione vitium oris emendarunt*. Et quidem ipſe Coryphæus Demoſthenes τραῦλος μὲν ἦν τὴν γλῶτταν ἐκ φύσεως, ait Libanius, ſic vt nec primam artificij ſui literam poſſet exprimere, ſed tantùm vſu & actione perfecit, vt efferret nemo deinde planius atque diſertius. Hanc igitur diligentem meditationem ſi me audiunt τραυλοὶ omnes adhibeant, vt morbo illi fiat medicina, & ſoli omnibus ſilentibus ſine offenſione loqui poſſint. De oratoribus intelligo, non de Philoſophiæ doctoribus, quos nihil impedit quo minùs poſſint in ea ſapientia excellere, ad quam tantùm ſublimium rerum intelligentia, communiſque ratio dicendi requiritur. Sic Ariſtotelem, quo neminem omnis antiquitas ſubtiliorem & in abditis cognoſcendis & explicandis acutiorem tulit, balba fuiſſe voce prodit Suidas.

S Chryſ. homil. 17. in Matth.

Liban. in Demoſth.

Suidas.

VITIO-

Vitioſa in Oratore Ἰσχνοφωνία. παφλάζοντες. *Hæſitantiæ in dicendo variæ cauſæ & medicina proponuntur.*

SECTIO II.

IAM vero ἰσχνοφωνία ſiue hæſitantia linguæ non minus indecora mihi videtur, & excellenti ingenio fugienda: qua qui laborant, non dubitat M. Tullius à numero eloquentium tanquam à Platonis θείου χοροῦ ſecludere. Sic enim ille diuinitus, *Sed ſunt quidam aut ita lingua hæſitantes* (ἰσχνοφώνους dicit Ariſtoteles) *aut ita voce abſoni, aut ita vultu motúque corporis vaſti atque agreſtes, vt etiam ſi ingeniis atque arte valeant, tamen in Oratorum numerum venire nō poſſint.* Eos homines παφλάζοντας olim nominauerunt, itaque iocans Ariſtophanes Cleonem oratorem furioſum & ineptum παφλαγόνα indigitauit, alludens ad hoc vitium, & vt monuit Græcus Scholiaſtes παρὰ τὸ παφλάζειν τῇ φωνῇ. Illo eodem nobilitatus fuit Regulus, qui propter ingenium inſanum à multis orator habitus eſt, cùm alioqui eſſet illius *os confuſum, hæſitans lingua, tardiſſima inuentio*, vt memorat Plinius l. 4. Epiſtolarum. Itaque illum intuens Herennius Senecio, mirificè illud Catonis de Oratore in contrarium vertit, *Orator eſt vir malus dicendi imperitus.* Idem vlcus putidæ eloquentiæ aculeata oratione pungens Apuleius, *Audiſti,* inquit, *Maxime priuignum meum vix ſingulas ſyllabas fringultientem.* Cic. l. i. de Orat. Scholiaſ. in Ἱππῆς. Plin. l. 4. epiſt. ad Lepid. Apul. in Apolog.

Cæterùm cauſas huius hæſitantiæ in doctorum hominum monumentis vidi plurimas, de quibus operæ ſit pretium hoc loco meminiſſe. Fit enim id aliquando ex cura nimia, & ſuperſtitioſa quodammodo ſollicitudine animi, in dicēdo verentis & laborioſi, quod euenire concionanti Alcibiadi ſolebat, quē ait Theophraſtus, cùm non tantùm quæ, ſed & quomodo dicenda erant, cuperet exponere, ſæpe inter orandum in ſeipſo ζητοῦντα καὶ συντιθέντα τὰς λέξεις ἐνίσχεσθαι καὶ διαπίπτειν, *verba conquirentem & componentem hæſiſſe, atque à dicendi curriculo excidiſſe.* A natura eſt in quibuſdam aut parentum educatione, cùm labes imitatione malè loquentium inhæſit. Fiunt & qui- *Quæ ſoleāt eſſe cauſæ hæſitantiæ linguæ.* 1.

2. Cauſa. dam hæſitantes, & obſtrepunt ſibi quodammodo in dicendo, non inodocta conſuetudine vt multi, ſed propter notionum multitudinem, & celeres ingenij motus, qui cùm varia dicenti obiiciant, tarditatem neſcio quam adferunt, tum propter operoſum delectum in ea varietate multiplici, quæ ante mentis oculos ſubtiliter emicat, tum etiam propter rerum ſublimium & admirabilium naturam, quibus explicandis nulla ſatis accommodata vocabula dari poſſe videantur. Ea in dicendo tarditate laborabat magnus Ephrem Syrus, de quo tam multa veterum Patrum monumenta retulerunt, qui cùm haberet ἀενάους τῶν λόγων ὀχετοὺς *perpetuos verborum fontes & copioſos*, vt ait S. Gregorius Nyſſenus in eius vita, erat tamen vt ille idem vir doctiſſimus religioſiſſimúſque notauit, βραδὺς πρὸς τὴν τῶν νοημάτων φανέρωσιν, οὐ τῇ τῆς γλώττης ναρκότητι, ἀλλὰ τῇ τῶν ἐνθυμημάτων πυκνότητι, *Erat tardus in notionibus animi ſui explicandis, quod non tam linguæ ſtupore, quàm cogitationis celeritate accidebat.* Quomodo id fieret, paulò pòſt explicat, ὑπὸ γὰρ τὴν γλῶσσαν ἡ τῆς διδασκαλίας ἄβυσσος πελαγίζουσα φέρειν αὐτῷ τὰ τῶν νοημάτων οὐκ ἐπέτρεπεν, &c. *Siquidem doctrinæ profunditas linguam ipſius abſorbebat, vt ſenſa animi efferre nequiret, cùm muneri concionandi inſtrumenta ad diſertè dicendum opportuna deficerent.* Idem quoque docuit Hippocrates, aliámque inſuper cauſam intexuit dignam ſcitu, hæc illius eſt oratio, Ἀσαφίη δὲ γλώττης γίνεται, ἢ διὰ πάθος, ἢ διὰ τὰ ὦτα, πρίν τε πρότερα ἐξαγγεῖλαι, ἕτερα ἐπιβαλεῖν, ἢ πρὶν διανοούμενον εἰπεῖν, ἕτερα ἐπιδιανοεῖσθαι, hoc eſt, *Linguæ obſcuritas aut propter affectionem contingit, aut propter aures, vt ſi altera ſuperinferat priuſquam priora enunciarit, aut ſi antequam id quod mente conceptum eſt eloquatur, aliud inſuper animo concipiat.* Deniq; hæſitantes fieri quoque illos video, qui cùm ſcripta, parata, meditatáque pronunciant, memoria turbantur: vnde fit, vt quemadmodum qui in tenebris ignoto in loco deambulant, non ſat firma ponant veſtigia, dum lapſum verentur: ſic illi ſibi diffidentes, dum fugientem quaſi orationem ſequuntur, dum nocte velut circumfuſi oberrant, ea admittunt vitia, quæ breuiter mihi videtur notaſſe clarus ſapientia copiáque Syneſius, cùm recitantis Dioſcorij memoriam laudat, *Verſus*, inquit, *omnino quinquaginta red-*

Greg. Nyſſ. in vit. Ephrem:

Hippoc. in Præcept.

3. Cauſa hæſitantiæ.

Syneſius ep. 111.

Digitized by Google

didit, οὐ παραπταίων, οὐ διλογῶν, οὐκ ἐφιστάμενος ἐφ᾽ ᾧ τὴν ἀνάμνησιν ἀθροῖσαι σὺν χρόνῳ, nihil hæſitans, nihil iteratò repetens, neque identidem inſiſtens ad colligendam cum tempore memoriam. Quibus in verbis aliquot vitia malæ recitationis & imperitæ licet animaduertere. Atque in hæc intuentes, ea quæ pronunciando eueniunt eloquentiæ dedecora, vitare facilius feliciúſque poterimus. Et illa quidem quæ ex imprudentia oriuntur procul amolienda ſunt, quæ ex copia & vbertate rationum, quas excogitans animus linguam impedit, moderanda: quæ denique à natura, ſi fieri poteſt, ſtudio & diligentia corrigenda.

DE GRAVI, TVMIDA ET vaſta pronunciatione.

CAPVT XV.

Dicere σεμνῶς quantam habeat dignitatem. Principum & illuſtrium virorum id maximè proprium. Pronunciationis tumor affectatus. χειλοστομία. Caua verba, caui folles, ſclopi, veſica. Hordearij Oratores. SECTIO I.

NON eſt dubium, quin grauiter dicere, ad laudẽ boni Oratoris cumulatíque pertineat, in quo habenda ratio eſt tum ætatis, tum conditionis perſonarum. Homines enim excellenti prudentia & dignitate, quorum virtus & eximia facta pepererunt apud omnes autoritatem, decet imprimis ſedata oratio, grauis & moderata. Cornelius Tacitus orator ſine dubio copioſus & diligens, & æuo ſuo clara ciuium prædicatione laudatus, hac gemma dominantis eloquentiæ, pleniſſima dignitatis, fuit inſignis, de quo Plinius ſecundus in hunc modum, *Reſpondit Cornelius Tacitus eloquentiſſime, & quod eximium orationi eius ineſt, σεμνῶς.* Plin. l. 2. ep. Sic in Pericle fuit cum admiratione omnium τὸ πλάσμα φωνῆς ἀθόρυβον, *modulatio ſedata vocis*, ait Plutarchus. Plutarch. in pericl. Sed præſertim hæc in dicendo maieſtas

propria eorum eſſe videtur, qui principem in republica locum habent, atque alios fortunæ muneribus anteeunt. Quare cùm Plinius Traiani Imperatoris grauitatem in dicendo, omnium eloquentiæ partium, vt colorum appoſitione illuminat, non ſine decori laude ſic eloquitur,

Plin. in panegyr.

Quæ verò illa grauitas ſententiarum, quàm inaffectata veritas verborum, quæ adſeueratio in voce, quæ affirmatio in vultu, quanta in oculis, habitu, geſtu, toto denique corpore fides. Quæ cauſa fuit, cur Imperatores illi domini gentium, cùm nihil minus eſſent quàm boni oratores, & mentis animique ferociam in vultu imperiiſque ſuis pingerẽt, hoc tamen decus in dicendo captarent, vt grauiter loqui viderẽtur. De Domitiano Philoſtratus ſic in Apollonij vita meminit,

Philoſtrat. l.7.

φθέγγεται μὲν γὰρ βαρὺ καὶ πράως διαλέγηται, *ſonat enim graue quidpiam tumidúmque faſtidio, etiam cùm leniter agit.* De Nerone Lucianus, φθέγγεται δὲ κοῖλον μὴ φύσει, καὶ βαρὺ, &c.

Lucian de perſ. lith.

hoc eſt, *Concauum quiddam & graue ſonat, non natura tamen,* &c. Addit paulò pòſt, eodem illum modo τὰ μέλη βομβεῖν. Cur autem hoc excellentium hominum, quique reipublicę honoribus inſigniuntur, proprium eſſe communi omniũ opinione iudicetur, videor cauſam ab Ariſtotele principe, naturæ myſtagogo didiciſſe, cuius illud eſt pronũciatum l.5. de generatione animaliũ,

Ariſt. l.5. de gen. an.

δοκεῖ γενναιοτέρου εἶναι φύσεως ἡ βαρυφωνία, *videtur grauitas vocis naturæ generoſioris eſſe.* Rationem deinde ſubdit, τὸ γὰρ τέλειον ἐν ὑπεροχῇ, ἡ δὲ βαρύτης ὑπεροχή τις, *quod enim eſt perfectum, ad excellentiam pertinet, eſt autem genus quoddam excellentiæ, grauitas.* Idem quoque Lycei doctor in libris de moribus, cùm naturam exponit hominis animi magnitudine prædit & generoſi, & tribuit βαρεῖαν φωνὴν, *Vocem grauem & ſedatam:* οὐδὲ γὰρ, inquit, σύντονος, ὁ μηδὲν μέγα οἰόμενος, *neque enim vehementer contendit, cui nihil magnum eſſe videtur.*

Idem l.4. Ethic.

Athenienſis Polemo in Philoſophia nobilis, *Modeſtus,* inquit, *ex his ſignis agnoſcitur, Grauem is edit vocem ac ſubmiſſam.*

Polem. l.2. Phyſiogn.

Ad hanc autem grauitatem quidam à natura ſunt facti, educatione ipſa inſtituti, genióque ſuo procliues, qui ſi modo ſe prudentiæ finibus continuerint, in dicendo poſſunt excellere, qualis mihi videtur fuiſſe Prodicus ille glorioſus eloquentiæ buccinator, quem ait Plato fuiſſe βαρύφωνον.

Digitized by Google

Sed hîc mihi notandum quoddam hominum genus eſt ac vituperandum, qui vitio κακοζηλίας, repugnante genio, grauiores ſonos affectant tumidámque pronunciationem, cuiuſmodi nuper ego declamatorem audij hominem ſine dubio eruditum, ſed leuem & ineptum in pronunciando, qui cùm mediocri eſſet voce, potius tenui, dum famam grauitatis aucupatur, ita buccas inflabat, ſic ore tumido fundebat omnia, vt à politis hominibus qui tum adfuerunt, velut ille de Comœdia βομβαλοβομβάξ illuderetur. Ad eos ſcopulos, inanitatis aura pleríque feruntur, quod videant magnificum dicendi genus & elatum vehementer placere, & triumphantium more aureo veluti curru vehi, quod non ſine ſtrepitu quodam maieſtatis atque bombo euenire ſolet. Vident à Dionyſio Longino dici, ἀκρότητα καὶ ἐξοχήν τινα λόγων eſſe τὰ ὕψη. Illis igitur tacitæ gloriolæ illecebris inducti, magniloquentiæ vni ſtudent, & puerili ſuræ cothurnos ſæpe Herculeos accommodant. Qui mihi videntur iis Tragœdis conſimiles, qui adſcititia pectora, ſartos & factitios ventres, & vt ait Lucianus, περιθετὴν καὶ ἐπιτεχνητὴν παχύτητα *adiunctam & arte compoſitam corporis craſſitudinem* conſtipabant, vt grandiores & heroica ſpecie viderentur. Itaque de induſtria ſonantes maximè dictiones conquirunt, tumentia verba colligunt, & vt ridens aiebat Ariſtophanes, ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, *quæ criſtas habeant & ſupercilia*, iis futuros ſe mirabiliores putant. Id vitium κατεπεπλασμένον dici Græcis putat Cœlius, *quod*, inquit, *tum accidit, cum ſimplicis vocis naturam pleniore quodam ſono circumlinimus*. Alij κοιλοστομίαν vocant. Hermogenes ita rem circumſcribit, διογκοῦσαι κατὰ τὴν προσφορὰν τὸ στόμα ὥστε στομφάζειν. Fabius *tumorem magna flandi* nominat, & *eloquentiæ tympana*, vt Philoſtratus in Scopeliano τυμπανίζειν: & Agellius, *inanes flare glorias*. Iuuenalis *cauos folles*. Perſius, *Sclopum*, Sidonius Appollinaris, *ſpumam verborum*. Doctiſſimus Hieronymus *turgentem ſpumam*, quidam *veſicam*. Poëtæ & præſtantes eruditione viri hanc hominum inanitatem ſæpè dictis & reprehenſione exagitauerunt. Horatius pungit in Satyra,

At tu concluſas hircinis follibus auras
Vſque laborantes dum ferrum molliat ignis

Vitium κακοζηλίας notatum.

Longin. π. ὕψ.

Lucian. de ſalt.

Cœl. l. 13. c. 2. ex Quintil.

Hermog. l. 1. de id.

Fab. l. 12. c. 6 & l. 5. c. 13.

Philoſt. de vit. Soph.

Agel. l. 1. c. 11.

Iuuen. ſat. 7.

Perſ. ſat. 5.

Sidon. l. 7. ep.

D. Hieron. ep. 26.

Horat. l. 1. ſat. 4.

Vt manis imitare.

vt & Iuuenalis,

Tunc immenſa caui ſpirant mendacia folles.

Eulog. Præf. in memor. D. Hieron. ep. 100. Eulogius Martyr Cordubenſis eleganter, *Cui cùm libenter quaſi tyrunculo inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia intra caua palati verba proferret.* Graphicè omninò & diuus Hieronymus, *Caua verba & in modum veſicarum tumentia buccis trutinantur inflatis.* Similia ſunt iſta magni Auguſtini, D. Auguſt. l. 1. de doct. Chriſt. c. 4. *Superbiæ aliquid pulmo tumidus anhelet.* Sed plena ſunt clariſſimorum hominum monumenta his aculeis: Zeno etiam grauitatis magiſter ad eandem vitioſitatem expellendam è communi dicendi conſuetudine, non modò verba, ſed etiam verbera aliquando adhibuit: nam cùm diſcipulum ſuum animaduertiſſet, μεγάλα φυσῶν, *inflatum ac turgidum eſſe in dicendo*, Laert. l. 10. percutiens hominem dixit, ὡς ὐχ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κείμενον εἴη, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ, μέγα, *non ſi maximè inflaueris, bonus in dicendo videbere, ſed ſi benè dixeris, maximus.* Huiuſmodi ego Oratores non dubitem *hordearios* nuncupare, quo Sueton. de clar. Rhet. nomine M. Cœlius nominabat L. Plotium Gallum Rhetorem, eum deridens *vt inflatum ac leuem & ſordidum*, vt ait Suetonius. Et meo iudicio dictum Ciceronis in eos meliùs Plutarc. in Cicer. quadret quàm in Vatinium, quem ſtrumoſo collo in foro dicentem cùm vidiſſet, lepidè more ſuo οἰδοῦντα ῥήτορα, *tumidum Oratorem* appellauit. Audiant ergo breue dictum monentis Poëtæ,

---bucca
Noſcenda eſt menſura tua, ſpectandáque rebus
In ſummis minimíſque.

Et cum animo ſuo reputent, nihil eſſe erudititiſſimis hominibus odioſiùs, quàm ſi Orator inſolitæ grauitatis appetens dicendo ineptiat.

Vaſtè pronunciantes reiecti. πλατειασμός. latitudo literarum. Nationes quædam πλατυστομοῦσι. Demoſthenes viſus aliquando βοιωτίζειν. Quando vaſta & lata pronunciatio decorè aſſumi queat. SECTIO II.

HVIC vitio finitimum illud eſt, cùm vaſtè & aperto nimis ore dictiones efferuntur. Sunt enim quidam qui longarum præſertim vocalium pronunciationem vehementiſſimè dilatant, & diutiùs quàm par eſt in eis immorantur ſono quodam ruſticano. Græci πλατειασμὸν vocauerunt, hoc eſt, πλατυστομίαν, Cicero *verborum latitudinem*, & *oris prauitatem*, vt Strabo κακοστομίαν appellare ſolet, atque in multis reprehendit. De Furio furioſo & inſulſo Oratore, ſic habet, *furit in republica Furius, neruos in dicendo C. Fimbriæ quos tamen habuit ille, non aſſequitur, oris prauitatem & verborum latitudinem* (πλατειασμὸν) *imitatur.* Sic de Cotta quem dixit Craſſus pronunciando meſſores æmulari, ait valde ſe *dilatandis literis* à conſuetudine abſtraxiſſe. Et de eodem ſimul & Sulpitio 3. de Orat. *Cotta noſter cuius tu illa lata Sulpici nonnunquam imitaris*, &c. Alio loco *grauitatem linguæ*, illud ipſum appellat, *Cotta*, inquit, *gaudere mihi videtur grauitate linguæ, ſonóque vocis agreſti*, &c. παχυστομίαν Græci dicerent, Strabo certè Cares vaſtè pronunciantes παχυστόμους & τραχυστόμους fuiſſe nominatos ait, & βαρβαροφώνους. Sed præſertim in Græcia Dores ea pingui & lata pronunciatione nobilitati ſunt: quæ cauſa fuit, cur genio indulgentes blandientéſque ſuo, communem dicendi rationem immutarint. Neque enim μηχανῶ dicunt, ſed quod eſt vaſtius μαχανάν. Itaque Theocritus ingenioſiſſimè inducit hoſpitem garrulas quaſdam mulieres irridentem πλατειάσδοισας ἅπαντα, *lato ore pronunciantes omnia*: vbi interpres, οἱ Δωριεῖς, inquit, πλατυστομοῦσι, *Dores os diducunt latiſſimè inter loquendum.* Nec immunes huius labis fuerunt Cappadoces, vt liquidè è Philoſtrato poteſt colligi, apud quem Sophi-

Cicer. 2. de Orat.

in Brut.

Strab. l. 4.

Theocrit. id. 15.

Philoſt. l. 2. de vit. Sop.

ſta Pauſanias alioqui plurium artium cognitione inſtructus, *παχεῖα τῇ γλώττῃ καὶ ὡς Καππαδόκαις συνήθες, Cappadocum more pingui & obtuſa lingua pronuncians*, de benè dicendi gloria & hominum exiſtimatione multùm perdidit.

Reprehenſi vulgò πλατυστομοῦντες.

Sed vt omittam imperia orbis terræ dicendo peragrare, hoc conſtat, nullum fuiſſe populum humanitatis ſtudioſum & elegantiæ, qui non eam latitudinem πλατυστομούντων ſuo iudicio repudiarit, & non fœdam in dicente reputauerit. Quid ea de re Galli ſenſerint, vel ex vno Gregorio Turonenſi licet diſcere, qui deſcribens hominem planum & ἀγείροντα, qui ementita ſpecie pietatis homines illudebat, inter ea quæ in homine vitioſiſſima fuerunt, *Erat*, inquit, *& ſermo ruſticus, & ipſius linguæ latitudo turpis & obſcæna.* Cæterùm hic næuus quamlibet diu conſuetudine inhæſerit, tolli poteſt, ſi modò adſit boni & periti doctoris copia, & ſtudium acre diligénſque exercitatio. Demoſthenes ille manu Gratiarum dolatus in expreſſam docti Mercurij effigiem, eam maculam habuiſſe aliquando videtur, quam vehemens aduerſarius illi obiicit, ita enim Æſchines, *ἀναβοᾷ παμμέγεθες Δημοσθένης, ὡς ἴσασι πάντες οἱ συμπρέσβεις ἡμῶν, καὶ γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς βοιωτίζει, vaſtè & immodicè boat Demoſthenes, vt ſciunt omnes qui in ea legatione nobis fuere collegæ, nam præter alia vitia Bœotos imitatur.* Nimirum Bœoti agreſtiores fuerunt in dicendo. Vnde id Luciani ἄγροικον τοῦτο εἴρηκας καὶ δεινῶς βοιωτικόν. Sed vir tantus Suadelæ dominus, qui iuuentuti ſignum eloquentiæ ſuſtulit, clariſſimo exemplo declarat, nihil eſſe tam vitioſum in pronunciatione, quod ſtudio & meditatione non poſſit elui.

Greg. Tur. l. 9. hiſt. Franc. c. 6.

Æſchin. or. περὶ παραπρεσβ.

Lucian. in Ioue Trag.

Latitudo literarum quando aſſumenda.

Neque tamen negandum eſt genus quoddam eſſe latitudinis, quod cum laude & ipſius cauſæ emolumento in quibuſdam nominibus adhibeatur: Sunt enim quædam ἐμφαντικώτερα, quæ niſi vaſtè quodammodo dilatentur, vim habere ſuam nequeunt, qua in re lucet maximè ipſius Oratoris iudicium, & ingenij ſplendor vim naturámque rerum intuentis. Cuiuſmodi plurima eſſe video, quæ ad vrgendum & reprehendendum: ad cohortandum, ad laudandum referri ſolent: quæ certo modo pronunciata, mirabilem vim habent ad permouendum. Pacuuius hanc animaduerſionem & notationem illuſtrabit,

illuſtrabit, vel hiſtrio potius qui Pacuuianam fabulam in ſcena exhibuit, nam meminiſtis illa ſpondalia,

Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi
Neque paternum aſpectum es veritus.

Cicer. 2. de Orat.

Quæ cùm Antonius lib. 2. de Orat. in permotionibus animorum explicandis adferret, nunquam, inquit, illud *aſpectum* dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filij videretur. Rectè quidem perfectiſſimus in agendo Roſcius in ea dictione hærebat, dilatando veluti ſyllabas, lentè, grauiter, certo quodam modo inflexa voce, ad Teucrum geſtu ipſo atque ſono percellendum. Hinc exiſtit illa geminatio & conduplicatio familiaris Oratorum, qua velut iterata petitione aduerſarium lacerant, ſed ita vt vis quædam maior in pronunciando accommodetur. Huiuſmodi eſt Ciceronianum illud in Catilinã. *Hic tamen viuit. viuit? imò etiam in Senatum venit.* In quo profectò fuit tractus quidam ſyllabarum, ardénſque prolatio iracundè & dolenter indignantis.

Nec minus locum habet illa ἐμφατικὴ actio in deploranda calamitate & rebus atrocioribus deſcribendis, quæ miſerabiles videantur, nam in vna interdum voce πάθος reperitur, vt in Miloniana, *Vbi nunc Senatus eſt quem ſecuti ſumus? vbi equites Romani illi, illi, inquam, tui?* &c. Sic in illis Verrina vltima, *Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrórque ſociorum*, &c. Non eſt dubium, quin grauior pronunciatio, verborum vim per ſe magnam auxerit. Nam canina illa litera R. toties in his verbis de induſtria ab Oratore quæſita, ſuapte quidem natura ſonat aſperiùs, præſertim cùm in eadem dictione multiplicatur, vt in *terror*, modus tamen efferendi valet plurimùm ad grauitatem exprimendam. Denique video M. Tullium certo conſilio πλατύστομον fuiſſe quodam loco in Vatinium artificioſè compoſito, dum à ſe naturæ duritiem aſperitatémque remouet. Verba eius ſunt hæc, *Scilicet aſpera mea natura difficiliſque aditus*, &c. Lata illa litera toties paucis in verbis inculcata, vaſtè pronunciata, eam de qua loquebatur aſperitatem potuit exprimere. Pari iudicio Poëtarum Coryphæus illa, *Arma amens capit.* Sed de re nota hæc ſatis.

Vis moræ in pronunciando.

DE TARDITATE ET LENTITV-dine in pronunciando.

CAPVT XVI.

SECTIO I. *Tarditas nimium lenta* βραδυγλώσσων. *Tractim dicere. ſtillare verba. irrorare. trutinari.* λέξις στάσιμος *Spientum. Cicero gradarius. Oratio è ſummis labris* νεκρά.

AD laudatam etiam pronunciationem, ſpectat illa moderatio, vt neque nimiæ celeritates adhibeantur, neque etiã nimis tarda & odioſa lentitudo. Hæc autem vitioſiſſima extrema duo vel à natura, vel à conſuetudine, vel inſtitutione & vanitate oriuntur, aut etiam infirmitate ingenij, & inſcita quadã affectatione. Quidam enim ſunt βραδύγλωσσοι, qui vbique hæreant & morentur, vt non modò ſingulas dictiones, verùm & ſyllabas numerare velle videantur atque expendere. Ij ſi ætas ingraueſcens, aut parta inclytis facinoribus autoritas, vel ὀρθοπνοία, morbúſque alius non excuſet, doctiſſimorum hominum opinione à dicendo repelluntur, quos nemo ſine incredibili faſtidio audire poteſt. Neceſſe enim eſt ingenioſiſſimos homines, quorum celeres motus ſunt ad intelligendum, elaborare vehementiſſimè in audiendo, & intimo in animo cruciari, cùm Orator ille ſemiſomnus & ſtupens, velut trochlea & machinatione, ſingula è pectore verba educit. Dignus profectò cui animoſior quidam è corona dicat, quod T. Vinicio exclamaſſe quendam ferunt ſingula verba vellenti tanquam dictaret non diceret, *Dic vel nunquam dicas*. Erat enim iſte Vinicius tardus omninò & cunctator, odioſiſſima mora in dicendo, & penè dicam ſtupore, de quo Aſellius interrogatus quemadmodum diceret, ait, *Tractim*. Sed Geminius Varius facundia notus & polito iudicio, grauiter, *Quomodo*, inquit, *iſtum diſertum dicatis, neſcio, tria verba non poteſt iungere*. Proſtant ſimilium hominum exempla in ſcriptis veterum, annaliúmque

monumentis, qui quaſi de induſtria vellent in hominum offenſionem incurrere, ita ſua pronunciandi lentitudine auditores ſæpè ſuos enecuerunt. Grunnius, vt autor eſt D. Hieronymus, *per interualla quædam vix pauca verba carpebat*. Sic politus Martialis luſit in Cinnam, S. Hieron. ep. 4.

Hoc agere eſt cauſas, hoc dicere Cinna diſerte
Horis Cinna decem, dicere verba nouem. Martial. l. 8. ep. 7.

Cn. Lentulus Augur & Orator, ſed Orator profectò malus, infans, & ineptus fuit, quem in foro cauſam agentem inertiſſimo ſtudio & torpore, inſigni omnes contumelia proſequebantur. Hic, vt ait Seneca, cùm eſſet auariſſimus, *nummos tamen citius emittebat quàm verba*, tanta illi inopia erat ſermonis. Et vt conſtet ſæpe homines cæcos amentia, aut magna ſui æſtimatione eſſe ſolere & confidentia: ille idem cum ſingulari beneuolentia Imperatoris auctus honore, & euocatus è familiæ ſordibus ad ampliſſimas opes fuiſſet, queri de Auguſto ſolebat, *à ſtudiis ſe abductum, nihil tantùm in ſe congeſtum eſſe, quantum perdidiſſet relicta eloquentia.* Huiuſmodi teſtudineos in dicendo, præſtantes eruditione viri *ſtillare verba* dicunt. Romanus ſapiens eleganter, *Vim dicendi aquè ſtillare nolo quàm currere*. Pari venuſtate *irrorare* quidam appellant, Autocabdali, inquit Athenæus, χέδην ἐπιῤῥαιγον ῥήσεις, *pedetentim ac lentè verba veluti irrorabant*. Sed iſtud maximè in illos conuenit, qui falſa grauitatis imitatione moratores inepti cunctando non tam reſtituunt rem, quàm æſtimationem profundunt. Neque enim ſingula modò verba, ſed literulas pænè omnes ponderant, & vt cum M. Varrone dicam, *ſtatera veluti auraria pendunt*, vnde etiam dicti vulgò *trutinari*. Elegantiſſimus piiſſimúſque Pater Hieronymus, *Nonnulli*, inquit, *rugata fronte, demiſſo ſupercilio, verbiſque trutinatis, autoritatem ſibi doctorum & iudicium tribuunt*. Sic Perſius,

Senec. l. 2. de benef. — Senec. ep. 40. — Athen. l. 14. — S. Hieron. in c. 4. ad Epheſ.

Atque exporrecto trutinantur verba labello. Perſ. ſat. 3.

Eſt tamen quædam lenta pronunciatio quæ ſpectat ad virtutem & commendationem, quæ nimirum grauitas quædam eſt compoſiti oris, non effuſi, non præcipitis, quod clarè & diſtinctè omnia pronunciet, haud obſcura prudentiæ ſignificatione. Quare omnium Philoſophorum longè dicendo & ſentiendo clariſſimus Ariſtoteles, φωνὴ βραδεῖα καὶ

Quãdo lẽta pronunciatio commendetur.

Ariſtot. in phyſiogn.

πνευματώδη, *vocem tardam ſpiritúſque plenam*, moderati hominis propriam eſſe putauit. Et alio quodam in loco viri animo magni & excellentis conditiones memorans, illius eſſe

L. 4. Ethic. ait, *λέξιν στάσιμον*, *ſtabilem ac ſedatam orationem*, *οὐδὲ σπευστικὸν εἶναι*, *nec feſtinare magnoperè ſolere*. Quo intuens opinor Seneca, apud Lucilium diſputans, de pronunciatione viri ſapientis, & maturo iudicio prædìti, re benè & exquiſitè conſiderata, *Summa*, inquit, *ſummarum hæc erit*, *tardiloquum te eſſe iubeo*. Et ne fortè opinione ſua decipi videatur, hoc dictum ſuum Marci Tullij exemplo, vt aureo ſigillo munit & exornat, illum enim eloquentiæ principem monet fuiſſe *gradarium*. Id bonum grauis & honeſtæ pronunciationis, in Pompeio Quintiano laudat etiam minor Plinius his verbis,

Plin. l. 9. ep. *Iam illa quanta probitas in ore? quanta in ſermone cunctatio? quam pari libra grauitas comitáſque?*

Languor & nauſea dicentis in vitio. Sed hæc granitas in dicendo, tum demum laudem habet, cœtúſque eruditi comprobationem, cùm languor abeſt, & nauſeantis Oratoris ſomnus, quæ labes alia eſt in quam multi præcipitant. Sunt enim quidam qui tam languidè omnia pronunciant, vt nullam vim habeat oratio ad tenendum auditorem, vt quæ tantùm ſummis è labris exeat, neque vlla animi contentione fulciatur. Cuiuſmodi orationem vir ſapientiſſimus Epictetus, *νεκρὰ*, *vita & motione carentem exanimémque* nuncupauit. Nam Sophiſtas aliquos vituperans, quod neminem ad decus & honeſtatem inducerent,

Arrian. l. 3. Diſſert. *Quæ cauſa eſt*, inquit, cur indocti homines, & ab eruditione imparati, in ſermonibus & perſuaſione efficaciores ſæpè quàm vos ſunt, ô Philoſophi? nimirùm illi protrita ſua & communia ex decreto & animi ſenſu proferunt, vos autem iſta nitida & elegantia, *ἀπὸ τῶν χειλῶν*, *à ſummis labris*, *διὰ τοῦτο ἄτονά ἐστι καὶ νεκρά*, *ideóque infirma ſunt & mortua*. Apud Iuriſconſultos illud eſt *perfuſoriè dicere*, leuiter & ſine attentione aut cura, quo modo *perfuſorias aſſertiones* vocauit Suetonius, ſummis labris prominentes, elumbes, ſine vi, ſine fide, ſine veritate. Abſit ergo ab intelligenti Oratore frigus, languor, & vitium nimiæ tar-

Fab. l. 11. c. 3. Senec. ep. 40. ditatis, quod, vt ait Quintilianus, *& difficultatem inueniendi fatetur*, *& ſegnitia ſoluit animos*, vel vt Seneca ani-

maduertit, *extendit aures*, vel vt ego ſentio, audientis animum excruciat.

Tarditates & moræ quædam ſæpe in dicendo laudabiliter adhibentur, in grauium rerum deſcriptionibus, in admiratione, in affectibus, &c.

SECTIO II.

VNVM reſtat quod in hoc genere moneam, eſſe nimirum iudicij docti & limati oratoris, vt quædam nonnunquam in pronunciando tarditates moræque ponantur. Fit illud maximè cùm rei grauitas & magnitudo, ſtupor, admiratio, miſerantis animi dolor, ſimileſque affectus ſunt declarandi. Poëta herous duos nobis eximio penicillo athletas pingit, & producit in arenam vaſtos & validos, compactos, toroſos, lacertoſos: ſed niſi adſint pronunciationis extrema veluti lineamenta & viui colores, minuetur ſplendor ingenioſi carminis, & ipſa quæ deſcribitur magnitudo decreſcet, *Tarda pronunciatio in rei magnitudine.*

Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertoſque,
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena. Virgil 5. Æneid.

Vbi in magnis & ſonantibus verbis tumidiſque lacertis, vox quoque intumeſcere aliqua ratione debet, quod facilè fieri poteſt in priore verſu, vbi grandium vocalium ſonus per ſe auget pronunciationem, quod iudicio ſingulari & mirabili artificio fecit poëta. Quæcunque tamen fuiſſent dictiones in huiuſmodi rei magnitudine deſcribenda, politi hominis recitatione, pondus quoddam & momentum eis adiungeretur: vt in illo Homerico paret, vbi eadem de Vlyſſe memorantur, ſed non tamen cum eodem ſtrepitu atque ſono, Odyſ. 18.

---- φαῖνε δὲ μηροὺς
Καλοὺς τε μεγάλους τε, φάνεν δέ οἱ εὐρέες ὦμοι
Στήθεά τε στιβαροί τε βραχίονες.

Illud εὐρέες ὦμοι longè abeſt ab illorum ſplendore & maieſtate, *magna oſſa lacertóſque*: tamen in eo quod antea mone-

bam grandeſcere vox debet, & illam veluti humerorum latitudinem explicare.

Mora pronunciationis in admiratione.

Ad ſtuporem & admirationem illa ſpectant, *Phrygia agmina circunſpexit.* Illud enim *circunſpexit*, vt lenta quadam oculorum & capitis circunductione, ſic tracta voce pronunciandum eſt. Huc illa pertinent de Verre in pulcherrimo Iouis Capitolini monumento exhorreſcente, quod Antiochus Syriæ moderator apparauerat, *Iſte clamare cœpit dignam rem eſſe regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio: etenim erat eo ſplendore qui ex clariſſimis & plurimis gemmis eſſe debebat*, &c. Res omnino videbitur longè ſplendidior, ſi vocis & actionis dignitate, & maieſtate quadam non indecora iuuetur.

Lenta pronunciatio in affectibus.

Denique eadem grauitas & lentitudo in quibuſdam affectibus, & præſertim in dolore & commiſeratione locum habet. Eſt enim ea natura doloris & ægritudinis, vt remittat animum atque debilitet, niſi iracundiæ vis adiungatur & deſperatio, quæ vires ſæpe ſolet exerere, animumque agitare. Dolor igitur commiſerationis plenus dicendi vim geſtúmque remittet & laxabit. Quod mihi quidem dubium nullum eſt, quin Orator magnus fecerit in Antonium, cùm illa diceret, *Haſta poſita pro æde Iouis Statoris, bona (miſerum me, conſumptis enim lacrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompei Magni voci acerbiſſimæ ſubiecta præconis*, &c. Et illa in Verrinis de Philodami ſupplicio, *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum & graue toti Aſiæ prouinciæ, grandis natu parens*, &c. Locus eſt perilluſtris, quem mihi totum ſi lubet excutite, ſic reperietis moras fuiſſe quaſdam in iis pronunciandis adhibitas ab oratore, quæ mirè ad permotionem animorum faciunt.

DE VOLVBILI ET INCITA-ta pronunciatione.

CAPVT XVII.

Verborum nimia volubilitas reprehenſa. Celeritate cæcata oratio. Sufflaminandus Orator. quando præſertim importuna celeritas. quæ ab ea oriuntur incommoda. quid agendum cùm anguſtior eſt ſpiritus, Tragœdorum in ea re prouidentia. SECTIO I.

DIxi de lentis, qui ſtrigoſi cantherij inſtar, ſpiſſo gradu eloquentiæ campum ineunt. Eſt aliud feruidorũ genus hominũ, quorum ταχυπέτεια eſt ſufflaminanda, qui cùm ſemel è portu ſoluerint, ita flatu ventóque feruntur, & intimi caloris agitatione, vt inhibere curſum nequeant, quandiu latũ æquor ſternitur materiáque dicendi. Eſt autem id vitium à grauitate ſapientum longè alienum, qui in dicẽdi moderatione & maturitate, prudentiæ partem atque iudicij poſitam eſſe putant. Nã ſi tantus eſt curſus, & ſic euolat oratio, nulla vt veſtigia relinquãtur, in quibus eorum qui audiunt mens & cogitatio hærere poſſit, liquidò patet, eum declamatorem tot ſuæ teſtes imprudentiæ temeritatiſque habiturum, quot præſentes ea dicendi ratione offenderit. Quorum iam mihi videre videor ſenſum animorum, tacitáque iudicia, reprehendentium eum impetũ tam promptũ furioſæ loquacitatis: qui eum toto quod aiunt pectore in earum rerum intelligẽtiam incubuerint, de quibus agitur, cùm omnes animi neruos adhibuerint, cùm mentẽ vt intentum arcum accõmodarint, id tantùm aſſequũtur, nihil vt intelligant, & vt tempus atque operam ſe perdidiſſe querãtur.

Et ſanè illud eſſe offenſionis pleniſſimum, experientia didici in homine literato eodémq; Doctore eloquentiæ, qui priuſquã in Academiæ lucẽ veniret, omniũ animos fama eruditionis & expectatione ſui cõpleuerat: & iure quidẽ: nã Græcorũ omnium ſupellectilẽ elegantéſque manubias vt ouãs quidã in

literis Imperator circumferebat. Sed vt euenit aliquando, minuit præſentia famam. Habuit orationem magno in cœtu & frequentia doctiſſimorum hominum, qui doctrinæ appetentes animos, & honeſtam audiendi cupiditatem attulerāt. Iam inde ab initio vſque ad finem, tam ardenti & ſubito curſu agitata eſt oratio, ita ambitus & verborum circunductiones, volubiliter & incitata linguæ motione deuoluebantur, ſic pręcipites ruebant periodi, vt cùm fuiſſet peroratum, nemo eſſet, qui rem ipſam vnius horæ curriculo expoſitam, memoria & cognitione aſſequeretur. Itaque gratiam quam non obſcuro nec tacito rumore & ſermone familiari collegerat, pæne totā ibi poſuit & effudit. Cur enim ad te audiendum me inuitas, ſi non vis intelligi? ſi tuam inter linguam, & crepitaculum molæ, nihil intereſt? ſi cùm ego ab auditorio diſceſſero, nihil referre queam, niſi me vanos ſine mente ſonos audiiſſe? M. Tullius huiuſmodi orationem *rapidam & celeritate cæcatam*, eleganter & veriſſimè nominat, quod nihil habeat lucis & ſplendoris ad eorum qui audiunt mentes illuminandas, & cognitione inſtruendas.

Cic. in Bru..

Cur rapida & volubilis ſit quorundam pronunciatio.

Hoc autem volucre dicendi genus & incitatum ſequi video quoſdam, iudicij tenuitate prudentiæque inopia, qui cùm habeant ingenium verſatile à natura, & effuſam linguæ volubilitatem, plenam inconſideratiſſimæ temeritatis, genio obſecundant ſuo, & tantùm incitatione prouehuntur, quantum ſpiritus & animi contentio ferre poteſt. Hos Cicero *furioſos* appellare ſolet, & eorum iſtam volubilitatem, leuem & irridendam.

Alij ſunt acres, incenſi, vehementes, qui ab ardore tanquam ferocientibus quadrigis per Circum vehuntur, neque animo imperare ſuo poſſunt. Qualem puto fuiſſe Q. Haterium è numero diſertorum, eloquentiæ quondam celebratæ, quē profluens habuiſſe dicendi genus & *impetu magis quā cura viguiſſe* ait Tacitus, prōptum & popularem oratorem vocat Euſebius. Seneca pater ſubitum illi orationis curſū tribuit, eundēq; reprehendit maturo iudicio Philoſophus his verbis, *Haterÿ curſum ſuis tēporibus Oratoris celeberrimi longe abeſſe ab homine ſano volo: nunquā dubitauit, nūquā intermiſit, ſemel incipiebat, ſemel deſinebat. Illū nimia feſtinatione præcipitātē cū videret Auguſtus Imperator, elegātiſſimo acroamate, Sufflaminādus*, inquit, *eſt noſter Haterius.*

Corn. Tacit. 4. Annot.

Senec. ep. 40.

Alij

Alij denique famæ & inanitatis aucupes, ea linguæ incitatione venditare ſe cupiunt, quod eloquentiam in celeritate poſitam eſſe putent. De quibus S. Hieronymus in hunc modum ſapienter admonet. *Verba voluere, & apud imperitum vulgus ſui admirationem facere, indoctorum hominum eſt. Nihil tam facile quàm vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit plus miratur.* Sed vndecunque tandem præpropera illa feſtinatio eueniat, certè non poteſt ſine multis & magnis incommodis accidere. Neque enim poteſt oratio quæ celeri flumine præteruolat, aut permouere animos eorum qui audiunt, aut docere, cùm minimè inſideat nec capiatur. Itaque Seneca Philoſophum quendam Serapionem vituperat, qui ſolebat magno curſu verba conuoluere, quod ſit viri ſapientis, pronunciationem, vt vitam, habere compoſitam, nihil autem ordinatum ſit, quod præcipitetur & properet: adeòque aſſerit, vim illam dicendi rapidam & abundantem, aptiorem videri circulanti, quam agenti rem magnam ac ſeriam. S. Hieron. ep. 2.

Et quidem ea linguæ nimia celeritas eo magis fugienda eſt, quo res illæ quæ dicuntur, & abſtruſiores ſunt, & eius momenti, vt percipi omnino expediat. Ad lapidem hunc impegit Olympiodorus Philoſophus Alexandrinus, qui cùm eſſet eloquentiſſimus & ſumma ingenij ſubtilitate, ob linguæ tamen volubilitatem rapidúmque orationis curſum, à paucis eruditæ ſcholæ auditoribus intelligebatur, vt ait Suidas. Quam eandem mereri notam illi mihi videntur Concionatores, qui in obſcuris de fide controuerſiis, & difficillimis quæſtionibus exponendis, aut morum inſtitutione piis animis commendanda, eam adhibent efferueſcentis & effuſæ linguæ velocitatem, quę fere omnium aures auidúmque animi fruſtretur: neque mihi perſuadeo, qui non ſatis idonei videantur ad docendum & permouendum auditorem, quæ duo palmaria ſunt in doctrina dicendi, in reliquo eloquentiæ apparatu illos aliquando magnos eximióſque futuros. *Quando maximè abſtinendũ à nimia celeritate.* Suidas.

Hinc ineptiæ oriuntur permultæ, paſtoritia fiſtula dignæ, & clamore concionis. Namque illi Pegaſo vecti oratores, qui fluentem & pręcipitem habent illam copiam nuſquam inſiſtentem, ſi quando vt fit memoria eos defecerit, vt ventus *Præcipitis & rapidæ pronunciationis incõmoda.*

ferens blandiénſque aura, ſubitò reſiſtunt, quæ mora ſolet eſſe in ea celeritate putidior, & fœdo famæ naufragio ad malæ gratiæ ſyrtes ſcopulóſque alliduntur. Adde quod ſpiritus animáque dicentis hunc tantæ concitationis laborem ferre diu non poſſit: quare in fine periodorum ſæpe vox & vires deficiunt, impedita & intercluſa reſpiratione. Quod illis euenire ſolet præcipuè, qui cùm ſint anguſtioris ſpiritus, longiſſimas habent in oratione periodos & circunductiones, vel qui confuſa & minimè liquida ſunt notione & intelligentia, & proinde inuolutam & laciniosam orationem proferunt, quaſi finem inchoatæ ſententiæ minùs reperire poſſe videantur; vel qui denique tanta ſunt inuentionis & rerum copia & vbertate, vt abundanti flumine verborum & ſententiarum dilatent omnia. Hi ſanè, vt aiebam, in medio ſæpe curſu deficiunt, priuſquã ad finem clauſularum, tanquam portum & ſtationem venire poſſint. Hinc dicentium creber anhelitus, ilium labor, & pulmonis continuo intenti & remiſſi fatigatio, vt non ſine cauſa feſtiuiſſimus Ariſtophanes dicat eos καταλεπτολογεῖν πλευμόνων ταλαιπόνον, quod elati vehementiſſima contentione, motu pæne furioſo pulmonem ſuum diuexent. Quod ſi primis temporibus Demoſthenes, magnam coronæ moleſtiam in dicendo procreabat, quod anima ſpiritúque foret anguſtiore, quæ πνεύματος κολοβότης, vt Plutarchi verbo vtar, ſenſum orationis perturbabat, & cogebat orantem διασπᾶσθαι τὰς περιόδους, *diuulſas & prope laceras comprehenſiones efferre*: quantam ſibi inuidiæ flammam & odium commouiſſet, ſi curſum illum fuiſſet & volubilitatem in pronunciando ſequutus?

Plutarch. in Demoſth.

Erit igitur conſilij atque prudentiæ, docta veluti manu habenas reducere, ſibi moderari, inconſideratum impetum cohibere, ſic omnino fiet, vt orator, inter ipſa membra dictionis, opportunè reſpiret, & cùm longior eſt enuntianda periodus, & diſtinctè proponenda, iaminde ab initio, tantum aëris & animæ concipiat, quantum ad finem vſque ſententiæ opus videbitur. Quo vſos olim artificio prouidentiáque Tragœdos peritos homines in agendo, Suidas egregiis ſuis monumentis prodidit, qui carmina prolixiora recitaturi, multum, inquit, prius hauriunt ſpiritum, itaque loqui incipiunt, vt ſuppetat quod expirent.

Suidas.

Laudatæ celeritatis in pronunciando modi quidam exponuntur & illuſtrantur. Cauendum in Epilogis, ne in orando celeritas plus nimio efferueſcat. SECT. II.

ATQVE hactenus quæ memorata à me ſunt, de frænando curſu orationis nimio & móderando, de tota oratione volo intelligi: nam contingit in parte ſæpiſſimè, vt incitanda celerandáque ſit oratio, & imprimis cùm explicantur res illæ, quæ celeri quodam curſu volubilique feruntur. *Qua data porta ruunt*, ſuapte vi celeriter effluit, vt & illud, *fugit irreparabile tempus*, faciliſque eſt pronunciatio, quæ ſi paulò fuerit concitatior, melius omnino vim iſtius impetus ad animos auditorum euehet. Mantuæ Vates qui facile Poëtis omnibus iudicio præſtitit, in eo genere fuit ſingularis, vt tarditates celeritatéſque negotiorum ipſa verſuum compoſitione aſſequeretur: in ſoluta oratione non ſunt quidem verba ſemper ita dimenſa, & exquiſito iudicio affabrefacta, vt ſono ipſo negotij conditionem aſſimulent, ſed politum oratoris iudicium cùm rem ipſam intuetur, ad eam ſe nonnunquam etiam accommodat.

Celeritas in proponenda rerum multitudine. Præterea vbi eſt geſtionum multitudo & rerum inſignium numerus, quæ inciſis multis & breuibus explicantur, artificij eſt clariſſimorum hominum iudicio celebrati, adhibere tum celeritatem in pronunciando, quæ mirificè iuuat, atque adeo efficit, vt ea tot & tanta, quæ Orator dicendo amplificat, aut ſingulari diligentia perfecta, aut plura etiam, quàm alioqui ſint, eſſe videantur. Hoc intimi artificij decus Latinæ eloquentiæ parens adhibuit in Pompei facinoribus prædicandis. Sic enim loquitur, *Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna reipubl.? Ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, miſtum ex ciuitatibus, atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſeruile, nauale bellum, varia & diuerſa genera & bellorum & hoſtium, non ſolùm geſta ab hoc vno, ſed etiam confecta*, &c. (Cic. pro leg. Manil.) Item illa in eadem oratione artificioſè compoſita, *Quis enim vnquam aut obeundi negotij, aut*

conſequendi quæſtus iudicio, tam breui tempore, tot loca adire, tantos curſus conficere potuit, quàm celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit? qui Siciliam adiit, Africam explorauit, inde Sardiniam cum claſſe venit, &c. *Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latéque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Hæc M. Tullius ſummo vt dixi artificio non modò pertexuit, verùm etiam pronunciandi genere pulchriora & mirabiliora perfecit. Pari modo, ſi quis acrem, promptum, paratum, & peritum in bello ducem cupiat exprimere, & in prælio vbique emicantem, ſic meo iudicio non inſulsè agere poſſet, Incredibile dictu eſt quanta celeritate prælium confecerit, hoſtes profligarit, victoriam ſit aſſecutus. Ipſe expeditus in equo, inſignibus armis collucens, Centuriones alloqui, animare milites, excurrere in hoſtem, obuios laceſſere, modo in principiis, modo in triariis eſſe, prouolare in cornua, regredi in aciem, haſtam vibrare, gladium diſtringere, & vt ita dicam cùm Poëta Græco ἀςέρ' ἐοικὼς in hoſtem fundi, fulminis in morem ire, ferro & acie fulgurare, tonare, protercere, vbique præſens, vbique victor & triumphator. Hic niſi expedita quædam & prompta in dicendo celeritas adhibeatur, ſi tractim atque languidè orator pronunciet, & peribit dictionis gratia, & ipſe quod maximè vult non aſſequetur. Sunt & quædam quæ tametſi velocitatem non ſignificant, curſu tamen quodam, & nonnulla incitatione pronunciantur, vt cùm multa congeruntur eo ſchemate, quod quidam repugnantibus doctis πλοκὴν, alij διαλλαγὴν nominant,

Quintil. l. 8. c. 3.

vt, *Mulier, tyranni ſæua crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia.* Et illud Ciceronis, *Quæro ab inimicis ſintne hæc inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta per me.* Hæc & huiuſmodi, ſi dicantur paulò vehementiùs atque celeriùs, ipſo velut ſtrepitu & dicendi modo, & plura & maiora quodammodo videbuntur.

Commotius dicere quãdo commodum.

Addo ad extremum, in re amplificanda & concitatione animorum, cùm poſt rei patefactam atrocitatem, vel magnitudinem explicatam, illa vis ardens adhibetur, quam δείνωσιν vocant, ſolere oratorem iam inflammatum in auxeſi dicere commotius, vt incenſa fortius vibret oratio, & illa grauiori

percuſſione vehementius in animos ingrediatur. Cuius rei ſuppeditant nobis exempla Verrinæ M. Tullij diuinum opus, in quo latet ouantis eloquentiæ triumphus, & huius artis choragium vniuerſum. Vnus iam occurrit locus in hanc rem perilluſtris, quem ſi lubet mecum recognoſcite, ita enim ſi bene memini improbiſſimam libidinoſi hominis cupiditatem ſcelúſque exagitat, *Tantane tuæ, Verres, libidines erunt, vt eas capere ac ſuſtinere non prouinciæ populi Ro. non nationes exteræ poſſint? Tune quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi ad nutum tuum præſtò fuerit, niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates non modò pacatæ, verùm etiam ſociorum atque amicorum, ad vim, atque ad arma confugient, vt abs ſe atque à liberis ſuis legati populi Ro. ſcelus atque libidinem propulſare poſſit?*

Sed cùm magnum iudicium admouendum ſit oratori, ne *Cauẽda ni-*
illa in orando celeritas plus nimio efferueſcat, tum maximè *mia celeri-*
id prouidendum in peroratione. Eſt enim hoc in natura inſi- *tas in Epi-*
tum, vt qui ſpiſſo difficilíque labore premuntur, tum exi- *logo.*
liant veluti liberius atque geſtiant, cùm accedunt ad finem. Naturæ vim cernimus in lapide & prono lapſu rerum grauium, quæ quo magis ad definitum quietis locum accedunt, eo celerius feruntur. Sic Nautæ portum intuentes cantu & lætitia moliuntur alacriúſque pertendunt. Sic qui magno æſtu honoris & gloriæ decurrit in Circo, incredibili factionum contentione, quo magis metæ appropinquat, eo rapitur vehementius, & equorum velocitatem incendit. Hinc docti viri *νύσσαι*, hoc eſt metam, dictam fuiſſe volunt, ἀπὸ τοῦ ἐλθόντας καθ' αὐτὴν νύσσειν τοὺς ἵππους, *quod ij qui ad eam tendunt, calcaribus incitare ſoleant equos ad vehementiorem curſum.* Sed pro fræno calcaribúſque data oratori fuit diuinitus ratio, quæ ſic reget & moderabitur illum curſum, nihil vt eueniat quod iuſtè auditorum offenſionem notámque mereatur.

DE PRONVNCIATIONE leni & ſuaui.

CAP. XVIII.

Multa veteres machinati ſunt propter ſuauitatem. horridior ſtylus eidem obeſt.

Cic.5.Tuſc. Nonius. INTER ea quæ Euryclia laudat Vlyſſis pedes abluens, fuit lenitudo orationis : rectè quidem : nam cùm eſſet Orator plenus & perfectus, cuius copiam ſingularem in dicendo, magnus Vates præconio ſuo cohoneſtauiſſet, non debuit carere ſuauitate, quam ego ſummum & diuinum quoddam pronunciationis ornamentum eſſe puto. Quod magnus vir Seneca effato quodam ſuo comprobaſſe mihi videtur, Senec.ep. 100. *Habet*, inquit, *iſta res ſuam gratiam, & eſt decor proprius orationis leniter lapſæ.* In ea dote facundiæ comparanda, heroes ſane illos, qui cæteris bene dicendi laude præſtiterunt, incubuiſſe diligenter video, quique eſſent bonum illud conſecuti, ſcriptorum omnium voce laudatos. Id quidem ſpectabat vnum Alcibiades, quem cùm multa eximiè apud ſuos commendarent, notæ proſapiæ dignitas, opulentia, in præliis fortitudo, ſtudium amicorum atque familiarium, Plutarch.in Alcib. tamen ἀπ' οὐδενὸς ἠξίου μᾶλλον ἢ τῆς τοῦ λόγου χάριτος ἰσχύειν ἐν τοῖς πολλοῖς, *ex nulla re magis, quàm è dicendi ſuauitate & lepore, ad plebem valere cupiebat*, vt autor eſt Plutarchus. Sciebat enim in Pericle, quem propter eloquentiæ magnitudinem, Olympium vulgò omnes indigitabant, fuiſſe laudatam, Idem in Pericl. τήν τε φωνὴν ἡδεῖαν οὖσαν αὐτοῦ, καὶ τὴν γλῶσσαν εὔτροχον ἐν τῷ διαλέγεσθαι, *vocis eius ſuauitatem, linguámque in dicendo rotundam & volubilem, & nuſquam adhæreſcentem.* Itaque Plinius qui familiam hominum eloquentium æuo ſuo duxit, Euphratem laudans mirificum hominem, in dicendo & docendo clarum, *Sermo*, inquit, *dulcis imprimis, & qui repugnan-*

tes quoque ducat & impellat.

Ad hanc autem machinandam ſuauitatem, multa veteres in pronunciando excogitarunt, vt Rhetorici etiam doctores monere ſolent. Nam quarundam vocalium concurſum fugiendum eſſe docebant, ne inſuauis & hiulca fieret oratio, & literas veluti duriores aut omnino eiiciebant, aut certè oris ductu & pronuntiationis dulcitudine molliebant. Sic S. literam vt ſibilantem ſæpe extritam fuiſſe videmus, vt in eo, *Vita illa dignu' locóque*. M. item ſuauitatis cauſa, vel tolli, vel commutari conſueuiſſe memoriæ proditum eſt ab eruditis. Quo modo Cato Cenſorius *die' hanc*, M. in E. mollito proferebat. In his autem *Multum ille*, & *quantum erat*, non eximitur, ſed obſcuratur, *adeo vt pæne cuiuſdam noua literæ ſonum reddat*, ait Quintilianus. Quæ & ſimilia quæ vberius hîc adferri à me poſſent, declarant hanc dulcem literarum appellationem, & loquendi ſuauitatem, barbatis illis prudentia longe clariſſimis vehementer placuiſſe.

Studiũ ſuauitatis in pronũciando apud veteres.

Fab.l.9.c 4.

Neque tamen ea diligentia popria tantùm fuit Romanorum, ſed aliarum quoque gentium, in quibus viguit humanitas, & elegantia, & ingenuarum artium cognitio, quæ literas mutant, emolliunt, & certo quodam ſono illiniunt, quo iucundius ad eruditum aurium iudicium Oratoris ſermo accidat. Certe in Gallia huius rei clariſſima & communia exempla ſuppeditant: nam qui pauonem exempli gratia vult dicere, *paon* ſcribit, pronunciat autem ſyllaba vna *pan*, & pro *faon*, *fan*, litera O eiecta, quod ſermonis quotidiani vſus, & doctorum hominum animaduerſio notauit, grandes illas ſonantéſque vocales A & O, collidi inter ſe vaſtius & concurrere. Sic gladium ſiue ſpatam nominamus, *eſpée*, ſed ita pronunciamus vt illud S. minimè audiatur, quod plurimùm lenitati obſuiſſet. Itaque M. Tullius qui in Oratore ſuo perfecto ſuis coloribus adumbrando, locum hunc diuinè tractauit, impetratum ait fuiſſe à conſuetudine, vt peccare ſuauitatis cauſa liceret. Subdit autem, *& pomeridianas quadrigas, quàm poſtmeridianas libentius dixerim, & mehercule quàm mehercules. Non ſcire quidem, barbarum iam videtur, neſcire dulcius. Ipſum meridiem, cur non medidiem? credo quod erat inſuauius.*

Galli amãtes ſuauitatis in pronunc.

Cic.in Or.

Hæc eo à me adducuntur, vt intelligamus, quàm ſit in commune prouidendum omnibus, qui verſari in luce reipubl. cum laude volunt, vt ſectentur eam prolationem dictionum, quæ ſuauitatis plurimùm habeat & iudicij, vt nullum genus aſperitatis, nihil hians, ruſticum & turbulentum, nihil obſtreperum à dicente vel incompoſitum audiatur. Quare peccant in dicendo maximè, qui quod vetuit L. Craſſus doctor optimus *verba grauius anhelata proferunt*. In eadem etiam naui circumuehuntur, qui pro litera V. digamma Æolicum adhibent, & pro *vulgus*, *Fulgus* pronunciant. Huiuſmodi ſunt ineptiæ multæ, quæ gratiam eloquentiæ deuenuſtent, & quod facile quiuis intelligat, ſuauitatem, pronunciationis bonæ lumen extinguant.

Quæ ſuaui pronunciationi obſint.

Idem quoque euenire neceſſe eſt iis hominibus, quorum natio bene magna his temporibus extitit, qui dicendi nouum quoddam genus inducunt hominum ſenſibus ac mentibus minimè accommodatum, obſtrepens auribus, durum, inconcinnum atque plenum aſperitatis. M. Tullium alióſque ſimiles, qui flumine orationis illo vberi & copioſo, & dicendi ſuauitate ſummam gloriam conſecuti ſunt, pro nihilo habent atque deſpiciunt, elegantiam & leporem oderunt. Itaque apud illos nihil iunctum & cohærens & æquabiliter fuſum, nulli ambitus & circunductiones ſuauibus numeris vinciuntur, ſed proiectæ mutilæqûe iacent, horrorem amant & orationis duritatem: verba repetunt è Saliari carmine obſoleta quædam, & vt verbo vtar Luciani, εὐρῶτος καὶ ἀραχνίων μεστὰ, *ſitu & araneis oppleta*, vel vt Sophiſtas ludens ait Themiſtius μορμολύκεια, *verborum prodigia*. quidpiam etiam è Varronis Catoníſque penu ruſticano hauriunt: Tertulliani teſqua, Ammiani Marcellini ſcabra, Apuleiani aſini carduos diligenter colligunt atque inferciunt, & floſculos putant. Eſt plane genus dicendi exuccum & exangue, latrans, colliſum, diſſipatum, quod illi tamen doctum & ſublime, & ſine ornatu & dignitate, ipſa triſtitia & ſeueritate formoſum & grande arbitrantur. Nuper legi eiuſmodi quandam orationem, non totam, quî enim id fieri potuiſſet?

Durioris ſtyli amatores ſuauitatis inimici.

Lucian. in Pſeudolog. Themiſt. or. 1.

ita me

ita me Deus amet vt pæne anginam in fauces induxerit, ſic angunt & lacerant colluctantia inter ſe vocabula dum funduntur. Nam in eo textu impolito, ſubſultant imparibus ſonis dictiones, comploſione ſyllabarum inæquali & membrorum: claudicat, ruit, & iactatur variè oratio, os nitendo & ructando laborat, ſcabritie aures teruntur & peruelluntur. Verè appelles *Muſarum aridum & exſiccatum cadauer, luſciniarum febrim, Plutonis hymnum*, quod acutus Poëta Phrynichus de Muſico non bono dicebat. Athen.; Hoc ſi nonnunquam & tantum in parte ab illis adhiberetur, eſſet ferendum: nam illæ vmbræ, vt in pictura, cæteris lucem & dignitatem fortè quandam adiungerent. Nunc verò ſui ſimiles, tametſi operosè quidem illud, in opere omni eſſe cupiunt: quaſi anhelantes per deuios calles, via ſalebroſa & impedita Stymphalidas inſequerentur volucres, perpetuo ſonitu crotalorum & crepitaculis illis ſuis vtuntur. Hi ſanè tam vehementes, tam horridi, támque elati Oratores quonam modo dulcem in pronunciando ſuauitatem exhibere queant, non video: & vt minimum dicam, longiſſimè abſunt ab Enniano Oratore ſuauiloquente, & ab illa Catuli gloria & exiſtimatione, de quo memini hæc me legere apud Ciceronem, *Suauitas vocis in Catulo & lenis appellatio literarum, benè loquendi famam confecerat.* Cic. in Brut. Nam cùm dura & impolita & aſpera eſt oratio, neceſſe eſt vt cum Sidonio Apollinari dicam, *Orationem ſalebroſas paſſam iuncturas, per cameram palati volutatam balbutire.* Sidon. l. 4. ep.

DIGRESSIO DE STYLO ET dicendi charactere.

CAPVT XIX.

SECTIO I.

Durum aſperúmque genus orationis videri fortius atque magnificentius: dulcis autem compoſitionis ornatum eſſe puerilem.

HÆc cùm dixiſſet Theodorus, alia quædam in eam rem additurus omnino fuiſſet, ni occuriſſet Honoratus, cui dudum aura iſtius nouitatis in ſtylo afflauerat: quanquam ille quidem iam mutata velificatione ab eo conſilio aſperandæ orationis deſciuiſſet, ſed voluit tamen ficta eorum oppugnatione quæ à Theodoro fuiſſent allata, intimum eius animum de forma & dicendi charactere plenius cognoſcere. Sic igitur cœpit.

Etſi minimè interpellandus tuus ille curſus videtur, Theodore doctiſſime, tamen ignoſces ſi morabor paucis. Fateor me probare plurimùm tuam in dicendo ſuauitatem, quam video eruditiſſimis hominibus, qui te loquentem audierunt, tã valde placuiſſe. Eſt enim orationis tuæ filum, vt ingenuè dicam, aureum, & gemmea compoſitio, ſanè coloribus Iſocrateis picturata, è qua laudem quam cœperis hactenus, quámque feres, non eſt meum iam dicere. Sed tu idem opinor intelligis, non eſſe illum vnum orãdi modum in laude ponendum, nec etiam fortè optimum: & eſſe multos, & fuiſſe aliquando viros doctiſſimos optimis artibus & ſtudiis eruditos, qui funditus illum repudiarent. Romæ quondam in eo Imperij domicilio Afer Domitius grandis orator & vehemens, & ſubtili quadam ratione limatus, quem Fabius Quintilianus ſæpè in foro dicentem audiit, magna laude, ſumma omnium admiratione, ſic orationis robur & duritiem amauit, vt tantùm aſperandæ compoſitionis gratia, verba traiiceret, clauſulas obſcuriores eſſe vellet, & abſque numeris atque lenitate fluentium pedum he-

Fab. l. 9. c. 4

betiores. Non paucos ſuæ opinionis ſectatores habuit, aut ſocios aut æmulos ſtudiorum atque doctrinæ, qui omnem compoſitionis curam, & exquiſitum ornatum excluderent, atque illum horridum ſermonem, vt fortè effluxiſſet, modò magis naturalem, modò etiam magis virilem eſſe contenderent. In quo mihi quod fortuitam tantùm orationem & inconſiderato impetu fuſam probarint, minus audiendi, quod verò floſculos illos obſoletos pompámque reſpuerint, non laudandi modò, verùm & ſequendi videntur. Eſt enim peruulgatum iam nimiũ & commune totum illud orationis genus, molle, tenerum & pellucens, atque vmbratile, quod in ſcholis pæne omnibus dominari iam video, quodque ſuperiori æuo Manutius, Muretus, Perpinianus, & alij quidam in dicendo ſuaues tantùm non diuorum linguam eſſe voluerunt: ſed hæc quæſo non tam eorũ qui Ciceroniani & dici & eſſe voluerunt, reprehenſionis cauſa, quam ipſius veritatis, dicta eſſe putatote. Illa, inquã, iuuenilis compoſitio fluens & ſoluta, & cyclade veluti fœminea variegata, cõmuni iam intelligentium hominum iudicio, plurimũ abeſt ab ea grauitate & amplitudine, quæ in magnis & publicis negotiis locum habet. Illi cincinni μυροβρεχεῖς orationis, quos Auguſtus delicato Mæcenati obiiciebat, iam Mercurij facundi imperio & animaduerſione defluxerunt. Aliud dicẽdi genus modo quęritur ſanguine plenũ, forte, vehemẽs, auſterũ, aculeatum, & vt dicam quod palmarium eſt, magis eruditum, & interioribus è literis hauſtum & depromptum: aliæ viæ nũc ſunt, aliæ regiones ineundæ ad eloquentiam, quam ego lubẽs cum Heſiodea Virtute in aſperis ſaxis atque pendentibus, via difficili atque ardua poſuerim. Illa quæ fertur per loca plana & læuia oratio, compta & polita, muliebri mundo luxurians puſionum exercitationi relinquatur. Neque enim ſine ratione videtur ille togatus ſapiens nominauiſſe illos ſtolidos,

Sueton. in Octau. c. 86

---qui magis admirantur amantque
Veráque conſtituunt, quæ bellè tangere poſſunt
Aures, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

Fortunatus è Macedonia ductor Alexander venit aliquando Ilium vrbem olim Aſiæ florentiſſimam, quæ tum etiam priſcæ dignitatis quædam veſtigia decoráque retinebat. Dum luſtrat cupidè omnia, dum Heroum monumenta præterit, &

tam inclyti poſt hominum memoriam dominatus reliquias: vir è prima nobilitate cultu & ſpecie auguſtior, vt viſendum quidpiam atque diuinum, ſpecioſiſſimam è theca lyram eduxit auro & ebore fulgentem, ad quam puer regius Paris mollia carmina cecinisſet. Ille rem nihili pendens, Quam vellem, inquit, mihi Achillis teſtudinem obtuliſſetis, qua virorum fortium laudes & facta celebrauit. Nam Paridis quidem illa quid ſonuit aliud quàm μέλη μοιχικὰ, dulcia furta, blandas nequitias, Venerios triumphos? Hunc animi magni ſenſum, hoc incoctum generoſo pectus honeſto lubet induere, Theodore; muta iaceat Priameia illa teſtudo & tumulo clauſa teneatur: è conuentu literatorum exterminetur illa dictionis laſciuia, haſta & gladio pugnans Achilles Martium quiddam atque magnanimum reſonans excitetur, qui glorioſis facinoribus hominum animos exterreat, & reluctantes, acerrima copia dictionis vi capiat & triumphet. Nam illi quidem quibus mel merum in lingua eſt, mollium ſermonum vt dulciculæ potionis audi, quique vt in Mimo, crepantes auro ſinus atque monilia, & omnes orationis diuitias colligunt, mihi videntur haud diſſimiles Argonautis, qui cùm Herculem robur & firmamentum expeditionis ſuæ reliquiſſent, ad meretriculæ ſe blanditias & lenocinia contulerunt. Sic eliſis conſtantiæ neruis & repudiata grauitate, quidam vinnuli & venuſtuli Oratores, vt in aureæ Medeæ ſinum ore niueo blandientis, ad tenerum illud dicendi genus confugiunt. Vnum modò Ciceronem quidam mirantur, ſcio: illum in æde Camœnarũ, vna cum Hercule μυσαγέτῃ, diuinis propè religionibus conſecrandum hominum beneuolentia putant: conſeruandis illius ingenij monumentis, ſcrinium illud Darij pretioſum, gemmis illuſum clariſſimis, & multo vnionum ſplendore diſtinctum, quod Poëtæ ſuo dabat Alexander, potiori quodam iure tribuendum aiunt. Dicere non poſſum cauſam fuiſſe nullam, cur benè cupiant viro patriæ ſuæ amantiſſimo, Oratori etiam bono & præſtanti. Nam quidquid eſſe potuit verbis elegans & politum, ſententiarum luminibus inſigne, concinnitudine floridum, veneribus leporibúſque ſuaue, copia diues, numeris dulce & iucundum,

Ælian. in Var.

& figuris illuminatum, id omne velut quidam inſtitor eloquentiæ, intuendum admirandúmque propoſuit. Sed qui tamen æqui rerum æſtimatores fuerunt, ſic opinantur, non Senatus eum ſapientis, & præſtabili ſcientia hominum, ſed potius indoctæ multitudinis & populi Oratorem exiſtimandum. Iactatenim ſeſe in concionibus, floſculos orationis carpit vndique & conſectatur puerili quodam ſtudio, & vt in ſcena, modulata oratione atque numeris captataurium oblectationem, túmque pulchrum ac beatum ſe putat, ſibíque placet vehementer quaſi in diuino & exquiſito genere dicendi, cùm millies illud, *eſſe videatur*, in clauſulis periodorum effuderit. Quare Brutus datis ad eum literis, mox Caluus eadem ætate iudicio præſtanti atque doctrina, nimiam eius in comenda ſtruendáque oratione diligentiam, tum redundantem & ſupereffluentem in dicendo copiam reprehenderunt, cùm illũ dicerent, & in repetitionibus nimium, & in compoſitione fractum, exultantem, ac pænè viro molliorem. Inter Patres diuinæ mentis internuncios & Chriſtianæ pietatis lumina, qui nobis ingenij ſui monumenta reliquerunt, vix vllus meo iudicio reperietur Gregorio Nazianzeno viro ſanctiſſimo lingua & mente ornatior, quíque omnes orationis copias luculentius elegantiúſque oſtentarit; tamen hunc næuum eloquentiæ ſuæ inhærentem vix abundanti illo flumine vberrimæ dictionis potuit eluere, quòd tum illi quos habuit gloriæ æmulos & dignitatis, eius ſermones *meretricios* appellarent, hoc eſt, molles, veluti purpuriſſa litos, illecebra blanda voluptatis animos illicientes. Lege tu mihi Tertullianum Chriſtianum Oratorem immortali gloria digniſſimum, cuius effatis aureiſque dictis, ſcholæ, pulpita, foríque ſubſellia, diſputationem ſuarum pompam exornant: virum dices eúmque fortem & robuſtum, vel potius triumphalem. Nihil vehementius dici aut cogitari poteſt, nihil pugnacius, nihil magnificentius, nihil quod magis neruos habeat aut lacertos. Illa Demoſthenis epicheremata contorta valentius & emiſſà, in hoc magno & cœleſti fragore, profectò iacent & langueſcunt, tantùm abeſt vt Tullianus ille color fuco delibutus in hoc ſole appareat. Siue Scapulam, vir magnanimus, ſeu Praxeam vr-

Tacit. de Orat.

Fab. l. 9. & l. 12. c. 10.

Greg. Naz. orat. 32.

get, ſeu Marcionem, cæteráſque fidei peſtes, mirantur ſubitò ſe quot verbis, tot aculeis, tot iaculis, tot fulminibus vndique peti, pungi, cruentari. Itaque cœtus illi hæreticorum immanes & perfidioſi, qui in perniciem Chriſtianæ religionis coibant, vt Ioue tonante Romana Comitia, ſic Tertulliano fulgurante & tonante diſiiciebantur. Quare dolebam cùm tu paulò antè Theodore diceres hunc & alios quoſdam è Libya ſcriptores in hac hominum elegantia qui imperium literarum poſſident, haberi duros, malè pexos, impolitos, & quod eſt longè grauius, exanguia muſarum cadauera horrifico ſonitu frementia. Ego verò haud dubitem illos pronunciare ſonoros, altos, grandiloquos, verenda quadam maieſtate pleniſſimos, & vt breui dicam, eloquentiæ Dictatores, qui omnium audientium animos ſine prouocatione imperio ſuo teneant & gubernent, qui cùm loqui cœperint, minuti illi Ciceroniani de foro Ædiles, taceant oportet, & ſe nullum habere ius vocémque fateantur. Neque enim ignoras, illa compoſitionis δυσφωνία cum verborum & ſententiarum grauitate copulata, quantam vim & facultatem habeat ad magnitudinem conciliandam: quod ſi negares, ad illuſtrium hominum Commentarios te mitterem, qui conquiſitis ſummorum Poëtarum exemplis illud ipſum illuminauerunt. Quibus ego poſſem hîc adiungere viros omni exceptione maiores, ingenio & prudentia ornatos, qui dicendi modum cothurnatum, à communi dicendi ratione alienum, ſublimitate heroicum, verborum ea quam dicis colluctatione auſterum & ſonorum tenuerunt, cui cùm virilis deinde pronunciatio accederet, animi & ardoris pleniſſima, nihil eſſe videbatur, quod dicendo non perficerent. Talis fuit Cato ſapiens, in cuius dictione atque ſtylo nihil iuuenile videbatur, nihil fucatum, nihil pictum aut teneritudine emollitum; quippe fuit eius oratio, vt nobilis ſcriptor meminit, ὄρθιος, καὶ περιπληθὴς, καὶ τραχὺς, *elata, plena, aſperáque*. De Demetrio loquens Seneca in omni genere eruditionis perfecto, virum nominat *exactæ ſapientiæ, eloquentiæ verò eius quæ res fortiſſimas deceat*, non concinnatæ, nec in verba ſollicitæ, ſed ingenti animo prout impetus tulit res ſuas proſequentis.

Cæl. l. 13. c. 7.

Plutarc. in Caton.

Senec. l. 7. de benef.

Continuatio diſputationis: quid magni viri ſenſerint de molli, compto, & exquiſitiùs ornato genere dictionis. SECTIO II.

QVOD ſi hæc fortè ſapientiæ tuæ minus, Theodore, ſatisfaciant, qui diuinioribus artibus & Theologiæ aſſueuiſti, Gallum mihi Theologum audi Proſperum eundémque eloquentia præſtantem, & eximia quadam virtute, qui non modò Aquitaniæ lumen fuit, ſed Catholicæ Religionis vniuerſæ, *Prudentibus*, inquit, *viris, non placent phalerata, ſed fortia.* Reddit paulò pòſt rationem, *Sententiarum enim viuacitatem ſermo ex induſtria cultus eneruat.* Quare Græci meo iudicio ſapienter, Mercurium quem λόγιον & eloquentiæ præſidem indigitabant, eundem ἐναγώνιον appellarunt, interprete Nazianzeno doctore clariſſimo, *αὐτόνον τοῦ λόγου, à vi maximè & dicendi contentione*, cùm ſignificare opinor vellent, id diuinum eſſe orationis genus, & maximè accommodatum ad perſuadendum, quod impetu & ſtrepitu quodam auguſto emitteretur. Quid igitur cauſæ eſſe poteſt, cur eam dicendi rationem, propriam ſapientum, & verè dicam heroum maieſtati conuenientem, grandem, horridulam, exaggeratam, contemnere debeamus, vt imbellem illam ceruſſatam, & vt Mangonum artificio vulſam & politã ſuauiemur? Nihilne diſertum & oratoriè dictum fuerit, niſi exactum ad Nizolij obruſam, niſi è phraſibus Manutianis velut amœniſſimo è prato, texta fuiſſe corolla videatur? Atqui Samium Pythagoram dixiſſe aiunt, qui illius vitam memoriæ commendauerunt, *eſſe Muſas Sirenibus anteferendas.* Quod effatum religionis interpres clariſſimus Theodoretus ſic exponit, vt per Sirenes compti ſint & lepidi, delicatique ſermones capiendi, per Muſas illi qui ſine fuco nudam veritatis effigiem præferant. Abſcindantur iſtis Sirenibus alæ ne vagentur, quod à Muſis olim fuiſſe factum, doctis fabulis ingenioſi viri prodiderunt: aſpernemur hanc meretricio cultu atque monilibus oneratam & laſciuientem eloquentiam,

Proſp. de vit. cont. l. 3.

Greg Naz. or. 4.

Theodoret. lib. 8. de Græc. affe.

quæ profectò neque pætis nos oculis veneribúſque ſuis decipiet, nec medicato poculo inebriabit, ſi cogitemus, quid prudentiæ & inſignium artium antiſtites de molliſſimo illo dicendi genere cogitauerint, quid ſenſerint, quid etiam doctiſſimis ſuis monumentis conſignarint. Feſtiuè quidem ſed conſideratè omninò Diogenes orationem ad gratiam & le-
Laert. l. 6. nocinium elaboratam, μελιτίνην ἀγχόνην, *laqueum melleum* eſ-
ſe dixit. Fabius Quintilianus exiſtimator earum rerum in-
Fab. l. 5. c. 12. telligens, *libidinoſam eloquentiam* nominauit, quæ ſuauiter animos & flagitioſiſſimè titillet, & ingenuæ mentis robur
Laert. in Zenon. infringat. Zeno elegantium hominum ſermones Alexandrinæ pecuniæ ſimiles eſſe aiebat, nam iucundos quidem oculis atque pictos monetæ inſtar, nihilo tamen eſſe meliores. Seneca verò, quem Philoſophiæ ducem alta & magnifica ſentientem coluit Italia, coniecturam ex oratione capi de vita certam & dilucidam poſſe putat: eóſque pronunciat effœminatos luxu & mollitie diffluentes, quorum dictio fuerit nitida, dulcibus numeris compoſita, exquiſitiúſque tor-
Senec. ep. 115. nata. Nam de forma & orationis colore præcipiens, Lucilium ſuum ita monet: *Noſti complures iuuenes barba & coma nitidos, de capſula totos: nihil ab illis ſperaueris forte, nihil ſolidum. Oratio vultus animi eſt: ſi circuntonſa eſt & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum virile, concinnitas.* Iam verò ſi ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres intueamur, vitæ innocentia mirabiles, omnium artium excellentia præditos, & imprimis germina eloquentia perfectos, qui bene ſentiendi vias nobis reliquerunt: an reperietur omnium vllus, qui non βοστρύχοις orationis μυροβρεχεῖς, & luxuriantes illas gemmulas orantium, aut illuſerit, aut ſapientis linguæ aculeis pu-
Greg Naz. orat. 3. pugerit? Gregorius Nazianzenus vocat eos κομψὰ λαρυγγίζοντας; *ſcita ſonoro gutture funditantes.* Clemens Alexandrinus
Clem. Strom. l. 1. in opere variegato, γαργαλίζοντας οὐκ ἀνδρικῶς τὰς ἀκοάς, *non ſat viriliter aures titillantes.* Gregorius Nyſſenus vir eloquens
Nyſſen. or. 12. in Euno. & acerrimo iudicio κατορχουμένους τῷ κρότῳ τῶν λεξειδίων καὶ
S. Chryſo hom 19. ad pop Ant. εἰσαστευΐζοντας τοῖς ῥήμασι, *laſciuientes ſono verbulorum & petulanti quadam voluptate luxuriantes.* Sanctus Ioannes cuius aureum os, argentea lucet veritate, componit linguam eorum diſerto-

diſertorum cum gladio, cuius capulus ſit argenteus, lamina verò quouis plũbo lentior hebetiórque videatur. Cyrillus acer in Iulianum perfidia nobilem, confert cum eo, qui helleborum aureo conchleari propinat. Deficeret me dies eos omnes numerantẽ religionis principes, qui, vt dicam cum eruditiſſimo Hieronymo, *tinnula Rhetorum verba*, modulóſque dulcium vocum, & bracteas orationis vituperant. Quo magis mirũm eſſe debet reperiri quoſdam maximarum rerum apud populum interpretes, quorum oratio, vt quidam vir doctiſſimus animaduertit, quæ non compta ac calamiſtrata, ſed grauitatis, autoritatis, ac ſanctimoniæ plena eſſe deberet, tota papauere ac ſeſamo ſparſa eſt, & ex mellitis verborum contexta globulis: ſic vt ad eos non tanquam vitæ magiſtros aut vitiorum correctores, ſed tanquam ad Comœdos aut hiſtriones eatur. Nam vbi audientium lacrymæ? vbi animus turpitudine vitiorum obſtupefactus? vbi ardor ad virtutem? vbi reliquus fructus pietatis & religionis, quem Vatum prædictiones atque oracula ſignificant? vbi denique illi mallei concionum, petras quaſſu & violentia conterentes? Petræ, petræ, inquam, obduratorum hominum, & in ſententia hærentium, ferri acie, & omni laterum contentione excidendæ ſunt, quod non dulcibus his poppyſinis, ſed malleis, non lactea vena eloquentiæ, ſed Pœnorum aceto magni viri conſequuntur. Itaque, vt Plato à ſua politia modulationem omnem repudiat & eiicit, quam Lydiam, quámque Ioniam vocabant, mollem vtramque & effœminatam, Doricam probat grauem & ſeueram fortiſſimis hominibus conuenientem, & in militia generoſis: Ita vellem eas omnes delitias exterminatas & lenocinia compreſſa, quibus noſtri iam Oratores puerili more gloriantur, vt Lacedæmoniorum Caſtoreum & orthium cantum exciperemus, bellicis adoreis aptum & eloquentiæ generoſæ. Hoc votum æquè puto eſſe dignum ſapientia tua, Theodore; & quemádmodum cùm Xerxes innumerabiles hominum copias in Græciam exportaſſet, Corinthiorum nobiliſſimæ dicuntur matronæ memorandam illam precationem Veneri obtuliſſe, ſuis vt viris bellandi ardorem cùm barbarorum influentibus copiis immitteret: ita omnes literis & humanitate politi, in hoc Perſarum veluti apparatu & luxurie ora-

Cyril. l. 2. in Iulian.

Muret. in Senec.

Plut. l. 3. de republ.

tionis, quam vident Attica pæne omni impunè volitare, Suadam Gratiáſque omnes orant, petúntque, vt in dicendo grauitatis amor & dignitatis in omnium animos iniiciatur. Hac enim terrentur hoſtes, decus & imperium tenetur, frænatur impotentium hominum cupiditas & audacia, laus paratur & exiſtimatio, & præſtabili quadam ratione victoriæ ac triumphi. Nunc verò ſi in doctrinæ varietatem lubet oculos iniicere, communia credo verba & quotidiana, bellè iuncta, & ſuauiter cadentia, plus habebunt eruditionis, quàm quæ ex intimo penu antiquitatis, ex Apuleio, ex Tertulliano, cæteríſque doctiſſimis hominibus eruuntur? Tu barbarum, & obſoletum, caſcum, & nimium vetus clames vocabulum, quod periti Oratoris diligentia è tenebris euocatum, gratia nouitatis, mirificam animo voluptatem adfert? An venuſtum ſapientem & callidum cùm dixeris, tibi laudem politæ elegantiæ tribui putas oportere, ego ſaperdam & ſibum cùm dixero ad rem eandem ſignificandam, reprehendes, & velut in Epheſiis literis, tibi noctem oblatam querere? Sed vt vela dictionis meæ contraham, in duobus fortem & virilem, & magnificam, plenam autoritate & maieſtate orationem poſitam exiſtimo, vt nimirum duram & ſolidam compoſitionem habeat, & veluti Martiæ tubæ cantum & clangorem, deinde vt verbis non quotidianis & protritis, ſed electis & priſca nota venerandis conſtet. Hæc eruditiſſime Theodore aut falſa & inania eſſe peruince, & deceptos fuiſſe veteres ſūmos viros, qui certa animi inductione & conſilio dictionem ſuam aſperauerunt: aut permitte me ab opinione tua diffidere, qui putas mollem & concinnam, & omni ſuauitate affluentem orationem eſſe præferendam.

DILVVNTVR SVPERIORA.

CAPVT XX.

Ornata in dicendo ſuauitas duro & aſpero elocutionis generi anteponitur. SECTIO I.

NON ſum neſcius, ait Theodorus, è veteribus fuiſſe quoſdam, qui amore nouitatis à communi omnium ratione diſcederent, & relicta ſuauitate, quæ mirificè animos recreat, viam ad eloquentiam inirent plenam dumis & virgultis horridam, & contemptu hominum elegantium interclusam. Id ſuis temporibus notauit Seneca, vitæ non magis quàm orationis iudex atque cenſor, *Quidam*, inquit, *vſque eo aſpera gaudent compoſitione, vt etiam quæ mollius caſus explicuit, ex induſtria diſſipent, & clauſulas abrumpant, ne ad expectatum reſpondeant. Qualis fuit Pollionis Aſinij ſalebroſa & exiliens, & vbi minimè expectes relictura.* Et alio quodam loco de compoſitione item loquens. *Quidam præfractam & aſperam probant, diſturbant de induſtria ſi quid placidius effluxit, nolunt ſine ſalebra eſſe iuncturam, virilem putant & fortem, quæ aërem inæqualitate percutiat.* Senec. ep 100. Idem ep. 114.

Habemus Marcum Tullium ſpecimen ingenij atque elegantiæ, qui omnes quotquot ſunt aut fuerunt, dicendi copia & elegantia ſuperauit, qui non Coæ Veneris imaginem, ſed expreſſam Suadelæ effigiem diuinis ſuis in monumentis expoſuit, qui denique, vt grauiſſimè ait Quintilianus, *dono quodam prouidentiæ eſt genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur.* Et tamen eo demortuo, ſubitò eſt inuentus Ceſtius quidam è declamatorum natione, homo inſolentiſſimæ temeritatis, qui M. Tullium vt copia diffluentem, vt dulcem nimis & dicendi luminibus ornatum, è Suadæ gremio eiiciendum & repudiandum contenderet. Qui mihi meritas amentiæ ſuæ pœnas luiſſe aliquando videtur, & piis eloquentiſſimi viri manibus dependiſſe. Nam Seuerus Caſſius Fab. l. 10. Senec præ. l. 3. epitom.

Orator ea tempeſtate nobilis, cùm eum in Ciceronem declamantem audiſſet, & inepta quædam odioſè balbutientem, hominem obtorto collo in ius rapuit, actionem inſcripti maleficij intendit, à Prætore vrbano, vt væcordi & furioſo curatorem poſtulauit. Cúmque amici interueniſſent, rogaréntque eximium illum virum, ne Ceſtium vrgeret vehementius, rebus ſuis diffidentem & afflictum, ſe reſpondit eſſe facturum, *ſi iuraſſet, diſertiorem eſſe Ciceronem quàm ſe*, quod tamen vt faceret, neque ioco, neque ſerio obtineri potuit. Eundem Cicero filius, cùm in conuiuio aliquando vidiſſet, ſuggeſtúmque fuiſſet à familiaribus, eum eſſe Rhetorem, à quo parens Marcus Tullius litteras ignorauiſſe diceretur, hominem è veſtigio corripi iuſſit, virgis excipi, omni genere contumeliæ onerari, & vt verbis vtar Senecæ, *Ciceroni vt oportuit, de Ceſtij corio ſatisfecit*. Valuit tamen illa etiam deinde audacium hominum fatuitas, in ſplendore eloquentiæ inobſcurando, quæ plurium Oratorum iudicia labefecit. Imperatoris enim Veſpaſiani temporibus, Gabinianus, diuo Hieronymo teſte celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit, cuius in Italia declamationes ferebantur non indoctæ, magno plauſu exceptæ ab adoleſcentia, ſic vt eum curioſi vulgò Ciceroni anteferrent. Imò verò quæ tum fuit leuitatis arrogantiſſimæ contagio, nemo ferè ſtudiis humanitatis imbutus adoleſcens in ſcholis & auditorio publico declamitabat, qui non ſtylo & dicendi ratione, ſe non ferenda glorioſi animi ſuperbia, M. Tullio præſtare opinaretur. Sic enim dicere Cornelium Tacitum memini de Oratoribus æui ſui memorantem, *Quotus enim quiſque Scholaſticorum non hac ſua perſuaſione fruitur, vti ſeſe ante Ciceronem nominet, ſed planè poſt Gabinianum.* Hac verò noſtra tempeſtate multi ſunt exorti Cæſtij, multi Gabiniani, neque tã Polliones quàm Aſinij multi, qui mellea dulcedine ſaturi, & Cygneam eloquentiam reſpuentes, inſolitæ orationis ſtudio ſe ad Graculos & vepres contulerunt. Putant enim vim & aculeos habituram orationem, ſi ſpinis horreant, ſi corymbos ſylueſtribus è dumis petant, ſi carduos loco mollium floſculorum oſtentent. Itaque Ciceronem contemnunt è myrothecio totum & arcula, leuibus vt aiunt pampinis luxuriantem, humili dictione languidum,

Idem Suaſ. vltim.

Euſeb. in Chronic.

Tacit. de Oratorib.

inopem eruditionis; illam, inquam, Sirenem è Latio, Suadæ Antiſtitem, λόγιον planè Romani fori Mercurium, à quo, vt Homerus canit ab Oceano fluminum lapſus, atque omnium fontium originem peti, & in alias deinde regiones campóſque diſpergi, ſic omnis dicendi vis & varietas, & laus omnis iuſtæ eloquentiæ artificioſæque manauit. A quibus ego hominibus lubens quærerem, quid tandem eloquẽtiam eſſe putent, reginam illam dominámque rerum, illam vt appellauit Ennius flexanimam, vel vt Euripides τύραννον, ſuauiter animum illiciẽtem, mouentem, capiẽtem, quam in Gallia catenulis olim aureis in Ogmio expreſſam videmus. Deinde quid de eloquentiſſimis hominibus ſentiant, quos ſcimus totius voce antiquitatis, & communi ſcriptorum omnium præconio celebratos. Xenophon Socraticus doctus ab Academia & diſertus ea fuit lenitate orationis & melleo quaſi flumine, vt eius ore Muſas fuiſſe locutas velint, quæ magna laus atque haud ſcio an omnium maxima in oratore. Sed longè magnificentius eſt quod de Platone dicitur, Iouem ſic, vt aiunt Philoſophi, ſi Græcè loquatur, loqui. Atqui iſtam ſermonis diuinitatem vna modo ſuauitas effecit: ſic enim in cunis paruulo dormienti cùm apes in labellis conſediſſent, reſponſum eſt, ſingulari illum ſuauitate orationis fore. Quare de illo pronuncians Epicharmus, ait πορφυρῶν λόγοισι ποικίλαις χαλοῖς, *purpuram verborum ornare atque diſtinguere;* cui etiam purpuræ incredibili opificio aurum immiſcuit, nam Platonis *auratum eloquium* fuiſſe prodit Fulgẽtius. Gorgias Leontinus propter mirificam gratiam poliendæ & ſtruendæ orationis, hoc inuſitatum in Græcia decus, hoc publici honoris teſtimonium, hoc diuinæ prope eloquentiæ monumentum conſecutus eſt, vt ſoli poſt homines natos ſolida ex auro ſtatua communi Græciæ conſilio ſit erecta. Et ne tantùm mea in peregrinis hæreat oratio, Gallos videmus ſcriptores multos, in dicendo ſuaues & ornatos, quos publicus omnium fauor excepit, Amiotos, Vairios, Remondos, Richeomos, innumerabiles alios, inter ſe diſſimiles, ſed doctorum commendatione probatos, partim graues & elatos & maieſtate quadam ingredientes, partim etiam dulces & iucundos, molliſſimíſque numeris capientes audientium animos, partim in magna operum copia mirabili qua-

Laert. Cic. in Orat. Fabius l. 10. c. 1.

Laert. l. 3. Fulg. Præfat. Mythol.

Eſt enim tam ingratus in eo ſonus, tam aſpera dictionum compoſitio, vt agreſti potius ingenio dignus videatur, quàm ea poëtæ vena, quam dulcem & ſuauiter in aliis multis fluentem animaduertebant. Quid eſt igitur quod oratores illi tui Honorate, quos defendis, (nam te quidem in ea eſſe opinione haud puto) hirtum illud genus orationis amare debeant, illam ſcabritiem, ſqualorem illum dicendi à ſenſu hominum & mentibus alienum, quem politi & elegantiæ ſtudioſi cùm audierint, aut rideant, aut non ſine incredibili animi faſtidio aſpernentur? An fruſtra humani generis pædagogi illi veteres, diuino propè conſilio & prudentia inclyti, dulces Gratias prope Mercurium collocauerunt, cùm vellent eo velut emblemate ſignificare, ſermonem ſine gratia & ſuauitate refutandum & abiiciendum eſſe?

SECTIO II.

Quatenus ſit obſoletis, nouis, & audaciùs excogitatis nominibus vtendum. Ὀψιμαθία reprehenſa, & Cacozelia Antiquariorum.

IAM verò in oratione quoque tua poſuiſti, Honorate, ad illam orationis duritiem, adiungendam eſſe verborum copiam & ſupellectilem ex vltima antiquitate repetitam, quæ verba perobſcura & difficilia, vt in luco vetuſtæ arbores, venerationem dicenti concilient atque famam eruditionis. Eſſe proinde ſcriptores doctiſſimos peruolutandos, Apuleium, Tertullianum, ſimiles, qui noua cudunt, & veteribus vtuntur libentius, & ſtruenda oratione docuerunt λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν. Scio illud ſcribendi cacoethes dominari etiam in multis, qui ſiue ingeniorum imbecillitate, ſiue ductu immoderatæ licentiæ, ſiue ambitione excellendi, vt vinum, ſic dictionem veſtutate metiuntur. Talis fuit Adrianus Imperator, qui genus dicendi vetuſtum tam perditè támque impotenter amauit, vt Ciceroni Catonem, Ennium Virgilio, Saluſtio Cæciliū leuis animi temeritate præferret. Imprimis haud negauerim, eſſe docti, & ſtudiis optimarum artium expoliti oratoris,

Spartian. in Adrian.

ris, è veteribus monumentis quædam in rem ſuam eruere, quæ ad copiam eruditionis atque ſplendorem plurimum ornamenti adiungant. Nam veteres qui propter vberis doctrinæ varietatem habentur in manibus, etiam illi qui barbarè locuti ſunt & inquinatè, ſi tamen ingenio præſtiterunt & ſubtilium rerum cognitione, non poſſunt non ſubinde quædam argutè dicere & eleganter, quæ ſtudio & conſiderata animi ratione alieno in opere poſita, gemmæ quædam eſſe videantur. Itaque videmus homines clariſſimos, illis floſculis, ſpecioſiſſimos hortulos atque areolas pingere ſuas & locupletare, ſiue dictum ſententioſè quiddam & acutè mutuentur, ſeu peritum acroama vſurpent, ſeu vocabulum probum quidem, ſed vulgò tamen minus cognitum loco ponant, ſeu dicendi luminibus, quæ nonnunquam ſuauiſſimè intermicant, orationem ſuam illuminent. Ad ea iam ornamenta velut ad communes theſauros humanitatis, omnibus ſcriptoribus patet aditus, ſi modo vniuſcuiúſque induſtriam, ea quæ plurimùm in humanis pollet prudentia moderetur. Sed ſtylum velle vniuerſim & vbique imitari, tum vetuſtate obſcurum, tum barbarie impolitum & impexum, ab illis hominibus ſpretum & damnatum qui Latini ſermonis puritatem excoluerunt, hoc verò eſt quod ſapientes, hominis eſſe aiunt otio abutentis & ingenio, & quid deceat minus conſiderantis. Itaque illos ego adoleſcentes qui acerrimo ſtudio & impenſa diligentia voculas omnes colligunt obſoletas, audaciſſimè excogitatas, nouè ſtructas, eaſque in orationem vnam inferciunt, ſimiliter facere opinor ac Philippum Macedoniæ Regem, qui omnes è Græcia perditos & flagitioſos ab omni ſpe & fortuna derelictos, in vrbem vnam compulit, quam ad æternam contumeliæ recordationem πονηρόπολιν nominauit. Aut velle imitari quoſdam Italiæ principes, de quibus eſt in annalium monumentis, ſtudioſiſſimè quærere ſolitos, quidquid turpe & odioſum in hominum genere fuit, nannos, mancos, gibberoſos, denaſatos, buccones, ſtrumoſos, loripedes, ore fœdo ridiculos, extantibus oculis truces, enormi capite prodigioſos, & inuita natura factos, τέρατα vocat elegantiſſimus Chryſoſtomus, & τῆς φύσεως ἁμαρ-

Quintil. declam. 298 & l. 2. cap. 5.

D. Chryſ. in 1. ad Timoth. hom. 17.

τήματα, è quorum aggregatione & conſpectu, plus ſe capere voluptatis aiebant, quàm ex Babylonicis belluatis, aut alio periſtromatum genere, in quibus rerum plurium varietas eximia colorum ſuauitate exprimitur. Sed vt eorum hominum opinio plena dedecoris & inaniſſimæ gloriæ fuit, ſic noſtrorum exiſtimatio Rhetorum falſa & puerilis, qui putant, è contextu putrium dictionum, velut ſerie portentorum, audientibus ſe voluptatem, ſibi gloriam exquiſitæ ſcientiæ parituros. Qui niſi ambitioſa illos cupidò cæcaret, & vaniſſimæ eruditionis ſpecies nouitate colorata, ſanè intelligerent, & eorum hominum qui nunc ſunt, & totius antiquitatis clariſſimo iudicio, errorem illum ſuum opinionémque refutari. Octauium Auguſtum militiæ & togæ decus, qui doctæ mentis luculenta veſtigia reliquit, in eo maximè laude & prædicatione ornandũ puto, quod iſtam curioſam eloquentiã ſitu & pædore obſitam, vt vomicam honeſtæ facundiæ, ad vltimam vſque barbariam eiiciendam exterminandámque cenſuerit. Nam putidum illud genus orationis grauiſſimè *reconditorum verborum fœtores* nominabat. & *Cacozelos* & *Antiquarios*, vt diuerſo genere vitioſos, pari faſtidio ſpernebat, vt meminit Suetonius. Itaque Tiberium exagitauit exoletas interdum & reconditas voces aucupantem. M. verò Antonium increpuit vt *inſanum*, quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potius homines quàm intelligant. Quoties nouantiquos illos Oratores meminimus, in foro, Curia, & frequenti concione illuſos, diſertorum contumeliis appetitos, ſine honore, ſumma omnium offenſione domum rediiſſe? Vix dici poteſt, quantam inuidiæ flammam atque odij M. Tullius Rullo creauerit Tribunatu geſtienti, cuius benè longam & diffuſam orationem, cùm adeſſet infinita prope ciuium multitudo, vix ab vno tamen aut altero fuiſſe intellectam obiecit. Siquidem ille ruſticanus & indoctus, non capillitio modo atque barba & veſtitu obſoletiore, ſed etiam verbis è maiorum cineribus euocatis antiquitatem expreſſerat. In luce autem ampliſſimi Ordinis & conuentu ſapientum, ab eodem coryphæo eloquentiæ, telum iſtud aculeatum in Antonium fuit coniectum, *Nónne ſatius eſt eſſe mutum, quàm loqui ea quæ nemo intelligat?* Sic Cornel. Tacitus qui Orato-

rum æui ſui vim, varietatem, formam eloquentiæ, ſumma orationis venuſtate proſecutus eſt, cùm doceret procul eſſe remouenda iam obliterata & olentia, nec verbum vllum eſſe debere velut rubigine infectum, eo vitio damnat Cælium, qui alioqui excellere potuiſſet, *Sordes autem*, inquit, *verborum, & hians compoſitio, & inconditi ſenſus, redolent antiquitatem, nec quenquam adeo antiquariũ puto, vt Cælium ex ea parte laudet qua antiquus eſt.* Cimber Tullius Rhetor vnus è multis eodem in cœno volutabatur, ſimilium ineptiarum cupidus inſolentiſque dictionis, quem proinde ſummo ingenio Poëta Virgilius *Atticæ febrem* elegantiſſimè nominauit, & in eum luſit hoc Epigrammate, Tacit. de Orat.

Corinthiorum amator iſte verborum Virg in Catalec.
Iſte iſte Rhetor. Namque quatinus totus
Thucidides Britannus, Atticæ febris, &c.

Sed meritò ſim longior & oratione diffluam, ſi corrogare teſtimonia velim clariſſimorum hominum, qui rugoſam effœtámque ſenio iam orationem in vitio poſuerunt. Agellij tamen Græcè Latinéque doctiſſimi, & ſtudiis humanitatis eximie ornati, ſilentio præterire non poſſum oraculum, dignum ſane quod in mentibus oratorum ad memoriam ſempiternam inhæreat, ſic enim habet, *Verbis vti aut nimis obſoletis exculcatiſque, aut inſolentibus nouitatíſque duræ & illepidæ, par eſſe delictum videtur.* Id vitium plerúmque eſſe ait ſeræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant, vt quod nunquam didiceris, diu ignoraueris, cùm id ſcire aliquando cœperis, magni facias quo in loco cunque & quacunque in re dicere. Dat exemplum in oratore diu atque multùm in agendis cauſis experienti, & hominum fama celebrato, ſed *repentina*, vt illius verbis dicam, *& quaſi tumultuaria doctrina* prædito, qui cùm apud Præfectum vrbis Romæ verba faceret, & dicere vellet inopi quendam miſeróque victu viuere & furfureum panem eſitare, vinúmque eructum & fœtidum potare, *Hic*, inquit, *eques Romanus apludam edit & floces bibit.* Aſpexerunt omnes qui aderant, alius alium, primo triſtiores turbato & requirente vultu, quidnam illud vtriúſque verbi foret: poſt deinde quaſi neſcio quid Tuſcè aut Gallicè Agell. l. 11. c. 7.

dixiſſet, vniuerſi riſerunt. Quid eſt Honorate qui forum cogitas & eloquentiæ illum campum latè patentem, in quo plurimùm elaborat induſtria, an hunc tibi actorem cauſarum imitandum eſſe putas, qui tot habuit inconſiderati animi & imperitiæ ſuæ teſtes, quot tum illi iudicio adfuerunt? Et tu quidem mihi ſtylum nominas Tertulliani atque ſimilium, vt doctum, vt ſublimem, vt ſplendore dignitatis illuminatum; & opinor etiam velles, vt quod fieri alicubi audio, eorum hominum monumenta, in ſcholis, teneræ iuuentuti prælegerentur. Quod mihi in memoriam adducit bonum ſcilicet & peritum illum præceptorem, quem Liuius commentario ſuo pictum & deformatum expreſſit: Fab.l.8.c.2 hic diſcipulos iubebat inobſcurare quæ dicerent, cùm etiam Græco verbo vteretur σκότισον, quique id eximiè feciſſet, ei palmam elegantiæ tribuebat, vnde illa fœda inepti hominis laudatio, *Tanto melior, ne ego quidem intellexi.* Sed quid tandem autores illi tuo iudicio eruditi, grandes & elati dicere potuerunt, aut nouè audacter, aut ἀρχαίως putidè, aut compoſitione durè, aut iunctura diſſolutè, aut obſcurè comprehenſione & ambitu incredibiliter implexo, & à communi ratione abhorrenti, quod non ab iis longe politius magnificentiúſque dicatur, qui M. Tullium, alioſque elegantiæ duces magno ſtudio contriuerunt? Quotidiana & abiecta, & ſine vlla eruditionis dignitate illa tu voces, quæ polita ſunt, & à ſtudioſis intelliguntur? ſi quod autem vocabulum occurrat inuentum audacius, & vt mali omnis prodigium in monſtroſa Libya natum, exclames, & tanquam eſſet diuinum anathema, Capitolio dignum arbitrere?

Specimen

Specimen κακοζηλίας, & ſtyli iuueniliter affectati. Maſculæ eloquentiæ deſcriptio verbis Tertullianicis contexta. SECTIO III.

ATENIMVERO noua lux oboritur menti meæ, cum Poëta παλινῳδίαν canto, orationem meam retexo, eiuro Ciceronem eloquentiæ propudioſæ lenonem, venerum ſeruiculum, rythmi ædificem, pueriliter garrulantem, & eas delicias euigoratas, riſoriáſque & exodoratas abiicio. Iam deincendio gloriæ ardor eſt, & mens in affectationem magnificam flabellatur. Teramus ſane Tertullianum alióſque tonantis eloquentiæ æditimos, quibus epiſcinium eſt maieſtatis, qui leuiculos illos rupices exſufflent, & tanquam ſubuerbuſtos obelo figant, ſubtinnientes cymbalo frangant prophanitatis victores. Papæ: quæ oberrat oculis meis Suada de tabernaculo grauis, de Semneo verenda, de adyto heroina, & hercle Dea. Frons eius caperatur ſeueritudine, ſtira circum leonina horrida rutilanti inter antias fulgure, Leucophæo compta caliendro, diti velatro. Toros ſtringit non de ſoloce endromis, ſed multitia de ſubteminis ſtudio & luminis conſilio & menſuræ temperamento, pancarpio florida, patagio olida, vices colorum fœderans & alternans. Pectus ſquammarum ſignaculis diſculpitur triumphali cataphracto, crudus pero ſuras obnubit, & chalybe rigens cothurnus de Amazonia viragine. Hoc ſuper omnes exuuias & peplos tegmen; hic ſuper apices & titulos ſacer ſuggeſtus non gentilitus incommunis, ſed paſſiuitus notus, exoculat omnes galatici ruboris miraculo, flexu Mæandrico, rugis in tilias ductis, ſolerti vmbonis figmento, tabulato in terga deuoto. Papæ iterum: quî ſat mirer Muſicos faucium ructus, oris ſatus & monelas, vt ſtillicidia nectaris de libacunculo aurato. Cùm vertiginat, oſſeo è ſepto rumpit paradiſus, parca liliis, fœta exoticis carduis Siculóque cocto, vbi flores ſuauiter horridi, viriliter aculeati inſerti & innexi, & in filo & in ſcirpo temporatim ſauciant, vltimant ad medelam. Cir-

cum paſſiuitas omnis ſtuporata de geniculis adorat manubias Iouis torquentem, qua terret: ſpiculato Iuncho vibrantem qua lancinat: gladiolis batuentem qua delectat: mulſi paraturam affundentem qua mulcet. Nulla pompatior ſpecies laurea inumbratur, lemniſco ventilatur, lamnulis inauratur. Hanc depretiant ſuauiludiorum aures exceptaculum nugarum, & mens lenocinij cogitatorium, quæ de commercio molliti murmuris ſcintillas voluptatis conflabellat: at diæ mannæ eſcatilem pluuiam, ſecluſi fontis aquatilem ſequelam heroës ſtupent & ſuauiantur.

Tuam fidem, Honorate, hîc te appello, te conſulo: ſic agi placet? C. Cæſar excellenti vir ingenio atque prudentia monet, vt tanquam ſcopulum, ſic fugiamus inauditum atque inſolens verbum, cùm eruditiſſimè de Analogia diſputat: qui non vnum aut alterum ponat, ſed contextum inſolentiũ verborum orationémq; omnem inferciat, eum laudandum, & eloquentiæ nomine commendandum putes? In iſto genere dicendi inamœno & ſqualido, quos ſcopulos & ſyrtes aperias neceſſe eſt, in quibus audientium mens & cogitatio, vt turbine violento, vt cæca nocte, vt procellis vaſtè ſonantibus circumagatur? Quin audimus è Gallia Philoſophum & eundem facundiæ doctorem ſumma copia & ſcientia Phauorinum, qui aliquando cùm in adoleſcentem incidiſſet, priſca verba cupidiſſimè aucupantem, è quibus ſe doctrinæ famam & multiplicis eruditionis conſequuturum putabat: grauiſſimè hominem corripiens *ineptum* etiam appellauit, cùm diceret Curium & Fabricium & Coruncanium antiquiſſima reipublicæ Romanæ lumina, & iis vetuſtiores Horatios illos Tergeminos, planè cum ſuis atque dilucidè locutos, nec Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelaſgorum qui primi incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed dictionem æui ſui communem adhibuiſſe: *Tu verò*, inquit, *perinde quaſi cum matre Euandri nunc loquare, ſermone abhinc multis annis iam deſito vteris, quod ſcire atque intelligere neminem vis, quæ dicas.* Deinde reprehenſionem illam ſuam, vt annulo aureo, hoc eleganti & pulcherrimo acroamate obſignauit, *Viue ergo moribus præteritis, loquere verbis præſentibus.*

Agell. l. 1. c. 10.

Sed quando ego diſputationem obſignabo meam & concludam? aut cur moror auditores meos tam beneuolos, tántique diu æquo animo diſſimulantes hanc loquacitatem? Sit igitur hic tandem finis, Honorate, non velitationis modò huius tecum de ſtylo & dicendi forma inſtitutæ, verùm etiam & totius diſputationis. Nam de voce quidem & pronunciatione effudi vobis omnia quæ ſciebam. Nihilne verò, ait Honoratus de affectibus generandis dici putas oportere, in quibus pars victoriæ maxima collocata eſt in dicendi contentione? De geſtu, inquit, opinor te ante meridiem, Honorate, diſputauiſſe, quæ ſi clarè & copioſè pro more tuo à te fuerunt expoſita, minimum eſt quod de Voce poſſum adiungere. Nihil à me, inquit Honoratus dictum eſt de motibus, aut ſanè obiter & perpaucis: res verò ita ſunt nexæ & iugatæ, vt de voce & pronunciatione dicturus, geſtus etiam in permotionibus animorum aptos & conuenientes, facilè queas explicare. Vix enim eſt vllus qui te melius id præſtare poſſit, qui tot annos in inflammandis audientium animis & eiſdem cùm eſt opus reſtinguendis ſumma laude & gloria præſtitiſti. Eam laudem, ait Theodorus, non agnoſco: ſed quoniam auctoratum me habetis & imperiis veſtris obnoxium, geram morem iubentibus, & eodem curſu orationis de geſtu & voce animi affectibus commouendis accommodata breuiter atque ordine diſputabo,

tionis, quam vident Attica pæne omni impunè volitare, Suadam Gratiáſque omnes orant, petúntque, vt in dicendo grauitatis amor & dignitatis in omnium animos iniiciatur. Hac enim terrentur hoſtes, decus & imperium tenetur, frænatur impotentium hominum cupiditas & audacia, laus paratur & exiſtimatio, & præſtabili quadam ratione victoriæ ac triumphi. Nunc verò ſi in doctrinæ varietatem lubet oculos iniicere, communia credo verba & quotidiana, bellè iuncta, & ſuauiter cadentia, plus habebunt eruditionis, quàm quæ ex intimo penu antiquitatis, ex Apuleio, ex Tertulliano, cæteriſque doctiſſimis hominibus eruuntur? Tu barbarum, & obſoletum, caſcum, & nimium vetus clames vocabulum, quod periti Oratoris diligentia è tenebris euocatum, gratia nouitatis, mirificam animo voluptatem adfert? An venuſtum ſapientem & callidum cùm dixeris, tibi laudem politæ elegantiæ tribui putas oportere, ego ſaperdam & ſibum cùm dixero ad rem eandem ſignificandam, reprehendes, & velut in Epheſiis literis, tibi noctem oblatam querere? Sed vt vela dictionis meæ contraham, in duobus fortem & virilem, & magnificam, plenam autoritate & maieſtate orationem poſitam exiſtimo, vt nimirum duram & ſolidam compoſitionem habeat, & veluti Martiæ tubæ cantum & clangorem, deinde vt verbis non quotidianis & protritis, ſed electis & priſca nota venerandis conſtet. Hæc eruditiſſime Theodore aut falſa & inania eſſe peruince, & deceptos fuiſſe veteres ſūmos viros, qui certa animi inductione & conſilio dictionem ſuam aſperauerunt: aut permitte me ab opinione tua diſſidere, qui putas mollem & concinnam, & omni ſuauitate affluentem orationem eſſe præferendam.

DILVVNTVR SVPERIORA.

CAPVT XX.

Ornata in dicendo ſuauitas duro & aſpero elocutionis generi anteponitur. SECTIO I.

NON ſum neſcius, ait Theodorus, è veteribus fuiſſe quoſdam, qui amore nouitatis à communi omnium ratione diſcederent, & relicta ſuauitate, quæ mirificè animos recreat, viam ad eloquentiam inirent plenam dumis & virgultis horridam, & contemptu hominum elegantium intercluſam. Id ſuis temporibus notauit Seneca, vitæ non magis quàm orationis iudex atque cenſor, *Quidam*, inquit, *vſque eo aſpera gaudent compoſitione, vt etiam quæ mollius caſus explicuit, ex induſtria diſſipent, & clauſulas abrumpant, ne ad expectatum reſpondeant. Qualis fuit Pollionis Aſinij ſalebroſa & exiliens, & vbi minimè expectes relictura.* Et alio quodam loco de compoſitione item loquens. *Quidam præfractam & aſperam probant, diſturbant de induſtria ſi quid placidius effluxit, nolunt ſine ſalebra eſſe iuncturam, virilem putant & fortem, quæ aërem inæqualitate percutiat.* (Senec. ep. 100.; Idem ep. 114.)

Habemus Marcum Tullium ſpecimen ingenij atque elegantiæ, qui omnes quotquot ſunt aut fuerunt, dicendi copia & elegantia ſuperauit, qui non Coæ Veneris imaginem, ſed expreſſam Suadelæ effigiem diuinis ſuis in monumentis expoſuit, qui denique, vt grauiſſimè ait Quintilianus, *dono quodam prouidentiæ eſt genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur.* Et tamen eo demortuo, ſubitò eſt inuentus Ceſtius quidam è declamatorum natione, homo inſolentiſſimæ temeritatis, qui M. Tullium vt copia diffluentem, vt dulcem nimis & dicendi luminibus ornatum, è Suadæ gremio eiiciendum & repudiandum contenderet. Qui mihi meritas amentiæ ſuæ pœnas luiſſe aliquando videtur, & piis eloquentiſſimi viri manibus dependiſſe. Nam Seuerus Caſſius (Fab. l. 10.; Senec. præ. l. 3. epitom.)

Orator ea tempeſtate nobilis, cùm eum in Ciceronem declamantem audiiſſet, & inepta quædam odioſè balbutientem, hominem obtorto collo in ius rapuit, actionem inſcripti maleficij intendit, á Prætore vrbano, vt væcordi & furioſo curatorem poſtulauit. Cúmque amici interueniſſent, rogaréntque eximium illum virum, ne Ceſtium vrgeret vehementius, rebus ſuis diffidentem & afflictum, ſe reſpondit eſſe facturum, *ſi iuraſſet, diſertiorem eſſe Ciceronem quàm ſe*, quod tamen vt faceret, neque ioco, neque ſerio obtineri potuit. Eundem Cicero filius, cùm in conuiuio aliquando vidiſſet, ſuggeſtúmque fuiſſet á familiaribus, eum eſſe Rhetorem, à quo parens Marcus Tullius litteras ignorauiſſe diceretur, hominem è veſtigio corripi iuſſit, virgis excipi, omni genere contumeliæ onerari, & vt verbis vtar Senecæ, *Ciceroni vt oportuit, de Ceſtij corio ſatisfecit.* Valuit tamen illa etiam deinde audacium hominum fatuitas, in ſplendore eloquentiæ inobſcurando, quæ plurium Oratorum iudicia labefecit. Imperatoris enim Veſpaſiani temporibus, Gabinianus, diuo Hieronymo teſte celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit, cuius in Italia declamationes ferebantur non indoctæ, magno plauſu exceptæ ab adoleſcentia, ſic vt eum curioſi vulgò Ciceroni anteferrent. Imò verò quæ tum fuit leuitatis arrogantiſſimæ contagio, nemo ferè ſtudiis humanitatis imbutus adoleſcens in ſcholis & auditorio publico declamitabat, qui non ſtylo & dicendi ratione, ſe non ferenda glorioſi animi ſuperbia, M. Tullio præſtare opinaretur. Sic enim dicere Cornelium Tacitum memini de Oratoribus æui ſui memorantem, *Quotus enim quiſque Scholaſticorum non hac ſua perſuaſione fruitur, vti ſeſe ante Ciceronem nominet, ſed planè poſt Gabinianum.* Hac verò noſtra tempeſtate multi ſunt exorti Cæſtij, multi Gabiniani, neque tã Polliones quàm Aſinij multi, qui mellea dulcedine ſaturi, & Cygneam eloquentiam reſpuentes, inſolitæ orationis ſtudio ſe ad Graculos & vepres contulerunt. Putant enim vim & aculeos habituram orationem, ſi ſpinis horreant, ſi corymbos ſylueſtribus è dumis petant, ſi carduos loco mollium floſculorum oſtentent. Itaque Ciceronem contemnunt è myrothecio totum & arcula, leuibus vt aiunt pampinis luxuriantem, humili dictione languidum,

Idem Suaſ. vltim.

Euſeb. in Chronic.

Tacit. de Oratorib.

inopem eruditionis; illam, inquam, Sirenem è Latio, Suadæ Antiſtitem, λόγιον planè Romani fori Mercurium, à quo, vt Homerus canit ab Oceano fluminum lapſus, atque omnium fontium originem peti, & in alias deinde regiones campóſque diſpergi, ſic omnis dicendi vis & varietas, & laus omnis iuſtæ eloquentiæ artificioſæque manauit. A quibus ego hominibus lubens quærerem, quid tandem eloquētiam eſſe putent, reginam illam dominámque rerum, illam vt appellauit Ennius flexanimam, vel vt Euripides τύραννον, ſuauiter animum illiciētem, mouentem, capiētem, quam in Gallia catenulis olim aureis in Ognio expreſſam videmus. Deinde quid de eloquentiſſimis hominibus ſentiant, quos ſcimus totius voce antiquitatis, & communi ſcriptorum omnium præconio celebratos. Xenophon Socraticus doctus ab Academia & diſertus ea fuit lenitate orationis & melleo quaſi flumine, vt eius ore Muſas fuiſſe locutas velint, quæ magna laus atque haud ſcio an omnium maxima in oratore. Sed longè magnificentius eſt quod de Platone dicitur, Iouem ſic, vt aiunt Philoſophi, ſi Græcè loquatur, loqui. Atqui iſtam ſermonis diuinitatem vna modo ſuauitas effecit: ſic enim in cunis paruulo dormienti cùm apes in labellis conſediſſent, reſponſum eſt, ſingulari illum ſuauitate orationis fore. Quare de illo pronuncians Epicharmus, ait πορφυρῶν λόγοισι ποικίλαι καλοῖς, *purpuram verborum ornare atque diſtinguere*; cui etiam purpuræ incredibili opificio aurum immiſcuit, nam Platonis *auratum eloquium* fuiſſe prodit Fulgētius. Gorgias Leontinus propter mirificam gratiam poliendæ & ſtruendæ orationis, hoc inuſitatum in Græcia decus, hoc publici honoris teſtimonium, hoc diuinæ prope eloquentiæ monumentum conſecutus eſt, vt ſoli poſt homines natos ſolida ex auro ſtatua communi Græciæ conſilio ſit erecta. Et ne tantùm mea in peregrinis hæreat oratio, Gallos videmus ſcriptores multos, in dicendo ſuaues & ornatos, quos publicus omnium fauor excepit, Amiotos, Vairios, Remondos, Richeomos, innumerabiles alios, inter ſe diſſimiles, ſed doctorum commendatione probatos, partim graues & elatos & maieſtate quadam ingredientes, partim etiam dulces & iucundos, molliſſimíſque numeris capientes audientium animos, partim in magna operum copia mirabili qua-

Laert. Cic. in Orat. Fabius l. 10. c. 1.

Laert. l. 3. Fulg. Præfat. Mythol.

dam varietate. Quid igitur efficere tandem potuit, vt tanta omnium ordinum cõmendatione legantur, eximia laude ornentur, eorum nomen clariſſima hominum fama illuſtretur? Fortè immani barbaróque ſtrepitu verborum ſententias frangunt atque diſſipant, dura inter ſe verba & ingrata collidunt ad aſperitatem aucupandam, pérque prærupta catadupa feruntur præcipites? Imo verò quantus ſplendor! quàm iucunda compoſitio nuſquam adhæreſcens, vt flumẽ orationis liquidum atque purum ſeſe in animos inſinuat, eóſque mouet atque afficit, vt cum virili dignitate & elegantia & humaniſſima voluptate, aculeos tamen relinquunt ad decus & honeſtatem retinendam! Quare in hos & ſimiles facundiæ veræ magiſtros, cùm mentis oculos iniicio, cùm ornatam & perpolitam ſapientibus ſententiis grauibúſque verbis orationem intueor, cœlum mihi videre videor innumerabilibus vndiq; ſtellis aptũ & illuminatum, vbi facundi nepos Atlãtis Mercurius fulgeat, vbi non vna modò Venus, ſed trecentæ ſcintillent. In quam tecúnque partem conuerteris, nouæ quædam & admirabiles formæ exiſtent inauditæ varietatis. Hic Cynoſura, quæ nauigantium curſum dirigit, aberrare te nuſquam patietur in eorũ quæ proponuntur intelligentia: nullæ enim nubes, nulla offundit caligo, non lucem nimbi eripiunt. Cæterùm orbis ille dicendi tam perfectus, nihil vt dici poſſit rotundius. In eos verò ſtructuræ aſperioris nouitios architectos aciem nequeo intendere, quin exhorreſcam. ita ſubitò ſeſe mihi obiiciunt capræ ſaltantes, trabes, hiatus, parelia, vt nubium ſic dictionum & ſyllabarum dura colliſio, cœca tempeſtas, raucum murmur, ſaxa, fragor, rigor, turbela horrore ingruens, aſpera. Nihil apud illos induſtria factum & tornatum, nihil emblematis illuſtre aut formoſum, ſæpè inſiſtit & laborat anhelátque oratio, incompta, ſpinoſa, triſtis, horrida, diſſipata. Leoſthenis opere nimio gloriantis magnificam & elatam orationem Phocion vir ſapiens conſimilem eſſe aiebat cupreſſis, quæ ſine fructu in ſublime attolleretur: illum autem in dicendo modum tam horridum & ſpinoſum, & cupreſſo funeſtiorem, cui ritè comparandum eſſe putemus? Num dicere lubet cum Ariſtophane *χάλαζαν grandinem horribilem* odioſè crepitantem? Sic enim ille Comœdiæ princeps duriſſimos Euripidis ver-

Plutar. in Apophth.

Suidas.

ſus creperóſque nominabat. An cum Photio de Eunomij ſtylo memorante, *δύσηχον ἦχον*, & *κόμπον τερατώδη*, ***bombum diſſonum tumorémque ſtyli prodigioſum?*** An cum Auguſto Imperatore, ***inconcinnitatem***, ***verborúmque fœtores***, à quibus vir iudicio præſtans nimium quantum abhorrebat? An Timoclis Poëtæ boni venuſtas placet grandem oratorem illudentis? *ὁ τοὺς καταπέλτας τάς τε λόγχας ἐσθίων*, *Catapultas & haſtas ille comeſt*, orationis venuſtatem & leporem odit, toruum martiúmque intuetur, vel vt cum Gallis noſtris dicam ferrata carpenta deglutit, tanto ſtrepitu & fragore bacchatur. Sanè Pindarus Vrania afflatus iſtiuſmodi Oratores diceret *coruos* inſuauiter crocitantes, Virgilius *anſeres*, M. Tullius in foro *latrantes*. Quæ nullius contumeliæ cauſa, ſed eo conſilio à me proferuntur, vt aſpernandum eum ſonum orationis eſſe putent, quem ſciunt à clariſſimis literarum luminibus repudiari. At fortem aiunt & virilem eam eſſe dicendi rationem, generoſæ mentis indicem, quæ nullius illecebra voluptatis, & languida oblectatione titilletur. In quo mihi reuocant in memoriam Scytham illum in media barbaria natum, omnium artium & totius humanitatis expertem, qui malle ſe prædicabat equi ferocientis hinnitum audire, quàm dulcem & artificioſam modulationem. Imo verò nihil grauitati ſublimitatíque vehementius repugnat, ſi modo iudicium aurium & excellens Criticorum ſapientia verum videt. Dionyſius enim Longinus cuius opus mole exiguum, iudicio maximum, longiſſimis aliorum Rhetorum commentariis doctiſſimi homines anteponunt, Herodotum ait multum aliquando de ſuauitate & magnificentia orationis ſuæ detraxiſſe, *διὰ τὸ κακόστομον*, quod in magna cōpoſitionis aſperitate difficillima eſſet atque inſuauis pronunciatio. Dat exemplum è Polyhymnia, *Ζεσάσης δὲ τῆς θαλάσσης*, &c. quæ ſunt horrida non ſublimia, neque magnifica & fortia, ſed rudia, vaſta, colliſa, in quibus ſanè proferendis nimium os laborare oportet. Quare Plato & Eubulus ingenioſiſſimi poëtæ in veteri Comœdia nobiles, riſus quondam in theatro mirificos ſummo populi audientis plauſu commouerunt, cùm verſum Euripidis illuderent in Medea poſitum, Ἔσωσά σ᾽ ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι.

Sueton. in Octau.

Athen. l. 6.

Longin.

Brod in Miſcell. l. 3.

Eſt enim tam ingratus in eo ſonus, tam aſpera dictionum compoſitio, vt agreſti potius ingenio dignus videatur, quàm ea poëtæ vena, quam dulcem & ſuauiter in aliis multis fluentem animaduertebant. Quid eſt igitur quod oratores illi tui Honorate, quos defendis, (nam te quidem in ea eſſe opinione haud puto) hirtum illud genus orationis amare debeant, illam ſcabritiem, ſqualorem illum dicendi à ſenſu hominum & mentibus alienum, quem politi & elegantiæ ſtudioſi cùm audierint, aut rideant, aut non ſine incredibili animi faſtidio aſpernentur? An fruſtra humani generis pædagogi illi veteres, diuino propè conſilio & prudentia inclyti, dulces Gratias prope Mercurium collocauerunt, cùm vellent eo velut emblemate ſignificare, ſermonem ſine gratia & ſuauitate refutandum & abiiciendum eſſe?

SECTIO II.

Quatenus ſit obſoletis, nouis, & audaciùs excogitatis nominibus vtendum. Ὀψιμαθία reprehenſa, & Cacozelia Antiquariorum.

IAM verò in oratione quoque tua poſuiſti, Honorate, ad illam orationis duritiem, adiungendam eſſe verborum copiam & ſupellectilem ex vltima antiquitate repetitam, quæ verba perobſcura & difficilia, vt in luco vetuſtæ arbores, venerationem dicenti concilient atque famam eruditionis. Eſſe proinde ſcriptores doctiſſimos peruolutandos, Apuleium, Tertullianum, ſimiles, qui noua cudunt, & veteribus vtuntur libentius, & ſtruenda oratione docuerunt λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν. Scio illud ſcribendi cacoethes dominari etiam in multis, qui ſiue ingeniorum imbecillitate, ſiue ductu immoderatæ licentiæ, ſiue ambitione excellendi, vt vinum, ſic dictionem vetuſtate metiuntur. Talis fuit Adrianus Imperator, qui genus dicendi vetuſtum tam perditè támque impotenter amauit, vt Ciceroni Catonem, Ennium Virgilio, Saluſtio Cæciliū leuis animi temeritate præferret. Imprimis haud negauerim, eſſe docti, & ſtudiis optimarum artium expoliti oratoris,

Spartian. in Adrian.

ris, è veteribus monumentis quædam in rem ſuam eruere, quæ ad copiam eruditionis atque ſplendorem plurimum ornamenti adiungant. Nam veteres qui propter vberis doctrinæ varietatem habentur in manibus, etiam illi qui barbarè locuti ſunt & inquinatè, ſi tamen ingenio præſtiterunt & ſubtilium rerum cognitione, non poſſunt non ſubinde quædam argutè dicere & eleganter, quæ ſtudio & conſiderata animi ratione alieno in opere poſita, gemmæ quædam eſſe videantur. Itaque videmus homines clariſſimos, illis floſculis, ſpecioſiſſimos hortulos atque areolas pingere ſuas & locupletare, ſiue dictum ſententioſè quiddam & acutè mutuentur, ſeu peritum acroama vſurpent, ſeu vocabulum probum quidem, ſed vulgò tamen minus cognitum loco ponant, ſeu dicendi luminibus, quæ nonnunquam ſuauiſſimè intermicant, orationem ſuam illuminent. Ad ea iam ornamenta velut ad communes theſauros humanitatis, omnibus ſcriptoribus patet aditus, ſi modo vniuſcuiúſque induſtriam, ea quæ plurimùm in humanis pollet prudentia moderetur. Sed ſtylum velle vniuerſim & vbique imitari, tum vetuſtate obſcurum, tum barbarie impolitum & impexum, ab illis hominibus ſpretum & damnatum qui Latini ſermonis puritatem excoluerunt, hoc verò eſt quod ſapientes, hominis eſſe aiunt otio abutentis & ingenio, & quid deceat minus conſiderantis. Itaque illos ego adoleſcentes qui acerrimo ſtudio & impenſa diligentia voculas omnes colligunt obſoletas, audaciſſimè excogitatas, nouè ſtructas, eaſque in orationem vnam inferciunt, ſimiliter facere opinor ac Philippum Macedoniæ Regem; qui omnes è Græcia perditos & flagitioſos ab omni ſpe & fortuna derelictos, in vrbem vnam compulit, quam ad æternam contumeliæ recordationem πονηρόπολιν nominauit. Aut velle imitari quoſdam Italiæ principes, de quibus eſt in annalium monumentis, ſtudioſiſſimè quærere ſolitos, quidquid turpe & odioſum in hominum genere fuit, nannos, mancos, gibberoſos, denaſatos, buccones, ſtrumoſos, loripedes, ore fœdo ridiculos, extantibus oculis truces, enormi capite prodigioſos, & inuita natura factos, τέρατα vocat elegantiſſimus Chryſoſtomus, & τῆς φύσεως ἁμαρ- Quintil. declam. 298 & l. 2. cap. 5. D. Chryſ. in 1. ad Timoth. hom. 17.

τήματα, è quorum aggregatiône & conſpectu, plus ſe capere voluptatis aiebant, quàm ex Babylonicis belluatis, aut alio periſtromatum genere, in quibus rerum plurium varietas eximia colorum ſuauitate exprimitur. Sed vt eorum hominum opinio plena dedecoris & inaniſſimæ gloriæ fuit, ſic noſtrorum exiſtimatio Rhetorum falſa & puerilis, qui putant, è contextu putrium dictionum, velut ſerie portentorum, audientibus ſe voluptatem, ſibi gloriam exquiſitæ ſcientiæ parituros. Qui niſi ambitioſa illos cupidò cæcaret, & vaniſſimæ eruditionis ſpecies nouitate colorata, ſanè intelligerent, & eorum hominum qui nunc ſunt, & totius antiquitatis clariſſimo iudicio, errorem illum ſuum opinionémque refutari. Octauium Auguſtum militiæ & togæ decus, qui doctæ mentis luculenta veſtigia reliquit, in eo maximè laude & prædicatione ornandũ puto, quod iſtam curioſam eloquentiã ſitu & pædore obſitam, vt vomicam honeſtæ facundiæ, ad vltimam vſque barbariam eiiciendam exterminandámque cenſuerit. Nam putidum illud genus orationis grauiſſimè *reconditorum verborum fœtores* nominabat. & *Cacozelos* & *Antiquarios*, vt diuerſo genere vitioſos, pari faſtidio ſpernebat, vt meminit Suetonius. Itaquè Tiberium exagitauit exoletas interdum & reconditas voces aucupantem. M. verò Antonium increpuit vt *inſanum*, quaſi ea ſcribentem, quæ mirentur potius homines quàm intelligant. Quoties nouantiquos illos Oratores meminimus, in foro, Curia, & frequenti concione illuſos, diſertorum contumeliis appetitos, ſine honore, ſumma omnium offenſione domum rediiſſe? Vix dici poteſt, quantam inuidiæ flammam atque odij M. Tullius Rullo creauerit Tribunatu geſtienti, cuius benè longam & diffuſam orationem, cùm adeſſet infinita prope ciuium multitudo, vix ab vno tamen aut altero fuiſſe intellectam obiecit. Siquidem ille ruſticanus & indoctus, non capillitio modo atque barba & veſtitu obſoletiore, ſed etiam verbis è maiorum cineribus euocatis antiquitatem expreſſerat. In luce autem ampliſſimi Ordinis & conuentu ſapientum, ab eodem coryphæo eloquentiæ, telum iſtud aculeatum in Antonium fuit coniectum, *Nónne ſatius eſt eſſe mutum, quàm loqui ea quæ nemo intelligat?* Sic Cornel. Tacitus qui Orato-

rum æui ſui vim, varietatem, formam eloquentiæ, ſumma orationis venuſtate proſecutus eſt, cùm doceret procul eſſe remouenda iam obliterata & olentia, nec verbum vllum eſſe debere velut rubigine infectum, eo vitio damnat Cælium, qui alioqui excellere potuiſſet, *Sordes autem*, inquit, *verborum, & hians compoſitio, & inconditi ſenſus, redolent antiquitatem, nec quenquam adeo antiquariū puto, vt Cælium ex ea parte laudet qua antiquus eſt.* Cimber Tullius Rhetor vnus è multis eodem in cœno volutabatur, ſimilium ineptiarum cupidus inſolentiſque dictionis, quem proinde ſummo ingenio Poëta Virgilius *Atticæ febrem* elegantiſſimè nominauit, & in eum luſit hoc Epigrammate, Tacit. de Orat.

Corinthiorum amator iſte verborum
Iſte iſte Rhetor. Namque quatinùs totus
Thucidides Britannus, Atticæ febris, &c. Virg in Catalec.

Sed meritò ſim longior & oratione diffluam, ſi corrogare teſtimonia velim clariſſimorum hominum, qui rugoſam effœtámque ſenio iam orationem in vitio poſuerunt. Agellij tamen Græcè Latinéque doctiſſimi, & ſtudiis humanitatis eximie ornati, ſilentio præterire non poſſum oraculum, dignum ſane quod in mentibus oratorum ad memoriam ſempiternam inhæreat, ſic enim habet, *Verbis vti aut nimis obſoletis exculcatíſque, aut inſolentibus nouitatíſque duræ & illepidæ, par eſſe delictum videtur.* Id vitium plerúmque eſſe ait ſeræ eruditionis, Agell. l. 11. c. 7. quam Græci ὀψιμαθίαν appellant, vt quod nunquam didiceris, diu ignoraueris, cùm id ſcire aliquando cœperis, magni facias quo in loco cunque & quacunque in re dicere. Dat exemplum in oratore diu atque multùm in agendis cauſis experienti, & hominum fama celebrato, ſed *repentina*, vt illius verbis dicam, *& quaſi tumultuaria doctrina* prædito, qui cùm apud Præfectum vrbis Romæ verba faceret, & dicere vellet inopi quendam miſeróque victu viuere & furfureum panem eſitare, vinúmque eructum & fœtidum potare, *Hic*, inquit, *eques Romanus apludam edit & floces bibit.* Aſpexerunt omnes qui aderant, alius alium, primo triſtiores turbato & requirente vultu, quidnam illud vtriúſque verbi foret: poſt deinde quaſi neſcio quid Tuſcè aut Gallicè

dixiſſet, vniuerſi riſerunt. Quid eſt Honorate qui forum cogitas & eloquentiæ illum campum latè patentem, in quo plurimùm elaborat induſtria, an hunc tibi actorem cauſarum imitandum eſſe putas, qui tot habuit inconſiderati animi & imperitiæ ſuæ teſtes, quot tum illi iudicio adfuerunt? Et tu quidem mihi ſtylum nominas Tertulliani atque ſimilium, vt doctum, vt ſublimem, vt ſplendore dignitatis illuminatum; & opinor etiam velles, vt quod fieri alicubi audio, eorum hominum monumenta, in ſcholis, teneræ iuuentuti prælegerentur. Quod mihi in memoriam adducit bonum ſcilicet & peritum illum præceptorem, quem Liuius commentario ſuo pictum & deformatum expreſſit: Fab.l.8.c.8 hic diſcipulos iubebat inobſcurare quæ dicerent, cùm etiam Græco verbo vteretur σκότισον, quique id eximiè feciſſet, ei palmam elegantiæ tribuebat, vnde illa fœda inepti hominis laudatio, *Tanto melior, ne ego quidem intellexi.* Sed quid tandem autores illi tuo iudicio eruditi, grandes & elati dicere potuerunt, aut nouè audacter, aut ἀρχαίως putidè, aut compoſitione durè, aut iunctura diſſolutè, aut obſcurè comprehenſione & ambitu incredibiliter implexo, & à communi ratione abhorrenti, quod non ab iis longe politius magnificentiúſque dicatur, quì M. Tullium, alióſque elegantiæ duces magno ſtudio contriuerunt? Quotidiana & abiecta, & ſine vlla eruditionis dignitate illa tu voces, quæ polita ſunt, & à ſtudioſis intelliguntur? ſi quod autem vocabulum occurrat inuentum audacius, & vt mali omnis prodigium in monſtroſa Libya natum, exclames, & tanquam eſſet diuinum anathema, Capitolio dignum arbitrere?

Specimen

Specimen κακοζηλίας, & ſtyli iuueniliter affectati. Maſculæ eloquentiæ deſcriptio verbis Tertullianicis contexta. SECTIO III.

ATENIMVERO noua lux oboritur menti meæ, cum Poëta παλινῳδίαν canto, orationem meam retexo, eiuro Ciceronem eloquentiæ propudioſæ lenonem, venerum ſeruiculum, rythmi ædificem, pueriliter garrulantem, & eas delicias euigoratas, riſoriáſque & exodoratas abiicio. Iam de incendio gloriæ ardor eſt, & mens in affectationem magnificam flabellatur. Teramus ſanè Tertullianum alióſque tonantis eloquentiæ æditimos, quibus epiſcinium eſt maieſtatis, qui leuiculos illos rupices exſufflent, & tanquam ſubuerbuſtos obelo figant, ſubtinnientes cymbalo frangant prophanitatis victores. Papæ! quæ oberrat oculis meis Suada de tabernaculo grauis, de Semneo verenda, de adyto heroina, & hercle Dea. Frons eius caperatur ſeueritudine, ſtira circum leonina horrida rutilanti inter antias fulgure, Leucophæo compta caliendro, diti velatro. Toros ſtringit non de ſoloce endromis, ſed multitia de ſubteminis ſtudio & luminis conſilio & menſuræ temperamento, pancarpio florida, patagio olida, vices colorum fœderans & alternans. Pectus ſquammarum ſignaculis diſculpitur triumphali cataphracto, crudus pero ſuras obnubit, & chalybe rigens cothurnus de Amazonia viragine. Hoc ſuper omnes exuuias & peplos tegmen; hic ſuper apices & titulos ſacer ſuggeſtus non gentilitus incommunis, ſed paſſiuitus notus, exoculat omnes galatici ruboris miraculo, flexu Mæandrico, rugis in tilias ductis, ſolerti vmbonis figmento, tabulato in terga deuoto. Papæ iterum! quî ſat mirer Muſicos faucium ructus, oris fatus & monelas, vt ſtillicidia nectaris de libacunculo aurato. Cùm vertiginat, oſſeo è ſepto rumpit paradiſus, parca liliis, fœta exoticis carduis Siculóque cocto, vbi flores ſuauiter horridi, viriliter aculeati inſerti & innexi, & in filo & in ſcirpo temporatim ſauciant, vltimant ad medelam. Cir-

cum paſſiuitas omnis ſtuporata de geniculis adorat manubias Iouis torquentem, qua terret: ſpiculato luncho vibrantem qua lancinat: gladiolis batuentem qua delectat: mulſi paraturam affundentem qua mulcet. Nulla pompatior ſpecies laurea inumbratur, lemniſco ventilatur, lamnulis inauratur. Hanc depretiant ſuauiludiorum aures exceptaculum nugarum, & mens lenocinij cogitatorium, quæ de commercio molliti murmuris ſcintillas voluptatis conflabellat: at diæ mannæ eſcatilem pluuiam, ſecluſi fontis aquatilem ſequelam heroës ſtupent & ſuauiantur.

Tuam fidem, Honorate, hîc te appello, te conſulo: ſic agi placet? C. Cæſar excellenti vir ingenio atque prudentia monet, vt tanquam ſcopulum, ſic fugiamus inauditum atque inſolens verbum, cùm eruditiſſimè de Analogia diſputat: qui non vnum aut alterum ponat, ſed contextum inſolentiũ verborum orationémq; omnem inferciat, eum laudandum, & eloquentiæ nomine commendandum putes? In iſto genere dicendi inamœno & ſquallido, quos ſcopulos & ſyrtes aperias neceſſe eſt, in quibus audientium mens & cogitatio, vt turbine violento, vt cæca nocte, vt procellis vaſtè ſonantibus circumagatur? Quin audimus è Gallia Philoſophum & eundem facundiæ doctorem ſumma copia & ſcientia Phauorinum, qui aliquando cùm in adoleſcentem incidiſſet, priſca verba cupidiſſimè aucupantem, è quibus ſe doctrinæ famam & multiplicis eruditionis conſequuturum putabat: grauiſſimè hominem corripiens *ineptum* etiam appellauit, cùm diceret Curium & Fabricium & Coruncanium antiquiſſima reipublicæ Romanæ lumina, & iis vetuſtiores Horatios illos Tergeminos, planè cum ſuis atque dilucidè locutos, nec Auruncorum, aut Sicanorum, aut Pelaſgorum qui primi incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed dictionem æui ſui communem adhibuiſſe: *Tu verò*, inquit, *perinde quaſi cum matre Euandri nunc loquare, ſermone abhinc multis annis iam deſito vteris, quod ſcire atque intelligere neminem vis, quæ dicas.* Deinde reprehenſionem illam ſuam, vt annulo aureo, hoc eleganti & pulcherrimo acroamate obſignauit, *Viue ergo moribus præteritis, loquere verbis præſentibus.*

Agell. l. 1. c. 10.

Sed quando ego diſputationem obſignabo meam & concludam? aut cur moror auditores meos tam beneuolos, tántque diu æquo animo diſſimulantes hanc loquacitatem? Sit igitur hic tandem finis, Honorate, non velitationis modò huius tecum de ſtylo & dicendi forma inſtitutæ, verùm etiam & totius diſputationis. Nam de voce quidem & pronunciatione effudi vobis omnia quæ ſciebam. Nihilne verò, ait Honoratus de affectibus generandis dici putas oportere, in quibus pars victoriæ maxima collocata eſt in dicendi contentione? De geſtu, inquit, opinor te ante meridiem, Honorate, diſputauiſſe, quæ ſi clarè & copiosè pro more tuo à te fuerunt expoſita, minimum eſt quod de Voce poſſum adiungere. Nihil à me, inquit Honoratus dictum eſt de motibus, aut ſanè obiter & perpaucis: res verò ita ſunt nexæ & iugatæ, vt de voce & pronunciatione dicturus, geſtus etiam in permotionibus animorum aptos & conuenientes, facilè queas explicare. Vix enim eſt vllus qui te melius id præſtare poſſit, qui tot annos in inflammandis audientium animis & eiſdem cùm eſt opus reſtinguendis ſumma laude & gloria præſtitiſti. Eam laudem, ait Theodorus, non agnoſco: ſed quoniam auctoratum me habetis & imperiis veſtris obnoxium, geram morem iubentibus, & eodem curſu orationis de geſtu & voce animi affectibus commouendis accommodata breuiter atque ordine diſputabo.

DE GESTV ET VOCE IN motibus animorum generandis.

ET PRIMVM, DE CONCILIANDA BENEVOLENTIA.

CAPVT XXI.

SECTIO I.

Ingenuitas in vultu atque pulchritudo, in omni corpore decor, ſplendor in voce atque moderatio, mirificè animos conciliant.

INTEREST plurimùm, vt Orator beneuolentiam ſibi auditorum conciliet, ſine qua, fruſtra in excitandis aliis animorum motibus elaborabit. Fit autem illud non ſplendore modò rei quæ exponitur, aut ſtylo & vbere copia orationis, quæ mirabili ſuauitate in animos audientium influat eóſque delectet; verùm etiam geſtu & voce, & corporis vniuerſi compoſitione atque ſtatu; qua de re hoc diſputationis huius initio aliquid etiam mihi eſſe monendum videtur. Conciliat ergo beneuolentiam ingenuitas quædam & actio liberalis, non coacta, non abiecta & ruſtica, non vaſta & decori vacua, ſed colore quodam humanitatis modeſtiæque illuſtris, in qua morati & benè inſtituti animi honeſtas eluceat. Abſint verò duo næui oportet atque maculæ in dicendo, quæ incredibili quadam ratione eorum qui audiunt offenſionem procreant. *Stupor* nimirum quidam ruſticanus, ſolutáque *impudentia*, & inſolentis ſupercilij elatio, quæ arrogantem, grauem, & imperioſum, & tumida ſuperbia inflatum ſignificet: quo nihil præſentius dici cogitaríque poteſt ad beneuolentiam omnem aliorum extinguendam. Vox autem debet eſſe ſplendida, & vt plurimùm moderata, ſine mollitie

Actio liberalis & ingenua cōciliat.

Vox.

mollitie dulcis, ſine affectatione iucunda, ſine aſperitate & vitiis, quæ hominum aures ſolent conuellere: ſit flexibilis & ad rem quæ dicitur accommodata, non vnius modi & contentionis, quæ languorem atque ſomnum potiùs, quàm hominum beneuolentiam conciliat. Sit denique, vt monuit S. Ambroſius plena ſucci virilis, non ficta aut pueriliter eliquata, & animi compoſiti argumentum prudentiæque oſtentet. S. Ambroſ. 1. offic.

Præter hæc autem quædam in ſtatu & corporis compoſitione animaduerti, quæ mirificam vim habent ad dicentem commendandum apud eos qui audiunt. Forma enim conſpicui, & qui vultu redolent humanitatem, non modò amore digni & coronæ audientis gratia, verùm etiam veneratione cultúque iudicantur. Sapienter Poëta bonus Stiliconem laudans, eum canit, à puero, ſpecioſiſſima effigie pulchræ mentis indicia præbere ſolitum. *Forma conſpicui.*

Iam tunc conſpicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebátque ducem celſi nitor igneus oris
Membrorúmque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis.

Claudian. l. de laud. Stilic.

Hanc decoris pulcherrimi notam non omiſit Martialis, cùm laudat Cæſarem.

Purpureum fundens Cæſar ab ore iubar.

Sic Ammianus omnino eleganter de Gratiano lecto Imperatore, *quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultúſque & reliqui corporis iucundiſſimus nitor, & egregia pectoris indoles quæ Imperatorem impleſſet.* Quæ ſanè omnia ornamenta ſunt eiuſmodi, vt non modò artibus expolitos & virtutum eximio comitatu, verùm etiam duros & agreſtes facilè alliciant. Præſertim autem in adoleſcentibus hæc honeſti & virtutis indoles mirificè delectat: quod Plotinus ſubtiliter animaduertit, vbi de pulchri effigie commentatur, *Probo viro*, inquit, *virtutis indoles apparens in iuuene, iucunda contingit, propterea quod veræ virtuti quæ eſt intus conſonat.* Quare ingenioſus pictor elegantiæ Lucianus præſtantem Athenis adoleſcentem commendans ita loquitur, *Hic ſubito viſus in admirationem te rapiet, adeo præſtanti corpore viſendus eſt, & maſcula quadam forma decorus & amabilis. Quod ſi etiam ore ſoluto loqui incœperit, ducet te reuinctum auribus, tantam dicendi venerem & verborum ſua-* Plotinus Emend. 1. 16. Lucian. in Scyth.

nitatem iuuenis in lingua ſitam poſſidet : quin ciuitas vniuerſa ad audiendum inhiat quoties ad populum verba facturus progreditur. Quanquam id bonum non tantùm in adoleſcentia commendari ſolet, ſed omnino valet in omni hominum genere atque ordine, in quibus tacitè virtutis fulgor in mente contuentium emicat, & inſatiabili quadam ſpecie irretit, adeo vt verè magnus ille ſophus, de quo modò memoraui, Plotinus dicat iuſtitiæ & temperantiæ, & virtutum aliarum vultum, ita pulchrum & decorum eſſe, vt neque Heſperus, neque Lucifer, æquè ſpecioſus videatur. Quantum igitur præſidium eloquens habet ad omnium beneuolentiam conciliandam, in cuius vultu decus pingitur, & modeſtiæ ſplendor elucet?

Hæc perinde Græcis Latiníſque fuit communis exiſtimatio, quam etiam ferè omnium nationum propriam eſſe dixerim, eminentem illam ſpeciem & dignitatem, eum ſplendorem & conuenientiam partium formoſitate venerandam, vim animi reconditam moréſque decoros perſpicuis veluti notis exprimere. Ea lux honeſtatis in tota quidem compoſitione corporis, ſed præcipuè in vultu oculíſque cernitur : quam proinde gratiam Hebræi excellentémque ſpeciem, *illuminationem vultus* nominant, vt memini à doctiſſimis Theologis notatum. Profani Muſarum Antiſtites, *honores diuinitus oculis afflatos, luménque purpureum* indigitarunt : propter quod decus, & inſigne aliis hominibus ſuſpiciendum, quidam os humeróſque Deo ſimiles habeantur. Euripides εἶδος ἄξιον τυραννίδος: Gregorius Nyſſen. *σώματος εὐφυΐαν, eximiam corporis indolem & gratiam*: flos poëticæ delibatus Homerus *τηλαυγὲς πρόσωπον, longè & latè radiantem frontem* appellat. Ea cauſa Thebæus Vates oculos habere dicit *ἀοιδίστατον γέρας, honoratiſſimum decus* : quod decus ſummo heroi & fortiſſimo Achilli congenitum fuiſſe videtur, ſi modò vera prodit Philoſtratus, *ἀκτῖνα μὲν*, inquit, *ἀπὸ τοῦ προσώπου ἔπεμπεν, radios à facie emittebat*, delinimenta videlicet quædam, vt retia, quibus hominum beneuolentiam emerebatur. Dixit Euripides in Troadibus *χαλλιγάληνον πρόσωπον, vultum ſereno pulcherrimo nitentem :* Iulius Pollux oculos *ἐπαγωγοὺς, illecebroſos.* Hunc igitur ſplendorem ἐρατεινὸν, hanc lucem eximiæ humanitatis, hos placidi & defœcati animi radios, ſi emiſerit

Vultus aptus ad conciliandum.

Bellarm. in Pſal.

Orat. 2. de quadrag. mart.

Homer. in hymn.

Pind. od. 5. Pyth.

Philoſtr. in Heroic.

Orator, minimè dubium eſt, quin amoris erga ſe omnium flammam excitet: ſiue illam amabilem ſpeciem in ſolo vultu ponamus, ſiue in totius corporis εὐρυθμίᾳ: quemadmodum elegantiſſimè Lucretius eam gratiam omnibus artubus circunfudit.

——eſto iam quanto vis oris honore Lucret. l. 4.
Cui Veneris membris vis omnibus exoriatur.

Et eadem venuſtate Muſęus, Πολλαὶ δ' ἐκ μελέων χάριτες ῥέον, *multæ autem è membris gratiæ fluebant.*

Neque verò eſt quod auſterus quiſpiam nimiúſque amator grauitatis eam viſendam in oratore ſpeciem, formoſiq; vultus innatam gratiam, & eximij oris decus repudiandum eſſe putet, nihilique faciendum, quod in diuinis literarum monumentis dici audiat *vanam eſſe pulchritudinem*, eáque omnium voce ſapientum contemni videatur. Scio muliebrem venuſtatem quæ flagitio inanitatíque potius quàm virtuti ſeruiat, piorum hominum conuicio deprimi, & vanam eorum eſſe gloriationem, qui ſine vllą animi formoſitate in ornando & poliendo corpore inſudant, & exiguo illo ætatis flore ſolos ſe pulchros & beatos opinantur. Sed idem aio religioſiſſimos viros diuinæ mentis interpretes quorum dicta veneramur, eam vultus amabilem honeſtatem, liberalem illam humanitatem affuſam oculis, & emicantem in ore toto gratiam, quæ pulchri animi velut nobile domicilium inſigniat, præconio olim ſuo cohoneſtauiſſe. Gregorius Nazianzenus, quantus vir! quámque diu in ſapientiæ gremio educatus! Cyprianum laudans omni perfectione abſolutum, & ſpecie ipſa magnificum & decorum, vocat τὸ τῆς φύσεως ἄγαλμα, *elaboratum naturæ opus*, & aliorum hominum florem. Et Salomon qui ſe Concionatorem nominat, ſanè in dicendo egregium, in eo ſe pręcelluiſſe omnes reges & dynaſtas gloriatur, quod vt notat S. Hieronymus, *ſapientiam intimam in ſpeculo vultus prodiderit*, & prudentiam mentis in facie ſua pinxerit.

Vultus amabilis honeſtas quãtum poſſit.

Greg. Naz. or. 18.

S. Hieron. in c. 8. Eccl.

Itaque multi acerrimo iudicio præditi, & illuſtrium artium magnitudine, id ſplendidi & compoſiti animi decus etiam in Philoſophis prædicauerunt, in Imperatoribus, in reipubl. ducibus, in iis denique omnibus qui ad laudem nati videbantur. Porphyrius qui de multis ſapientiæ doctoribus meminit,

Plotinum ait Philoſophum ex Academia nobilem illo oris habitu atque luce præſtitiſſe. Sic enim habet, *Inter loquendum mens emicabat foras, lumen intimum ad vultum vſque diffundens, & erat quidem amabilis aſpectu, ſed dum diſputaret pulchrior admodum videbatur.* Orator Plinius Traiani imperatoris auguſtam & eximiam dignitatem oratione ſua nobilitans, ea dulci & pollenti oris ſuauitate triumphatas veluti omnium ciuium mentes captáſque ſignificat, hoc enim eſt illius diſerti hominis elogium, *Cuius lætiſſima facies & amabilis vultus, in omnium ciuium ore, oculis, animo ſedet.*

Porphyr. in vit. Plot.

Plin. in Panegyr.

Et vt quod noſtræ diſputationis eſt proprium dicam, hanc boni & præſtantis oratoris notam regiam, & mirabile ſpecimen, ſcriptores Græci Latiníque facilè omnium doctiſſimi in gloria & laude poſuerunt. Idem ipſe quem modò nominaui Plinius, cùm dotes Minucij Aciliani enumerat, quæ apud omneſillum gratioſum & iucundum efficiebant, *Eſt*, inquit, *ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam ſenatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda.* Leontius Scholaſticus Poëta Græcus, cùm Petrum in dicendo coryphæum, & facundiæ inclytum lumen, poëticis coloribus vellet pingere, ita canit.

Plin. l. 1. ep. ad Iun. Maur.

Anthol. l. 5.

Πέτρου ὁρᾷς ῥητῆρος ἀεὶ γελόωσαν ὀπωπὴν
Ἔξοχον ἐν ἀγοραῖς ἔξοχον ἐν φιλίῃ.

vbi hominis in foro dominantis vultum ſuauiſſimè renidẽtem expreſſit. Sed exemplorum quidem eſt ſatis & experientiæ, vt verum eſſe fateamur, quod venuſtè & concinnè dixit Laberius, *Formoſa facies muta commendatio.*

SECT. II. *Contrà, beneuolentiam Auditorum plurimùm imminuunt fœda oris ſpecies in dicente, corporis illuuies, ſordes in amictu, vaſtus motus.*

QVOD etiam vel ex eo conſtare poteſt, quod truces atque horridos, & vultu ad deformitatem velut naturæ contumelia generatos, nemo æquo animo intueri ſoleat. Caperata frons, hirta & immanis, defoſſi oculi, neſcio quid draconum

vibrantes, ſimæ & repandæ nares, vaſtum os rictu inamœno, facies torua, & vt verbo vtar Oppiani *κατωμειδητος*, *riſu omnì & lepore vacans*, velut infauſto & horribili auſpicio fugant omnes. Vnde lepidè Poëta vetus.

Perplexi crines, frons improba, tempora preſſa, *Sulpitius Lupercus.*
Extantes mala deficiente gena.
Simataque iacent pando ſinuamine nares
Territat os nudum, &c.

Nolim igitur Therſites aliquis os populo ſuum oſtentet, aut inuenuſtus ore tetro & deformi in lucem Curiæ & ſedem honoris introëat, quem cùm cœtus intuebitur propter vultus eximiam fœditatem, neſcio quod tetrum & inauſpicatum prodigium videre ſe putet. Huiuſmodi enim vulgò homines rideri ſolent atque deſpui, non coli, non obſeruari, non attentiſſimis animis audiri, præſertim ſi vaſtus etiam motus & inamœnus accedat. Sapienter Cornelius Tacitus Iulium Pelignum, *ignauia animi & deridiculo corporis iuxta deſpiciendum* nominat. Et poëta Ægyptius quem Arcadius & Honorius Auguſti pulcherrimo elogio cohoneſtarunt, meritò indignatur Eutropium fœdum hominem in tribunal aſcendere, eúmque per contumeliam *Simiam* dicit.

Quam pulcher conſpectus erat, cùm tenderet artus *Claudian. l. 1. in Eutr.*
Exangues onerare toga, cinctúque grauatus
Inductóque ſenex obſcanior iret in auro
Humani qualis ſimulator ſimius oris.

Cur vultu fœdi horridiq; diſplicent. Cur autem fœdi Oratores vulgò diſpliceant, miniméque apti ſint ad conciliandum auditorem, cauſa duplex adferri mihi poſſe videtur. Imprimis natura ipſa repugnat: nam vt aiebat doctus vir moratúſque Plotinus, *Quod turpe eſt, id eſt naturæ Deóque contrarium, natura enim pulchrum ſpectans agit.* *Plotinus Enn. 1. l. 6.* Præterea ſcelere animus & maleficio deformis, nonnunquam os vultúmque omnem diro quodam veluti afflatu contaminat, communíſque ſolet eſſe opinio, corpus inter animúmque ſimilitudinem vt plurimùm intereſſe. Sic perfidi Iuliani vultum contumeliam ſpirauiſſe, is qui ſæpe illum viderat, ait Nazianzenus. Pari prope in loco meo iudicio poni debent, qui non quidem natura deformes, ſed ſordibus & negligentia infuſcati, pædore obſiti, illuuie obſoleti in concionem prodeunt.

Sunt enim quidam qui non ſatis à puerilibus annis honeſtè educati, vel ſtudiorum aſſiduitate ſui negligentiores effecti, ruſticanam agendi rationem, & ſordes, atque inquinatum corporis cultum ſequuntur. Itaque veniunt ad dicendum illotis quod aiunt manibus, vultu certè maculoſo, fuligine obſiti, impolitie horriduli, impexi, capillati, ſordida barba & confuſa, malè compoſito veſtitu, toga ab humeris defluente, collari fuſco, pileo adipato, quaſi è ganea & gurguſtio irent in ſubſellia. Huiuſmodi patronum ego noui vnum, vnum item in Academia principe, Philoſophiæ doctorem, vtrumque impensè ſtudiis deditum, vtrumque ſui negligentem & ſordidum. Vtcunque tamen ferebantur propter eximiam quandam iuris in illo ſcientiam, in hoc ſubtilium rerum cognitionem, ſed ab eleganti iuuentute irridebantur. Sic Rullus corpore inculto atque horrido, capillatior quàm antea barbáque maiore, cùm in concionem proceſſit, fuit eleganter à M. Tullio & facetè illuſus. Marcus orator Byzantius γενειάδος δὲ κόμης αὐχμηρῶς εἶχεν, ὅθεν ἀγροικότερος ἀνδρὸς πεπνυμένου ἐδόκει τοῖς πολλοῖς, *barbam & comam ſordidam habuit, quare agreſtior quàm vir catus & conſultus multis videbatur*, ait Philoſtratus. Atque vt fœda oris illuuies cultúſque neglectus aut ſordibus inobſcuratus, ingenuum conſeſſum abſterret, & prope dicam Gorgoneo aſpectu horrificat; ſic dulcis ea de qua dixi frontis humanitas, ſic à virtute illuminata pulchritudo, non delitiis paratúq; fœmineo queſita, ſed veluti rationis manu atque moderationis extructa, aut à natura donata, ſic denique à ſordibus aliena honeſtas, mirum quantum apud homines Oratorem commendant.

Philoſtr. l. i. de vit. Soph.

SECTIO III.

Aliud ad conciliandam beneuolentiam opportunum, nimirum animi nobilitas *geſtu atque vultu expreſſa.*

EST etiam aliud quiddam quod vehementer animos audientium dicenti adiungit, in geſtu nimirum atque vultu ſignificata quædam animi nobilitas, quam rectè M. Tullius

blandam conciliatriculam appellat. Neque verò hic eam tantùm nobilitatem intelligo, quæ ab illuſtri proſapia ducitur generiſque ſplendore, quæ poteſt eſſe vacua eruditionis & prudentiæ, & ſic prodire ad dicendum, vt nihil dici poſſit ruſticius. Quanquam non nego vim habere vllam decus familiæ, & maiorum veluti gentium claritatem ad eloquendum: *Omnes* Cic. or. pro Sext. *vulgo nobilitati fauemus*, ait omnium Oratorum elegantiſſimus Cicero, quam ſuo iure doctus Euripides δεινὸν χαρακτῆρα nuncupauit, *pollentem hominibus notam* & præſtabilem dignitatem. Quæ ſi bonarum artium cognitione doctriniſque nudetur, manca eſt, & veluti in obſcuro loco poſita obſoleſcit: ſin verò illa copulentur in eo felicius, qui facta & polita oratione tenere cœtum velit, gemma eſt, auro in medio collucens, & neſcio quid magnum & hominibus admirabile. Pulcherrimè Ticini flos luménque Ennodius, *Occultari*, inquit, *ſe non patitur fætura ſublimis*, *decus clari ſan-* Ennod. Schol. 2. *guinis non tenetur in abſcondito*, *vox verenda originis*, *licet in receſſibus*, *ſemper auditur.* Talis fuit ingenio nobilis clarúſque Parthenius, qui vt idem aiebat, *proſapia nitorem*, *eruditione* Id. Schol. 4 *loquebatur.* Talis & ille in Fabiorum gente Maximus, verè Orator maximus & perfectus, quem Ouidius *Romanæ linguæ facundia principem* nominat. Is ad notæ honeſtiſſimæque ſtirpis amplitudinem, aliam quandam quam moribus ſuis effecerat nobilitatem adiunxit: hinc Vates ſic illum ab exilio affatur.

Maxime qui tanti menſuram nominis imples Ouid. l. 1. de Pont. el. 2.
Et geminas animi nobilitate genus.

Dominabatur igitur ille in foro & Curia, & dicendo perficiebat, vt ij qui audirent, non vnum quempiam τῶν τυχόντων, ſed de ſummis vnum, & de cœlo delapſum ſibi audire viderentur. Quod attingit idem poëta eleganter.

Aſſuetáque tibi docta dulcedine linguæ, &c.

Horatius autem in eodem inſignia quadam ornamenta tria connumerat, quæ hominem in ſummo eloquentiæ gradu collocent, nimirum nobilitatem, oris pulchritudinem, & multiplicium rerum intelligētiam accuratam & exquiſitam. Lubet auream teſtudinem poëtæ exaudire, ita enim reſonat l. 4. carm.

Horat l 4. car. od. 1.

——namque nobilis & decens
Et pro ſolicitis non tacitus reis
Et centum puer artium.

Recte ſanè haud tacitus hærebit in tuenda ſalute innocentium, quicunque Orator hac triplici è fronde coronam in forum iudiciúmque attulerit.

Picta & expreſſa in vultu & actione nobilitas.

Sed vt omittam de illa nobilitate dicere quæ è genere maiorúmque familia petitur: aio quandam in dicente nobilitatem eſſe poſſe, quæ mirabiliter conciliet, quæque proinde in ore atque motu ſignificari debeat. Quid enim cauſç eſt, cur quoſdam vaſtos & agreſtes, vt primùm os & caput extulerint, vt ruſticanos vileſque repudiemus; quoſdam autem vt politos & regales probemus? An non ſignum eſt perſpicuum, eſſe quiddam in homine liberale, quod animi tacitam excellentiam & veluti nobilitatem aperiat, quamuis alioqui humili è loco & fortunæ ſumma tenuitate ſit oriundus? Seneca doctè vt multa *nobilem* dixit *formam*, quæ nimirum altæ mentis quoddam veluti pignus & notam ferat. Et cultiſſimus Nazianzenus, καὶ σχῆμα τε πρέπουσαν εὐγενὲς τέκνου, vbi & in geſtu & in vultu nobilitatem reponit, quam cùm Orator in ſeipſo expreſſerit, licebit illud exclamare cum poëta.

Ouid. l. 2. de Pont.

Atque hac eſt dicas facundia principe digna
Eloquio tantum nobilitatis ineſt.

Dio. Long. περὶ ὕψ.

Longinus id ornamentum vocat μεγαλόφρον & γενναῖον τὸ διάγημα, quod tanti eſſe ait in Oratore, vt quamuis deſit magnifica & plena, & ſuis numeris abſoluta pronunciatio, admirationem tamen pariat intuentibus, ob illam quæ lucet in ore animi magnitudinem atque indolem generoſam, quemadmodum, inquit, Aiacis in Necya ſilentium, eſt μέγα τε παντὸς ὑψηλότερον λόγου, *quauis oratione ſublimius atque magnificentius*.

Specimen nobilitatis.

Hic Druſi memini Tiberij Imperatoris filij, qui miſſus ad ſedandam militum ſeditionem, mira quædam hac indole perfecit. Cornelius Tacitus ſic de illo memorat, *Druſus orta die & vocata concione, quanquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incuſat priora, probat præſentia*, &c. Nobilitatem ingenitam vocat, non ab auis & maioribus hauſtam, ſed animi excellentia in corpore eminentem, & decoram veluti

Tacit. l. 1. Annal.

effigiem

effigiem animi liberalis, quæ longè *indoctæ multitudinis* conditionem abiectionémque exuperet. *Eo Druſus ingenio* atque ſpiritu, ea totius formæ dignitate, quam *appello fi-guratam* & expreſſam nobilitatem, etiam tacens & eloquentiæ armis destitutus, mulcere furentes milites potuit, & *officij* commonefacere, quanquam *pars ipſius nobilitatis in* virili & honeſta pronunciatione conſiſtit. *Dixi fortè rem* obſcuriùs verborum inopia & ieiunitate: verùm ſiue dignitatem oris appellemus virilem, ſiue expreſſam mentis excellentiam, ſiue ingenitam grauitatem, ſiue regificam ſpeciem, ſiue indolem viuidi ingenij & laudati, ſeu vigorem animi ſeſe in ſtatu motúque prodentis, ſeu denique nomine vno nobilitatem, perinde eſt, dum intelligatur, id quidquid eſt, bonum eſſe ſtudio Oratoris digniſſimum, quod vehementer conferat tum ad parandam auditorum beneuolentiam, tum ad fidem faciendam. Hæc nobilitas dulci quodam amoris laqueo Didonem irretiuit, humaniſſimam heroinam, *Alia ſpeci-* Tyriæ gentis miraculum, vbi illam primùm in Troiano du- *mina ex-* ce animaduertit. Nam eius plurimis ornamentis obſtupefa- *preſſe no-* cta, ad ſororem Annam, Quis, inquit, & quantus ille vir *bilitatis.* eſt, qui ereptus è pelagi vndis ad nos appulit?

Quem ſeſe ore ferens? quàm forti pectore & armis? Virgil. 4. Æneid.

hoc eſt, quanta eſt in ore & vultu nobilitas? quanta lucet animi generoſi fortitudo? Aliàs ſummus Poëta illud ipſum nominauit, *magnum inſtar*, ſic enim de præſtantiſſimo iuuene Marcello,

---quantum inſtar in ipſo eſt! l. 6. Æneid.

Quod Galli dicerent, *pulchram apparentiam in nobili adoleſcente.* Hæc in Piſone celebrata fuit nobilitas, quo dicente propter inuſitatam facundiam Curia & forum aſtupebant. Herous vates ita pingit,

Ingenitæ vultu ſtat nobilitatis in illo Lucian. in
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora. panegyr.

Philoſtratus in oculis Oratoris & aſpectu reponit quandam εὐγένειαν quæ delectet; nam de Sophiſta Hippodromo loquens, Agreſtiori, inquit, erat facie, ὅμως ἀμήχανον εὐγένειαν ἀπεδήλου τοῖς ὄμμασι γοργόν τε καὶ φαιδρὸν, *mirificam tamen* Philoſt l. 2. de vit. Sop. *nobilitatem generoſitatémque, ac ſerenitatem oculis præferebat.*

Denique certiſſimum eſt quod Hecuba apud ſapientem Euripidem extulit, non perinde omnium hominum valere ſermonem, ſed conceptam de alicuius præſtantia & virtutibus opinionem, plurimùm ponderis & momenti ad perſuadendum ſolere adiungere,

Euripid. in Hecub.

—λόγος γὰρ ἔκ τ᾽ ἀδοξούντων ἰὼν
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει.

QVÆ ACTIO ET PRONVNCIATIO ſit mouendo Amori opportuna.

CAPVT XXII.

IN Amore qui geſtus atque pronunciatio adhibenda ſit, pendet ab illius affectionis cognitione, quæ maximè varia eſſe ſolet, & in diuerſis diſſimillima ratione produci. Qui amant, & erga rem quampiam afficiuntur, feruntur nonnunquam impotentes, ſolliciti, inflammati, qui vires animi omnes & corporis ad agendum euocent, ſicque animo agitentur, vt quemadmodum egregiè animaduertit Longinus Criticorum omnium acutiſſimus, non πάθος ille videatur amor eſſe, verùm potiùs παθῶν σύνοδος concurſus quidam & coagmentatio omnium perturbationum. Huius exemplum ponit in Sapphone Muſarum antiſtite, ſed facibus amoris incenſa, quæ ad ſuæ affectionis magnitudinem explicandam, animum, corpus, aures, oculos, linguam ciet, & contrariis motibus excitata ſimul ψύχεται, καίεται, ἀλογιστεῖ, φρονεῖ, *friget, vritur, deſipit, ſapit.* Eundem æſtum acrem & efferueſcentem expreſſit Poëta magnus in Didone regina, quæ quid dicat faciatve notum eſt, ita lectiſſimæ & miſerrimæ fœminæ impotentiam, ſcholæ, theatra, auditoria, omni ferè orbe terrarum perſonant. Vim quoque eius affectionis rapidam & commouentem omnia, in diuinis oraculis cernere licet, in illa heroina ſponſa, cuius torridum & pium iecur admirabilis ſponſi beneuolentia & pulchritudo ventilabat; quæ prope ſui oblita, dum anhelat ad tanti bóni exoptatam poſ-

Dionyſius Longinus π. ὕψ.

Digitized by Google

feſſionem, cœlum, terram, ipſas quoque brutas animantes affatur, & ad ſponſi incredibilem ſpeciem & decorum aſſimulandum, naturarum omnium perfectiones accommodat. Eſt autem illum idem affectus mitior, vt plurimùm in communi agendi ratione hominúmque vita, qui neſcio qua liqueſcentis animi ſuauitate & teneritudine amoris lenitus, placidè in lucem prodire ſolet, animóſque pellicere. Et tum quidem pugnat blanditiis, neque ſe in omnem ſpeciem atque formam, ea quam priùs aiebam varietate & contentione commutat.

Duplex hominum genus notandum.

Itaque mihi duo hominum genera animaduertenda videntur, vt benè & ſcienter de Actione pronunciemus, in inflammandis hominum animis ad ea amanda quæ ſtudioſè commendata eſſe volumus. Quidam enim ipſa natura duce feruidi ſunt, acres, animoſi: & quocunque voluntate incubuerint, eo totius animi corporiſque motu viſque feruntur. Nihil in eorum oratione eſt tenerum atque molle, nihil delicatis affectionibus blandum & quietum, nihil dulci motione titillans: omnia erecta, fortia, agentia, quæ maſculum animum Martiúmque ſignificent. Talem fuiſſe coryphæum Demoſthenem certum eſt, quem videmus igneo veluti curru & falcato volitantem, rapere omnia ſecum, atque in cœlum attollere: bellatorem facilè queas agnoſcere non batuentem, qui non blanditiis vt armillis decorus & argenteo Perſarum inſtructu pugnet, ſed ſplendido ferro pugnatorióque mucrone circumferatur. Acer igitur eſt & vehemens in omni genere affectuum: etiam in Amore commouendo ſpiritus magnos aculeóſque exerit. Huiuſmodi quoque fuiſſe Brutum facilè exiſtimauerim, Brutum illum dico Oratorem & Imperatorem ſummum, cui Cicero pleraque ingenij ſui monumenta inſcripſit. De illo iactatur id veriſſimum, *Quod Brutus vult, valde vult*, delitiari quaſi oratione, & blanditias facere, effœminatum & molliuſculum opinabatur. Quæ cauſa fuit, cur Marci Tullij pictum, & floridum, & redundans incredibili ſuauitate orationis genus, vt non ſatis forte & robuſtum carperet. In eadem ſunt claſſe Oratores illi omnes quos Tragicos vehementéſque nominant, qualem deſcribit Sulpitium Craſſus apud Ciceronem

3. de Oratore. *Sulpitius*, inquit, *fortiſſimo quodam animi impetu, pleniſſima & maxima voce, ſumma contentione corporis & dignitate motus*, &c. Et de M. Antonio paulò pôſt, *Videtiſne genus hoc quod ſit Antonij, forte, vehemens, commotum in agendo*, &c.

Alij ſunt facti à natura ad omnem humanitatem lenitatémque animi, vix iraſci queunt, aſperiúſque inſurgere, in morata oratione dulci & placabili triumphant, lenioribus affectionibus indulgent, vix τραγικώτερα illa mouere & bacchari in animum ſuum inducunt. Ipſe curſus liquidæ orationis, leni flatu ſuauiter ſpirantis Fauonij, ad animos auditorum non ſine motu voluptatis appellit.

Varietas in amore excitando. Feruidorũ in agendo ratio.

Non eſt dubium, quin hoc duplex hominum genus variè ſit in exponenda eadem re dicturũ, varios geſtus & diſſimiles vocis commutationes editurum, diuerſiſſima in agendo ratione amorem in animis auditorum ingeneraturum. Nam priores illi qui flammam habent in pectore, quíque in omni ferè dictione adhibent neruos & viuidam contentionem, cùm præſtantis & eximiæ rei conditionem ante oculos poſuerint, cùm eius dignitatem & vberrimas vtilitates proſecuti fuerint, cùm explicarint quàm ſit eius cum incredibili facilitate neceſſitas: tum ad motus excitandos, amorémque ingenerandum ita venient, vt feruida illa natura emineat. Itaque ſeuerè atque acriter hominum cæcitatem coarguent, qui tantæ rei pulchritudinem excellentiſſimámque dignitatem minimè videant, aut animi ingrati maleuolentiam exagitabunt, qui eam cognitam & perſpectam repudient. Teſtabuntur qui vbíque fuerunt ſapientum hominum iudicia, brutas ipſas animantes ad diſceptandum prouocabunt, in quarum impetu & naturæ veluti formula, lucet boni & commodi peruestigatio. Nonnunquam minas intentabunt atque damna in omnem partem ingentia, ſi bonitas illa tanta quam ſuadent pro nihilo habeatur. Aliquando excitabunt etiam è monumentis eos, qui vel rem eam ſingulari beneuolentia ſunt complexi, non ſine inuſitata & prope immenſa voluptate & commodo, vel qui eiuſdem contemptione grauiſſimas calamitates & iuſtiſſimos dolores viui mortuíque hauſerunt. Atque hæc omnia ſic agent, vt vibrentur manus, pes pulpitum interdum

quatiat, pectus, caput, humeri adlaborent, magna voce verba efferantur, ſpiritus & latera conſentiant, eorum qui audiunt animi percellantur.

Alij verò quos mollioris & placabilioris naturæ diximus, leui quadam permotione ad eundem Amorem coronam multitudinémque ducent, aberunt vociferationes, ſupploſiones, iactationes corporis: hærebit in eo potiſſimum oratio, vt commemorabilis rei dignitas & prædicanda intelligatur: exponẽt rei facilitatem & ſuauitudinem plenam ſolidæ voluptatis: non omittent ea adiumenta multa & magna, quæ omnibus rei parandæ ſuppeditãt. Suaui potius motu & geſtu, quàm acri & contorto amorem ipſi ſuum patefacient; ipſa oris humaniſſimi ſerenitas non mediocre momentum adiunget. Vox ad quandam ſuauitatem veluti emollita, ſic tamen vt abſit nimia teneritas, plurimum valebit ad amorem in animos demittendum, *Modulationem* eam vocant Rhetores aptæ & artificioſæ pronuntiationis qualitatem, de qua ſic Maximus Victorinus, *Modulatio eſt continuati ſermonis in iucundiores dicendi rationes artificis flexus, & in delectabilem auditus formam conuerſus, acerbitatis vitandæ gratia.* Atque hæ duæ ſunt vt monebam excitandi amoris rationes, planè diſiunctæ, & propè contrariæ in agendo, de quibus haud facilè pronunciem, quæ potior aut melior eſſe videatur. Sanè vtrámque rationem à Chriſtianis Oratoribus qui conciones habent ad populum, cum laude & eximio fructu adhiberi conſtat. Priores illi forte propius abeſſe à periculo videri poſſint, ne feruori obſequantur nimium ſuo, & naturæ velificentur: adeóque verendum, ne non tam pulcherrimæ rei amorem, quam incommodorum metum progignant. Poſteriorum autem via & ratio, & communior eſt vulgò, & ad hominum ſenſum accommodatior. Sed detractis omnibus vitiis, haud inuitus cenſeam, vt genium quiſque ſuum ſequatur naturámque poliat, nam veriſſimum illud eſt,

Natura ſequitur ſemina quiſque ſua.

Naturæ leniores quo modo agãt.

Victor. de Gram.

Cúmque ſe locum & perſonam tenere Antiphontis Orator exiſtimabit, qui artem quandam leniendi mœroris penitúſque ſanandi profitebatur, pronunciabit ea quæ dicet, amico animo, qui foras emineat, ea vocis inflexione, quæ ſpem & hilaritatem ſignificet, lætúſque vultus & apertus orationem comitetur. Ipſæ manus quaſi attollere abiectos videantur, & è tenebris ad dulce lumen euehere, trunco ipſo & corpore modicè in auditores propendeat, qui geſtus eſſe eorum hominũ ſolet, qui benè aliis cupiunt, & in eorum ſe commodum officiúmque profundunt. Exempli gratia, ſi in ſummo belli periculo atque metu ſit in loco ſacro aut profano dicendum, multis audientibus, qui nunciata militum crudelitate atque ferocia, vehementer animo commoueantur, atque ita agat orator. Quid eſt quod magnopere nunc metuendum quiſquam pateat, cùm magiſtratus pro eximio ſuo erga omnes amore, incredibili cura & ſollicitudine communi rei prouideant? Vigilant enim & è cuſtodia in omnem partem ſpeculantur, vt cõpreſſa impiorum tempeſtate quam videmus ſubitò in agros atque prouincias bello impio & crudeli effuſam, breui otium tranquillitatémque denuncient. Qui ſi minus officio ſuo fungerentur, non deeſſet illa hominum generi prædicanda parẽtis omnium Dei prouidentia, quæ profectò publicam rem priuatámque tuetur. Excitate excitate quæſo Auditores veſtram mentem ad Numinis beneuolentiam cogitandam, quæ nunquam rebus noſtris indormit, ſed adeſt; támque in clara luce hominum generi prouidet, vt hæc quæ geruntur omnia, quæque nobis eueniunt, illius nutu & voluntate adminiſtrari videantur. In eius clementiæ ſinum confugiamus, in eo ſpem collocemus, quo iubente, illæ omnes præliorum contentiones ſonitúſque armorum conticeſcet, &c. In his paucis ea fieri omnia poſſunt quæ notabam. Et omnino ſi accedat geſtus & oratoris pronunciatio ad fiduciam generandam idonea, ſic vt ea quæ dicuntur, non extremis veluti è labris, ſed intimo ex animo procedant, non eſt dubium, quin ad terrores minuendos abiectóſque animos reficiendos plurimùm ſint valitura.

SECTIO II.

Vox & geſtus in gignenda Lenitate, & dulci affectu permouendis eorum animis qui audiunt.

ILLA item quam dixi vultus oculorúmque ſuauitas, valet maximè ad animi placabilitatem excitandam, cùm leniendæ mentes ſunt, & dulcitudine quadam moderandæ. Neque enim dulces illi & iucundi affectus in animos ſe inſinuare aliorum poſſunt, niſi os ipſum Oratoris veluti aditum aperiat, cuius grata & liquida conformatio, tacita quadam machinatione perficit, vt ij qui audiunt non inuiti obſequantur. Quod præſertim fiet procliuius, ſi vox quædam adiungatur ad illam affectuum ſuauitatem inurendam accommodata, quæ haud obſcurè ſignificet, dicentem eadem ipſa lenitate, humanitate & beneuolentia imbutum, quam in aliis cupit efficere. Sanctiſſimus Remigius qui primus regiam Gallorum proſapiam ad lucem religionis eduxit, nihil eſſe videbatur, quod hoc vultu & genere orationis in pietate in hominum animos inſtillanda non fuiſſet conſecutus. De quo verè illa Flodoardus, *Mentis puriſſimæ ſinceritatem pij vultus præferebat alacritas, clementiſſimique cordis benignitatem, ſermonis indicabat tranquillitas.* Et ne quis putet eam oris temperationem atque vocis non diuino quodam artificio ab eo ſumptam, ſed à natura veluti molliori & iraſci neſcia fuiſſe inditam, addit paulò pòſt, eum mirabili quodam nexu diſſimillimas duas virtutes iugauiſſe, vt & foret metuendus ſeueritate, & amplectendus benignitate, *vt erga deuotos Petrus appareret in vultu, contra delinquentes Paulus videretur in ſpiritu.* Vultum Petri, dulcem illam vocat oris compoſitionem humanitatis & beneuolentiæ notis inſignem, gratiarum veluti colore tinctam, humanitate collucentem, quam inducebat tum vir diuinus & dicendo pollẽs, cùm acres animos atque duros mollire, & pietatis humanitatíſque ſenſu perfundere cupiebat. Atq; hoc ore & pronunciatione mihi dubium nullum eſt, quin M. Tullius vteretur, cùm Ligarium apud Cæſarem dominantem, & pro arbitrio gerentem omnia, defenderet.

Flodoard. l.1. hiſt. Rem.

ret. Quem cùm vellet ad animi placabilitatẽ beneuolentiámque traducere, grauem illam & fulminantem orationem deponit, remouet aculeos, ardorem omnem incenſæ dictionis abiicit, vultum accommodat atque vocem ad paternam quãdam beneuolentiam ſignificandam, vt illius Dynaſtæ mẽtem, iracundiæ & fortunæ pennis euectam, glorioſè volitantem & ſuperbientem, ad dulcem quandam humanitatem lenitatémque inflecteret, & maximè illis dicendis, quæ fideliter è memoria mea repetam: ita enim dixit, *Sed ego ad parentem loquor, Erraui, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, vt ignoſcas oro. Si nemo impetrauit, arroganter, ſi plurimi, tu idem fer opem qui ſpem dediſti*, &c. quæ tam amico geſtu & vultu pronunciauit, vt vel ſaxeum æneúmque pectus mouere potuiſſet. Huius generis in oratione pro M. Marcello multa, & pro Archia Poëta ſunt, quæ illa oris atque vocis moderatione pronunciata, dulcem quendam animi ſenſum comitatémque genuerunt.

Id ipſum Oratores ſacri tenere ſolent in ſpargenda per omnium mentes & diſſeminanda pietate, & excitandis igniculis caritatis aduerſus Deum: frons eorum exporrecta, oculorum totiúſque vultus, vt liquidi & ſereni cœli conſpectus, vox inflexa, geſtus manuum & totius corporis amabili quadam ratione temperatus, placidæ orationis flumen candore animi vt argenteis vorticibus illuſtre, in progignẽdis lenioribus illis affectibus multùm poſſunt. Quam in rem valet etiam plurimùm ſi Orator ſuam vocem emolliat, non eorum more dicentium qui animi teneritudine vitioſa, luxu & mollitie diffluentis, vocem infringunt, & vt canit doctiſſimus Tertullianus de Iſidis ſacerdotibus incredibiliter effœminatis,

Leniter incedunt mollita voce loquentes. Tertull. Carm. ad Senat.

Iſtam enim delicati & languidi animi mollitiem procul abeſſe volo ab ingenui viri honeſtate: ſed ita intelligo, poſſe Oratorem, non ſine fructu & vtilitate, ſuam vocem ad ſuauem quẽdam ſenſum humanitatis atque lenitatis mollire, quod eorũn proprium eſt, qui ex amore & beneuolentia verba faciunt, idque decorè & ſine affectatione. Gentium Doctor & diuino ſpiritu afflatus Paulus id ni mea me fallit opinio, ἀλλάξαι τὴν φωνὴν, *mutare vocem* nominat. Nam Galatæ quos fide &

religione im buerat, cùm infandis impiorum hominum conſiliis deuij a biiſſent, eos reuocat, & primùm quidem grauiter ſtultitiam & temeritatem coarguit: tum aſſumptis veluti matris viſceribus, & pia quadam ſuauitudine colliquefa-
Galat. 4. ctus, *Filioli*, inquit, *mei*, *quos iterum parturio*, *donec formetur Chriſtus in vobis: Vellem autem eſſe apud vos modo & mutare vocem meam.* Cupiebat nimirum ad dulcia illa verba, pronunciationem adiungere, quæ illi beneuolentiæ conueniret, quam non ſatis Epiſtolæ ſcriptione potuit exprimere.

Atque probum illud genus orationis atque mollitudinis, viri docti cum liquidi olei fluxu comparare ſolent. Caſſio-
Caſſiod. l. diuin. lect. dorus de martyris Cypriani facundia loquens, *Beatiſſimus*, inquit, *Cyprianus velut oleum decurrens*, *in omnem ſuauitatem lingua compoſita*, *declamator inſignis doctórque mirabilis*. Nicetas de Nyſſeno Gregorio dulciſſimæ facundiæ viro, τοῦ καὶ ἀπὸ στόματος καταλείβεται ὑγρὸν ἔλαιον, *huius ab ore ſtillat oleum.* Plato etiam cùm Theætetum prædicare vellet, adoleſcentem omnibus ingenij dotibus & incredibili naturæ bonitate præditum, eius imprimis in agendo & dicendo modeſtiam, & animi leniſſimi affabilitatem ſuauitatémque lau-
Plat in Thætet. dat, οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντος, *vt nec lubricus quietúſque olei fluxus mollior & ſuauior videatur.* Et Platone longè diuinior in dicendo ſentiendóque Vates, qui ad purpuram & gladium militarem teſtudinis aureæ cantum adiunxit, *Molliti ſunt*, inquit, *ſermones eius ſuper oleum.* Quo tamen in loco rex clariſſimus perfidioſam quorundam hominum voluntatem exagitat, qui voce & ſimulatione abutentes alios in fraudem inducunt. Itaque ſermones illos mollitos vocat *iacula*, ad hominùm videlicet perniciem intenta. Eum morem eſſe hæreticorum proprium, is quem paulò antè nominaui D. Paulus aſſeruit, quos videas habere Chriſtum in ore ſemper, eius dolores acerbiſſimos & toleratam noſtri cauſa mortem prædicare, cæterùm inani fide, vt impudentiæ velo tectos, ſeſe in omne genus voluptatis & crudelitatis immittere. Eos igitur Eccleſiæ magiſter penicillo ita ſuo de-
Rom. 16. 8. ſcribit, *Qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium:* Eóſque ait ventri potius & palato ſuo, quàm
1. Timot. 4. Chriſto & cœleſti palatio ſeruire. Alias ſcribens ad Timo-

cheum *in hypocriſi loquentes* vocat, cane peius & angue fugiendos. Sed ab illa nefaria hominum ſimulatione, haud fuerit operoſum boni & laudati Oratoris munus opúſque ſeiungere. Nam illa impiorum χρηστολογία, bracteis ſimulationis obducta, facilè à peritis agnoſcitur, & tandem aliquando diffluit. Vt enim verè ſanctiſſimus Ambroſius dixit, *Nihil fucatum placet*. At Chriſtiani oratoris candor, animíque veritas ſimplex & minimè ſimulata, & naturæ vox conſentiens, prodeſt apud omne genus hominum ad fidem faciendam. S.Amb.l. 1. Offic. c. 18. Itaque vt pertexam quod inſtitui, & locum hunc abſoluam, vt in animis hominum inflammandis, & turbido iracundiæ motu in aliis exſuſcitando, neceſſe eſt, vt is qui dicit inflammari & ardere videatur, ſic ad dulcem animi motum placabilitatis, amoris, beneuolentiæ, pietatis, oratorem ipſum oportet ore, vultu, geſtu, pronunciatione, eximiam quandam humanitatem expromere.

ACTIO IN GRAVIORIBVS affectibus.

CAPVT XXIV.

De Ira, Odio, Inuidia, &c. in accuſando, inuehendo, &c.

SECTIO I.

GRAVIORES motus vt plurimùm in copioſo, acri, & ornato, ſublimíque dicendi genere dominantur, ἐναγώνια πάθη Rhetores vulgò nominant, Dionyſius Longinus ἁδρὰ καὶ ἐνθουσιαστικὰ *vehementes & enthuſiaſticos affectus*. Ab eorum concitatione pendet ſæpè totius cauſæ dictioniſque victoria, & fortè non eſt operoſum oratori in commouendis huiuſmodi affectionibus elaborare. Sic enim fabricata natura eſt vnumquémque, eóſque igniculos aculeóſque indidit, vt quemadmodum in aridum & vacuum humoris fomitem ſubitò ignis è fauilla excipitur, ita mens & voluntas rerum indignitate ventilata, minimo negotio inflammetur.

Sunt tamen quidam languidi & inertes, & ſemiſomni in dicendo, vel mollitie animi, vel neſcio quo ſtupore obligati, quibus ſubinde admouendæ faces videantur. Ii remouendi ſunt ab eo eloquentiæ flore & dignitate, quæ curſu magno ſonitúque defertur, quæ rapit & perfringit hominum ſenſus, cuius proprium eſt tractare animos atque omni modo permouere. Ad hunc enim tuendum dominatum orationis & facundiæ, opus viro eſt inclyto & generoſo, & non modò ad dicendum parato ſed etiam perito, quique vt bonus & magnanimus Imperator etiam pugnantes & reluctantes poſſit capere.

Dicentis ardor in rei grauitate qualis.

Vt igitur hîc diſertè aliquid moneamus, cùm Orator Iudicum ſæuitiam & atrocitatem intuetur, cùm accuſat, cùm inuehitur, debet imprimis vim & ardorem animi ſuſcipere, quæ veluti anima eſt totius motionis atque vocis, ſine qua languet & debilitatur. Eſt autem ille ardor vulgò expreſſus, tum in vultu, ore, oculis, & totius corporis motu, tum in certo genere pronunciandi, è quibus machinæ exiſtunt artificioſæ & pollentes ad quatiendam mentem auditorum. Hic inſeruiunt ea quæ Rhetoricæ præceptores animaduertunt, ignea oculorum vis, ſupercilium minax, conſtantia vultus, os impauidum, geſtus imminens omnium artuum & rapidus, brachij iactus, laterum contentio, pedis ſupploſio, vox robuſtior, clamor in ſumma rei grauitate, alia huiuſmodi παγκόσμεα, quæ cum decorè loco & tempore adhibentur, cauſas eripiunt è manibus, conſceleratos euertunt, cruentant impios, innocentiam tuentur, atque ab armis audaciæ vindicant, de vitio maleficióque triumphant. Et ſanè bellatoris aſpectus (βλέμματα πολεμικὰ nominant Græci) plurimùm in ea re poteſt, qualem in prælio duces præferunt, quo obſtupefaciunt hoſtes, & nonnunquam etiam exuperant. De quo Plinium audio eximium Oratorem, cùm decora Imperatoris Traiani exornat, *Nec tibi*, inquit, *ſpolia opima defuerint, ſi quis Regum venire in manus audeat, nec modo telorum tuorum, ſed etiam oculorum minarúmque coniectum toto campo totóque exercitu oppoſitum perhorreſcat.* Et ſi me audiet, eos oculos habere conabitur, in grauioribus illis motibus Orator, & ea conformatione, qua iuſtitiam Chryſippus olim erudita oratione pingebat, *Virgo*,

Plin in Panegyr.

inquit, *aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate.* Neceſſe autem eſt commotiorem eſſe totius corporis geſtum & incitatiorem. Plinius Iunior, *vigorem corporis motibus animi conſentaneum* vocat, hoc eſt, vt ego interpretor, qui celeriter & variè, & viuida contentione animum ipſum comitetur, nam lumen Criticorum Longinus animum ipſum in concitandis affectibus, *ἐπ' ἄλλα μεταπηδῶν* ait.

Gell. l. 14. c. 4.

Plin. l. 2 ep. ad Cereal.

Et ſi corporis eſt eloquentia quædam, vt Marcus Tullius voluit, manuum motus certè in ea lucet & dominatur, quarum geſtus librare veluti argumenta ſolet, & non minus quàm reducti ſcorpionis impetu in aduerſarium contorquere. Sic videmus feruidos Oratores, vbi rei grauitas patefacienda & vrgenda eſt, ſingula orationis membra & clauſulas, repetitis manuum motionibus, vt trabali clauo defigere in animis audientium, & penitus in mente inurere. Hinc M. Tullius quaſi telum eſſe orationis putauit vehementius iactum bracchium. Et fortè eo alludens Cornelius Tacitus eloquentiæ vſum *in locum teli* repertum fuiſſe monet, neque dubitat ipſam eloquentiam appellare *ſanguinantem*, quæ videlicet in fortiſſima contentione corporis animíque, vt omni telorum præſidio instructa reos cruentet. Atque hoc ipſum eſt quod aiebat Symmachus, *In forenſibus quatere arma facundiæ:* Seneca *bellatorio ſtylo, pugnatorio mucrone, decretoriis armis vti.* Hinc de Conſtantio, quem illuſtrem virum nominat Ennodius in veteri inſcriptione,

Geſtus librat argumenta & contorquet.

Tacit. de Orat. ſiue is ſit Quint.

Symmach. l. 7. ep. 9.

Ennod l. 2. ep. 17.

Quis per bella fori totiens de iure triumphum
Rettulit, & ſæuos perculit ore reos.

Vbi *ſæuo* potiùs legerim, qui ardentis habitum Oratoris ſignificet.

SECTIO II.

Exempla in eo genere clariſſimorum Oratorum. linguæ fulmina, grando, nimbi. bellator Hæreticorum. Παρασιώπησις.

EA laus propria Periclis fuit, verè Olympij atque diuini, qui propter vehementem eloquentiam, laureato veluti enſe triumphantem, vulgò tonare ferebatur, & permiſcere totam Græciam. In eo ipſo genere Demoſthenes mirum quantum valuit copia princeps, grauis, elatus & herous Orator, qui motu calido & vibranti, inimicorum oculos præſtinguebat, qui acerrimè & valentiſſimè diſputans, cùm magnificentius diceret, voce & vultu Æſchinem terrebat. Hinc illa ὁρμὴ διάπυρος quam illuſtrium ſcriptorum monumenta illi attribuunt. Eundem Poëta ſapiens ignea facundia magnum quoddam in animis hominum excitare incendium conſueuiſſe eleganter cecinit,

l.5. Anthol.

---ὁ περὶν Ἀθήναις
Πειθοῦς θελξινόοιο νοήματα πυρσὸν ἀνάψας.
---doctis accendit Athenis
Peithô flexanimâ calefacto in pectore flammam.

Eloquentiæ Latinæ parens de ſe profitetur opinor verè. *Nos magno ſemper vſi impetu ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus: nobis pro familiari reo ſummus Orator non reſpondit Hortenſius: à nobis homo audaciſſimus Catilina in Senatu accuſatus obmutuit.* Hæc ille in Oratore, & multò plura. E quibus haud dubiè ſuſpicari licet, quàm acri & agente motu, qua firmitate, conſtantia, grauitate, quo tono vocis, qua oris compoſitione illa protulerit. *Quouſque tandem abutere Catilina*, &c. Dialogi Auctor, qui de cauſis corruptæ eloquentiæ ſingulari facundia ſcribit, Eprium Marcellum hoc etiam nomine prædicat, quem *accinctum & minacem*, hoc eſt, armis generoſæ eloquentiæ & illa animi contentione bellantem, de Heluidij eleganti ſapientia tropæa retuliſſe memorat. *Quid aliud*, inquit, *infeſtis Patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam ſuam oppoſuit? qui accinctus & minax diſertam*

Cicer. in Orat.

quidem, ſed inexercitatam & eiuſmodi certaminum rudem Helnidij ſapientiam eluſit. Lucianus vim conſimilem Piſoni tribuit,

Nam tu ſiue lubet pariter cum grandine nimbos
Denſáque vibrata iaculari fulmina lingua, &c.

Lucan. in Paneg.

Atque in hunc principum chorum & excellentium Oratorum, Chriſtianos licet Antiſtites ab omni antiquitate adiungere, in quibus animi virtus & innocentia, mirifica vi dicendi fuit illuminata. Talis certè fuit ſanctiſſimus & omni ſcientia ornatiſſimus Auguſtinus, qui præſertim cum Hæreticis perfidioſa hominum natione pugnans, igneo quodam ſplendore vibrabat. Quare Paulinus politiſſimus idem ſcriptor & vita egregius, carmen pangens in obtrectatorem ieiunum maleuolentia & impium, qui doctorem Hipponenſem tacitè arrodebat, monet ſeriò ne ſe det in conſpectum, ne à magno Auguſtino fulminetur,

Chriſtiani Oratores quales in vehementi genere dictionis.

Verte gradum, fuge perniciem, ſtratóſque rebelles
Oris Apoſtolici fulmine vbique vide.

Hoc fulmine perduellis Manichæorum acies, furioſi Ariani, Donatiſtarum colluuies, impiúmque latrocinium concidit. Quæ cauſa fuit, cur tantum virum Caſſiodorus *Bellatorem hæreticorum* & *famoſorum palmam certaminum* appellaret. Par fuit vis atque inflammatio dictionis in Baſilio, Gregorio Nazianzeno, aliis, quorum eloquentiam grandem & incenſam, & vt Theologus ſuauiſſimis ſuis verſibus canit, ῥήτρης πυρόεν μῦθος fuiſſe meminimus. Itaque in Baſilij magni Epitaphio iure poſitum

Caſſiod. de diuin. lect.

Greg. Naz. Carm. 49.

Βροντὴ σεῖο λόγος ἀστεροπὴ δὲ βίος.
Fulmen ſermo tuus vitáque fulgur erat.

De Epiſcopo Ticinenſi commemorabili virtute viro cœleſtique facundia Epiphanio, eleganter Ennodius, *Iam ſi ad ſermonem veniamus, nunquam ſic diras aſpides verborum digitis incantator Theſſalus violentis poterit euocare carminibus, quomodo ille effectum petitionis ſuæ à negaturis extorquet.* Et hoc quidem illi diuinæ mentis internuncij potuerunt, cùm ſit magna vis religionis atque pietatis, vt qui ea ſunt afflati, non modò animo, ſed omnibus quoque artubus commoueantur. Aliis autem hominibus qui venalem habent facundiam, quóſ-

Ennod. in vita.

que res qua de agitur non attingit, longè difficilius eſt eos motus ardorémque ſuſcipere. In tuendis enim alienis, atque ab omni periculo vindicandis, ſtudio omni exardeſcere, & animi quodam impetu efferri in agendo, eorum tantum meo iudicio fuerit, qui grauiſſimum eloquentiæ nomen pro dignitate ſuſtinent, & diuturna exercitatione præcellunt.

Orator affectus in animo ſuo imprimat, aut oſtentet.

Quare docti humanitatis interpretes ſapienti iudicio clari, in monitis ſuis poſuerunt, eſſe cumprimis induendos affectus, penitúſque animo imprimendos, quos aliis volumus inurere. Iratum ſi vis iudicem, atque ſceleribus infenſum & impiorum hominum crudelitati, illam ipſam indignationem animi in te priùs concipias oportet, & motu omni ore atque voce declares. Si hoc non potes, iubent illi, ſaltem iracundiorem te vultum effingere, & quantum res prudentiáque volet triſtiorem: *vultuoſum* nominat Marcus Tullius, Apuleius *vultuoſam faciem*, triſtem videlicet & inamœnam, Suetonius, *vultum minus familiarem*, quidam *moroſiorem*, non nemo *rigorem in vultu*, nubilam alij frontem & adductam, Græci σκυθρωπόν, de qua ſolita elegantia gemmeus Chryſoſtomus, qui Antiocheno populo audiente ſic aiebat: *Cùm iniuriam amicus acceperit erga amicum eodem ſe modo habet quo dominus erga ſeruum*, παρεσιώπησε, μόνον διὰ τῆς σιγῆς φθεγγόμενος, καὶ πᾶσαν ἐνδεικνύμενος αὐτῷ τὴν ὀργήν, *tacito vultu rem ipſam amplificat, iracundiámque oſtendit.*

S. Chryſo. hom. 14. ad pop.

ACTIONIS ALIA QVAEDAM ADiuncta in turbidis affectibus.

CAPVT XXV.

SECTIO I. *Acer & præſens animus, conſtantia in vultu picta, recti & leonini oculi, frontis aſſeueratio, geſtus maſculus, igneæ vocis tuba, &c.*

AD metum & terrorem incutiendum, & ad ſimiles grauiores motus, addo hìc etiam, conſtantiam quandam ſignifi-

ſignificari oportere animi erecti & exaggerati, qualis ſolet eſſe in ſecuris, aut generoſa mente præditis, vel iuſtitia, fide innocentia, & cauſæ bonitate circumuallatis. Acer enim præſénſq; animus, quique ipſa veluti ſcelerum cubilia ſtricto ferro atq; lucente penetrare audeat, reo peracto ſæpe domũ victor & triumphans rediuit. Conſtantiam voco, animi firmitudinem, honeſtámque audaciam, ſeu fidentiam rigoris expertem & immanitatis, (*fundatum pectus* diceret Ammianus Marcellinus) in qua lucet grauitas quædam imperterriti animi & inuicti. Quare Orator de acuſando inuehẽdóque ſollicitus, huic etiam comparandæ conſtantiæ operam dabit, ad eámque geſtum atque motum componet. In ea verò quantum ſit momenti poſitum in optima cauſa, Plinius glorioſæ eloquentiæ ſpecimen in agendo ſæpe eſt expertus. Nam cùm propter crudelem principum & acerbum dominatum, vulgò ſana ſeueráque iudicia non fierent, hac firmitudine perficiebat, vt obtritum ius attolleret, & ab iis qui primo reclamauiſſent, æquiſſimè & beneuolentiſſimè audiretur. Rem ipſe quodam loco, belliſſimóſque triumphos, quos fretus cauſæ bonitate, præſentiſque animi fortitudine, in Senatu retulerat, ſimul & euentum orationis ſuæ ita recenſet, *Mirum qua intentione, quibus clamoribus omnia exceperint, qui modò reclamabant, tanta conuerſio vel negotij dignitatem, vel prouentum orationis, vel actoris conſtantiam ſubſecuta eſt.* Porro animi illa conſtantia tum ipſius modo vocis & dignitate, tum in ſtatu, ore, vultu, & totius oratoris habitu cernitur. Plotinus vultum quidem eius pingit dum fortitudinem & animi conſtantiam delineat, *Fortitudinem*, inquit, *generoſo vultu verendam:* & Caſſiodorus lib. de Anima, *Cuius ora ſe nequeunt immutare, dum ſemper probatur ſtudere conſtantiæ.*

Plin. l. 9 ep. ad Quadrat.

Plotin Ennead. 1. l. 6.

Caſſiodor. l de Anim. c 18.

Eſt igitur ſignificandæ conſtantiæ hoc imprimis opportunũm, vultum habere generoſæ mentis indicem, firmum, erectum, minimè abiectum atque depoſitum. *Rectos illi oculos* variegatæ porticus amaſius tribuit Seneca, *Aduerſus apparatus terribilium, rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat.* Animoſe quidem ille & verè: nam vt timor abiicit animum, limóſque facit oculos & depreſſos, ſic honeſta & ſecura periculi audacia rectos oculos tenet: quemadmodum Græcos etiam ſapientes

Vultus generoſus.

Senec. l 1. de Conſtā. c 5.

loqui memini. Sic enim Hierax apud Stobæum, τοὺς δὲ ὑπ' ἐλευθερίας ἐλέγχοντας οὔτ' ἰδεῖν ὀρθοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀνέχεται, *eos verò qui per libertatem redarguunt, nec rectis oculis intueri* *Recti oculi.* *ſuſtinet*. Rectos oculos ego interpretor, non nictantes aut deorſum procliues, nec contra immanius diductos, ſed naturæ libertate ſplendorem omnem ſuam quantum res patitur afferentes, quibus ſi accedunt alij quidam geſtus in eandem rem accommodati, vim magnam habent atque mirificam ad animi Senec. ep. 76. fiduciam explicandam. Alibi Seneca *erectos oculos*, in exponenda eadem conſtantia poſuit. *Si erectis oculis gladios micantes videt*, hoc eſt ſi conſtantia armatus & generoſa mente vadit in Id. ep. 71. periculum. Item epiſt. 71. *Intantum profecit vt contra fortunam audeat oculos attollere*. Damagetus Poëta vetus conſimili pæne modo Herculis conſtantiam in oculis eminentem exprimit, Antholog. l. 4. ait enim illum, ἐν ὀφθαλμοῖσι ἀταρβῆ θυμὸν ἔχειν, *inpauidum in oculis animum & obtutu circunferre*. Eos oculos eruditi *leoninos* appellant, cùm iuſtæ iracundiæ motus & dominantis excellentiæ vis ſignificatióq; acceſſerit. Conſtantinus certè Magnus non bellando maior quàm dicendo, cùm in Concilio orbis terræ, aut Arrium peſtilentiſſimi erroris ducem, aut alios numinis perduelles meritò inſequeretur, coniecto velut oculorum fulmine nouos illos impietatis architectos vrebat. Quare Cedrenus illum fuiſſe ait, τὸ δὲ ὄμμα παραπλήσιον λέοντι, *oculis leoni ſimillimum*, quales oculos Iulius Pollux θυμοειδεῖς appellat, & στίλβοντας, *acres & fulgentes* vim animi ſignificantes.

Frontis aſſeueratio. Frons quoque ipſa grauitatis notis pingenda eſt, *frontem aſſeuerare* dixit Apuleius, hoc eſt ad ſeueritatem componere, Macrobius *commaſculare*, *frontem caperare ſeueritudine* Plautus. Vultum *ſæuum* nominaret Princeps Poëta, vt de pio Ænea *Maternis ſæuus in armis*. *Trucem* vultum Tacitus, *Seuerum* Martialis.

Vultus indue tu magis ſeueros.

Hinc *terrere vultu* apud Horatium; & eleganter Ouidius, *tacitos etiam vultus conuitia* dixit *facere*. Quæ omnia eò libentiùs à me adferuntur, vt intelligamus eruditorum hominum con- *Corporis motus firmus & liber.* ſenſu, hoc grauitatis conſtantiçque ſpecimen plurimum poſſe, in permotione animorum, & cauſarum atrocitate. Eſt etiam totius corporis geſtus quidam, qui maſculam illam ſpeciem &

altæ mentis robur deceat, qui longiſſimè ab eorum hominum abiectione recedit, qui timidi & ſoluti languent. Qualis autem ille ſit, tum ex iis quæ ſuperius diximus, tum è ſummorum oratorum animaduerſione facilè intelligitur.

Iam verò quod ad pronunciationem attinet, vox debet eſſe fortis & incitata, & diuerſa pro rerum varietate. Extent & emineant interrogationes, quibus quaſi aculeis ſtrati & timidi aduerſarij pungantur. Iuuerit quoque præcipua quædam & ἐμφατικώτερα, in quibus maior vis eſt ad ſignificandum, quæq; nobis & cauſæ æquitati fauere poſſint, aut ſcelus & impiam fraudem obterere, maiori quadã exprimere vocis contentione, ne forte in rapida & ignita oratione, audientem illa prҿteruolent, ſed potius animis inſideant & inurantur. Demoſthenes hoc maximè artificio excelluit, quem ſecutum dicendi genus aiunt κρουστικὸν, aptum videlicet ad quatiendum, & hominum multitudinem percellendam: atq; ab ipſo pronunciandi vigore puto fuiſſe *tubã* nominatũ ab eruditis. Ita enim Poëta Grҿcus. *Vox index conſtantiæ.*

Καὶ Παιανιέων δημηγόρος ἔπρεπε σάλπιγξ. Anthol. l. 5.

Et paulò pòſt de eodem,

——κοτέων προχάλην ἐφθέγγετο φωνήν,

iratus in dicendo contortam & vibrantem attollebat vocem. Sic Proæreſius Orator ſui temporis maximus à Diophanto nominabatur σάλπιγξ τῶν Μαραθωνίων τροπαίων, quod Marathonia tropæa buccinator inclytus, vehementſque reſonaret. Doctiſſimus & elegantiſſimus Nazianzenus, τὰς θυῤῥηνικὰς ὑπερφωνεῖν σάλπιγγας, *Tyrrhenicas tubas oratione ſuperare*, Philoſtratus Oratores ὑπερφωνοῦντας dixit.

Incredibile prope eſt, quantum valeat ipſe ardens & impetu quodam elatæ orationis curſus, quæ cùm manat à limato iudicio & exquiſito, rapit omnia ſecum, & euertit obſtantia, donec in loco æquitatis & iuſtitiæ conquieſcat: ſi præſertim ad eam vocis magnificentiam atque ſonum, dictionis quoque altitudo ſplendórque accedat. Id nominauit Seneca pater, *magno animo inſpirare*, Dio Pruſæus μεῖζον ἑτέρων φθέγγεσθαι, M. Tullius eloquentiam *quæ curſu magno ſonitúque feratur*. Hinc in veterum pompa ſophiſtarum ἦχος ſiue ἠχὼ & ὑψηχὲς τῶν λέγων, quo fiebat vt mirificè caperẽt animos audientium & tenerent. Quanquam habebant illi quidem potius εὐφωνίαν μουσικὴν, *Vis elatæ vocis & conſtantiæ.*

vt Dionyſius Halicarnaſſeus loquitur, vocis magnitudinem titillantem animos & mulcentem, admirationis aucupem atq; gloriæ, quàm virilem & proprium huic pugnæ clamorem, & Pæanem potius Apollineum ciebant, quam Martium, & ὄρθιον hunc νόμον excellentium oratorum, qui victricem laurum ambiunt, & in hominum voluntate perfringenda verſantur.

SECT. II. *Idem ardor viſque dicentium ad permouendos animos opportuna, Veterum dictis & eruditione illuſtratur.*

HANC vigentem & claram dicentium pronunciationem doctæ humanitatis myſtagogi explicare variè ſolent: nam ea cauſa Oratorem cum heroico equo ſplendido videlicet atque animoſo componunt. Marcus certè Imperator cùm Herodem Atticum interrogaret, qualis illi Polemo videretur, qui tanquam maiorum gentium Rhetor eloquentia tum florebat artificióque dicendi, id diuini poëtæ reſpondit,

Orator heroico equo vectus.

Ἵππων ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

Quadrupedum ſonitus circum mihi verberat aures.

cùm ſignificare vellet τὸ ὑψηχὲς τοῦ λόγου, vt Lemnius ait Philoſtratus, *altam, ſonoram, & generoſam eius in dicendo contentionem.* Hoc pæne ipſum in Gallia dici vulgò ſolet: nam cùm videmus aliquem vehementius ſtomacho & iracundia efferueſcentem, grandius loqui & inflare animoſius, illum dicimus *magnos equos aſcendere*, vt veluti Centaurus quidam è nubibus ſonare videatur. Venuſtiſſimè vt omnia Sidonius Apollinaris, *Excreſcit amplitudo proloquij, emicátque vt equi potentis animoſitas, cui frementi, ſi inter æqua vel confragoſa frænorum lege teneatur, intelligo non tam curſum deeſſe quàm campum.* Omnino ita vehatur oportet noſter hic ſpolia lecturus & triumphaturus Orator: equum habeat, non quales apud Sybaritas fuerunt docti in conuiuiis tripudiare inſolentius, greſſúmque ad numerũ molliter glomerare, ſed Martiis Hectoris equis ſimilẽ, quibus generoſum vinum dabat ad ſpiritus animóſque exſuſcitandos. Alij vim illam dicentium, *ſtimulum aculeúmque* nominant.

Sidon. l. 4. ep. 3.

Stimulus vividæ orationis

Sic Eupolis tonantem ait Periclem & eloquentia diuinum.

—— *μόνον τῶν ῥητόρων*

Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπεν τοῖς ἀκροωμένοις,

magnanimi oris voce, principe digna & totius Græciæ Coryphæo, aculeum quendam in audientibus relinquere conſueuiſſe. Durius fortè paulò dixiſſe videatur, ſed tamen ſignificanter Enodius, *Ferratis verborum calcibus animare.* Diuinæ literæ pulcherrimis dicendi modis abundantes, mirificè illud item explicant & elegantiſſimè. Purpureus enim ſtylus Salomonis in Prouerbiis id nominat *verbum dictum ſuper rotas ſuas*: vbi ingenioſiſſimus Caietanus, *Super rotas ſuas*, inquit, *id eſt ſuper loca topica, ſuper colores rhetoricos, ſuper modos loquendi:* addo ego, ſuper claram, illuſtrem, magnificam pronunciationem, & vt Poëta ille vetus aiebat *προχαλκῷ φωνῇ*, qua Pindarico veluti Muſarum curru, aut iudiciorum illo falcato, qui terrore ſonitúque magno labitur, aut triumphantium rotundo, atque auro vndíque fulgurante alta inuehitur & exaggerata dicentis oratio. Nonnulli viuidam illam in orando contentionem vocant *Spiritum*, de quo M. Tullius in Oratore perf. *Carent*, inquit, *libri ſpiritu, propter quem maiora eadem illa cùm aguntur, quàm cùm leguntur videri ſolent.* Quam vim atque ſpiritum doctiſſimus Plinius rem in animis dicebat affigere, hoc eſt enim eius effatum, *Altius in animo ſedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit.* Longinus clariſſimo iudicio pollens & cognitione, idipſum dixit, ἐνθουσιαστικῶς ἐκπνέειν καὶ οἱονεὶ φοιβάζειν τοὺς λόγους, *ſpirare diuinum quiddam & animoſum, & furentis Pythiæ more grandem & incitatum edere ſonum, & veluti oratione bacchari.* Ouidius erudito ingenio Vates ad eandem vim ſignificandam, *Thyrſum* Oratoribus concedit & *calorem*, in iiſque *facundiæ neruos* collocatos opinatur: ita enim ſcribit ad Solanum in Romano foro copia & elegantia principem,

Spiritus dicentis.

Longinus περὶ ὕψους.

Thyrſus Oratoris.

Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis,
Sed tamen ambobus debet ineſſe calor.
Vtque meis numeris tua dat facundia neruos, &c.

Ouid. de Pont.

Thyrſum meo iudicio nominat incitatæ orationis telum ardore animi vt amento & oratorio lacerto coniectum, quo aduerſi lacerantur. Nam vt Thyrſus cuſpidem habet frondibus

inuolutam, qua Mænades pungere ſolebant, obuióſque laceſſere: Sic Orator dictionem præferens amœna quadam foliorum varietate conueſtitam, cùm accuſandum eſt & inuehendum atrocius, adhibet fortem, & veluti acuminatam amplificationem, qua communis otij peſtes eloquentiæ vi & mucrone Philoſtr. in Sophiſt. confoſſæ intereant. Philoſtratus ſimili orationis gratia inflammatos in agendo & ſpiritu vehementi pronunciantes βακχεύειν & τυμπανίζειν aiebat. Ad hæc ſobria Suadelæ Orgia, tympanúmque fori & iudiciorũ, ira, metu, odio, & cæteris affectibus reſonans, haud dubitem inuitare adoleſcentes, eos præſertim molliores, & placidos, qui nihil poſſunt atrociter & ſeuerè dicere, eíſq; in manus Thyrſum hunc imponere grauitatis & contentiònis, quo in acie pugnare diſcant: vt quemadmodũ apud Euripidem Bacchantes ſine armis atque ferro, ſuis tamen tenuibus illis ſpiculis obuios petunt & lædunt: Sic illi ſeriò agentes, cum importuna & crudelis hominũ malitia poſtulat, ſine ferrò, hoc eſt ſine inhumanitatis ſuſpicione, aculeos animi ſui exerant, & perditorum hominum amentiam cruentent.

Et ſi exemplum à me quærant, opponerem quidem lubens *Exempla fulminantium in dicendo.* incorruptam omnem antiquitatem, cùm clari & inuicti heroes in agendis cauſis pluſquam Indicos triumphos referebant: ſed vno Bruto contentus ero ſingulari vbertate, & diuino quodam genere dictionis exculto, qui poëtæ boni teſtimonio, ſi quando leges improborũ audacia violarentur, ſic in foro agebat, vt ſingula eius verba, tela forent, quaſi felle & veneno lita, quibus impias & conſceleratas hominum mentes ſtimularet, atq; foderet. Sed præſtat clariſſimi Poëtæ carmen audire Brutum alloquentis.

Cum tibi ſuſcepta eſt legis vindicta ſeueræ
Ouid. de Ponto. *Verba velut tinctum ſingula virus habent.*
Hoſtibus eueniat quàm ſis violentus in armis
Sentire, & linguæ tela ſubire tuæ.

Vim eandem illam *fulmen* alij, *tonitrúque* nominant. Hinc D. Baſilio differenti omnes ſubmittebant ſe ὡς ἤχῳ βροντῆς, *quaſi* Greg. Naz. Or. 10. *ad tonitrui ſonitum*, ait S. Gregorius Nazianzenus, in quo magna illius in dicendo vis, & maieſtas animaduertitur. Talis nimirum quiſque Orator, vſu, arte, iudicióque eruditus, non lentus, non in ſumma rei grauitate ſomniculoſus, ſed ardens

Digitized by Google

& excitatus in pernicioſa hominum conſilia imminet, & eodem animi motu ſecum omnes ad decus, ad honeſtatem, ad nominis ſempiternam gloriam attollit. In bellis ad animorum concitationem tuba vtuntur Hetruſci, fiſtula Arcades, Siculi iis inſtrumentis, quæ vocantur Pyctides, Lyra Cretenſes, Lacedæmonij tibia, cornu Thraces, tympano Ægyptij, & Arabes cymbalo: at in campo legum & humanitatis, vna voce magni & incenſi oratoris, omnes inflammantur, quæ plus pollet ad excitandas multitudinis voluntates, quam teſtudo Muſici Timothei ad Alexandrum ira & ſtudio bellandi complendum. Adeo verum eſt quod aiebat Pindarus, κέντρον δὲ μάχας ὁ κρατιστεύων λόγος, *ſtimulus pugnæ eſt dominans oratio.* Clem. Alex. l.1. Strom.

Aduerſus ea quæ dicta ſunt, videri grauiorem illam commotionem minus decere Oratorem ſapientem. SECTIO III.

HACTENVS Theodorus attentiſſimis & lubentibus omnium animis audiebatur: cùm Victor à Philoſophia ſua monitus actionum moderatrice, Videris, inquit, mihi doctiſſime Theodore, non oratorem ſapientem quendam, & moderatum exprimere, ſed militem in campo ferocientem. Sanè turbidos iſtiuſmodi Oratores à multis prudentiæ laude ſummis vulgò reprehenſos memini, vt qui rixarum potiùs amantes & litigiorum, quàm æquitatis eſſe videantur, qui effractis quaſi pudoris modeſtiæq; repagulis in theatricos motus, & caninam veluti rabiem erumperent, quos niſi vicani homines & imperiti commendare nemo poteſt. Talem fuiſſe Caſſium Seuerum Oratorem, qui poſt æuum M. Tullij eloquentiæ campum celebrauit, is qui Dialogum de Oratoribus ſcripſit apertè ſignificat, *Primus*, inquit, *omiſſa modeſtia ac pudore verborum, ipſis etiam quibus vtitur armis incompoſitus, & ſtudio feriendi plerumque deiectus, non pugnat ſed rixatur.* Vbi ſanè φιλονεικῆ & veteratorem pæne furioſum, non iuris & humanitatis patronum delineatum video. Tu in amplo & fortiſſimo dicendi genere & concitatione animorum, ſæuum ais Dialog. de cauſ. corrup. eloq.

oportere eſſe vultum, truces oculos & ſcintillantes, erectos o-
culos capútque fidentius elatum atque ſublimius, quæ omnia
væſanæ audaciæ mihi videntur, aut ſuperbiæ non ferendæ ar-
gumenta. Magnos enim viros dicere memini, ceruicis & fron-
tis elationem, propriam eſſe arrogantis & tumidi faſtidij, ni-
mium in luce aliorum inſoleſcentis. D. Gregorius Nazianze-
nus ni memoria me fallit mea, nam obiter quædam eius mo-
numenta libaui, deſcribens hominem odioſæ contumaciæ,
Nazianz. Carm. de vit. βλέπειν ὑψηλόν τι καὶ μετάρσιον dixit, & alio in loco ὑψαυχενίας.
Themiſtius de Sophiſtis, ὑψηλὸν ἐξαίρειν αὐτὸν φρονηματισμοῦ ἐμ-
Themiſt. or. 2. πιπλάμενον, *ſublimem ſeſe attollere, faſtidij arrogantiæque pleniſſi-
mum. Eos homines alio quodam modo circumſcribit ſubtiliſ-
Ariſtid: so. 3. ſimus & eloquẽtiſſimus Ariſtides, vocat enim τὰς ὀφρῦς ἀνεσπα-
κότας καὶ βαδίζοντας ὥσπερ δεσπότας τῶν ἐντυγχανόντων, *ſublatis
ſuperciliis incedentes tanquam omnium dominos.* Itaque Plinius
Plin. in Panegyr. (Oratorem intelligo) ſcitè & eleganter *ſuperbiſſimos Tyranno-
rum vultus* appellat, nempe ὑπεροπτικοὺς καὶ τὰς ὀφρῦς αἴροντας,
quod Iulius Pollux ſuperbientium propriũ eſſe monuit. *Rigen-
tem* appellauit *ceruicem* Ouidius, quam hieroglyphicum eſſe
inſolentis arrogantiæ Pierius Valerianus opinatur.

Quæ ſi omnia docti viri ſiluiſſent, intelligere tamen quiſ-
que poſſet experientia duce & magiſtra, quantum is næuus O-
ratori incommodet, quantum illius famæ decus & nominis exi-
ſtimationem imminuat. Neque enim auditores in ea capitis &
oculorum elatione, defenſorem honeſtatis & modeſtiæ can-
didatum videre ſibi videntur, è nobili tabernaculo Suadæ pro-
deuntem; ſed trucem quendam, & vt dicam cum poëta Ve-
nuſino *elata ceruice ferum*, qui gigantæa & impudenti contu-
macia cœlo minitetur, quo nihil magis contrarium dici poteſt
conciliandæ hominum beneuolentiæ & amori.

Sed vt omittam de ſuperbię ſignificatione dicere, vide etiam
atque etiam Theodore, quantam feneſtrã aperias temeritati,
audaciæ, & importuno furori. Nam ſi per te licet commutare
faciem, caperare frontem, æſtum animi ore toto prodere, &
Thyadum more βακχεύειν quid illi faciunt aliud, quorum vim
acerbitatémque iracundiæ in vultu, voce, motu eminentem,
viri ſapientes ad humani generis ludibrium tanquam in ſcenã
inducunt, & grauius perſequuntur? Nam cùm Seneca fœdum
habitum

habitum iratorum, vt ferocientis animantis effigem ponit ante oculos, eadem prope, quæ tu, memorat: *Audax*, inquit, *& minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquieta manus, color verſus. Flagrant & micant oculi*, &c. Hæc negitur ſplendidior tibi videatur ſpecies atque decentior in corona ſapientum, quam ea Mallij Theodori, qui facundia nobilis, fori lumen, & auguſtæ Curiæ decus, à poëta valde bono ita pingitur,

Seruat inoffenſam diuina modeſtia vocem,
Temperiem ſeruant oculi, nec lumina feruor
Aſperat, aut rabidas diffundit ſanguine venas,
Nulláque mutati tempeſtas proditur oris. Claud. de Conſul. Mal.

Atqui rectè meo iudicio & ſapienter Agellius duas ferociſſimas affectiones amoris atque odij nominauit: nam vbi odium & præceps ira furiæque dominantur, non eſt ſperandum vt in gyro ſe modeſtiæ homines contineant, quin potiùs elati ferocia, vltra modum abripi ſe patiuntur, & vt Remus quondam muros, ſic officij limites & moderationis, impetu animi tranſiliunt. Agell. l. 11 c. 3.

Itaque videmus multos alioqui doctos & ingenioſos deterere laudem ingenij, & eloquentiæ decus maculis aſpergere, quod frænos animi impotentiæ minimè iniiciant. Talis fuit Socrates, de quo prodit Ariſtoxenus, neminem prope inter ſapientes fuiſſe qui efficacius perſuaderet; *Talis*, inquit, *erat & voce & ore & geſtibus, & ad omnia aſpectus proprietate ſe accommodans. Faciebat autem hoc quando non iraſcebatur: quando verò aliqua perturbatione ſuccendebatur, tanta fuit impudentiæ, vt à nullo neque nomine, neque re abſtineret.* Hæc ille in Porphyrij commentariis apud Cyrillum Alexandrinum. Hinc exiſtit ea Cauſidicorum impia in foro & acerba nimium crudelitas, qui ſimilibus tragœdiis ſæpe hominibus creant perniciem, & iura omnia, tum diuina, tum humana polluunt. Marcelli potes meminiſſe verſipellis & furentis in agendo, qui in Senatu accuſauit Thraſeam, innocentiæ & grauitatis ſpecimen, decus æui ſui, & alio quàm Nerone rerum potiunte digniſſimus. Non defuit impio accuſatori ſpecies ad malitiam & crudelitatem appoſita, quam ſapiens Annalium ſcriptor ſtylo & oratione eſt complexus: *Cùm talia*, inquit, *Marcellus inueheretur* Cyril. Alex. l. 6. in Iul. Tacit. l. 16. Annal.

Sunt tamen quidam languidi & inertes, & ſemiſomni in dicendo, vel mollitie animi, vel neſcio quo ſtupore obligati, quibus ſubinde admouendæ faces videantur. Ii remouendi ſunt ab eo eloquentiæ flore & dignitate, quæ curſu magno ſonitúque defertur, quæ rapit & perfringit hominum ſenſus, cuius proprium eſt tractare animos atque omni modo permouere. Ad hunc enim tuendum dominatum orationis & facundiæ, opus viro eſt inclyto & generoſo, & non modò ad dicendum parato ſed etiam perito, quique vt bonus & magnanimus Imperator etiam pugnantes & reluctantes poſſit capere.

Dicentis ardor in rei grauitate qualis.

Vt igitur hîc diſertè aliquid moneamus, cùm Orator Iudicum ſæuitiam & atrocitatem intuetur, cùm accuſat, cùm inuehitur, debet imprimis vim & ardorem animi ſuſcipere, quæ veluti anima eſt totius motionis atque vocis, ſine qua languet & debilitatur. Eſt autem ille ardor vulgò expreſſus, tum in vultu, ore, oculis, & totius corporis motu, tum in certo genere pronunciandi, è quibus machinæ exiſtunt artificioſæ & pollentes ad quatiendam mentem auditorum. Hic inſeruiunt ea quæ Rhetoricæ præceptores animaduertunt, ignea oculorum vis, ſupercilium minax, conſtantia vultus, os impauidum, geſtus imminens omnium artuum & rapidus, brachij iactus, laterum contentio, pedis ſupploſio, vox robuſtior, clamor in ſumma rei grauitate, alia huiuſmodi τραγῳδώπεα, quæ cum decorè loco & tempore adhibentur, cauſas eripiunt è manibus, conſceleratos euertunt, cruentant impios, innocentiam tuentur, atque ab armis audaciæ vindicant, de vitio maleficióque triumphant. Et ſanè bellatoris aſpectus (βλέμματα πολεμικὰ nominant Græci) plurimùm in ea re poteſt, qualem in prælio duces præferunt, quo obſtupefaciunt hoſtes, & nonnunquam etiam exuperant. De quo Plinium audio eximium Oratorem, cùm decora Imperatoris Traiani exornat,

Plin in Panegyr.

Nec tibi, inquit, *ſpolia opima defuerint, ſi quis Regum venire in manus audeat, nec modo telorum tuorum, ſed etiam oculorum minarúmque coniectum toto campo totóque exercitu oppoſitum perhorreſcat*. Et ſi me audiet, eos oculos habere conabitur, in grauioribus illis motibus Orator, & ea conformatione, qua iuſtitiam Chryſippus olim erudita oratione pingebat, *Virgo*,

inquit, *aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate.* Neceſſe autem eſt commotiorem eſſe totius corporis geſtum & incitatiorem. Plinius Iunior, *vigorem corporis motibus animi conſentaneum* vocat, hoc eſt, vt ego interpretor, qui celeriter & variè, & viuida contentione animum ipſum comitetur, nam lumen Criticorum Longinus animum ipſum in concitandis affectibus, ἐπ' ἄλλα μεταπηδᾶν ait.

Gell. l. 14. c. 4.

Plin. l. 2 ep. ad Cereal.

Et ſi corporis eſt eloquentia quædam, vt Marcus Tullius voluit, manuum motus certè in ea lucet & dominatur, quarum geſtus librare veluti argumenta ſolet, & non minus quàm reducti ſcorpionis impetu in aduerſarium contorquere. Sic videmus feruidos Oratores, vbi rei grauitas patefacienda & vrgenda eſt, ſingula orationis membra & clauſulas, repetitis manuum motionibus, vt trabali clauo defigere in animis audientium, & penitus in mente inurere. Hinc M. Tullius quaſi telum eſſe orationis putauit vehementius iactum bracchium. Et fortè eo alludens Cornelius Tacitus eloquentiæ vſum *in locum teli* repertum fuiſſe monet, neque dubitat ipſam eloquentiam appellare *ſanguinantem*, quæ videlicet in fortiſſima contentione corporis animique, vt omni telorum præſidio instructa reos cruentet. Atque hoc ipſum eſt quod aiebat Symmachus, *In forenſibus quatere arma facundiæ:* Seneca *bellatorio ſtylo, pugnatorio mucrone, decretoriis armis vti.* Hinc de Conſtantio, quem illuſtrem virum nominat Ennodius in veteri inſcriptione,

Geſtus librat argumenta & contorquet.

Tacit. de Orat. ſiue is ſit Quint.

Symmach. l. 7. ep. 9.

Ennod l. 2. ep. 17.

Quis per bella fori totiens de iure triumphum
Rettulit, & ſæuos perculit ore reos.

Vbi *ſæuo* potiùs legerim, qui ardentis habitum Oratoris ſignificet.

SECTIO II.

Exempla in eo genere clariſſimorum Oratorum. linguæ fulmina, grando, nimbi. bellator Hęreticorum. Παρασιώπησις.

EA laus propria Periclis fuit, verè Olympij atque diuini, qui propter vehementem eloquentiam, laureato veluti enſe triumphantem, vulgò tonare ferebatur, & permiſcere totam Græciam. In eo ipſo genere Demoſthenes mirum quantum valuit copia princeps, grauis, elatus & herous Orator, qui motu calido & vibranti, inimicorum oculos præſtinguebat, qui acerrimè & valentiſſimè diſputans, cùm magnificentius diceret, voce & vultu Æſchinem terrebat. Hinc illa ὁρμὴ διάπυρος quam illuſtrium ſcriptorum monumenta illi attribuunt. Eundem Poëta ſapiens ignea facundia magnum quoddam in animis hominum excitare incendium conſueuiſſe eleganter cecinit,

l.5.Anthol.

---ὁ περὶ Ἀθήναις
Πειθοῦς θελξινόοιο νοήματα πυρσὸν ἀνάψας.
---doctis accendit Athenis
Peithô flexanimâ calefacto in pectore flammam.

Cicer. in Orat.

Eloquentiæ Latinæ parens de ſe profitetur opinor verè. *Nos magno ſemper vſi impetu ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus: nobis pro familiari reo ſummus Orator non reſpondit Hortenſius: à nobis homo audaciſſimus Catilina in Senatu accuſatus obmutuit.* Hæc ille in Oratore, & multò plura. E quibus haud dubiè ſuſpicari licet, quàm acri & agente motu, qua firmitate, conſtantia, grauitate, quo tono vocis, qua oris compoſitione illa protulerit. *Quouſque tandem abutere Catilina*, &c. Dialogi Auctor, qui de cauſis corruptæ eloquentiæ ſingulari facundia ſcribit, Eprium Marcellum hoc etiam nomine prædicat, quem *accinctum & minacem*, hoc eſt, armis generoſæ eloquentiæ & illa animi contentione bellantem, de Heluidij eleganti ſapientia tropæa retuliſſe memorat. *Quid aliud*, inquit, *infeſtis Patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam ſuam oppoſuit? qui accinctus & minax diſertam*

quidem, ſed inexercitatam & eiuſmodi certaminum rudem Heluidij ſapientiam eluſit. Lucianus vim conſimilem Piſoni tribuit,

Nam tu ſiue lubet pariter cum grandine nimbos
Denſáque vibrata iaculari fulmina lingua, &c.

Lucan. in Paneg.

Atque in hunc principum chorum & excellentium Oratorum, Chriſtianos licet Antiſtites ab omni antiquitate adiungere, in quibus animi virtus & innocentia, mirifica vi dicendi fuit illuminata. Talis certè fuit ſanctiſſimus & omni ſcientia ornatiſſimus Auguſtinus, qui præſertim cum Hæreticis perfidioſa hominum natione pugnans, igneo quodam ſplendore vibrabat. Quare Paulinus politiſſimus idem ſcriptor & vita egregius, carmen pangens in obtrectatorem ieiunum maleuolentia & impium, qui doctorem Hipponenſem tacitè arrodebat, monet ſeriò ne ſe det in conſpectum, ne à magno Auguſtino fulminetur,

Chriſtiani Oratores quales in vehementi genere dictionis.

Verte gradum, fuge perniciem, ſtratóſque rebelles
Oris Apoſtolici fulmine vbique vide.

Hoc fulmine perduellis Manichæorum acies, furioſi Ariani, Donatiſtarum colluuies, impiúmque latrocinium concidit. Quæ cauſa fuit, cur tantum virum Caſſiodorus *Bellatorem hæreticorum* & *famoſorum palmam certaminum* appellaret. Par fuit vis atque inflammatio dictionis in Baſilio, Gregorio Nazianzeno, aliis, quorum eloquentiam grandem & incenſam, & vt Theologus ſuauiſſimis ſuis verſibus canit, ῥήτρης πυρόεν μῦθος fuiſſe meminimus. Itaque in Baſilij magni Epitaphio iure poſitum

Caſſiod. de diuin. lect.

Greg. Naz. Carm. 49.

Βροντὴ σεῖο λόγος ἀστεροπὴ δὲ βίος:
Fulmen ſermo tuus vitáque fulgur erat.

De Epiſcopo Ticinenſi commemorabili virtute viro cæleſtique facundia Epiphanio, eleganter Ennodius, *Iam ſi ad ſermonem veniamus, nunquam ſic diras aſpides verborum digitis incantator Theſſalus violentis poterit euocare carminibus, quomodo ille effectum petitionis ſuæ à negaturis extorquet.* Et hoc quidem illi diuinæ mentis internuncij potuerunt, cùm ſit magna vis religionis atque pietatis, vt qui ea ſunt afflati, non modò animo, ſed omnibus quoque artubus commoueantur. Aliis autem hominibus qui venalem habent facundiam, quóſ-

Ennod. in vita.

què res qua de agitur non attingit, longè difficilius eſt eos motus ardorémque ſuſcipere. In tuendis enim alienis, atque ab omni periculo vindicandis, ſtudio omni exardeſcere, & animi quodam impetu efferri in agendo, eorum tantum meo iudicio fuerit, qui grauiſſimum eloquentiæ nomen pro dignitate ſuſtinent, & diuturna exercitatione præcellunt.

Orator affectus in animo ſuo imprimat, aut oſtentet.

Quare docti humanitatis interpretes ſapienti iudicio clari, in monitis ſuis poſuerunt, eſſe cumprimis induendos affectus, penitúſque animo imprimendos, quos aliis volumus inurere. Iratum ſi vis iudicem, atque ſceleribus infenſum & impiorum hominum crudelitati, illam ipſam indignationem animi in te priùs concipias oportet, & motu omni ore atque voce declares. Si hoc non potes, iubent illi, ſaltem iracundiorem te vultum effingere, & quantum res prudentiáque volet triſtiorem: *vultuoſum* nominat Marcus Tullius, Apuleius *vultuoſam faciem*, triſtem videlicet & inamœnam, Suetonius, *vultum minus familiarem*, quidam *moroſiorem*, non nemo *rigorem in vultu*, nubilam alij frontem & adductam, Græci παρασιώπησιν, de qua ſolita elegantia gemmeus Chryſoſtomus, qui Antiocheno populo audiente ſic aiebat: *Cùm iniuriam amicus acceperit erga amicum eodem ſe modo habet quo dominus erga ſeruum*, παρεσιώπησε, μόνον διὰ τῆς σιγῆς φθεγγόμενος, καὶ πᾶσαν ἐνδεικνύμενος αὐτῷ τὴν ὀργὴν, *tacito vultu rem ipſam amplificat, iracundiámque oſtendit.*

S. Chryſo. hom. 14. ad pop.

ACTIONIS ALIA QVAEDAM ADiuncta in turbidis affectibus.

CAPVT XXV.

SECTIO I. *Acer & præſens animus, conſtantia in vultu picta, recti & leonini oculi, frontis aſſeueratio, geſtus maſculus, igneæ vocis tuba*, &c.

AD metum & terrorem incutiendum, & ad ſimiles grauiores motus, addo hîc etiam, conſtantiam quandam ſignifi-

ſignificari oportere animi erecti & exaggerati, qualis ſolet eſſe in ſecuris, aut generoſa mente præditis, vel iuſtitia, fide innocentia, & cauſæ bonitate circumuallatis. Acer enim præſenſq; animus, quique ipſa veluti ſcelerum cubilia ſtricto ferro atq; lucente penetrare audeat, reo peracto ſæpe domũ victor & triumphans rediuit. Conſtantiam voco, animi firmitudinem, honeſtámque audaciam, ſeu fidentiam rigoris expertem & immanitatis, (*fundatum pectus* diceret Ammianus Marcellinus) in qua lucet grauitas quædam imperterriti animi & inuicti. Quare Orator de acuſando inuehẽdóque ſollicitus, huic etiam comparandæ conſtantiæ operam dabit, ad eámque geſtum atque motum componet. In ea verò quantum ſit momenti poſitum in optima cauſa, Plinius glorioſæ eloquentiæ ſpecimen in agendo ſæpe eſt expertus. Nam cùm propter crudelem principum & acerbum dominatum, vulgò ſana ſeueráque iudicia non fierent, hac firmitudine perficiebat, vt obtritum ius attolleret, & ab iis qui primo reclamauiſſent, æquiſſimè & beneuolentiſſimè audiretur. Rem ipſe quodam loco, belliſſimóſque triumphos, quos fretus cauſæ bonitate, præſentiſque animi fortitudine, in Senatu retulerat, ſimul & euentum orationis ſuæ ita recenſet, *Mirum qua intentione, quibus clamoribus omnia exceperint, qui modò reclamabant, tanta conuerſio vel negotij dignitatem, vel prouentum orationis, vel actoris conſtantiam ſubſecuta eſt.* Porro animi illa conſtantia tum ipſius modo vocis & dignitate, tum in ſtatu, ore, vultu, & totius oratoris habitu cernitur. Plotinus vultum quidem eius pingit dum fortitudinem & animi conſtantiam delineat, *Fortitudinem*, inquit, *generoſo vultu verendam:* & Caſſiodorus lib. de Anima, *Cuius ora ſe nequeunt immutare, dum ſemper probatur ſtudere conſtantiæ.*

Plin. l. 9 ep. ad Quadrat.

Plotin Ennead. 1. l. 6.

Caſſiodor. l. de Anim. c. 18.

Vultus generoſus.

Eſt igitur ſignificandæ conſtantiæ hoc imprimis opportunũm, vultum habere generoſæ mentis indicem, firmum, erectum, minimè abiectum atque depoſitum. *Rectos illi oculos* variegatæ porticus amaſius tribuit Seneca, *Aduerſus apparatus terribilium, rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat.* Animoſe quidem ille & verè: nam vt timor abiicit animum, limóſque facit oculos & depreſſos, ſic honeſta & ſecura periculi audacia rectos oculos tenet: quemadmodum Græcos etiam ſapientes

Senec. l. 1. de Conſtãt. c. 5.

loqui memini. Sic enim Hierax apud Stobæum, τοὺς δὲ ὑπ' ἐλευθερίας ἐλέγχοντας οὔτ' ἰδεῖν ὀρθοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀνέχεται, *eos verò qui per libertatem redarguunt, nec rectis oculis intueri*
Recti oculi. *ſuſtinet*. Rectos oculos ego interpretor, non nictantes aut deorſum procliues, nec contra immanius diductos, ſed naturæ libertate ſplendorem omnem ſuam quantum res patitur afferentes, quibus ſi accedunt alij quidam geſtus in eandem rem accommodati, vim magnam habent atque mirificam ad animi fiduciam explicandam.
Senec. ep. 76. Alibi Seneca *erectos oculos*, in exponenda eadem conſtantia poſuit. *Si erectis oculis gladios micantes videt*, hoc eſt ſi conſtantia armatus & generoſa mente vadit in
Id. ep. 71. periculum. Item epiſt. 71. *Intantum profecit vt contra fortunam audeat oculos attollere*. Damagetus Poëta vetus conſimili pæne modo Herculis conſtantiam in oculis eminentem exprimit,
Antholog. l. 4. ait enim illum, ἐν ὀφθαλμοῖσι ἀταρβῆ θυμὸν ἔχειν, *inpauidum in oculis animum & obtutu circunferre*. Eos oculos eruditi *leoninos* appellant, cùm iuſtæ iracundiæ motus & dominantis excellentiæ vis ſignificatióq; acceſſerit. Conſtantinus certè Magnus non bellandó maior quàm dicendo, cùm in Concilio orbis terræ, aut Arrium peſtilentiſſimi erroris ducem, aut alios numinis perduelles meritò inſequeretur, coniecto velut oculorum fulmine nouos illos impietatis architectos vrebat. Quare Cedrenus illum fuiſſe ait, τὸ δὲ ὄμμα παραπλήσιον λέοντι, *oculis leoni ſimillimum*, quales oculos Iulius Pollux θυμοειδεῖς appellat, & στίλβοντας, *acres & fulgentes* vim animi ſignificantes.

Frontis aſſeueratio. Frons quoque ipſa grauitatis notis pingenda eſt, *frontem aſſeuerare* dixit Apuleius, hoc eſt ad ſeueritatem componere, Macrobius *commaſculare*, *frontem caperare ſeueritudine* Plautus. Vultum *ſæuum* nominaret Princeps Poëta, vt de pio Ænea *Maternis ſæuus in armis*. *Trucem* vultum Tacitus, *Seuerum* Martialis.

Vultus indue tu magis ſeueros.

Hinc *terrere vultu* apud Horatium; & eleganter Ouidius, *tacitos etiam vultus conuitia* dixit *facere*. Quæ omnia eò libentiùs à me adferuntur, vt intelligamus eruditorum hominum con-
Corporis motus firmus & liber. ſenſu, hoc grauitatis conſtantiæque ſpecimen plurimum poſſe, in permotione animorum, & cauſarum atrocitate. Eſt etiam totius corporis geſtus quidam, qui maſculam illam ſpeciem &

Digitized by Google

altæ mentis robur deceat, qui longiſſimè ab eorum hominum abiectione recedit, qui timidi & ſoluti languent. Qualis autem ille ſit, tum ex iis quæ ſuperius diximus, tum è ſummorum oratorum animaduerſione facilè intelligitur.

Iam verò quod ad pronunciationem attinet, vox debet eſſe fortis & incitata, & diuerſa pro rerum varietate. Extent & emineant interrogationes, quibus quaſi aculeis ſtrati & timidi aduerſarij pungantur. Iuuerit quoque præcipua quædam & ἐμφατικώτερα, in quibus maior vis eſt ad ſignificandum, quæq; nobis & cauſæ æquitati fauere poſſint, aut ſcelus & impiam fraudem obterere, maiori quadã exprimere vocis contentione, ne forte in rapida & ignita oratione, audientem illa preteruolent, ſed potius animis inſideant & inurantur. Demoſthenes hoc maximè artificio excelluit, quem ſecutum dicendi genus aiunt κρουστικὸν, aptum videlicet ad quatiendum, & hominum multitudinem percellendam: atq; ab ipſo pronunciandi vigore puto fuiſſe *tubã* nominatũ ab eruditis. Ita enim Poëta Grecus. *Vox index constantiæ.*

Καὶ Παιανιέων δημηγόρος ἔπρεπε σάλπιγξ. Anthol. l. 5.

Et paulò pòſt de eodem,

——κοτέων προχάλην ἐφθέγξετο φωνήν,

iratus in dicendo contortam & vibrantem attollebat vocem. Sic Proæreſius Orator ſui temporis maximus à Diophanto nominabatur σάλπιγξ τῶν Μαραθωνίων τροπαίων, quod Marathonia tropæa buccinator inclytus, vehemenſque reſonaret. Doctiſſimus & elegantiſſimus Nazianzenus, τὰς θυῤῥηνικὰς ὑπερφωνεῖν σάλπιγγας, *Tyrrhenicas tubas oratione ſuperare*, Philoſtratus Oratores ὑπερφωνοῦντας dixit.

Incredibile prope eſt, quantum valeat ipſe ardens & impetu quodam elatæ orationis curſus, quæ cùm manat à limato iudicio & exquiſito, rapit omnia ſecum, & euertit obſtantia, donec in loco æquitatis & iuſtitiæ conquieſcat: ſi præſertim ad eam vocis magnificentiam atque ſonum, dictionis quoque altitudo ſplendórque accedat. Id nominauit Seneca pater, *magno animo inſpirare*, Dio Pruſæus μεῖζον ἑτέρων φθέγξεσθαι, M. Tullius eloquentiam *quæ curſu magno ſonitúque feratur*. Hinc in veterum pompa ſophiſtarum ἦχος ſiue ἠχὼ & ὑψηχὲς τῶν λόγων, quo fiebat vt mirificè caperẽt animos audientium & tenerent. Quanquam habebant illi quidem potius εὐφωνίαν μουσικὴν, *Vis elatæ vocis & constantiæ.*

Sic Eupolis tonantem ait Periclem & eloquentia diuinum.

——— μόνον τῶν ῥητόρων

Τὸ κέντρον ἐγκαταλιπεῖν τοῖς ἀκροωμένοις,

magnanimi oris voce, principe digna & totius Græciæ Coryphæo, aculeum quendam in audientibus relinquere conſueuiſſe. Durius fortè paulò dixiſſe videatur, ſed tamen ſignificanter Enodius, *Ferratis verborum calcibus animare.* Diuinæ literæ pulcherrimis dicendi modis abundantes, mirificè illud item explicant & elegantiſſimè. Purpureus enim ſtylus Salomonis in Prouerbiis id nominat *verbum dictum ſuper rotas ſuas*: vbi ingenioſiſſimus Caietanus, *Super rotas ſuas*, inquit, *id eſt ſuper loca topica, ſuper colores rhetoricos, ſuper modos loquendi:* addo ego, ſuper claram, illuſtrem, magnificam pronunciationem, & vt Poëta ille vetus aiebat προχαλκῷ φωνῇ, qua Pindarico veluti Muſarum curru, aut iudiciorum illo falcato, qui terrore ſonitúque magno labitur, aut triumphantium rotundo, atque auro vndíque fulgurante alta inuehitur & exaggerata dicentis oratio. Nonnulli viuidam illam in orando contentionem vocant *Spiritum*, de quo M. Tullius in Oratore perf. *Carent*, inquit, *libri ſpiritu, propter quem maiora eadem illa cùm aguntur, quàm cùm leguntur videri ſolent.* Quam vim atque ſpiritum doctiſſimus Plinius rem in animis dicebat affigere, hoc eſt enim eius effatum, *Altius in animo ſedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit.* Longinus clariſſimo iudicio pollens & cognitione, idipſum dixit, ἐνθουσιαστικῶς ἐκπνέειν καὶ οἱονεὶ φοιβάζειν τοὺς λόγους, *ſpirare diuinum quiddam & animoſum, & furentis Pythiæ more grandem & incitatum edere ſonum, & veluti oratione bacchari.* Ouidius erudito ingenio Vates ad eandem vim ſignificandam, *Thyrſum* Oratoribus concedit & *calorem*, in iiſque *facundiæ neruos* collocatos opinatur: ita enim ſcribit ad Solanum in Romano foro copia & elegantia principem,

Spiritus dicentis. | *Longinus πρ. ὕψους.* | *Thyrſus Oratoris.*

Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis, Ouid. de
Sed tamen ambobus debet ineſſe calor. Pont.
Vtque meis numeris tua dat facundia neruos, &c.

Thyrſum meo iudicio nominat incitatæ orationis telum ardore animi vt amento & oratorio lacerto coniectum, quo aduerſi lacerantur. Nam vt Thyrſus cuſpidem habet frondibus

inuolutam, qua Mænades pungere ſolebant, obuióſque laceſſere: Sic Orator dictionem præferens amœna quadam foliorum varietate conueſtitam, cùm accuſandum eſt & inuehendum atrocius, adhibet fortem, & veluti acuminatam amplificationem, qua communis otij peſtes eloquentiæ vi & mucrone confoſſæ intereant. Philoſtratus ſimili orationis gratia inflammatos in agendo & ſpiritu vehementi pronunciantes βακχεύειν & τυμπανίζειν aiebat. Ad hæc ſobria Suadelæ Orgia, tympanúmque fori & iudiciorũ, ira, metu, odio, & cæteris affectibus reſonans, haud dubitem inuitare adoleſcentes, eos præſertim molliores, & placidos, qui nihil poſſunt atrociter & ſeuerè dicere, eiſq; in manus Thyrſum hunc imponere grauitatis & contentiónis, quo in acie pugnare diſcant: vt quemadmodũ apud Euripidem Bacchantes ſine armis atque ferro, ſuis tamen tenuibus illis ſpiculis obuios petunt & lædunt: Sic illi ſeriò agentes, cum importuna & crudelis hominũ malitia poſtulat, ſine ferro, hoc eſt ſine inhumanitatis ſuſpicione, aculeos animi ſui exerant, & perditorum hominum amentiam cruentent.

Philoſtr. in Sophiſt.

Et ſi exemplum à me quærant, opponerem quidem lubens incorruptam omnem antiquitatem, cùm clari & inuicti heroes in agendis cauſis pluſquam Indicos triumphos referebant: ſed vno Bruto contentus ero ſingulari vbertate, & diuino quodam genere dictionis exculto, qui poëtæ boni teſtimonio, ſi quando leges improborũ audacia violarentur, ſic in foro agebat, vt ſingula eius verba, tela forent, quaſi felle & veneno lita, quibus impias & conſceleratas hominum mentes ſtimularet, atq; foderet. Sed præſtat clariſſimi Poëtæ carmen audire Brutum alloquentis.

Exempla fulminantium in dicendo.

Cum tibi ſuſcepta eſt legis vindicta ſeueræ
Verba velut tinctum ſingula virus habent.
Hoſtibus eueniat quàm ſis violentus in armis
Sentire, & linguæ tela ſubire tuæ.

Ouid. de Ponto.

Vim eandem illam *fulmen* alij, *tonitrúque* nominant. Hinc D. Baſilio differenti omnes ſubmittebant ſe ὡς ἤχῳ βροντῆς, *quaſi ad tonitrui ſonitum*, ait S. Gregorius Nazianzenus, in quo magna illius in dicendo vis, & maieſtas animaduertitur. Talis nimirum quiſque Orator, vſu, arte, iudicióque eruditus, non lentus, non in ſumma rei grauitate ſomniculoſus, ſed ardens

Greg. Naz. Or. 20.

Digitized by Google

& excitatus in pernicioſa hominum conſilia imminet, & eodem animi motu ſecum omnes ad decus, ad honeſtatem, ad nominis ſempiternam gloriam attollit. In bellis ad animorum concitationem tuba vtuntur Hetruſci, fiſtula Arcades, Siculi iis inſtrumentis, quæ vocantur Pyctides, Lyra Cretenſes, Lacedæmonij tibia, cornu Thraces, tympano Ægyptij, & Arabes cymbalo: at in campo legum & humanitatis, vna voce magni & incenſi oratoris, omnes inflammantur, quæ plus pollet ad excitandas multitudinis voluntates, quam teſtudo Muſici Timothei ad Alexandrum ira & ſtudio bellandi complendum. Adeo verum eſt quod aiebat Pindarus, *κέντρον δὲ μάχας ὁ κρατιστεύων λόγος*, *ſtimulus pugnæ eſt dominans oratio.* Clem. Alex. l. 1. Strom.

Aduerſus ea quæ dicta ſunt, videri grauiorem illam commotionem minùs decere Oratorem ſapientem.

SECTIO III.

HACTENVS Theodorus attentiſſimis & lubentibus omnium animis audiebatur: cùm Victor à Philoſophia ſua monitus actionum moderatrice, Videris, inquit, mihi doctiſſime Theodore, non oratorem ſapientem quendam, & moderatum exprimere, ſed militem in campo ferocientem. Sanè turbidos iſtiuſmodi Oratores à multis prudentiæ laude ſummis vulgò reprehenſos memini, vt qui rixarum potiùs amantes & litigiorum, quàm æquitatis eſſe videantur, qui effractis quaſi pudoris modeſtiæq; repagulis in theatricos motus, & caninam veluti rabiem erumperent, quos niſi vicani homines & imperiti commendare nemo poteſt. Talem fuiſſe Caſſium Seuerum Oratorem, qui poſt æuum M. Tullij eloquentiæ campum celebrauit, is qui Dialogum de Oratoribus ſcripſit apertè ſignificat, *Primus*, inquit, *omiſſa modeſtia ac pudore verborum, ipſis etiam quibus vtitur armis incompoſitus, & ſtudio feriendi plerumque detectus, non pugnat ſed rixatur.* Dialog. de cauſ. corrup. eloq. Vbi ſanè φιλονεικῆ & veteratorem pæne furioſum, non iuris & humanitatis patronum delineatum video. Tu in amplo & fortiſſimo dicendi genere & concitatione animorum, ſæuum ais

oportere eſſe vultum, truces oculos & ſcintillantes, erectos oculos capútque fidentius elatum atque ſublimius, quæ omnia væſanæ audaciæ mihi videntur, aut ſuperbiæ non ferendæ argumenta. Magnos enim viros dicere memini, ceruicis & frontis elationem, propriam eſſe arrogantis & tumidi faſtidij, nimium in luce aliorum inſoleſcentis. D. Gregorius Nazianzenus ni memoria me fallit mea, nam obiter quædam eius monumenta libaui, deſcribens hominem odioſæ contumaciæ,
Nazianz. Carm. de vit. βλέπειν ὑψηλόν τι καὶ μετάρσιον dixit, & alio in loco ὑψαυχενεῖν.
Themiſt. or. 2. Themiſtius de Sophiſtis, ὑψηλὸν ἐξαίρειν αὑτὸν φρονηματισμοῦ ἐμπιπλάμενον, *ſublimem ſeſe attollere, faſtidij arrogantiæque pleniſſimum.* Eos homines alio quodam modo circumſcribit ſubtiliſ-
Ariſtid: or. 3. ſimus & eloquẽtiſſimus Ariſtides, vocat enim τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακότας καὶ βαδίζοντας ὥσπερ δεσπότας τῶν ἐντυγχανόντων, *ſublatis ſuperciliis incedentes tanquam omnium dominos.* Itaque Plinius
Plin. in Panegyr. (Oratorem intelligo) ſcitè & eleganter *ſuperbiſſimos Tyrannorum vultus* appellat, nempe ὑπεροπτικοὺς καὶ τὰς ὀφρῦς αἴροντας, quod Iulius Pollux ſuperbientium propriũ eſſe monuit. *Rigentem* appellauit *ceruicem* Ouidius, quam hieroglyphicum eſſe inſolentis arrogantiæ Pierius Valerianus opinatur.

Quæ ſi omnia docti viri ſiluiſſent, intelligere tamen quiſque poſſet experientia duce & magiſtra, quantum is næuus Oratori incommodet, quantum illius famę decus & nominis exiſtimationem imminuat. Neque enim auditores in ea capitis & oculorum elatione, defenſorem honeſtatis & modeſtiæ candidatum videre ſibi videntur, è nobili tabernaculo Suadæ prodeuntem; ſed trucem quendam, & vt dicam cum poëta Venuſino *elata ceruice ferum*, qui gigantæa & impudenti contumacia cœlo minitetur, quo nihil magis contrarium dici poteſt conciliandæ hominum beneuolentiæ & amori.

Sed vt omittam de ſuperbię ſignificatione dicere, vide etiam atque etiam Theodore, quantam feneſtrã aperias temeritati, audaciæ, & importuno furori. Nam ſi per te licet commutare faciem, caperare frontem, æſtum animi ore toto prodere, & Thyadum more βακχεύειν quid illi faciunt aliud, quorum vim acerbitatémque iracundiæ in vultu, voce, motu eminentem, viri ſapientes ad humani generis ludibrium tanquam in ſcenã inducunt, & grauius perſequuntur? Nam cùm Seneca fœdum habitum

Digitized by Google

habitum iratorum, vt ferocientis animantis effigem ponit ante oculos, eadem prope, quæ tu, memorat: *Audax*, inquit, *& minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquieta manus, color verſus. Flagrant & micant oculi*, &c. Hæcne igitur ſplendidior tibi videatur ſpecies atque decentior in corona ſapientum, quam ea Mallij Theodori, qui facundia nobilis, fori lumen, & auguſtæ Curiæ decus, à poëta valde bono ita pingitur,

Seruat inoffenſam diuina modeſtia vocem, Claud. de Conſul. Mal.
Temperiem ſeruant oculi, nec lumina feruor
Aſperat, aut rabidas diffundit ſanguine venas,
Nulláque mutati tempeſtas proditur oris.

Atqui rectè meo iudicio & ſapienter Agellius duas ferociſſimas affectiones amoris atque odij nominauit: nam vbi odium & præceps ira furiæque dominantur, non eſt ſperandum vt in gyro ſe modeſtiæ homines contineant, quin potiùs elati ferocia, vltra modum abripi ſe patiuntur, & vt Remus quondam muros, ſic officij limites & moderationis, impetu animi tranſiliunt. Agell. l. 1. c. 3.

Itaque videmus multos alioqui doctos & ingenioſos deterere laudem ingenij, & eloquentiæ decus maculis aſpergere, quod frænos animi impotentiæ minimè iniiciant. Talis fuit Socrates, de quo prodit Ariſtoxenus, neminem prope inter ſapientes fuiſſe qui efficacius perſuaderet; *Talis*, inquit, *erat & voce & ore & geſtibus, & ad omnia aſpectus proprietate ſe accommodans. Faciebat autem hoc quando non iraſcebatur: quando verò aliqua perturbatione ſuccendebatur, tantæ fuit impudentiæ, vt à nullo neque nomine, neque re abſtineret.* Hæc ille in Porphyrij commentariis apud Cyrillum Alexandrinum. Hinc exiſtit ea Cauſidicorum impia in foro & acerba nimium crudelitas, qui ſimilibus tragœdiis ſæpe hominibus creant perniciem, & iura omnia, tum diuina, tum humana polluunt. Marcelli potes meminiſſe verſipellis & furentis in agendo, qui in Senatu accuſauit Thraſeam, innocentiæ & grauitatis ſpecimen, decus æui ſui, & alio quàm Nerone rerum potiunte digniſſimus, Non defuit impio accuſatori ſpecies ad malitiam & crudelitatem appoſita, quam ſapiens Annalium ſcriptor ſtylo & oratione eſt complexus: *Cùm talia*, inquit, *Marcellus inueheretur* Cyril. Alex. l. 6. in Iul. Tacit. l. 16. Annal.

toruus & minax, *voce*, *vultu*, *oculis ardeſceret*, &c. Et paulò pôſt rectè *ſæuitiam accuſationis* nominat. His hominibus Theodore iracundis aut malitioſis ſi tuum illum Thyrſum in manus iniicias, quo progreſſuri ſint vides, quæque tandem effecturi, quæ nemo opinione mea ſapiens, non modò non prædicanda in Oratore, ſed ne ferenda quidem putabit.

SECTIO IV. *Satisfit dubitationi, & exponitur, quæ in turbida, iracunda, & vehementi Actione, ſint prudenti Oratori vitanda.*

QVÆ à me dicta ſunt, ait Theodorus, de geſtu & voce in grauiori motu concitando, non eo referri cupio, Victor, vt ſuperbæ dicentium arrogantiæ & acerbæ inhumanitati vllo modò faueant; quæ vitia, in præſtantium hominum cœtu odioſa, æquè ac tu repudio & deteſtor. Scio quoſdam reperiri Oratores tumido animi faſtidio elatos, qui nihili præ ſe alios facientes, & tantùm non deſpuentes, ſe glorioſè & inſolenti audacia venditant. Thraſones quoſdam è theatro putare queas ſupercilio inſolenti, voce grauiùs exaggerata, velut Theoros Diuûm oracula ponderantes: qualem deſcribit Agellius oſtentatorem ſcholaſtica quædam nugalia crepantem, qui arduis ſuperciliis, vociſque & vultus grauitate compoſita, velut interpres atque arbiter foret Sibyllæ oraculorum, ampullas fundit. Eorum hominum proprium eſt Iunonia pompa, & vt ita dicam, aureo in curru præteruehi ora audientium, & quaſi adorantes viderent eloquentiæ diuinitatem, animo efferri, ſe mirari vnicè, grandire vocem, & eam pænè conſecratam & cœleſtem exiſtimare. Præterea oculorum intentu & ſplendore, circumfuſæ coronæ obtutum reuerberant, & quod ſibi Octauius Cæſar Imperator ſumma omnium inuidia & non leui ſuperbiæ opinione ſumebat, vt quos ille intueretur, oculos demitterent, neque auderent contra aſpicere, id ſibi quodammodo volunt tribui, dum innuunt, dum arguté geſtiunt, dum incenduntur. Non eos oculos erectos nominabam, Victor, & paulò ante mea diſputatione probabam, & multò minùs immodicè elatum, & non ſine quadam animi inſolentia extru-

Superba inſolénſque ratio dicē-di reiicitur.

Gell. l. 4. c. 1.

Sueton. in Auguſt.

ctum in agendo caput, quod monuere viri ſapientes, à modeſtia & honeſti viri humanitate eſſe alienum. Tertullian. lib. de Orat. *vultum in audaciam erectum* vocat, quod ait repugnare modeſtiæ. Hinc diuinitus afflati homines in diuinis monumentis, *Sublimes oculos*, *extentum collum*, & *elatam ceruicem* vituperant, vt teſtimonia ſuperbiæ, quæ pluſquam Vatiniano odio rerum omnium moderator Deus proſequitur. Quos prophani deinde imitati Poëtæ, in eadem re ſignificanda *ſublimia & ſuperba colla* dixerunt, Græci ἀνατείνειν τὸν αὐχένα, quíque id facerent, μετεώρους ἀνατεταμένους, & ὑψηλοὺς nominant. Seneca verò togatæ Philoſopiæ lumen *reſupinos*, Ille, inquit, qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit, Tertull. l. de Orat. Prouer. 30. Iſaiæ 3. Senec. ep. 80.

En impero Argis regna mihi liquit Pelops, &c.

Abſit omninò ab honorifica ſede eloquentiæ, vt in eam reſupinus actor ingrediatur, quem tacito conuitio omnes eiectum cupiant & aſpernentur.

Hic mihi in mentem Platonis venit omnium veterum in explicanda ſapientia cultiſſimi, qui cùm equum aliquando admiſiſſet, & ſublimis aliquot ſpatia confeciſſet, ſubitò deſcendit, cùm diceret nimium ſe vereri, μὴ ἱπποτυφίᾳ ληφθῇ, *ne equeſtri faſtu corriperetur*. Dictum haud minus quàm factum illuſtrius, æterno mortalium documento, ne ſuperbia ſeſe efferri attollíque ſinant. Nam inter animantes, vix vllus equo inſolentior, quíque ſenſu quodam ambitionis ceruicem elatius efferat, ſonóque geſtienti & glorioſo magnitudini ſuæ lenocinetur. Quare Attici vnde fontes eruditionis manarunt, τὸ φρύαγμα, quod equorum eſt proprium, ad hominum quoque arrogantiam, & ſublimem inſolentis animi motum referunt: & Gregorius Nyſſenus, qui elegantiam omnem hauſit, homines ait, qui ſuperbiæ vitio inſoleſcunt, τὸ ἵππων γαυρίαμα æmulari, hoc eſt, *tumidam & ſuperbam equorum elationem*, eóſque proinde vocat ὑψαυχενιστὰς, καὶ ὑψικαρδίους, *imperioſo quodam faſtidio collum nimium & caput attollentes*. Id vitium cadere aliquando poteſt in troſſulos adoleſcentes, qui recens ab incude & lima, & officinis eloquentiæ digredientes, magnifica ſui exiſtimatione inflati, gloriolæ pennis euecti, excellentium hominum aura impulſi, magno animo in ſuggeſtum & fori ſubſellia euolant. Ij tanquam equini pulli frænos quatientes, plau- Laert. l. 3. Greg Nyſſ. hom. 8. in Eccleſ.

Digitized by Google

ſæ ceruicis honore ſuperbiũt, φρυάττονται, laudi & ambitioni adhinniunt, caput reſupinant, glorioſius eriguntur. Pauum illum diceres venuſtiſſimi Luciani qui ſublimes oculos circumferat ad pictæ ſpectacula caudæ, & iucundam illam colorum varietatem intuendam: aut gallos gallinaceos imitari, de quibus ita Plinius, *Plebs æquè ſuperba graditur, ardua ceruice, criſtis celſa, collúmque ſola volucrum aſpicit*, &c. Quæ cùm audio, ſuperbientis animi effigiem videre videor geſtu nimium inſoleſcentis. Sic ergo ſit elatum Oratoris caput, vt grauitati & conſtantiæ, non arrogantiæ & inanitati ſeruiat.

Plin. l. 10. c. 20.

Feri & furioſi Oratores damnantur.

Iam verò quod dicentem in cõmouendis grauioribus affectibus, inducere me furioſum ais, non ita eſt; grauem, ſeuerum, & quoad res patitur concitatum volui, non importunè ferocientem, aut de ſede rationis deiectum, aut vultu Laruas & Alaſtoras imitantem. Nolo tam feros & diſtortos támque ignita iracundia truces habeat oculos, vt Illyriis ſimilis eſſe videatur, qui videndo necare dicuntur, quos diutius aſpexerint. Nõ placet vt ita prodeat in publicum, quemadmodum è ſecreto palatio Domitianus, de quo Plinius eloquentiſſimus in hunc modum, *Ipſe occurſu viſúque terribilis, ſuperbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore ſuffuſa.* Furere, exilire vehementius, & quod à Silio factum ait eſſe Tacitus, bacchantium more *iacere caput*, hæc & talia furioſorum potius ſunt, quàm in graui & honorifico cœtu cum merita omnium commendatione dicentium. Neque tamen eſt, quod concitatiorem omnem in dicendo motum, geſtúmque Oratoris in re amplificanda ſudantis, alienum eſſe à Philoſophia Victor opineris: Oratorẽ Peripatetici non probabant ſine aculeis iracundiæ vt auctor eſt M. Tullius. Probat igitur ipſa moderatrix omnium commotionum Philoſophia, vt is qui dicit puniendi ſceleris cauſa efferueſcat in agendo ſtomacho ſæpè iracundiáque vehementius, & omni geſtu incitetur. Sed quoniam ij qui proni ſunt ad iram, neque ſatis affectionum Domini, nec vſu diuturno politi, dum in odio turpium facinorum excitando & commouenda Iudicum ſæuitia elaborant, pactos à prudentia & moderatione cancellos poſſunt tranſmittere, cenſeo ante oculos ſemper id habendum eſſe viri ſapientis, *Ne quid nimis*.

Plin. in Panegyr.

Tacit. l. 11. Annal.

VOX ET GESTVS IN GAVDIO & læto animi ſenſu.

CAP. XXVI.

NON eſt ſpiſſum aut nimium operoſum, in dicendo lætitiæ voluptatem aut animo concipere, aut claris maniſeſtiſque notis exprimere. Ipſius enim eloquentiæ ſplendor & ornamentum, complet animum humaniſſima quadam voluptate, & ſi modo commendatione hominum digna eſt, oratorem locat in amplo & illuſtri loco, tanquam in ſublimi quodam Olympo, vnde nubem mœſtitiæ turbulentam & fortunæ ſonitum deſpiciat. Quare verendum eſſet aliquando, ne diſertus & ingenij laude celebratus ſeſe rapi immodica lætitia patiatur, & non modò pompa & cultu radiantis elocutionis, ſed motu etiam & pronũciatione laſciuiat. Tacitusus ſeu quis alius diſputationis opifex de cauſis corruptæ eloquentiæ, cum ſumma vbertate & copia, voluptatem oratorij muneris ſtudii. que exponit, ſic meo iudicio veriſſimè, *Iam verò quæ in publico ſpecies? quæ in iudiciis veneratio? quod gaudium conſurgendi aſſiſtendíque inter tacentes in vnum conuerſos coire populum & circunfundi coram, & accipere affectum quemcũnque orator induerit? Vulgata dicentium gaudia & imperitorum quoque oculos expoſita percenſeo*, &c. Hæc igitur gaudia poſſent efficere, vt qui laudis & gloriolæ choragio ſuperbiunt, aureæ fines mediocritatis excedant, ſi præſertim lætos audientium vultus & aſſenſionem animaduertant. Tum videlicet geſtiunt, & intimæ lætitiæ plauſu & exultatione volitantes, aliquid ſe eſſe putant, & verò ſæpè ſine cauſa: nam belliſſimè dictum à Varrone, *Omnes videmur nobis ſaperdæ, feſtiui, belli, cùm ſimus copreæ.* Dialog. de orat. Varr.

Sed vt à noſtra diſputatione illos remoueamus, qui ſui inaniſſima opinione inflati, ſic efferueſcunt lætitiæ magnitudine, vt inter ſanos ac ſobrios deſipere videantur: aio imprimis commodum eſſe, imò etiam & neceſſarium, vt Orator gaudium præ ſe ferat, idque in animis eorum qui audiunt ciere conetur. *Quando gaudium præſe ferẽdum.*

Digitized by Google

Eſt enim ſæpè dicendum de rebus lætiſſimis, de compreſſis & edomitis hoſtibus, de bono victoriæ, de reipub. felicitate, de ſplendore virtutum, de liquida & perenni voluptate qua boni viri & vitæ innocentia nobiles fruuntur, de immortalibus cœli gaudiis, & torrente voluptatis, & circunfluente bonorum copia, quam æternus hominum parens filiis ſibi cariſſimis in ſublimi domicilio comparauit. Sæpè leuandum eſt auditorum faſtidium iucundæ rei commemoratione; hilarandus ſæpè animus & ab ægritudine reuocandus; in ſæua & horribili calamitate, in mœrore diuturno, ſæpè adhibendæ conſolationes, vt obiecta eximiarum rerum pulchritudine & ſuauiſſimo animi motu, afflicta mens in dicentis oratione conquieſcat. In his ſimilibúſque rebus niſi ipſius oratoris lætitia, ore, vultu, voce, atque omni actione ſignificetur, minimè quidem id eueniet quod cupit, & agendi modus non ſat orationi conſentiẽs in doctorum hominum offenſionem incurret.

Geſtientes Oratores.

Itaque ſummi illi viri qui duces ad eloquentiam nobis fuerunt, hoc quoque præſtant artificio, vt cùm tempus & cauſa poſtulauiſſet, lætitiæ motum gignerent, quem in ſe prius ipſi concepiſſent. Craſſus omnino in eo genere excelluit, elegantiſſimus omnium fere eloquentium & humaniſſimus, quo dicente, hilaritatis plenum iudicium ac lætitiæ fuiſſe docet M. Tullius. Auſonius in eo prædicat Imperatorem Gratianum diſcipulum ſuum in agendo perfectum, quod neminem oratorem vidiſſet, *qui læta iucundius pronunciaret.* An putamus Gregorium Nazianzenum Græciæ florem & copia longè clariſſimum, ſine ſumma lætitiæ ſignificatione ſolennem Cypriano Martyri diem oratione concelebrauiſſe, qui in laudatione ſua poſuerit ὥσπερ ἔνθους ὑφ᾽ ἡδονῆς γίνομαι, *præ gaudio quaſi lymphatus feror.*

Cic. 1. de orat. Auſon in orat act. Nazianz. or. 18.

Expreſſæ lætitiæ notæ.

Multa verò ſunt quæ lætitiam prodere in agendo ſoleant, ſed cumprimis habenda ratio vultus, qui tranquillandus omnino eſt, dempta ſupercilij nube, & inducta clariſſimi veluti cœli & ſereni effigie quæ delectet. Quod decus in Epiphanio, Antiſtitum bonorum gemma, commendatum à ſcriptore magno videmus, *Quocunque*, inquit, *vertiſſet oculos, ſerenitatem mentis nuntiabat aſpectus.* Rectè oculos nominat, quorum eſt in ipſo vultu principatus, in quorum motu & compoſitione

Ennod in vit Epiph.

Digitized by Google

viri ſapientes & mœrorem & lætitiam, & alios animi motus eximiè declarari monent, ſed præſertim amabilem quandam eminere lætitiam & amorem. Hinc Nonnus Poëta ſapiens Muſæum imitatus oculos nominauit *γελόωντας, ridentes* : & Leontius quem à ſumma & multiplici eruditione dicunt ſcholaſticum, cum præconio ſuo cohoneſtat Oratorem, vnum omnium maximum, & vt ipſe appellat *ἔξοχον ἐν ἀγοραῖς, fori dominum*, illi tribuit riſum oculorum, indicem lætitiæ & humanitatis,

Πέτρου ὄρας ῥητῆρος ἀεὶ γελόωσαν ὀπωπήν.

Geſtus item nec parcus, nec reſtrictus eſſe debet, ſed cum ipſo gaudio animum ſuauiter amplificante, aperire ſe quoque lætius atque fundere. Itaque expatiatur liberius manus, & in ea feliciſſima boni effigie, quæ in mente inſidet, aliis proponenda, cum ipſo flumine orationis abundanti, geſtit quodammodo & triumphat. Vox quoque hilarior & in obſcurum veluti cantum inflexa, quendam ſuauitudinis motum in animo ſignificat.

Quid cauendum in læta oratione.

Sed cauendum omnino eſt adoleſcentibus, qui ardore ætatis ſæpè etiam longius efferuntur quam par eſt, ne habenas lætitiæ omnes concedant: hinc exilientes videas quoſdam & effuſos, & ita ſui pæne dicam oblitos & impotentes vt conſtringendi videantur. Eam naturæ vim nimio opere geſtientis, & iuuenilem temeritatem Mamertinus in Iuliani laudatione venuſtè expreſſit, *Nimia*, inquit, *lætitia, decoris ſunt & grauitatis immemores: illa iactatio togarum, illa exultatio corporum neſcientibus pæne hominibus excitatur*. Fit etiam ſæpè vt hic calor iuuentutis, petulantiæ veluti quendam colorem & nimiæ licentiæ induat, quo nihil dici poteſt cogitarique validius ad eruditum cœtum abalienandum. Quo in hominum genere veriſſimum eſt Ennodij ſapientiſſimi viri dictum ad Panfronium virum ſublimem ſcribentis, hoc enim eius effatum aliquando notaui, *Magna ſunt gaudiorum imperia: expers eſt continentiæ hilaritas, & in vocem geſtit erumpere.*

Mamert. in Panegyr.

l. 5. ep. 16.

Quæ geſtientis adoleſcentiæ laſciuiam comitētur.

Atque in hac adoleſcentum laſciuia, nonnunquam motus ſolent in vultu oculiſque exiſtere, quos puri animi candor & monita ſapientum repudient. Natantes enim & nictantes oculi, quique blanda volubilitate exiliunt, Venerei, minus

Apul. l. 10. metam. certè caſti & pudici reputantur. Hinc eleganter Venerem Apuleius *geſtire pupulis & ſaltare oculis* dicit. *Non laudo os*, inquit Poëta,

Non oculos, etenim ſunt luſci oculi atque patrantes.

Ομμα ὑγρὸν ἐκ πάσης πορνείας γέμον, vocat ſanctus Chryſoſtomus, *laſciuum oculum qui libidinis iaculetur incendia.* Arceſilaus iudicio exquiſito & Philoſophiæ columen, iuuenem quendam cinædum iudicauit, cùm vocem eius infractam, capillúmque arte compoſitum, *& oculos ludibundos atque il-*
Gellius l. 3. c. 5. *lecebræ voluptatis plenos vidiſſet* ait Gellius. Et Creſcentem philoſophia gloriantem eſſe mulieroſum arguit Tatianus
Tatian. or. cont. G. παντοίων διαχλιδώμενον, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς μαρμαρύσσοντα, *variis modis luxuriantem & micantem oculis*. Ita certè Cupidinem an-
apud Suidam. tiqui pinxerunt, vt in Poëta Græco,

----λαμυροῖς ὄμμασι πύκνα γελᾷ.

procacibus oculis aſſidue ridet Cupido. Prouidendum igitur eſt dicenti, ne in hac parte laſciuiam vllam exhibeat, memórque ſit dicti veteris,

in Mimis. *Laſciuia & laus nunquam habent concordiam.*

Sed maximè cauendum ab eo riſu quem πλατὺν & συγκρούσιον nominant Græci, *latum, quatientem, & liberalem cachinnum*, vt qui habeat ſimilitudinem petulantiæ & leuiſſimæ temeritatis. Quod ſi vt fit, vſurpandus aliquando riſus videatur, ſit potius μειδίαμα, quod genus fuiſſe in vſu Platoni, & aliis modeſtia ornatis, eruditi ſuis monumentis prodiderunt. Atque hactenùs de gaudio excitando, nunc contrariam animi affectionem, luctum, mœrorem & commiſerationem videamus.

ACTIO

ACTIO IN MOERORE ATQVE LVCTV, ET COMMOVENDA Miſeratione.

CAPVT XXVII.

Vultus conturbatus, oculi deiecti, vox tenuis & ad Lydiam veluti harmoniam compoſita, &c. valent plurimùm. nocet autem mollioris vocis modulatio ad cantum inflexa. SECTIO I.

IN dolore & mœrore ſignificando, lenta eſſe debet actio & ſuſpenſa, atque vt vultus ipſe deiectus, oculíque depreſſi, ita quaſi languere debet totius corporis habitus atque commotio: tardè & vix mouentur bracchia, manus deponuntur, corporis truncus in anticam modicè pronus & decliuis ſuo veſtigio inſidet. Eſt verò conandum oratori, vt quàm proximè ad naturæ conditionem accedat, neque pars minima eſt perſuaſionis verè & cum fide agere, hoc eſt naturam imitari. Videmus autem vulgò mœrorem, ſi verus eſt & non ſimulatus, velut nube quadam menti animóque circunfuſa, defigere oculos, labra componere, vires demere artubus calore extincto, motionem intercludere. Niſi ad hunc vſum & naturæ opificium, is qui dicit accommodet ſe, vix eruditus & politus auditor in animum ſuum inducet, non fictè fucatéque agi non falſum alienæ perſonæ actorem in ſcenam ingreſſum. Atqui fictus & ineptè aſſimulatus animi dolor, & incredibiliter offendit, & nullum motum efficit in corona prudentium, cùm ſciāt omnes, non dolorem eſſe illum qui pueriliter effingitur, ſed riſum quendam ſub perſona & ſipario delitеſcentem. Ingeniorè & meo iudicio argutè Mimographus,

Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt.

Id ne fiat debet orator cogitare, à ſe rem qua de agitur minimè alienam eſſe, & non modò ſe actorem aliorum calamitatis, ſed mœroris ſocium, & eiuſdem communione ægritudinis ſe teneri putet, quod eſſe vtile ad affectus induendos grauiſſimi eloquentiæ doctores monuerunt.

Id non dicerem in conuentu Stoicorum, qui ſcelus opinantur eſſe nefariũ, iraſci, dolere, & incommodæ aliorum fortunæ misereri. Eam enim inutilem humanitatem, nimium du-

Senec. l. de tranq. c. 15. rus & auſterus de numero Quiritium putat Seneca, *Eſt illa*, inquit, *inutilis humanitas, flere, quia aliquis filium efferat, & frontem ſuam fingere.* Sed habemus meliorem vitæ magiſtrum & officiorum omnium, clariſſimam Euangelij tubam magnum Paulum, quem Seneca mirari potius quàm æmulari potuit. Is autem iubet *flere, cum flentibus*, & magnam partem Chriſtianæ humanitatis poſitam in eo monet, vt conſimili doloris ſenſu atque moleſtiæ, alios afflictos & mœrentes comitemur. Quod eſſe quoque illuſtrium Oratorum proprium, conteſtato & perenni vſu dicentium, & eximia doctorum arte diſciplinâque didicimus. Itaque Demoſthenes is, qui magnis ſummíſque laboribus, & diuturna exercitatione, ad eloquentiæ diuinæ faſtigium glorioſè peruenerat, iure optimo reprehendit Æſchinem, quod ea mala quæ ciuitati eueniſſent, pro concione memorans, nec collacrymatus ſit omnino, neque vocem ad ani-

Demoſth. ὑπ. στφ. mi dolorem accommodarit, ſed ἐπάρας τὴν φωνὴν ϗ γεγηθὼς ϗ λαρυγγίζων, *ſed lætus & exultans geſtienti veluti pectore vocem extulerit.* Id autem eſſe ineptum & riſum magis poſſe exprimere, quàm gemitum, ſingulari iudicio, doctrina & ele-

Plin. l. 4. ep. gantia Plinius verè exiſtimauit.

Actio in triſtibus rebus. Neque verò difficile eſt aut laborioſum intelligere, quæ decora & opportuna eſſe videatur actio, in calamitoſiſſimis rebus exponendis, in luctu, in mœrore animi commouendo, ſi oculos in ſcriptorum ſapientiam intendamus, qui pridem animi ſui cogitationes proditas literis & conſilia nobis reliquerunt. Vultum imprimis conturbatum & triſtem eſſe oporte-

Horat. de art. Poët. re ſatis conſtat, quippe vt ait ſapienter Horatius ad Piſones.

——triſtia mœſtum Vultum verba decent.

Digitized by Google

Paris cùm apud Neronem accuſaturus eſſet Agrippinā Imperatoris ipſius parentem, hanc partem ſeu decori ſiue artificij retinuit, de quo meminit Cornelius Tacitus in hæc verba, *Paris ſolitus alioquin id temporis luxus principis intendere, ſed tum compoſitus ad mæſtitiam, expoſitóque iudicij ordine audientem exterret.* Tacit.l.13. Prudens Poëta cùm Cererem inducit Ioui miſerationem commouere cupientem, ῥητορικῶς planè & artificioſiſſimè illam pingit, vultu ad mœrorem compoſito, ſine quo vix miſeranda eius fuiſſet oratio,

----queſta diu ſic eſt affata Tonantem, Ouid 4. Faſt.
Maximáque in vultu ſigna doloris erant.

Oculi prætereà quos in lætitia ridere diximus, hic inobſcurantur & pendent & deiiciuntur: *iacentes oculos* peritè nominauit Claudianus, cùm mœſtam Romam inducit, Claudian. de bell. Gildon.

Vox tenuis, tardíque gradus, oculique iacentes.

Vbi etiam erudito iudicio tenuem vocem mœrori attribuit: neq;enim plena eſſe debet nec effuſa liberius, ſed exiliùs fluere vt dolori impar. Quod ſiue naturæ fuit, ſiue artis & excogitatæ prudentiæ, adhibuit Tiberius, cùm de morte Auguſti in Senatu verba faceret: nam inchoata allocutione derepente velut impar dolori congemuit: vtque non ſolùm vox, ſed & ſpiritus deficeret optauit, inquit Suetonius. Sueton.in Tiber.c.23. *Flexibilem* in miſeratione vocem, *interruptam* & *flebilem* adhibendam eſſe monet Craſſus. Cic.l.3.de orat. Rectè ille quidem; vt enim olim ad næniam & funus, à docta muſicorum natione, harmonia Lydia fuit inuenta, mœrori ſignificando aptiſſima: nam Ariſtoxenus Olympum tradit in Pythonis funere ceciniſſe tibia ſecundum Lydium modulum funebria: Ariſt.l.8. polit. ſic orator ad flectendos hominum ſenſus ad miſericordiam atque luctum, non quamlibet rationem vocis adhibendam eſſe putat, ſed vt modo Lydio compoſitam & quodammodo inflexam ad lamentationem.

Itaque mihi reprehendendi videntur leuiculi homines & inconſiderati, qui luctuoſiſſimis in rebus & mœrore ſignificando, teneram edunt vocem, & iucunda flexione modulatam, & diſſolutam in canticum, quod nihil dici poteſt ineptius. *Vox ad cantum mollius inflexa reiicitur.* Id vitium è Caria Lyciáque inuectum in Italiam, cùm non modò in auditoriis Poëtarum ſcholiſque facundiæ, ſed etiam in foro & Senatu, ampliſſimis dicendi locis aliquando

inualuiſſet, ſummi viri dignitatis retinentes, quantum fieri potuit, oratione compreſſerunt. Fabius quidem à mouendis affectibus nihil eſſe magis alienum monet, nihilque videri indignius, quàm vt fori & iudiciorum ſanctitas, illa ſcenica modulatione ſoluatur. *Quiſquamne*, inquit, *non dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio, ſed de calculis certè atque rationibus: quiſquam denique vt ſemel finiam, in lite cantat?* &c. Itaque Perſius grauiſſimus humanarum actionum Cenſor, etiam in Poëtis qui omnia voluptatis cauſa machinantur, reprehendendam eam leuitatem eſſe duxit, & ſimiliter ait eos facere, ac ſi naufragus bonis omnibus ſpoliatus & egens in magna fortunæ atrocitate, cantu vellet miſerationem hominibus commouere.

Fab.l.11.c.3

Perſ.ſat.1.

Men' moueat, quippe, & cantet ſi naufragus aſſem
Protulerim, cantas, fracta cùm te in trabe pictum
Ex humero portes.

Et ſanè illius hominis orationem illudendam, vel repudiandā potius eiiciendámque videri oportet, qui in acerbo & miſerando caſu, in quo demitti animo & ægritudine confici par eſt, vocem ita moderatur, vt lætus quidam cantus ſonúſque exiſtat aurium voluptati blandiens. Hoc propriè eſſe dixerim Muſicam adhibere in luctu, vel vt aiebat Demetrius Phalereus ἐν πένθουσι γελᾷν, quod maximè à natura & ipſius rei conditione abhorret.

SECT. II. *Eodem faciunt dicere dolenter, lacrymas profundere, ſqualido eſſe cultu & neglecto. Duplex hominum notanda varietas in miſeratione commouenda. Principes Oratores proni in lacrymas.*

EST igitur nobis audiendus Antonius eloquentiæ doctor ſingularis, cuius hoc oraculū habet M. Tullius, *Singuli caſus humanarum miſeriarum grauiter accipiuntur, ſi dicuntur dolenter.* Quid verò illud eſt *dolenter*? ſpectat id quidem ad

Cic.2.de orat.

pronunciandi modum vocémq; maximè, ſed latius meo iudicio patet, eáque omnia comprehendit, quæ decorè in miſerationibus fieri ſolent. Quo in genere puto illos arte & ingenio mirabilius excellere, qui illo geſtu & pronunciatione quam diximus non contenti, addunt etiam profuſionem lacrymarum, qua fletum ſæpè ab audientibus exprimunt. Valuit eo artificio Fronto Catius æuo ſuo longè omnium in dicendo & generandis affectionibus eximius, de quo Plinius ſumma & ipſe eloquentiæ gloria hoc modo meminit, *Reſpondit Fronto Catius, omniáque actionis ſuæ vela, vir mouendarum lacrymarum peritiſſimus, quodam velut vento miſerationis impleuit.* Conſimili fuit ingenio & dicendi facultate Craterus Orator, quem Poeta Iulianus ait in luctu & mœrore loquentem, vel duris & immitibus aduerſariis, lacrymas potuiſſe excutere, Plin. l. 2. ep. ad Arrian.

Τὸν κρατερὸν σοφίῃ τε καὶ οὔνομα τὸν καὶ ἀνιγροῖς Anthol. l. 3.
Κινήσαντα γόῳ δάκρυον ἀντιπάλοις.

Duobus autem modis, quantum ſtudio & animaduerſione notare potui, ſummi Oratores in hoc motu verſari conſueuerunt. Quidam enim agunt remiſſius, & ſoluta graui illa contentione, quia nonnumquam animus in dicendo inflammatur, placidè ſe inſinuant: hærent aliquandiu vno in veſtigio; adhibent eas, quas mœrentis eſſe animi proprias & abiecti, doctiſſimi viri monent *ceruicium inclinationes*: conſertis ante pectus brachiis, vel compectinatis manibus, in longiori amplificatione vtuntur, aut modicè manus protendunt ad iniucundæ rei ſpectaculum, quo facilius ij qui audiunt commoueantur: vocem edunt liquidam & attenuatam, & de induſtria obſcuriorem & inflexam, quæ audientes leni motu afficiat: res denique tota eſt quietis & tranquillitatis pleniſſima. Et quidem molliores affectus qui remoti ſint à vehementia & amplitudine orationis, quíque dicuntur *ταπεινὰ πάθη* Rhetoribus, Longinus vir doctiſſimus cùm enumerat, ponit imprimis, *οἴκτους*, *λύπας*, *φόβους*, *miſerationes*, *triſtitias*, *metus*. Hoc autem leni & placido genere dicendi vſum fuiſſe opinor Gracchum, in mirabili & diuina illa concione, qua forum luctu & lamentatione compleuit, præſertim cùm ea diceret, quæ mirata eſt omnis antiquitas.

Varietas efficiendæ miſerationis.

D. Aug. l. de ſymbolo.

Longinus π. ὕψ.

Cicer. 3. de Orat. *Quò me miſer conferam? quò vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matremne vt miſeram lamentantémque videam & abiectam?* Quæ ſic ab illo acta eſſe conſtabat, oculis, voce, geſtu, inimici vt lacrymas tenere non poſſent.

Alios verò animi quodam impetu concitatos, & vi naturæ atque ingenij elatos videmus in miſeratione verſari. Qui enim acri ſunt ingenio, & facili ad comprehendendum, qui natura feruidiores atque generoſi, ad quemcunque ſe motum adiecerint, vehementes habent animorum commotiones. Talis fuit, meo quidem iudicio, Marcus Tullius in epilogis grauiorum cauſarum, in quibus ille dominatur. In Miloniana peroratione video tanti artificij principem, omnem pænè mouentem lapidem, nihil omittentem, quod ad flammam miſerationis eliciendam valere poſſit: Deos, homines, lucos, aras compellat, ſe incuſat vt ingratum, ad iudices conuertitur, longè poſitas nationes euocat, Milonem vult complecti, eum loquentem inducit, fundit lacrymas, ſe vertit in omnia, & æſtuante intus ardore commouetur: itaque Cicer. in Orat. perf. is erat iudicij euentus, quem ipſe aliquando deſcribit: *Miſeratione*, inquit, *nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: vt alia in cauſa excitato reo nobili, ſublato etiam puero paruo, plangore & lamentatione compleremus forum.* Eadem fuit L. Craſſi opinor actio, ſi modò vera dicit Antonius cum eo diſputans, ſic enim Cicer. l. 1. de Orat. habet, *Si cauſam ageres militis, patrem eius, vt ſoles, dicendo à mortuis excitaſſes, ſtatuiſſes ante oculos: complexus eſſes filium, flénſque eum Centumuiris commendaſſes: lapides mehercule omnes flere ac lamentari coëgiſſes.*

Demoſthenes quãtus in miſerationibus. Sed Demoſthenes velut quidam eloquentiæ Deus in gignenda huiuſmodi affectione longè & multùm omnibus Oratoribus antecelluit. Quod cùm ſæpè notauiſſet Æſchines, & opere nimio vereretur, ne iis artibus nubem Athenienſibus obtenderet: in ea cauſa, quæ ſumma vtrinque animorum contentione agebatur, monet populum, vt eius nutum, vocem, lacrymas diligentiſſimè intueatur & caueat, Æſchin. or. cont Cteſi. *De lacrymis, inquit, & contentione vocis, vbi vos interrogarit, Quò confugiam Athenienſes? delete me è republica, non eſt*

Digitized by Google

quo auolem: viciſſim ei reſpondete, &c. Et paulò poſt, *τί τὰ δάκρυα, τίς ἡ κραυγή; τίς ὁ τόνος τῆς φωνῆς; quorſum lacrymæ? quorſum vociferatio? quorſum vocis contentio?* Idem verò ſummus & ingenioſiſſimus Orator, cùm Æſchinem proditionis accuſauit, dum patriæ conditionem ante omnium oculos ponit, minimè dubium eſt, quin lacrymas & ipſe profuderit, & ciuibus qui ad audiendum conuenerant dicendo extorſerit. Hoc ipſe reus Æſchines ſua in oratione poſuit, dum illam inuidiæ flammam, quam viri magni oratio commouiſſet, conatur extinguere: Ita enim habet, *Meminiſtis Athenienſes, ὡς ἐπιδακρύσας, ϗ τὴν Ἑλλάδα κατοδυράμενος*, &c. *vt obortæ ſint ei lacrymæ, vt Græciam deplorauerit.* Orat. de falſ. leg. Qua verò id vocis contentione ſit effectum, paulò poſt his verbis inſinuat, *ταῦθ' ὑποθεὶς ἐπεῖπεν, ἐπιτεινάμενος ταύτην τὴν ὀξεῖαν ϗ ἀνοσίαν φωνὴν ὡς δεινόν.* &c. *Hoc iacto fundamento adiecit, contenta iſta acuta & nefaria voce, quàm acerbum ſit*, &c. Hanc eius vim in eorum mentibus qui audirent flectendis, & pro arbitrio ſuo tractandis, eius æmuli dignitatis metuebant vel maximè. Teſtis acer & vehemens in agendo Dinarchus, qui eum accuſans, populum Athenienſem monet diſceptantem in iudicio, ne hominis è fraude fallaciiſque generati conſuetis illis tragœdiis commoueatur, *Ἀφέντες οὖν τοὺς ἐλέους ϗ τοὺς φενακισμοὺς τοὺς τούτου, τὴν ὁσίαν, ϗ δικαίαν φέρετε ψῆφον, itaque repudiata miſericordia & veteratoris maltioſi fuco, iuſtum & auguſta religione ſancitum ferte ſuffragium.* Dinarch. Atque exquiſitum hoc Oratorum artificium in cienda miſeratione, quantum in cauſis & æquitate iudiciorum momenti habeat, Athenienſes ſua lege declarauerunt: in Areopago enim edicebatur, *Neque principia dicere, neque miſerationem commouere*, ait Apuleius. Apul. l. 10. Mileſ.

Cæterum dici vix poteſt, quantum ſqualor & neglectus ipſius corporis cultus, ad conciliandam miſerationem valeat, quam lautus & delicatus, & tanquam ad nuptias ſubornatus luxúque diffluens Orator, in ſua cauſa ægrè obtinuerit. *Squalor valet in cōmiſerationibus.* Sidonius Apollinaris cùm Aruandi nobiliſſimi hominis, ſed elati & impudentis, miſerandum caſum damnationémque recenſet, nocuiſſe plurimùm illius cauſæ hæc vidit, quod in ipſa iudicij acerbitate, circumſonantibus aduerſa-

riis, qui acres & flammei cauſam adoriebantur, ipſe tonſus & pumicatus, ſolitóque etiam nitidior in ius veniſſet. *Illud*, inquit, *ſanè ærumnoſiſſimum, ſicut narrauere qui viderunt, quod quia ſe exornatum ille politúmque iudicibus intulerat, paulò poſt cùm duceretur addictus, miſer, nec miſerabilis erat. Quis enim ſuper ſtatu eius nimis inflecteretur, quem videret accuratum delibutúmque latomiis aut ergaſtulo inferri*, &c. Quo etiam in iudicio doctiſſimus Antiſtes accuſatorum callidum inuentum artificiúmque prædicat, qui cùm reus volitaret albatus, gemmíſque nitens, periculi prope ſecurus, elato capite, oculis geſtientibus atque ludibundis; ipſi triſtes & pullati & de induſtria ſqualidi, *præripuiſſent reo debitam miſerationem ſub inuidia ſordidatorum.*

Sidon. l. 1. ep. 7.

DE COMMVTANDO GESTV ET pronunciatione in affectuum varietate.

CAPVT XXVIII.

SECTIO I.

Duobus modis contingit Oratori, vt neceſſariò varietatem motuum induat & expromat. Id eſſe artis iudiciíque magni.

Cicer. de Orat.

MARCVS Tullius ait omnes voces, vt neruos in fidibus, ita ſonare, vt à quoque animi motu ſunt pulſæ: nam voces, vt chordas eſſe intentas quæ ad quémque tactum reſpondeant, acutam grauem, citam tardam, magnam paruam. Vult, opinor, eximius dicendi magiſter, Oratorem illum ſuum præſtantem qui tenere animos poſſit copiáque ſua flectere, muſicum eſſe oportere, aut illius artis non inſcientem, vt cùm omnes modos cognouerit, vímque vocum & varietatem, eum adhibeat tonum & inflexionem, quam genus cauſæ & amplificationis poſtulabit, nunc Phrygium veluti modum, nunc Lydium, alióſque. De quorum poteſtate vir limato iudicio Senator ita ſcribit, *Dorius prudentiæ largitor eſt, & caſtitatis effector: Phrygius pugnas*

Caſſiodor.

excitat

Digitized by Google

excitat, votum furoris inflammat. Aeolius animi tempeſtates tranquillat, &c. Omninò ſine huiuſmodi aliquo artificio, aut frequenti, & diuturna exercitatione, perdifficile atque operoſum fuerit vnumquémque motum vultu & pronunciatione exprimere, cùm in vnum eundémque orationis locum varij incurrunt affectus & maximè diſſimiles. Quod duobus omnino modis video euenire vulgò poſſe: *primùm* quidem ſi commutationes perſonarum ſint in amplificatione: *deinde* ſi ab vno animi motu in alium & penitus contrarium migretur.

Prioris modi exempla apud Oratores paſſim reperiuntur eos, qui in ampla dicendi ratione, foro, & iudiciis verſantur. Lubet vnum è M.Tullio illuminandæ rei gratia hic apponere. Libro 5. in Verrem cùm pœnarum crudelitatem oratione amplificat, quibus ille prædo immanis Siciliæ, vexabat homines innocentes & calamitoſos, ſic agit, *Patres hi quos videtis iacebant in limine, matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris ab extremo liberorum complexu excluſæ, quæ nihil aliud orabant niſi vt filiorum extremum ſpiritum ſibi ore excipere liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris mors terrórque ſociorum & ciuium lictor Sextius, cui ex omnium gemitu doloréque certa merces comparabatur: vt adeas, tantum dabis*, &c. *quid vt vno ictu ſecuris afferam mortem filio tuo quid dabis?* &c. Hoc in loco & perſonarum eſt varietas & affectuum: commiſerationem primùm excitat, commemorando luctu innocentium & indigna perturbatione, qui præter ius fáſque in ſordibus & ſqualore iacebant: odium creatur & inuidia, expoſita inhumani lictoris & in cæde miſerorum bacchantis crudeli barbarie: ſuam tenet modò perſonam Orator, modò carnificis ſumma ferocia & non ferenda contumelia loquentis: narrat, exclamat, interrogat & reſpondet. Atque in his omnibus quis non videt os & vultum atque vocis commutationem in diſſimili varietate eſſe oportere? nam in ea quidem miſeratione M. Tullius & vultum habebat deiectum, & mœroris notis inſignem: vocem attenuatam & commouendæ miſericordiæ mollitam: deinde verò cùm illa ſubiiciebat *carnifex Prætoris, mors, terrórque ſociorum*, & quæ mox adduntur, *quid vt vno ictu ſecuris afferam mortem filio tuo qui dabis?* &c. vultus ſubitò hominis acerbitatem audaciámque induebat: oculi truces, frons ſul-

Varietas affectuum in eadem parte orationis.

cata, vox contentior, impetus quidam amaræ mentis & importunæ à dicente expromebantur. In hoc genere mea opinione nemo excellet, qui non valeat iudicio acerrimo & præſtanti, quíque longa & diligenti exercitatione non fuerit in agendo limatus & perpolitus: de quo idem, quod Ennodius de Theodorico dici poſſit: *In amicitiam colligit duo diuerſiſſima, vt ſit in ira ſine comparatione fulmineus, in lætitia ſine nube formoſus.* Iudicium requiro, ídque maturum, vt animadſa varietate motibúſque animorum, ad vnumquódque genus ſe accommodet, ſic vt nimirum nihil ſit aut incredibile, aut inuſitatum, ſed vt rei veritas, atque vſus, & communis natura hominum poſtulat, vocem & geſtum moderetur.

Ennod. in Panegyr.

Contrarij affectus interdum aſſumendi.

Alterum aiebam eſſe modum difficilis commutationis, cùm ab vno affectu in contrarium dictio Oratoris transfertur. Fit enim ſæpè vt poſt grauem reprêhenſionem aduerſariorum, in quibus lacerandis aculei omnes ſunt conſumpti, commutata ſubitò velificatione, ſit de noſtra cauſa placide & leniter ad conciliandum dicendum: nonnunquam in grauiori amplificatione cùm vitij turpitudinem, labem, incommodum expreſſerimus, modico flexu dictionis, nos ad virtutis eximiam pulchritudinem vberrimóſque fructus prædicandos conuertamus. In hoc ſanè Oratores ſacri elaborant ſæpiùs & contendunt, vt quoniam contraria iuxta ſe poſita lucem capiunt, exaggerato vitiorum damno, & deteſtanda eorum conditione oratione patefacta, ſubiiciant virtutum ſplendorem atque dignitatem: & cum omnibus ingenij neruis impiorum hominum amentiam exagitarint, bonorum felicitatem, & quę verbis explicari nequit, ſingularem animi lætitiam, dulci quodam flumine orationis, & lætiſſima amplificatione proſequantur. Iam igitur cùm ad perditos & conſceleratos homines terrendos, & decretorio veluti illo pugione cruentandos, alia ſit oris ſpecies admouenda, alius geſtus atque pronunciatio, quàm cùm lætam piorum ſortem & bonorum cœleſtium opulentiam laudamus, & ad omne decus retinendum ſuauiſſimè humaniſſiméque excitamus: neceſſe eſt titubare labique tyronem, niſi multò antè ſtudio & cognitione ad hanc ſe varietatem actionis parauerit.

Digitized by Google

Vnde oriatur in Oratore facilitas, vt ad omnem ſe motum accommodet. Notabilia quadam & lux ab exemplis.

SECTIO II.

ILLA verò quæ in dicendo, hoc in genere peccantur à multis, ex eo fonte manant omnia, quod non ſatis vis naturæ conſuetudóque animaduertitur. Nihil eſt enim tam procliue hominibus atque facile, quàm fingere os atque vultum, & quocunque fors impulerit, & diſſimilium rerum conditio, ad eam ſeſepenitus accommodare. *Naturâ humanus animus agilis eſt & pronus ad motus*, ait Seneca è philoſophiæ penetrali. Sic prouidentia machinata eſt homines & ſubornatos in lucem emiſit, vt motum atque geſtum habeant in poteſtate, eáque pro animi ſui arbitrio flectere & moderari poſſint, & non ſecus ac ſplendido in theatro, ſic in vita perſonarum varietatem ſuſtinere. Eſt verò iam vniuſcuiúſque induſtriæ, maturíque iudicij videre, quid in quamque maximè conueniat, vel à decoro alienum eſſe videatur. Plena ſunt annalium monumenta, plenæ eruditorum commentationes eorum hominum exemplis, qui ſic vultum habuerunt animi affectionibus obedientem, & pingi facilem, & delineari, vt ſcenæ quod aiunt ſeruirent eximiè, & omnium horarum homines atque temporum, ad quemcunque veluti portum cauſa duceret, in eum ferentibus ventis, atque omnium partium motione allaberentur. Miratus ſum aliquando Tiberij Romani principis vaferrimam in hoc genere calliditatem, inaudita ſimulatione refertam, qui tam erat ſui compos & dominus, vt vultu animum obtegeret, & nullum introitum eſſe pateretur, quo verè quiſpiam ad abditas animi cogitationes venire poſſet. Si quem odio acerbo & crudeli proſequeretur, leni vultu beneuolentiam ſignificabat: ſi gaudio delibutus & lætitia, intima cogitatione efferretur, vultu erat demiſſo & languido, & ad mœrorem atque duritiem compoſito. Cùm quempiam exquiſitis ſuppliciis affectum vellet, nullum odij præ ſe ferebat

Senec. de Tranquil. c. 2.

indicium, ſed fronte potius atque ore blandiebatur. Abutebatur ille quidem naturæ facilitate ad hominum fraudem atque perniciem: quippe exiſtimabat, non oportere, τὸν αὐταρχοῦντα κατάδηλον ἂν φρονεῖ εἶναι, *principis animum vlli eſſe manifeſtum*, ait Dio: ſed remota animi ficti malitia, illam ego vim optandam Oratori puto, qua frontis oriſque ſpeciem pro animi ſui ſententia poſſit aſſumere, vel ex rerum & negotiorum varietate, cùm libuerit deponere. Admirandus ille Remigius, qui cœleſti & prope diuina facundia Gallorum regum proſapiam Chriſtiana religione imbuit, hac dote præditus fuit, ſeu naturæ, ſiue inſtitutionis, vt vultum ad omne genus affectionum incredibili facilitate in dicendo accommodaret. De illo hæc ſcripta memini à ſcriptore fido: *Minari quidem frontis videbatur auſteritas, ſed cordis blandiebatur ſerenitas*, &c. Ex quibus liquidò colligitur, eum fictam adumbratámque illam irati perſonam, induiſſe cùm voluit, & deinde pari facilitate poſuiſſe. M. Brutum vnum omnium Oratorum ſui temporis facilè clariſſimum, hac præſtantem facultate & gratia prædicat Ouidius: eum enim *Marte forenſi* gloriáque ſummum, & in tuendis afflictis incredibili eſſe lenitate, pio maximè & humaniſſimo ingenio, in perſequendis verò improbis acri & metuendo, cuius ſingula verba vt tela confoderent,

Dio in Tiberio.

Scilicet eiuſdem eſt quamuis pugnare videtur
Supplicibus facilem, ſontibus eſſe trucem.

Ouid. l. 4. de Pont.

Plinius Secundus qui veterum Oratorum laudem ingenio & dicendi ſuauitate, aut vicit, aut æquauit, de cauſa loquens, quam ſingulari omnium admiratione egerat, *Dedimus*, inquit, *vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori, & in ampliſſima cauſa, quaſi magno mari pluribus ventis vecti ſumus.* Ille nimirum ſcientiſſimus erat gubernator omnium motuum & affectionum, & decoræ pronunciationis aura, vt feſto cantu, & modulata ſymphonia, ad lætas omnium aures animíque beneuolentiam appellebat.

Plin. l. 6. ep. ad Rom.

Sunt tamen certi homines, quibus hæc animaduerſio minus idonea aut neceſſaria videri poſſit, ij nimirum, qui naturæ quodam genio ad duritatem auſteritatémque ficti, in eadem vitæ ratione conſtantiam retinent. Talis Cato cæ-

Digitized by Google

terique ἀγέλαστοι, qui Stoicorum myſteriis initiati, aut propria quadam ſecta ferocientes, miſereri facinus indignum putant, & vultus comitatem, mollioris animi languorem & diſſolutionem interpretantur. Ij vt conſtantes in ſuſcepta vitæ ratione perdurent, à læto genere orationis & Rhetorum pompa feſtiuitatibúſque refugiunt: ſalſa dicta voluptatis aucupium eiurant: dulcis & concinnæ orationis ſplendorem amœnitatémque aſpernantur, horrore gaudent mœſtitia & ſeueritate: triſtes & moroſi in arguendo præclarè inſectandóque verſantur. Et vt quædam religioſiſſimis in templis campanæ, vix vnquam niſi pro mortuo funeribúſque pulſantur: ſic illi nunquam in foro Curiaue reſonant, niſi mœſtum quiddam & argutum, fronte adducta, Saturniis oculis, ſupercilio Catoniano, & totius corporis aſſeueratione. Quod ſi in vulgus emanauit illa perpetua conſuetudo & natura, eandémque penitus inſitam atque inuſtam in animo eſſe conſtiterit, nullus deinceps magnopere ab illis repetet, vt eam aliquando grauitatem acerbitatémque deponant. Itaque multi ex eorum grege non infeſtis animis audiuntur, ſi præſertim ſint benè inſtructi & comparati à prudentia, & ſapienti conſilio vigeant. Sed quoniam vno modo ſemper agere creat faſtidium & delicatis auribus offenſionem, næ illi in ampliſſimùm ad dicendum locum felicius multò aſcenderent, atque ad omnium colligendam gratiam vtilius, ſi vt ad cibos acerbiores aliquid mellis atque ſacchari, ſic ad illum inamœnum horridiorémque agendi modum, nonnihil interdum comitatis hilaritatíſque adiungerent.

Digitized by Google

DE ACTIONE AD SINGV-las orationis partes accommodata.

APPARATVS ANTE DICTIONEM, & primùm de cultu & ornatu Oratoris.

CAPVT XXIX.

Sect. I. *Sordidi, & contrà nimium venuſtatis amantes ſuis coloribus pinguntur, & damnantur.*

HÆc cùm diſſeruiſſet Theodorus, paullum reſpirans, an inquit habetis omnia, quæ à me poſtulare iure potuiſtis? quanquam iure poſtulare nemo poteſt, vt quis ea dicat quæ neſcit: neſcire me verò, neque poſſe promere, prout vos & ingenioſi & de ſchola politi expectabatis, iam tandem aliquando videtis. Perge, inquit Honoratus, optime Theodore, ea quæ orſus fauentibus Gratiis inchoauiſti pertexere: nam illa tua mediocritate contenti ſumus. An tibi excidit, quod iam inde ab initio aiebamus, Oratorem rebus omnibus inſtructum & ornatum ad agendum, in ſuggeſtum tua manu eſſe ducēdum? quem omnino prius videamus oportet, quàm hinc abeamus: qui ſi cultu ſpeciéque ipſa nos delectarit, θορυβήσομεν, & plaudemus. Satis ait Theodorus inſtructum paratúmque eloquentem puto, qui Rhetorum perutiles præceptiones & ſapientum monita cognouerit, ſed illa quidem non ſunt huius loci, neque enim vniuerſum dicendi artificium illuſtramus, ſed de pronunciatione quærimus. Verùm quoniam mihi quædam in animum reuocauiſtis, quæ aliena minimè ſunt à diſputatione noſtra, breuiter celeritérque monebo. Memini Fabium cùm de Actione diſſereret, de veſtitu Oratoris, de ſinu, de tunica, de togæ modo, alióque etiam

Digitized by Google

cultu plurima diſputauiſſe, quæ tametſi in hanc tempeſtatem minimè omnia conueniunt, tamen oſtendunt non eſſe inutilem aut ſuperuacaneam illam tractationem, ne quid etiã in hac parte, ab Oratore docto & eleganti peccetur.

Atque imprimis audiendum id Quintiliani dictum exiſtimo, velut oraculum in hac quæſtione fundentis, *Toga & calceus & capillus, tam nimia cura, quàm negligentia reprehendenda.* Fab.l.11.c.3 Vult ſignificare prudens ille iuuentutis moderator, eſſe tenendam quandam mediocritatem, quæ ab extremis illis vitioſis abhorreat. Quod ita eſt humano generi difficile, præſertim in adoleſcentia, cùm cæca mens affectionibus vt fluctuum agitatione commota, inanitatis aura circunfertur, vt etiam ipſi Philoſophi, qui metiri humana omnia & ponderare conſueuerunt, ſæpè ad hunc ſcopulum adhæſerint. Quidam enim ſordes amarunt, pannoſique inambulantes atque ſpurci, vt laurum è muſtaceo, ſic è pædore & deformiſſimo cultu hominum gloriolam ſunt aucupati. *Veſtitus Philoſophorũ varius.* Hinc ἀνυποδησία frequens, & tribonium, & centunculi farti fulti & liciorum varietate inculcati, & horrida ſpecies quorundam audacium & planorũ, qui ſcelera ingentia vetere palliolo inobſcurauerunt. Zeno de Cratete memorauit, pellem ouis inſuiſſe aliquando pallio, vt eſſet deformior. Laert.l.6. Cynici autem ea maximè re fuere notabiles, è quorum natione vnus apud Lucianum ita ſuum cultum exponit, τό γε ἐμὸν σχῆμα τοιοῦτόν ἐστιν, αὐχμηρὸν εἶναι, λάσιον εἶναι, τρίβωνα ἔχειν, κομᾶν, ἀνυποδητεῖν. Lucian.in Cynic. Quæ vt dixi fuere vt plurimum inanitatis pleniſſima. Notum id Socratis bellum acroama, q̃ui cùm Antiſthenem vidiſſet in publicum ſciſſa abolla & trita prodeũtem, in eaque ſe venditantem, Ορῶ σου, ἔφη, διὰ τοῦ τρίβωνος κενοδοξίαν, *Video*, inquit, *per ſciſſuram pallij tui vanitatem.* Laert.l.6. Irriſit eoſdem homines ſanctiſſimus Chryſoſt. qui neminẽ in Philoſophis Chriſtianis ait ῥάκει περιβαλλόμενον, *vili ac lacero pãno indutum* per forum ingredi. S. Chryſ.l. contr.Gentil. Irridet etiam Epictetus apud Arrianũ L.4. & cum belluis ſordidioribus componit. Alij verò exquiſitis munditiis laſciuientes in extremum contrarium delapſi, Philoſophiæ ſuæ maculam & nomini impoſuerunt: qualis Ariſtippus πορφυρίδι ἀμπεχόμενος καὶ μύροις χριόμενος, *purpurea veſte amictus & delibutus vnguentis*, ait Maximus Tyrius: Maxim. Tyr. diſſer. 37. qualis Theophraſtus, quem in περίπατον ire ſolitum Athen.l.1.

ad docendum, λαμπρὸν καὶ ἐξησκημένον, *corporis nitido & exacto cultu* prodit Athenæus; quales è Platonis ſinu plurimi, quos Ephippus comica libertate reprehendebat, ὅτι πολυτελῶς ἠσκημένοι ὦσι, *quod ſumptuoſo veſtitu ſuperbirent.*

Sordidi in cultu Oratores.

Quod ſi philoſophi promicondi rationum, vitæ humanæ duces, & mortalium pædagogi, haud tenere potuerunt auream in ea re moderationem, non eſt mirum ſi oratores quidam reperiantur in media hominum luce, & ambitioſo veluti honoris in freto, qui eadem Syrti vanitatis abripiuntur. Nam ſordidi quidam ſunt, & ſui negligentes, & decoræ honeſtatis ignari, qui præcipiti quadam leuitate prodeunt ad ſubſellia fuliginoſi, illoti, ſqualidi, veſte obſoleta, tori plumulis pulueribúſque obſita: qui hominum iudicia reſpuentes, & illudentium cachinnos, naturæ obtēperant ſuæ & indulgent, & prout ſors tulerit ad dicendum incitantur. Sunt hi quidem exiguo in numero, præcipuè in magnis & politis vrbibus, vbi communis viget humanitas & ineptiarum exagitatio.

Quorundã adoleſcentium Patronorum cultus & iuuenilis ambitio.

Plures autem in aliud extremum eunt, quò titillans blandiénſque laudis appetitio illos rapit, lenocinante etiam adoleſcentia, quæ videri & placere cupit, & mirificè pulcherrimis ornamentis & ſplendore veſtium recreantur. Itaque vidi patronos aliquot ætate florentes, in mediocri familia natos, ſed pecuniis abundantes, & vos quoque videre potuiſtis, qui pæne muliebrem mundum circunferunt, ſic compti, ſic curata cute nitidi, aſcititio colore venuſti, oculis pætis atque pictis, vt Bonæ Deæ antiſtites, vt Iunoniæ pompæ miniſtri. Pexi capilli ſunt in humeris denſi & comantes, vt de genere Abantum credi poſſint, quos ὄπιθεν κομόωντας vocat Homerus. Antiæ capronæ & anteuentuli crines tum inuſti calamiſtro, tum in muliebres pæne annulos ſtudioſè implexi. Nihil præ illis eſſe videatur Abſalon, quem propter ſpecioſi capitis exuuias & profundum capillitium & placere & plaudere ſibi conſueuiſſe, annalium monumenta prædicant. Sed regius ille quidem adoleſcens, proditus à coma, triplici modo haſta fuit confoſſus, hi quotidie infeſto ambitionis telo cruentantur. Iam collaria vel ſtriata nouo more multiplici contabulatione farta & follicantia, in quibus fere caput vniuerſum lateat: vel plana & aperta, non vt olim apud maiores noſtros mediocria, & modeſtiæ

deſtię velut manu dimẽſa,ſed opinor ne carbaſini lini defuiſſe copia videatur, ita ſunt latè patentia, vt humeros ipſos obuelent: in quorum extima etiam ora ſit roſetum delicatiſſimo & ſubtiliſſimo textu, minutis maculis, reticulato & denticulato opere mirabili artificio, ne deinceps mulierculæ glorioſæ ſolas ſe pulchras & beatas putent. In thorace & reliquis velamentis tot globuli auro inſignes, tot patagia, tot ſegmenta viſuntur multiplici ordine currentia, eo pretio quod Calendaria exhauriat, vt certare cum principibus velle videantur & dynaſtis, qui virgatas auro veſtes & bombycinam pompam circumuehunt. Faſciæ crurules blatteæ, latæ, verſicolores, Herculeo nodo innexæ, tumidis vmbilicis, quarum criſpæ acu fimbriæ longè ad tibiam mediam pendeant inaniſſima oſtentatione. Calcei mullei ſunt feneſtrati & πολυσχιδεῖς peregrina ex aluta, tæniis tumentibus aſtricti, aureiſve roſis inumbrati, ambitioſiſſimo & inutili inuento. Quid de manibus dicam, quæ ſingulis pæne in digitis gemmarum ſplendore collucent? Strophiolum ſi fortè euentilent, non tergendi oris gratia, ſed barbulæ ſubrigendæ, nebulam videas lineam opere Phrygio illuſam, ſubtilibus mæandris, picto limbo, amiculæ forte munus Veneriſque redimiculum. Iidem peregrini muris odore gaudentes, ita ſemper fragrant, vt non benè ſemper oleant. Nec meminerunt Zenonis viri ſapientis, qui cùm in hominem incidiſſet odoribus circumfluentem, *τίς ἐςιν ὁ γυναικὸς ὄζων; Quis, inquit, mulierem olet?* Siquidem eas delicias, non niſi mulieroſis hominibus & effœminatis conuenire opinabatur. Laërt. l. 7.

Et quidem veriſſimum id eſt, ita pingi, ſic excoli, eo apparatu ornari vel potius onerari, fœminei morbi eſſe, non virilis dignitatis. Itaque Philopœmen Achæos monebat, ſibi in animum inducerent, cultus nimiam curam *γυναικὸς εἶναι, καὶ ταύτης οὐ λίαν σώφρονος, mulieris eſſe propriam, non modeſtæ, ſed inſoleſcentis.* Et Gregorius Nazianzenus vir alta mente præditus & innocentia vitæ mirabili, ineptos philoſophos cum ſtultiſſimis mulierculis comparat, quæ tanquam in theatris, inquit, ſe oſtentant δι' *εὐσχημοσύνην ἀσχήμονες ob venuſtatem inuenuſtæ. φιλόκοσμον genus fæmineum eſt* ait doctus & virtute nobilis Hieronymus. Et de hoc quidem cultu & orna-

Proprium mulierum cultu laſciuire.

Polyb l. 11.

S. Greg. Naz. or. 19.

D Hieron. ep. 12.

tu dicentium, quos videmus hærere in ſubſelliis, & per forum celſos & erectos volitare, quid exiſtimetis, veſtrum erit cùm libuerit exponere: ego vt animi mei ſententiam aperiam, probare nullo modo poſſum, quod video à ſummis viris & incorrupto antiquitatis ſuffragio, bono viro honeſtóque indignum & propudioſum iudicari.

SECTIO II.

Corporis cultus index leuitatis & ambitionis, veterum oraculis & teſtimoniis Sapientum reprehenſus.

NEQVE enim huius tantùm ſæculi eſt labes, & noſtrorum temporum & ingeniorum macula, hoc externo luxuriari inſtructu, & veſtium pompam & corporis venuſtatem quærere: ſæpè olim vulſi & delicati reperti, qui ciuium ora ſuorum exquiſitæ munditiæ luce quaterent, ſæpè comatuli elegantes, qui βοστρύχοις amarent, & veſtem mallent ornatiorem eſſe quàm mentem. Itaque Seneca parens vir grauiſ- Senec. l. 1. Controu. ſimus ætatis ſuæ oratores non ſine ſtomacho ita pungit, *Cantandi ſaltandíque nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Pari prope Matern. cont. Gent. ſtyli contentione Firmicus Maternus, *Exornant*, inquit, *muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti veſtibus vix caput laxa ceruice ſuſtentant.* Capillos maximè attingunt & oratione ſua lacerant, quod in luxu iuuentutis molliſſimíſque ſtudiis, nulla maior videatur eſſe inſania, quàm in comis elegantiſſimè ſtruendis, & veluti κομμωτριῶν manu componendis. Hinc Phocylides Poëta moratus & grauis, & in Phocyl. ἐν γνωμ. præcipiendo ſanctus, vetat ἐπ' ἄρσενι παιδὶ τρέφειν πλοκαμῖδα χαίτην,

Ne mas criſpantes vario ſtruat orbe capillos:

Clem. Alex. l. 3. Pædag. Et eo diuinior Clemens Alexandrinus reprehendit in viris κουρὰς ἀγεννεῖς καὶ πορνικὰς, *illiberalem tonſum ac meretricium.*

Digitized by Google

Abſit autem vt ea nota inuratur ei, quem volumus eximium eſſe, & plurimis ſilentibus orare vnum; quin potius Orator exiſtimet, in ſuggeſto atque in ſubſelliis, grandibus exaratum literis id effatum Poëtæ,

Sint procul à nobis Iuuenes vt fœmina compti. Ouidius.

Eo cultu & ea dignitate caput emineat, vt iudicij potiùs ſedes & rationis, non domicilium vanitatis libidiniſque videatur. Denſior illa capillorum ſeges, quæ cincinnis cirriſque tumentibus caput hinc inde circumambit, concedatur ἀποθλαδίαις, quorum videlicet iuuenili petulantia contuſæ aures, aut alio caſu diminutæ ſunt, vt tegere honeſto artificio turpitudinem eam poſſint. Audiatur modeſtiæ documentum Spartæ vſitatum, vbi Ephori magiſtratum ineuntes præconio denuntiabant, κείρεσθαι τὸν μύστακα καὶ προσέχειν τοῖς νόμοις. Ariſt. Plutarc. l. de ſera nu. vind.

Veſtium quoque inſolentem laſciuiam, atque fucum bracteatæ ambitionis, damnatum in commune animaduerto ab omni choro ſapientum, qui vim decori & honeſtiſſimæ vitæ modum viderunt. Ariſtoteles quidem glorioſorum proprium Ariſt. l. 4. eſſe ait, quique laudis deſiderio incenduntur, καὶ ἐσθῆτι κοσμεῖσθαι καὶ σχήμασι καὶ τοῖς τοιούτοις, *ex veſtitu & totius corporis habitu ornatum & hominum laudem aucupari.* Ethic. c. 4. Itaq; id lenocinium vanitatis irrident plurimi omni exceptione maiores, & vt peſtem honeſtarum actionum, & nutriculam vitiorum, ex humanæ vitæ finibus eiiciendum exterminandúmque putant. Athenis qui virtuti & philoſophiæ dabant operam, ſi quem viderent ſplendidius veſtitum ſéque oſtentantem, illudebant, Lucian. in Nigrin. πόθεν ὁ ταὼς οὗτος, *vnde hic nobis pauo*, inquiebant, tum alius τάχα τῆς μητρός ἐστιν αὐτοῦ, *Ipſius fortè matris hæc veſtis eſt*, aliáque ſimilia occinebantur. Si quempiam huiuſmodi offendiſſet aliquando ſapiens Diogenes, πρόβατον χρυσόμαλλον, *aurei velleris ouiculam* nominabat, & pecudem opulentia multa veſtitam. Laert. De iiſdem magnus Hieronymus, *formoſuli noſtri & troſſuli & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia.* l. 2. in Iouin. Iſidorus Peluſiota qui ad ſplendorem politæ eloquentiæ, vitæ innocentiam mirificam adiunxit, pronunciare etiam audet, rem diuinis oraculis reprehenſam, & pulchro in emblemate incluſam à Moſe fuiſſe; nam cùm ille vetat pur- Iſidor Peluſ. l. 3. ep. 84.

puram in linum immitti, hoc prohiberi vnum, & repudiari τὴν πολυτέλειαν καὶ τὸν καλλωπισμὸν, *nimium videlicet* Idem ibid. & ep 66. & D. Baſil. hom. 24. *ornandi corporis ſtudium, luxum & profuſionem.* Adfert in eam rem Cynici Diogenis acroama, qui adoleſcentem cùm vidiſſet laſciuiùs quàm virum deceret ornatum, *Si ad viros ait te confers* ἀτυχεῖς, *ſi ad mulieres* ἀδικεῖς.

Cur damnata veſtium laſciuia. Etne quis forte odio humani generis aut decoræ venuſtatis, hæc à magnis iſtis luminibus prodita exiſtimet: videor cauſam in eorum prudentia conſilióque notauiſſe, propter quam ornamentorum eam luxuriem, à præſtanti & ingenua adoleſcentia repulerint. Sic enim ferè conſtat, perſpicuum id eſſe indicium animi leuis & delicatuli, mollis, impuri, flagitioſi, Fab l 5. c. 9. proni in turpes & libidinoſas voluptates. Fabius certè Rhetor eximius, cùm exponit eas argumentationes, quæ σημεῖα Græcis & εἰκότα nominantur, vulſum corpus, fractum inceſſum, veſtem muliebrem & delicatam, luxu videlicet fluentem comptámque ſuperbius, ſigna eſſe ait viri mollis & effœminati: & ab iiſdem veriſſimilia duci poſſe argumenta, quod quemadmodum cruor è cæde, ſic illa videantur ex impudicitia fluere. Plutar. de vtil. ex inim. Ita videmus Lacydem Argiuorum ducem, quod capillos certo quodam modo exquiſitiùs ornatos haberet, in ſuſpicionem apud ſuos veniſſe impudicitiæ & molliſſimæ cupiditatis, quam nec gloria militari & tropæis, nec prudenti adminiſtratione reipub. delere potuit. Quare Philo quem Platonem Hebræorum iure dixerim, ſcitè admodum & eleganter ſcenam illam delitiarum & apparatum vocat τῆς ἀνανδρίας ὑπόμνημα. Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. vlt. Et Alexandrinus Clemens omnibus diſciplinis non leuiter tinctus ſed imbutus, fictis fabulis proditum ait ab ingenioſis hominibus, Venerem in libidinibus volutatam, vinculis aureis reticulato opere confectis irretitam, & concluſam fuiſſe, vt oſtenderent, aurea monilia & armillas, & huiuſmodi delicatum ornatum, eſſe impuræ mentis ſignum, quæ lubentius Venerem quàm Mineruam ſuauietur. Non eſt proinde vt miremur, ſi qui vias & mæandros eloquentiæ omnes tenebat M. Tullius, hinc colores hauſerit, ad ſocios Catilinæ pingendos, qui ſtupris ſe omnibus & flagitiis contaminauerant; quorum impia & infanda conſilia ad extinguendum imperium lumen orbis terrarum inhumanè ſuſcepta,

credibiliora ſunt viſa, cùm eos dixit, *volitare velis amictos non togis, barbula comptos, madentibus cincinnorum fimbriis, calamiſtrata coma, ceruſſatos.* Atque hæc à me fuſius ea cauſa exponuntur, vt intelligatis me non ſine ratione omnem illam pompam luxuriæ & ornamentorum apparatum, remouere ab hoc curriculo laudis & gloriæ, in quo ſudat eloquentium induſtria: nec eos ipſos, vt Varro nominauit κομψοὺς, aucupes elegantiæ, munditiarum nimium appetentes facere poſſe, quin literatis & maturo conſilio viris, aut futilis gloriolæ amantes, aut ſuperbia tumidi, aut Veneris amaſij, aut Catamiti & cinædi, aut quod minimum eſt, leues & inconſiderati videantur.

Cicer. 2. Catilin. & aliis in locis.

Quæ pro cultu exquiſito, ornatúque dicentium adferri poſſe videantur.

SECTIO III.

HONORATVS qui adoleſcentiores patronos videret à Theodoro in crimen vocatos, ad quorum ſeſe ordinem ſtudiúmque aggregauerat, hîc ſe obiecit, minimè quidem delicatus & amator iſtius laſciuiæ, ſed qui vellet aliquid in ea re definiri. Sic igitur ille: Non poſſum diſſimulare quod ſentio, Theodore, te in tua erudita diſputatione ſeuerum nimis auſterioremque mihi viſum. Cultum remoues pænè omnem ab Oratore, qui in communi ciuium luce verſetur, nobileſque adoleſcentes videris, non in forum, theatrum honeſtatis & gloriæ, ſed velut ad indictiuum aliquod funus ſordidatos pullóſque immittere. In quo primùm à præſtantiſſimorum Rhetorum prudentia diuerſus abis, & ab illuſtri Oratorum conſuetudine, qui propter mirabilem copiam & ſingulare dicendi artificium, æternum ſui nominis decus & hominum prædicationem meruerunt. Nam Fabius Quintilianus de hac ipſa re diſputationem inſtituens, breuiter quidem, ſed conſilio hoc ſummo dixit, *Cultum corporis, vt in omnibus honeſtis ſplendidum eſſe oportere.* Poſſum autem Græcæ & Romanæ eloquentiæ duces & principes hîc enumerare, qui ſummam curam venuſtatis habuerunt, & ornamen-

Fab. l. 11. c. 3. *Qui Oratores olim ſtudioſi ornamentorũ*

torum in dicendo, quorum tamen vel ipſa nomina venerationem habent, & omnium gentium memoriam ſempiternam. Sic enim accepimus Hortenſium Regem illum fori & iudiciorum, qui de palma ſæpè cum Cicerone manus conſeruit, togam ferre ſolitum vmbone viſendo & mirabili artificio perfecto, cuius ſplendor oculos intuentium mirifica ſuauitate quateret. Ad quem ornatum velut purpuram ex India nobilem, cùm vox aurea, & eximia dignitas orationis accederet, ômnes admiratione obſtupefacti rapiebantur, cùm illum vt auguſtiori effigie quendam heroem, aut de numero beatorum ſuſpicerent, ſiue tilias ordine pulcherrimo ductas, ſiue ſinus decenter obliquos, aut humero inſidientes, aut à tergo pendulos intuerentur. Et ne fortè vno quodam in genere aut exiguam tanti Oratoris in cultu elegantiam

Agel. l. 1. c. 5. fuiſſe putemus, Agellius optimis diſciplinis imbutus, & incredibili ſcientiæ varietate, ait illum (vtar eius verbis) *multa munditia, & circumſpectè compoſitéque indutum, & amictum fuiſſe.* Atque, vt huic Romano alium attexam è Græcia & Athenis Atticis coryphæum Demoſthenem, quis neſcit quod ab Æſchine & hiſtoriarum monumentis proditur, eum κομ-

Æſchin. or. in Timarc. ψὰ χλανίσκια καὶ τοὺς μαλακοὺς χιτωνίσκους, *lænas elegantes & molles tunicas* ferre ſolitum, quæ materia vel opificio, vel ipſo colore omnium in ſe oculos converterent? qui ſic munditiam & veſtium illum ſplendorem amauit, vt etiam in lu-

Plutarc. in Demoſth. ctu & funere, λαμπρὸν ἱμάτιον, *ſplendidum pallium & læto candore pellucens* in media ciuitate oſtenderet. Et tamen is eſt

Iſid. Pel l. 2. ep. 146. Orator, qui, vt ait Iſidorus Peluſiota grauiſſimè, καὶ πηγὴ, καὶ ἀρχὴ, καὶ ὅρος πάσης δεινότητος τοῖς μετ᾽ αὐτὸν ἀνθρώποις γεγενημένος *eloquentiæ omnis & fons, & origo & regula poſteris omnibus extiterit.*

Gratia ex veſtitu. Horum autem excellentium hominum conſilium facile intelliget, qui quod fuit à Quintiliano quem ſuprà nominaui proditum, attentius apud ſe reputabit; quodam e-

Fab. proœ. l. 8. nim in loco dixit, *Cultum conceſſum atque magnificum addere hominibus, vt Græco inquit verbo teſtatum eſt, autoritatem.* Homerum opinor intuetur, qui quantum ad conciliandam homini dignitatem veſtium cultus poſſit efficere, ſæpius & ingenioſè declarauit. Nauſicaa enim apud illum, nudum & egentem

Digitized by Google

Vlyſſem ait ſibi fœdum & miſerandum fuiſſe viſum; ſed poſtquam eximio indutu ornatúque fuiſſet donatus,

Νῦν δὲ θεοῖσι ἔοικε τὸν οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Nunc, inquit, *par ſempiternis & beatis numinibus mihi videtur.* Aliàs autem cùm è naufragio fuiſſet ereptus, & regiam veſtem clauis intextam & variegatam pulcherrimis induiſſet: ſedit, inquit in littore, κάλλει καὶ χάρισι στίλβων, *forma & eximia venuſtate præfulgens*. Vbi ſapiens & diuino propè ingenio Poëta, non modò conciliari auctoritatem exquiſito veſtium apparatu, verùm etiam κάλλος καὶ χάριτας, *ſingularem in dicendo gratiam pulchritudinémque* ſignificat. Atqui bonus Rhetorici artificij magiſter, è cuius officina eloquentiæ, tot Romani imperij lumina prodierunt, verè meo iudicio aiebat, *pulchritudinem tantam habere vim ad perſuadendum, vt ſententiam dictare videatur*: quam proinde non minus quàm eloquentiam cum Iſocrate, πειθοῦς δημιουργὸν lubens appellauerim. Cuius rei documentum habemus in Hyperide ſummo & omni elegantia inſtructo Oratore: qui cùm pulcher & inſigni ſpecie ad formoſæ mulieris defenſionem acceſſiſſet, quo plus momēti habitura eius eſſet oratio; ipſam Phrynen omnium ſui temporis facie eximia & ſingulari venuſtate pulcherrimam, in oculos Iudicum vt naturæ diuinum opus induxit; itaque ij motus in omnium animis conſecuti ſunt, vt rea vnis omnium ſuffragiis abſolueretur.

Quintil. l. 2. c. 15.

Athen. l. 13. Plutarc.

Vide igitur quantum inter tuam opinionem Theodore, & clariſſimorum hominum ſententiam meámque interſit: tu munditiam Oratoris & elegantiæ inſtructum ſplendorémque veſtium abiiciendum & repudiandum exiſtimas, ego non modò laudabilem, ſed omninò etiam neceſſarium, & honeſto omni ſtudio perſequendum aſciſcendúmque puto. Neque enim iam aguntur cauſæ, vt olim apud Athenienſes in Areopago, vbi de nocte obſcuriſque in tenebris actores, tanquam ex Trophonij antro loquebantur. Iam in luce clariſſima orandum eſt, foróque ſeruiendum, & multitudini, quæ ſordes nulla ratione ferre poteſt, ſed cultum magnificentiámque deſiderat, ſi præſertim eloquentiæ candidatus, magnam ſui expectationem commouerit: tum profecto omnium oculi in dicentem vnum intenti, magna omnia, læta & iucunda, & augu-

Digitized by Google

ſtiora exoptant, quæ ſi abſint vt lenocinia voluntatum & beneuolentiæ conciliandæ præſidia, fruſtra ſperet æquos ſibi auditores futuros. Neque huius modò temporis eſt communis hîc hominum ſenſus & conſuetudo, vt ornatu & pulcherrima ſpecie Oratorum capiantur. Iuuenalis æui ſui mores exponens, M. Tullium ſi ab inferis excitetur, negat ſatis beneuolè auditum iri,

Iuuenal. ſat. 7.

---niſi fulſerit annulus ingens,

niſi velut in Circi pompa, in forum euntem honorificè multi comitentur, niſi ipſe vitam & ſalutem allâturus, vt Mercurius Deorum nuncius, in hominum conuentum, pænè cœleſtem & egregiam ſpeciem intulerit. Quam ciuium ſuorum exiſtimationem cùm Auguſtus Imperator vidiſſet, homo elegantium parciſſimus, qui tam frugalis domi fuit & moderatus, vt inſtrumento & ſupellectile vix mediocrium hominum fortunas æquaret, ſi tamen in publicum egrederetur, *calceis vtebatur altiuſculis, vt procerior quàm erat videretur*, ait Suetonius. Sic enim vt docti viri animaduertunt, in eo curſu ambitionis & imperij gloria, illuſtriorem ſibi apud omnes dignitatem atque decus pariturum, & iuſti honoris venerationem conſecuturum ſe putabat. Hinc Oratores animum vltro adiecerunt ad ea ornamenta, pulchra viſu, & pretio aut decore ipſo læta & iucunda, quibus oculis adblandiri ſolent, atque animos in dicendo conciliare. Annulos imprimis ferre in manibus voluerunt magnis fulgentibus gemmis illuminatos, quibus non minus, quàm verborum & ſententiarum luminibus in agenda cauſa fulgerent. Hoc ſanè feciſſe Demoſthenem is qui minus illi æquus fuit Dinarchus oratione ſua poſuit, χρυσὸν, inquit, ἐκ τῶν δακτύλων ἀναψάμενος περιεπορεύετο. Et Ariſtoteles qui præceptis eloquentiæ nobilem iuuentutem pomeridianis horis imbuebat, monita vt eſſent magis aurea, δακτυλίοις πολλοῖς φορῶν ἐκαλλωπίζετο, *annulis bene multis ferendis ſe ornabat*. Paulus è numero cauſſidicorum poſt Ciceronem magnis Poëtis nominatus, quod res domi eſſet anguſtior, nec ornamentorum copia circumflueret, mutuò ab amicis & familiaribus annulos capiebat, nobilem acturus cauſam in ampliſſima corona, vt videretur iis qui audirent multò ſplendidior, & maiori quadam aucto-

Sueton. in Aug. c. 73.

Annuli Oratorum.

Ælian. var. hiſtor.

auctoritate & elegantia diceret, vnde plures ad eum cauſæ deferebantur:

——conducta Paulus agebat Iuuenal. ſat. 7.

Sardonyche, atque ideo pluris quàm Gallus agebat. Fab. l. 11.

Quintilianus hunc etiam cultum Oratori ſuo concedit, monet tantùm ornandas potius eſſe annulis manus, quàm onerandas. In comis item venuſtatem quærebant, dignam cœtu hominum ingenuo, quas certa ratione ſtructas & compoſitas habere conſueuerunt. Quare Plinius cùm de geſtu Oratorum & pronunciatione diſſereret, ſi quando in æſtu vt fit ſudario frontem Orator abſtergat, non temerè eſſe capillos conturbandos & confundendos edicit. Atque hic ornatus tam eſt decorus homini, tam non alienus à virili dignitate, vt Lacones voluptatis & luxuriæ inimici, & omnium qui vbique fuerunt gentium in bellando fortiſſimi, nunquam pugnam inirent, quin prius exquiſitè comas ſuas & ſtudioſè adornaſſent.

Hæc incorruptæ antiquitatis ſunt teſtimonia, quæ non patitur pudor tuus, neque incredibilis Theodore ſapientia, vt futilia & ingenius mentibus aſpernanda, aut omnium iudicio damnanda eſſe putes. Nam quod attinet ad odores quos è foro proſcribendos, & relegandos pæne in Arabiam cenſuiſti, neſcio cur reprehendi nimio opere poſſit, ſi eorum qui conuenerunt animi, non modò vbertate liquidæ orationis, aureóque flumine eloquentium, verùm etiam odorum copia ſuauiſſimè perfundantur. Vel enim dulcis fragrantia ad nobilitatem pertinet, in hominum aliorum cœtu verſantem: aut non video quem in finem mundi ædificator & conſeruator Deus, varietatem bene olentium rerum, & afflatam hanc ſuauitatem creauerit. Quod ſi Græci Latiníque Oratores, qui olim fuerunt longè omnium clariſſimi, hunc veſtium & reliqui ornatus ſplendorem ſumma diligentia quæſierunt, ſi communis hominum exiſtimatio comprobat, ſi concedunt Sapientum oracula, ſi eo ipſo dignitas orantibus & pulchritudo adiungitur, & conciliantur auditores, quid eſt cur hoc tempore abiiciendus iure videatur? Romani tenuioris etiam fortunæ & conditionis, non niſi in purpura quondam efferri voluerunt, quod pertineret ad aliquam nominis dignitatem (ſic interpretor) ornatúſque elegantiam ſiſtere ſe apud Rhadamanthum, &

cæteros inferorum Iudices, qui de cauſa Manium cognoſcerēt: tu reprehendas, ſi patronus in curiam venerit ſplēdidiore veſtitu & delectis ornamentis ad gratiam pulchritudinémque inſignis, non vt laruas inferorum, & Minoa neſcio quem oratione demulceat, ſed vt lumina imperij Gallicani & tutores diuæ Eunomiæ delectet? Eadem illa ratione poſſis & purpuram Senatorum carpere, & infulas dignitatis & magnificentię Conſiſtorianæ, quos opinor ſublata veſtium varietate, forenſibus indumentis abiectis, cubiculari & domeſtica in toga, in ampliſſimum iudiciorum locum ire velles. Quare noli hanc communem lucem honeſtatis, hunc ornatum iure omni conceſſum, hanc nobilium adoleſcentium pulchritudinem omnino neceſſariam extinguere, quam tanti ſapientes fecerunt, vt Deorum donum eſſe dicerent, & vt Pruſæus ait Dio, τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν ἀειδηλότατον.

Dio. Chryſoſt. or. 29.

SECTIO IV.

Tandem oratorij cultus modus & temperatio definitur.

SCio, inquit Theodorus, eſſe multos, iſtius quam eximiè prædicas venuſtatis & pulchritudinis amantes, quorum in mente inſidet quædam elegantiæ ſpecies, quæ ſine fuco & pigmentis nuda & incompta videatur. Sint per me licet opinione ſua pulchri & formoſi, & cùm Cyro potentiſſimo & glorioſiſſimo Rege inſaniant, dummodo magni & diuini Solonis prudentiam audire velint. Nam cùm Cyrus auro ſe & purpura, & grandium vnionum ſplendore, Erythræiſque lapillis ornauiſſet, & nihil in hac vniuerſitate admirabilius, nihil magnificentius eſſe aut fuiſſe opinaretur, aduocatum Solonem interrogat, num pulchrius aliquando ſpectaculum oculis vſurpauiſſet. Ita, reſpondit vir ſapiens, gallos gallinaceos, phaſianos & pauones. Sed amabò te Honorate, qui patronos leuiores illos, & nimio cultu luxuriantes, quos attigi oratione mea defendis, vbi formula bonæ fidei, quam iuris & iuſtitiæ conſulti valere inter amicos voluerunt? Nam orationem tuam video eximiam qui-

Digitized by Google

dem & ornatam, & de ipſa venuſtate pulcherrimam, ſed non expertem ingenioſæ malitiæ, & ſophiſtico artificio coloratam. Vis magnos veteris eloquentiæ principes pompam eam ſecutos, & exquiſitum ornatum laſciuientis prope dicam iuuentutis; duóſque mihi nominas Oratores, qui tantum abeſt vt tuæ cauſæ, voluntatique ſeruiant, vt potius eo nomine ſempiterno ſæculorum omnium conuicio, & doctorum hominum reprehenſione vexentur. Et ſi fretus ingenio tuo non fuiſſes, & eloquentia glorioſa qua triumphas, Hortenſium vnquam nominauiſſes ad elegantiam commendandam? Non ſum tam inops veteris memoriæ, nec tam ignarus communium literarum, vt neſciam, quid de illo Macrobius ſumma fide ſuis monumentis prodiderit, *Hortenſius*, inquit, *vir alioqui ex profeſſo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem. Fuit enim veſtitu ad munditiem curioſo, & vt bene amictus iret, faciem in ſpeculo quærebat.* Et paulò pòſt, *Is quondam cùm incederet elaboratus ad ſpeciem, collegæ de iniuriis diem dixit, quod ſibi in anguſtiis obuius, offenſu fortuito ſtructuram togæ deſtruxerat, & capitale putauit, quod in humero ſuo locum ruga mutaſſet.* Hunc ſi tibi in omnibus imitandum eſſe ducis, nil obſtat, quominùs Dionyſia ſaltatricula fias, & Hortenſij in morem delicato corporis geſtu & molliſſimo effœmineris. Licebit etiam & eadem ratione, tum mitellam, tum verò ſtrophium & crocotam gerere, & muliebri veſtitu ornari, quòd Demoſthenes quem ſecundo loco poſuiſti, in adoleſcentia ſit vſus γυναικείαις ἐσθῆσι, vt Plutarchus memorauit. Volo igitur ſine fuco & fallaciis, quid antiquitas in hac quidem re de oratore cenſuerit, breuiter exponere. Ariſtogoras Mileſius Orator cùm Lacedæmonem veniſſet, belli copias à Spartanis petiturus, verba in prytaneo cœpit facere, veſte indutus ſumptuoſa atque magnifica, & Ionicis deliciis abundans, quo ille ornatu ſe magnificè & elatè circunſpiciebat: ſed de Ephoris vnus vir grauis & ſapiens tenere ſe non potuit, quin magna liberáque illi voce diceret, οἴκοι τὰ μιλήσια, *Domi Mileſia*, quod deinde in prouerbij conſuetudinem abiit, quaſi diceret, in Ionia luxuriæ domicilio, illam veſtium pompam & choragium

Macrob.l.3. Satur.c.13.

Suidas.

ferri poſſe, non autem in fortium virorum cœtu, atque in ea ciuitate vbi virtus & generoſæ mentis gloria tabernaculum ſuum collocauiſſet. Quæ fuit Græcorum omnium mea quidem opinione ſuper ea re ſententia. Si de Romanis lubet agere, eorum ſenſum animique prudens iudicium, Seneca vterque parens & filius, humanitatis & philoſophiæ lumina declarabunt. Parens quidem iuſta indignatione commotus ob ſolutos adoleſcentiæ mores & pudenda laſciuia corruptos, *Ite nunc*, inquit, *& in iſtis vulſis atque expolitis, & nuſquam niſi in libidine viris quærite Oratores.* Filius autem, Stoicorum magnum decus, imo & imperij orbis terræ, ſic etiam grauiſſimè, *Noſti complures iuuenes barba & coma nitidos, de capſula totos, nihil ab illis ſperaueris forte, nihil ſolidum.* Sanè graphicè pingere mihi videtur comatulos illos noſtros adoleſcentes, bellos & nitidos, quos in foro iam *Audientes* nominant; non quidem omnes, ſed aliquos, inaniſſima oſtentatione glorioſos, luxu languidos, voce, vultu, atque omni paratura effœminatos. De quibus meminiſſe non poſſum, quin veniat in mentem Afri Domitij, politiſſimo ingenio viri, & ſummi Oratoris, qui cùm iuuenem aliquando vidiſſet, de numero delicatorum Patronum, hęrentem in ſubſelliis, comptum & calamiſtratum, ex arcula totum, nitidum in cataclista, & pædagogiani pueri more picturatum, & eum pulcherrimo aliquo elogio videretur eſſe commendaturus, feſtiuè præter omnium expectationem, *Homo*, inquit; *in agendis cauſis optimè veſtitus.* Hic expecto quibus eloquentiæ coloribus tu Honorate, iſtam luxuriem adoleſcentium Oratorum illinias, quo artificio nudos & verecundia ſpoliatos obueles, quibus iam non repugno, quominus etiam annulos tribuas magnos & fulgentes, qui mollitiem eorum illuminent: addas & odorum ſuauitatem vt ne in turba quidem latere poſſint. Verùm cenſeo apud te repures quid Flauius Veſpaſianus Imperator non præliorum modò contentione fortiſſimus, ſed domi quoque ſapientia nobilis egregiè protulit, quod anni omnes conſequentes laude & prędicatione celebrarunt. Nam cùm ad eum veniſſet adoleſcentulus, eximio ornatus veſtitu, & vnguento fragrans, pro impetrata præfectura gratias acturus dulci & compoſita oratione: ampliſſimus ornatiſſimúſque princeps, nutu aſpernatus,

Senec. Procem. controu.

Epiſt. 115.

Digitized by Google

voce etiam grauiſſima increpuit, *Maluiſſem*, inquit, *allium oboluiſſes*, & continuò literas reuocauit, quibus honorem imperiuiſſet. Sueton in Veſp c. 8.

Sed hactenus tibi homines obiicio religione profanos, nondum meos, hoc eſt ſacros, & diuinos chriſtianæ vitæ moderatores; quos equidem ſub vexillo decuriare veluti poſſem & deſcribere, vt Lacones illos tuos cincinnis capillitióque ſuperbientes incredibili ſua auctoritate exterreant. Sed vno contentus ero Baſilio magno, quem oratorem ſcis fuiſſe præſtantem, & Athenas Atticas erudiiſſe. Is iuuentutem ad eloquentiam & humanitatem informans, cùm alia plurima diuinitus, tum illud de omni ornatu ſapienter, *Comarum autem ac veſtium extra neceſſitatem curam gerere, vel infelicium eſt, vt ait Diogenes, vel iniuſtorum:* ὥστε καλλωπιστὴν εἶναι ἢ ὀνομάζεσθαι, ὁμοίως αἰσχρὸν ἡγεῖσθαί φημι δεῖν τοὺς τοιούτους, ὡς τὸ ἑταιρεῖν ἢ ἀλλοτρίοις γάμοις ἐπιβουλεύειν, *nam cincinnatum & comptum eſſe atque appellari, æquè turpe cenſendum aſſero, àtque impudicum eſſe, aut alienis nuptiis inſidiari.* Et aliquantò poſt de odorum voluptate, *Eos verò qui olfactu delectabiles aut omnimodos ſpirant odores, vel vnguentis vtuntur exoticis, me quodammodo reprehendere pudet.* Eoſdem etiam odores ſapienter D. Chryſoſtomus veriſſiméque aiebat, τῆς βλακείας δόξαν περιθεῖναι, *laſcinia opinionem hominibus inferre.* D. Baſil: Homilia πρὸς νέους. S. Chryſoſt. Hom. 1. in ep. ad Timoth.

Enimuero vt cauſam etiam agam meam, eleuanda mihi eſt reprehenſio tua Honorate, aut diſſimulatio ventilanda, qui me ſeuerum nimis auſterúmque eſſe dixiſti: neque enim mihi placuit vnquam vt orator omne genus ornamenti & communem honeſtatem negligat, aut ex rerum pulcherrimarum deſpicientia laudem captet, ſordido quodam aut viliori certe veſtitu contentus. Nolo ſimilis eſſe videatur Lacedæmoniis, qui quærendæ gloriolæ gratia, lacera ſemper & detrita, & eadem toto anno veſte vtebantur: quos propterea meritiſſimo reprehendit ſapientiæ Doctor Ariſtoteles, eóſque appellat βαυκοπανούργους, *glorioſos & delicatos veteratores.* Scio habendam eſſe rationem patriæ, familiæ, dignitatis, & ſplendorem eſſe illum retinendum, à quo abſit luxus, inanitatis, laſciuiæque ſuſpicio, modus tantùm & decorum teneatur. In quo mihi illa videtur digna ſapiente moderatio, quam attulit oratorum omnium Ariſt. l. 4. Ethic.

Iſid. Peluſ. lib.3.ep. ſuauiſſimus Iſocrates, cuius ego autoritatem eo ſequor libentius, quod illius in hac ipſa re ſententiam Iſidorus Peluſiota vir ſanctiſſimus & doctiſſimus attulerit, *Hoc*, inquit, *dixerim quod Iſocrates in eo libro in quo Demonicum præceptis inſtruit, quem his verbis admonet*, ἴσθι περὶ τὴν ἐσθῆτα φιλόκαλος, ἀλλὰ μὴ καλλωπιστής. φιλοκάλου μὲν γὰρ τὸ μεγαλοπρεπὲς, καλλωπιστοῦ δὲ τὸ περίεργον: *Cura vt in veſtium ratione cultus atque honeſtus ſis, non autem immodici ornatus ſtudioſus. Honeſti enim eſt magnificentia: laſciuè autem ſe ornantis, ſuperfluitas & redundantia.* Nihil dici potuit elegantius, vel ad tuendam moderationem accommodatius, quam iam inde ab initio huius diſputationis ſequendam eſſe Oratori aiebam. Huc igitur venuſtuli illi & troſſuli oculos ſuos conuertant, & ſi me audiunt, impetum illum ad gloriam & oſtentationem quo feruntur, ad animi ornamenta deriuent: id Oraculum ſecuti quod Gregorius

Greg tetraſtich.21. Nazianzenus politiſſimæ eruditionis antiſtes protulit,

Κάλλος νόμιζε τὴν φρενῶν εὐκοσμίαν.

Verum decorem mentis ornatum puta.

DICTVRO ORATORI PARANdam eſſe conſtantiam, timorémque nimium moderandum.

CAPVT XXX.

PRIVSQVAM Orator ad dicendum aggrediatur, prouidere ſtudioſiſſimè debet, ne vehementi & cæco timore capiatur. Debilitat enim metus eorum animos, qui naturæ timiditate fugitare lucem hominum ſolent & conſpectum: maximè verò ſi tum primùm, in locum ad dicendum ampliſſimum, & honeſta frequentia celebratum ingrediuntur. Cuius rei veteris æui annales illuſtria exempla ſuppeditant. Portius Latro quem *declamatoriæ vis vnicum exemplum* fuiſſe volunt, cùm è priuatis ſuis vmbraculis in lucem aciémque veniſſet, & pro reo propinquo ſuo Ruſtico Porcio diceret, vſque eo fuit confuſus, vt à ſolœciſmo inciperet, ne-

quę prius confirmari potuit auditoriis parietibúſque aſſuetus, quam impetrauit vt iudicium è foro in baſilicam transferretur. Id non modò euenire poteſt adoleſcentibus, qui neque vſum, neque exercitationem habent temporis diuturnitate robuſtam, verùm etiam & grandioribus, ni mature viam timori, ianuamque obſtruant. Memini togati Philoſophi qui communem hanc naturæ affectionem diuinè vt multa & eleganter expreſſit, *Fortiſſimus*, inquit, *plerunque vir dum armatur expalluit: & ſigno pugnæ dato, ferociſſimo militi paululum genua tremuerunt: & magno Imperatori antequam inter ſe acies arietarent, cor exiluit: & Oratori elegantiſſimo dum ad dicendum componitur, ſumma riguerunt.* Summa illa quæ rigere ait dicentibus, ſunt labia, manus, pedes, aliáque extrema quæ ſanguine ſubitò & calore ſpoliantur. Cornelius Tacitus magnus & ipſe Orator, *Exercitam quoque eloquentiam debilitari proprio metu* aſſeruit. Hoc verò quantum è ſcholis ſapientum, & eruditiſſimis diſputationibus colligimus, vt plurimùm contingit, cùm animus nihil minùs cogitans, ſub ictu ipſius dictionis, & quaſi in procinctu pauore occupatur. Fit enim ſæpe vt quaſi in conuiuiis προπόματα, ſic *principia quædam prœludentia affectibus* (ita Seneca vir doctiſſimus nominauit) ſubeant, & ſe inſinuent prius, quàm ratio ipſa potuit aduertere. Quæ ſi animum aptum inueniunt ad eos motus excipiendos, hęrent ſanè diutius, nec facilè deinde euelli & exuri poſſunt. Erit ergo prudentiæ Oratoris, hunc affectum ſe tacitè inſinuantem eueſtigio amoliri, antequam inſideat penitus & arcem occupet: & adhibita vi rationis cœcum & tumultuantem generosè exterminare. Et ſi opus videatur, iudicium in pectus erit aduocandum, tribunal extruendũ diſceptante ratione, imponendus conſcientiæ pudor, inquirendũ ab animo, cur timere eo loco ac tempore commodum aut iuſtum putet. Quid enim? an futura ſunt omnia meliora, ô ceruorũ è genere atq; leporum timidorum, ſi paucas, ſi cõcidas animo, ſi exanimatus hæreas? &c. Fortaſſe illa inimica rationi timiditas hoc modò poſſit imminui. Nec abhorret id quod factum fuiſſe meminimus à Socrate, cùm Alcibiadi vellet honeſtam ingenerare audaciam ad dicendum: rogabat enim clariſſimum illum adoleſcentem, num ſi tres, quatuorve Zonarij illi dictu-

Senec. l. 2. de ira c. 3.

Tacit. l. 3. Annal.

Aelian. l. 2. Var. hiſt.

Digitized by Google

ro affuiſſent, vehementius ſibi timendum exiſtimaret, negabat Alcibiades. Quid ſi, inquit, ſutores præterea totidem adfuerint, ſi duo gladiorum opifices, ſi lanij tres, ſi cerdones quatuor, an timendum videatur? minimè, ait ille. Tum grauiſſimè Philoſophus. Atqui ex iis & ſimilibus hominibus concio ferè tota conſtat.

Ex timore incōmoda. Atque eo magis & ſtudioſius hic timor eſt minuendus, aut ſi fieri poteſt ex animo omnis eiciendus & exterminandus, quod ex eo plurima eueniant, quæ nimium quantum dicturo incommodent. Quædam breuiter epiſtola quadam ſua eſt complexus, is qui Stoicam Philoſophiam Romæ illuſtrauit. *Quibuſdam*, inquit, *tremuerunt genua dicturis, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt.* Præterea cor nonnunquam tanta contentione exilit quaſi ruptis & diſſipatis viſceribus proditurum. Quod eleganter expreſſit vir diſertus Baſilius Seleucienſis Epiſcopus in Pappi cuiuſdam hominis impij timore ſignificando, ἡ καρδία ἔπαλλε, καὶ οὕτως ἀιάδην, ὡς καὶ περιεκπίπτειν δοκεῖν τοῦ λοιποῦ σώματος, *cor palpitabat & quidem tanto impetu, vt è corpore reliquo caſurum videretur.* Addit & aliud è metu manans incommodum, πόδες δὲ οὕτω συχνά τε καὶ ἀσθενικὰ ὑπωλίσθαινον, &c. *Pedes porrò ita crebrò & infirmè vacillabant, quaſi à materia aliqua molli & fluxa ad ingrediendum impellerentur.* Ex quo facilè colligitur, vim corporis omnem hauriri, omnes artus debilitari metu, quo premente, fruſtra meo iudicio, Orator & inconſideratè ad dicendum aggrederetur. Quid quod pauor ventrem etiam nonnunquam emollit ſoluitque, cuius rei cauſam prodit Ariſtoteles, & poſt eum Macrobius, & alij; exiguum ne videri poteſt incommodũ & impedimentum in forum aut ſuggeſtum eunti? an non eſſet graue periculum ne ſibi vel inuito quidpiam excidere pateretur, quod naſuti homines minimè diſſimularent? neque enim ea in re valentior eſſe poteſt, & in cohibendo robuſtior, quàm in acie miles, cuius tamen ventrem tubarum ſono & lituorum clangore ſolui dixit bonus & rerum cognitione clarus Poëta, illa enim meminiſtis.

[Margin: Senec. ep. 11 — Baſil. Seleu. l. 2. de mirac. S. Theclæ. — Ariſtot. in Problem. Gell. l. 19. c. 4. Macrob. l. 7 Saturn. — Iuuenal. Sat. 14.]

——aut longos caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepidum ſoluunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita.

Ad

Ad extremum vocem inobſcurat metus atque deprimit: vidique non neminem, qui in ipſo exordio ita vocem habuerint tenuem, vel tremulam & non conſiſtentem, vt auditores ieiunitatem illam & conſtantiæ inopiam, tum arguerent tacite, tum etiam miſerarentur. Non eſt igitur hæc contemnenda monitio de timore coërcendo penitus atque obruendo, vel certe vi rationis moderando.

Sed tum maximè parandus animus eſt & confirmandus, cùm apud Reges & Dynaſtas, vel ſummos erit magiſtratus purpuratóſque dicendum. Splendor enim ipſius dignitatis perſtringit oculos, & dicendi luminibus officit, ſi præſertim nihil minùs cogitanti interueniant. Plinius ſecundus de ſe loquens ad Arrianum ſuum ita ſcribebat, *Imaginare quæ ſollicitudo nobis, qui metus, quibus ſuper tanta re in illo cœtu* (in Curia) *præſente Cæſare dicendum erat. Equidem in Senatu non ſemel egi, tunc me tamen vt noua omnia nouo metu permouebant.* Demoſthenem cùm verè meo iudicio gloriaretur, habere ſe πηγὰς τῶν λόγων ἀφθόνους, *vberrimos eloquentiæ fontes*, & copioſiſſimæ flumen orationis, illa tamen copia & vbertas exaruit, cùm Philippo Rege audiente fuit orandum. Herodes Atticus Sophiſta in dicendo mirabilis, quo vix vllus prompta & expedita oratione fuit illuſtrior, cùm apud M. Antoninum Imperatorem diceret in Pœonia, ea tanta Romani ducis maieſtate perculſus ſubitò obmutuit. Cuius eventi odioſam ignominiam tam acerbo animo tulit, vt præ tædio in longinquam regionem moriturus ſecederet, vitam enim vt Lemnius ait Philoſtratus eloquentiæ gloriæ poſthabuit. Idipſum Heraclidi ſophiſtæ Lycio contigit, cùm audiente Seuero Imperatore & purpurato nobilium cœtu oraret. Hos igitur eloquentiæ primipilos qui toties in auditoriis & communi hominum cœtu bellè triumpharant, debilitauit timor impotens, & in clariſſima excellentium hominum luce deiecit. Itaque bene cum illis meo iudicio agetur, qui ad gloriam publicæ facundiæ aluntur, ſi à puero atque à limine humaniorum literarum, quam ſibi defuiſſe prodit Iſocrates in agendo τόλμαν, vſu & frequenti exercitatione colligant. Nam ab exedris tanquam ab antro Platonico prodeuntes, & illis deinde luminibus aſſuefacti, totum poſtea Solem faciliùs, hominúmque amplitudinem ſuſtinebunt.

Plin. l. 2. ep. ad Arr.

Qui Oratores metu obmutuerint.

Philoſtr. de vit. Soph.

OOoo

Digitized by Google

INGRESSVS ORATORIS IN LVCEM PVBLICAM QVIBVS REBVS ORNARI debeat, vt iam inde auditores conciliet.

CAP. XXXI.

SECTIO I. *Potentiſsimum delinimentum honeſta compoſitio totius oris & corporis.*

IAM inde ab ingreſſu in ſuggeſtum, vel cùm ſurgit in ſubſelliis ad dicendum Orator, prouidere debet etiam ante dictionem, vt apud eos qui ad audiendum conuenerunt, beneuolentiam ſibi conciliet. Præclarè aiebat M. Antonius Orator maximus, non tum homines fieri beneuolos, cùm Rethorum eas cantilenas communéſque nænias adhibemus: & tanquam ex formula petimus, vt nos amicè diſſerentes audiant, ſed cùm nos ita gerimus, vt beneuolentia digni videamur. Quod maximè intelligebat de genere orationis, quæ Oratorem ipſum virum bonum, patriæ amantem ſuæ, commodis moribus, excellentium rerum ſtudioſum, ſumma animi humanitate ſignificet. Hominem enim eiuſmodi à nobis cognitum, de quo præſtabilia illa ſuſpicemur atque optima, non poſſumus non tacita beneuolentia complecti. Sed remota etiam dictione, tacitum ipſum Oratorem neceſſe eſt ſingulari quadam modeſtia, expectationem ſui commouere, vt à primo ipſo introitu, omnium ſibi animos adiiciat. Id poſitum eſt in ſtatu, & in motu, in oris & vultus, & totius corporis compoſitione, quæ mentis & decori effigiem, quæ virtutis veluti ſimulachrum ponere in medio ſolet, & omnium intuentium oculos, vt abdita & diuina quadam luce præſtinguere. *Occurſus me hercule*, inquit Seneca, *ipſe ſapientium iuuat, & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Hinc Onias vir reli-

Cicer. 2. de Orat.

Senec. ep. 94.

Digitized by Google

gioſiſſimæ & ſpecioſiſſimæ grauitatis, in diuinis literis dici- 2. Machab.
tur, *αἰδήμων τὴν ἀπαίτησιν*, *primo ipſo aſpectu & occurſu ve-* 15.9.
nerandus. Ennodius de purpuratis patritiis Feſto & Symmacho, duobus Curiæ luminibus, purpureo ſanè acroamate & luminoſo: *In ipſis*, inquit, *eſt nobilis Curiæ principatus, quos* Ennod.
vidiſſe, erudiri eſt. Vidit hoc bonum diuinitùs ſapiens atque in aureis oraculis ſuis poſuit: ita enim in Eccleſiaſte, *Sapientia hominis lucet in vultu eius*. Eccleſ. 8.1.

Et nimirum fatendum eſt, quandam eſſe in laudatis hominibus dignitatem, oris ſpeciem, omnium partium gratiam, quæ ſtatim eminet, & omnium intuentium animos conciliat. Octauium Auguſtum ferunt, vultu fuiſſe in ſermone adeo tranquillo ſerenóque, vt barbarorum impias manus Sueton. in
vim moliri cupientium ea oris humanitate coërceret. Itaque Octa c.79.
eloquentes viri, qui in clarorum hominum prædicatione operam ſuam collocarunt, hanc egregij animi notam efferunt laudibus, eóſque heroas, vt Phidiæ quondam opera, ſimul viſos, ſimul probatos atque omnium admiratione cultos aiunt. Rutilius Numatianus de Protadio, Rutil. Itin.
l. 1.

Aſpicienda procul certo prudentia vultu,
Formáque iuſtitiæ ſuſpicienda micat.

Sed ornatiſſimè Conſtantium Imperatorem laudans Panegyrici autor, *Nec aliud*, inquit, *homines illo die quam teipſum* Panegyri-
ſpectare potuerunt, qui tuus eſſet fulgor oculorum, totiúſque cor- cus Conſtant.
poris circumfuſa maieſtas, quæ oris dignitas, &c. Adeo nimirum præſtantium hominum vultus, taciti amoris eſt lenocinium. Atque hoc ipſum præferendum eſſe Oratori in publicam lucem, & coronæ celebritatem aiebam, & in eo ſi me audiet, magnum omninò momentum collocatum eſſe putabit. Ex eo enim primo aſpectu, coniecturam capit de moribus atque ingenio circumfuſa corona. Cùm ij qui adſunt liberali vultu adoleſcentem, & ingenui oris probitatem contuentur, taciti apud ſe reputant, eum moribus eſſe bonis inſtitutum, & modeſtia excultum: ſi erecta ceruice oculos temerè circumferentem, audacem pronunciant & impudentem: ſi obſtipo capite, bardum, ſtupidum, & Bœotico ingenio ſuſpicantur. Ipſæ verò anticipatæ opiniones, dici vix poteſt, quantum reliquæ orationi incommodent: nam

OOoo ij

Digitized by Google

tametſi dicendo efficere poteſt Orator, vt tacita ſua iudicia falſa fuiſſe auditores aliquando intelligant, qui tantùm viſum, & nil adhuc locutum repudiauiſſent, multa enim præter expectationem nonnunquam eueniunt; eſt tamen quidpiam inhærens mentibus, & ab ipſo, vt dixi, initio altè impreſſum, quod vix vlla dicentis induſtria funditus poſſit euellere.

Hoc igitur palmarium ſit admonitum, pro introitu Oratoris in ſuggeſtum, & fori lucem, vt omnibus litet Gratiis, & Prometheum ſe quendam opinetur, qui partes animi corporiſque omnes, ſummo ſtudio & exquiſito artificio moliri debeat, & prudentiſſimè componere: & Argum adhibere quendam multioculum, qui exploret & circumſpiciat vndique, vt nihil toruum in oculis, nihil inuerecundum in facie, nihil in tota poſitura inuenuſtum & indecorum videatur. Aiebat Poëta Ouidius decentiorem faciem eſſe, in qua aliquis næuus fuiſſet; ego verò perfectiorem Oratorem exiſtimarim, in quo næuus ſit nullus, aut ſanè pauciſſima quæ reprehendas. Ea porrò totius hominis grata & honeſta compoſitio, & oris dignitas, vim ſuam tum præcipuè retinet, cùm morum elegantia & pulchritudo adiungitur, ſine quibus languet ea gratia & extenuatur. Id licuit in Domitiano cognoſcere, cuius vultus ad eximiam dignitatem atque modeſtiam à natura fictus, mirùm quantum omnium animos conciliare potuiſſet, ni vita & mores, & vitiorum illa immanis turpitudo obſtitiſſet. Sic enim de illo ſcribit Suetonius: *Commendari ſe verecundia oris adeò ſentiebat, vt apud Senatum ſic quondam iactauerit, Vſque huc certè animum meum probaſtis & vultum.* Sueton. in Domit. c. 18

SECTIO II.

Aliud ornamentum eximium ad conciliandum, Verecundia.

ATQVE inter omnia ornamenta vnum animo iam occurrit meo, quo neſcio an vllum ſit illuſtrius, & vel tacente Oratore accommodatius ad conciliandum auditorem: ea eſt *Verecundia* grato rubore vultus ſignificata, quem

ruborẽ omne ſcriptorũ genus & præſertim doctiſſimi & incly-
ta religione Patres mirificè commendauerunt. Greg. Nazian. Greg. Naz. Carm. 63.
ἄνθος ἐράσμιον, *florem amabilem* eleganter nominauit, αἰδῶς, in-
quit, ἄνθος ἐράσμιον ἐσθλὸν ἔρευθος, *bonus ille rubor quem pudor*
gignit, flos amabilis. Eucherius, *ætatum viridiorum magnum* Eucher. 1. Reg. c. 14.
ornamentum. S. Ambroſius cùm de Chriſtiani hominis officio S. Ambr. l. 1. offic. c. 19.
diſputat, *Nos certè*, inquit, *in pulchritudine corporis locum virtu-*
tis non ponimus, gratiam tamen non excludimus, quia verecundia
& vultus ipſos ſolet pudore perfundere, gratioréſque reddere. Quo
in loco doctor egregius florem pulchritudinis in verecundia
collocat, quæ virtutis ſuaui colore genas inumbret. Quidam Plutar. in Caton.
bonæ indolis ſpecimen vocant, quod Cato in adoleſcentibus ſua-
uiabatur: alij *os probum*, vt maior Plinius, qui in Pompeio cõ- Plin. l. 7. c. 12.
mendat *os probum & honorem eximiæ frontis*, ruborem intelligit Senec. ep. 11.
indicem verecundiæ, nam de eodem Seneca Philoſophus ita
meminit, *Nihil erat mollius ore Pompei, nunquam non coram plu-*
ribus erubuit, vtique in concionibus. Diogenes appellabat τῆς ἀρε-
τῆς χρῶμα *virtutis colorem*. Plinius orator, *magnum ornamentum*
dicentium, ſic enim ſcribit de Calphurnio Piſone nobili adole-
ſcente in auditorio recitante, *Commendabat rem voce ſuauiſſima,* Plin. l. 5. ep. ad Spur.
vocem verecundia: multum ſanguinis, multum ſollicitudinis in ore,
magna ornamenta recitantis. Propria ea laus adoleſcentiæ, vnde
verecundiã *bonũ in adoleſcente ſignũ*, ait Seneca: & eruditiſſimè
magnus Ambr. l. Offic. 1. *Vt in ſenibus grauitas, in iuuenibus a-* l. 1. Offic. c. 17.
lacritas, ita in adoleſcentibus Verecundia velut quadam dote com-
mendatur naturæ. Neque tamen ea vna in ætate hoc decus in-
genuitatis, & honeſtæ mentis ornamentum cõmendatur, ſed
in omni vitæ parte & conditione delectat; poſſémq; numera-
re Philoſophos eruditione præſtantes & vitæ gloria, qui quod
in cœtu ornatiſſimorum hominum erubuiſſent laudem me-
ruerunt. De Fabiano viro diſerto qui elegãtiam dictionis cùm
ſubtilium rerum ſcientia copularat, memini ſic dicere palati-
num magiſtrum, qui dogmata Stoicorum Latinè illuſtrauit, Senec. loc. cit.
Fabianum cùm in Senatum teſtis eſſet inductus, erubuiſſe memini,
& hic mirè illum pudor decuit. Hoc etiam Plotino eueniebat sũ-
mo Philoſopho, in cuius ſcholam cùm Origenes aliquando
introiiſſet, Plotinus continuò genas rubore ſuffuſus aſſurgere Porphyr. in vit.
voluit, quod adeſſe coryphæum eruditionis videret, & περι-

πατρῷω ἄγαλμα τῆς σοφίας: rogatus autem ab Origine vt inſtitutam diſputationem perſequeretur, pauca diſſeruit, tum ſurrexit, nec maiorem è ſermone illo laudem quam verecundia eſt conſecutus.

Cur autem ea corporis affectio viros ſapientes delectet, ratio hæc eſt, quod is color ſit vt canit Poëta Menander τῶν χρηστῶν, *proborum & virtute excellentium*, feréque ſemper cũ animi
Cic. 1. de orat. honeſtate copuletur. Hinc verè & ſcienter dictum à M. Tullio de L. Craſſo excellenti oratore, *Fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor, qui tamen non modò non obeſſet eius orationi, ſed etiam*
Symmach. in ep. *probitatis commendatione prodeſſet.* Sanè politè & rotundè Symmachus, *quorum mens honeſta eſt, eorũ imbecilla frons eſt.* Neſciũt erubeſcere petulantes & ingenio præfracti, væcordes, impudẽtes, & quos ait Demoſthenes μέτωπον τρίψαι, imò neque agreſtiores aut generis ignobilitate obſcuri, qui vix vmbrã & imaginem τοῦ καλοῦ viderunt: vt meritò viri doctiſſimi animaduertiſſe videantur, ingenuum hunc colorem nobilis quoq; animi & honeſto genere orti eſſe indicium, & haud obſcuram teſtifi-
Apul. l. 2. metamorph. cationem. Hoc venuſtè meo iudicio Apuleius, *Ego te etiam de iſta corporis ſpecioſa habitudine, déque hac virginali prorſus verecundia, generoſa ſtirpe proditum & rectè coniicerem.* Itaque multi nobiles qui virtutibus & humanitate proſapiam ſuam exornauiſſent, cùm ſe contulerunt ad dicendũ, non ſine tacita commendatione hominum intelligentium, hoc decore ſuam elo-
Auſon. Grat act. quentiam & actionem colorauerunt. Auſonius in Imperatore Gratiano quẽ ad omnẽ ipſe diſciplinam imbuerat, hoc ponit quod *ruborem & verecundiam* dicendo exhiberet. Alium habemus Imperatorem Traianũ, verè factis & ingenio nobilem, ab eloquentiſſimo viro Panegyrica oratione laudatum: & in eo cũ eximia multa corporis animíque ornamenta prædicat, tũ virtutis hunc colorem *Verecundiam*, dignam humanitate & inge-
Plin. in Panegyr. nuæ mentis excellentia, in hunc modum, *Vidimus demiſſum gaudio vultum, tantúmque ſanguinis in ore quantum in animo pudoris.* Attexam his duobus Imperatoribus Regem vnum Italiæ Theodoricum, quem duo religioſi Antiſtites, iidémque ſtudiis optimarum artiũ inſigniter exculti, ſuis ſcriptis eximiè commendauerunt: vtérque vultum pingit, vtérque vt magni Iouis miniatam faciem ornat, vtérque laude extollit verecun-

diam. Hoc igitur Ennodij Ticinenſis de Theodorico purpu- Ennod. in Paneg.
reum eſt elogium, *Regij vultus purpura oſtrũ dignitatis irradiat.*
Sidonij verò Apollinaris iſtud, *Lactea cutis quæ propius inſpecta* Sidon. l. 1.
iuuenili rubore ſuffunditur: namque hunc illi crebro colorem, nõ ira, ep. 2.
ſed verecundia facit. Sed quis finis, ſi enumerare omnes velim
claros viros, & ingenij & fortunæ abundantia præſtantes, qui
hoc ſpecimen glorioſę probitatis in agendo exhibuerunt? Vni-
cum addam Nicetium, præterea neminẽ: Nicetium inquam
eloquio nobilẽ, principibus gratum, non hoſpitem neque pe-
regrinum in dicendo: qui cùm nouũ Conſulem Aſterium, Ca-
lendis Ianuariis, in magna hominum frequentia ſolenni more
copioſa oratione proſequitur, hoc oſtro purpurãtis modeſtiæ,
veluti eburneum dictionis ſuæ limen cohoneſtauit. Rem quia
mirabili quadam venuſtate, Calliæ lumen exponit Sidonius, Sidon. l. 8.
non poſſum quin ipſius verba hic repræſentẽ. *Nicetius*, inquit, ep. 6.
*cum quodam prologo pudoris vultum modeſtè demiſſus irrubuit. At-
que ob hoc illi maximum ſophos non eloquentia prius quàm verecun-
dia dedit. Dixit diſpoſitè, grauiter, ardenter, magna acrimonia, ma-
iore facundia, maxima diſciplina, & illam Sarranis ebriam ſuccis
inter crepitantia ſegmenta palmatam, plus picta oratione, plus aurea
conuenuſtauit.* In hæc exempla contuentes, facilè intelligent,
quàm verè dictum fuerit à Plinio, hæc indicia verecundiæ eſſe
magna recitantium ornamenta. Quare bonus & honeſtus ora-
tor, ab initio & ingreſſu ad tanti muneris functionem, vt Ro-
manus Conſul Ioui Capitolino, ſic Verecundiæ litabit, quam Clem.
antiqui ſummam eſſe Deam voluerunt. Cuius comites ſunt Alex. in
propè neceſſariæ modeſtia, capitiſque honeſta ſummiſſio: Vt protrep.
enim ſupino eſſe capite, arrogantiam inſolentem faſtidiúmq;
redolet, ita modica demiſſio capitis verecundiam & honeſtum
pudorem ſignificat. Conſideratè illud Seneca mihi viſus ani- Senec. ep. 11
maduertiſſe his verbis, *Artifices ſcenici qui imitantur affectus, qui
metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant,
hoc indicio imitantur verecundiam: deiiciunt vultum, verba ſub-
mittunt, figunt in terram oculos & deprimunt.* Sic apud decori
fontem Poëtam, honeſtiſſima Regina *vultum demiſſa profatur.*
Sed de his ſatis.

DE MORA BREVI ANTE PRO-nunciationem.

CAPVT XXXII.

SECT. I. *Chriſtiani Oratoris ſignum. In mora ante locutionem mulcere caput, infringere articulos, ſimulare conatum, ſpectare lacunar aut parietes, &c. quatenus deceant.*

POSTQVAM Orator in pulpitum conſcenderit, aut fuerit iuſſus in publico iudicio dicere, non eſt ſtatim erumpendum in ſermonem, ſed danda cogitationi mora, ne præcipiti leuitate rapi animus & temeritate videatur. Audituros enim cura ipſa dicturi oratoris, & modeſtia, & placidæ mentis humanitas vehementer delectat, qui & interim ſe ad audiendum componunt. Atque vt ordine progrediatur oratio mea, vereor enim ne quid à me prætermiſſum fuiſſe dicatis, imprimis orator cùm ſurrexit, animo nec timido, nec anxio & perturbato, ſed tranquillo & compoſito ad dignitatem, aperto capite, ſalutifero ſigno ſe communiet. A quo ſigno, profecto nemo, Chriſtianum modo nomen ſuſtineat, abhorrebit, qui non impia & conturbata mente inexpiabile bellum parenti omnium Deo indixerit. Nam communis ſapientum vſus iam inde à naſcente Eccleſia, & religionis Magiſtri omni exceptione maiores, quorum latè patuit eruditio, vitæ ſanctimonia, & in docendo auctoritas, ad omnem motũ & inceſſum, ad omnem denique actionem, vſurpandum id eſſe monuerunt, S. Dion. Hierony. Ambroſ. Auguſt. Tertull. aliique. Et ne quis forte id tantum religioſorum eſſe putet, & eorum qui ſacris Eccleſiæ muneribus addicti Eccleſiaſtici nominantur: ſic habetote, ſummos viros, duces, Imperatores, & armorum & communis rei adminiſtros, ſi quando publicè verba facerent, à ſigno crucis orationem auſpicatos. Itaque de Iuſtino Imperatore concionem

Signum crucis initio.

nem inchoante ad populum, cùm ad imperium eſt euectus, ita canit Poëta Corippus, Corippus.

Ipſe coronatus ſolium conſcendit auitum,
Atque crucis faciens ſignum venerabile ſedit,
Erectáque manu cuncto præſente Senatu
Ore pio hæc ait.

Hunc igitur orator imitetur quiſquis eſt, ſacer, profanus, modò Chriſtianus, atque vt monere cœperam, cùm ſalutare id ſignum effecerit, caput decenter operiat, ſi res & locus audientiúmque perſona id permittit, tum iuſtam & legitimam cunctationem adhibeat, dum ipſe ad dicendum, & conſeſſus ad audiendum ſe paret.

Iſtam autem moram & quietem, is qui fontes artificij rhetorici omnes aperuit, diuino propè ingenio iudicióque Homerus, Vlyſſis facundi exemplo ſanciuit. Nam ille princeps in communi Græcorum concilio, priuſquam eloquentiæ ſuæ copiam inſtar niuis abundantem effunderet, *De mora ante pronuntiationem.*

Στάσκεν ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας. Iliad 3. Ouid metamorp. 13.
Aſtitit, atque oculos paulum tellure moratos
Suſtulit ad proceres expectatóque reſoluit
Ora ſono.

Quod artis prudentiæque decus in Germanici declamatione Naſo eruditus animaduertit: Surgit, inquit, ad dicendum pulcherrimus iuuenis,

Dúmque ſilens aſtat, ſtatus eſt vultúſque diſerti l. 2. de Ponto el. 15.
Spémque docens doctæ vocis amicus habet:
Mox vbi pulſa mora eſt atque os cæleſte ſolutum
Hoc ſuperos iures more ſolere loqui.

Peritè *moram* appellat illam oratoris cunctationem, in qua fieri quædam honeſtè poſſe ait Quintilianus in hunc modum, *In hac cunctatione ſunt quædam non indecentes vt ſcenici appellant moræ; caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, ſimulare conatum, ſuſpiratione ſollicitudinem fateri, aut quod quémque magis decet: eáque diutius ſi Iudex nondum intendet animum.* Primũ illud *mulcere caput*, fieri tum potuit, cùm aperto capite omnes dicerent, & capilli eſſent longiores: nunc eatenus recipiẽdum puto, ſi non diu neque ſæpè, ſed obiter fiat & ſine affectatione. Nam leuium more adoleſcentium digitulis cirros comere, & *Quæ in mora fieri poſſint.*

hinc inde circa tempora cincinnos accommodare, omnino gynæceo ſeruetur. Illud item *infringere articulos*, forte non probaretur omnibus, quanquã fieri olim ſolitum alij etiam produnt autores: huc enim Apuleiana illa ſpectant, *Et inſtar oratorum conformat articulum*. Et cùm ait Petronius, *manibus inter ſe vſque ad articulorum crepitum ſtrictis, Quænam eſt*, inquit, *hæc audacia*? Non nemo è ſchola eruditorum, geſtum eſſe putant componentium ſe ad dicendum. Ego ſanè haud putem grauitati oratoris ſatis conueniens crepitu articulorum vti, cùm ſe ipſæ manus frangunt, aut digitos ducere & malaciſſare articulos, quod certo quondam artificio delicatulis & mulieroſis hominibus fiebat, vnde vulgò nominati *Tractatores*. Quod additur *ſimulare conatum*, & *ſuſpiratione ſollicitudinem fateri*, non diſplicet, quod fieri etiamnum video haud indecorè: ſic enim curioſa mens eorum qui adſunt, & audiendi cupido acuitur, dum iamiam inchoare velle videtur, nec tamen incipit: tamen cauendum, ne lentior in expectando & diuturnior mora, faſtidium elegantiſſimis hominibus ingeneret, quorum animus vt promptior eſt atque ſubtilior, ſic paratior ad auſcultandum eſſe conſueuit. Probo item quod honeſtè fit à pluribus vt toga imprimis & alia quædam ornamenta modeſtè componantur. Plinius orator de Iſæo politiſſimo & ſuauiſſimo Rhetore breuiter ita rem circunſcribit, *Surgit, amicitur, incipit*. Et alias de Liciniano orationem habituro, *Poſtquam ſe compoſuit circunſpexítque habitum ſuum*, &c. Illud *amicitur*, &, *compoſuit*, gratam & decoram veſtis compoſitionem ante pronunciationem ſignificant. Contra verò turbulentus Orator Scaurus, quem actorem fuiſſe negligentem & decori minus retinentem annalium monumenta referunt, *ſæpe dum amicitur dicebat*; vt eruditus Controuerſiarum ſcriptor meminit. Sed quod dixit Plinius laudans, Licinianum oratorem, priuſquam inchoaret *circunſpexiſſe habitum ſuum*, non eo modo eſt intelligendũ, quo leuiſſimi quidam homines poſſent capere, quales ego vidi adoleſcentes in foro cauſſidicos ſumma omnium expectatione dicentes, quod eruditi & politi iam à Themide in fori lucem venire putarentur. Illi initio cùm audientiam ſibi modeſtia deberent, & honeſta prudentiæ ſignificatione comparare, multorum animos auerterunt, cùm elati iuuenili quadam

Apul. l. 2. Aſin.

Plin. l. 2 ep. ad Nepot. Idem l. 4.

Senec l. 5. Controu.

Circunſpicere ſ. i. ſuũ quatenus reprehenſum.

leuitate, in ſe oculos vndique iniicerent, tantùm non collare fimbriatum, manuum elegantiam, atque alia ornamenta venditantes. Atque hic mihi venit in mentem Proteſilai, qui Paridem Alexandrum cum pauone, τὸ φίλαυτον, *in cæco ſui amore* componebat. Nam vt pauo caudæ picturam & eximiam pennarum varietatem, Sic Paris, inquit, κόσμου ἕνεκεν περιήθρει μὲν ἑαυτὸν, περιεσκόπει δὲ τὰ ὅπλα, *forma elatus, & pulchritudine ſua geſtiens, ſcipſum vndique circunſpiciebat, arma item ſua dulci oculorum coniectu luſtrabat.* Sic nimirum compti illi iuuenes, velut è Paridis tabernaculo prodeuntes, aut Thraſones in theatro, ſecurioſius hinc inde aſpiciunt, vt pictos exornatóſque pauones. Atqui nihil conciliationi animorum magis contrarium eſt & repugnans, quàm inconſiderati animi leuitas & ambitio, quàm ſuperbia, quàm oſtentatio inanis & glorioſa, quam præſertim ipſo initio vitare omnes debent. *Volo hoc Oratori contingat*, ait M. Tullius grauiſſimè, *vt cùm ſurgit ad dicendum*, ſignificetur à corona ſilentium: quod parentis eloquentiæ votum, non eo ſtudio inanitatis & puerili iactatione, ſed modeſtia & pudore conſequemur.

Philoſtr. in Heroic.

Cic. in Brut.

Sed quoniam in reprehenſionem ſum ingreſſus, lubet eodem curſu orationis hîc ponere, quæ præterea fieri vitioſè in ea mora notaui. Ridiculus ſanè putandus meritò eſt, qui lacunar intuetur, ſi præſertim id facit diutius, & eſt verendum ne de numero elegantium quiſpiam inſuſurret id Poëtæ ſapientis,

Vitioſi quidam geſtus in mora.

----doctus ſpectare lacunar.

Iuuenal. Sat. 1.

Non enim in forum auditoriúmque ingrediuntur, vt in conuiuium Oratores: apud Ariſtophanem percommodè neſcio quis monet, non eſſe inuitatis ad conuiuium, ſubito irruendũ in patinas, ſed prius oculos moderato animo circunferre oportere, ὀροφὴν θεάσαι, *contueri laquearia*, prædicare ornamenta. Sed qui politam & nitentem ornamentis orationem habiturus eſt, non venit vt miretur loci faciem, potius vt mirationem omnibus conciliet, cùm fundet auream illam copiam, & facundiæ ſupellectilem explicabit. Pari quoque pono in vitio, in parietibus oculos ſuos defigere, ſtupentis & attoniti more, & præſertim cum aliquo labiorum motu, quaſi in illis picta & notata videret, quæ continuò eſt dicturus: vel etiam quempiam è conuentu acrius intueri, quod omnino eſt

inuidioſum. Quod ſi placet leniter per coronam circunferre oculos, ita modeſtè id fiat, vt ne quidem de induſtria fieri videatur, & abſit Niobes confidentia, animi arrogantis index & elati, de qua Vates eruditus,

Ouid. 5. metamorp. *Conſtitit atque oculos circumtulit alta ſuperbos.*

Sectio II. *De iis qui in eadem ipſa mora ſæpè ſe validéque emungunt. Alia quædam non inutilia notata.*

SVNT etiam qui in ea mora circunfuſam multitudinem, validè excreando ſéque emungendo ad audiendum comparant, quod ſanè parum honeſtè fit à quibuſdam. Vidi haud ſemel de iis quoſdam, tum qui profano in loco dicunt, tum qui in templis religioſiſſimis homines ad ſanctimoniam impellunt, viros alioqui ſummo ingenio præditos, & inſigni copia rerum & varietate, ſed qui tamen in ſuggeſto, priuſquam eſſent orationem habituri, ita ſollicitabant naſum & inflabant, adeo clarè vehementérque reſonabant, vt in bello & venatione ſi fuiſſent, non cornu aliud fore neceſſarium aut lituus videretur. Et tamen in delubris atque locis augurio conſecratis οὐδὲ πτύσαι, οὐδὲ ἀπομύξασθαι, *neque ſcreare, neque mungere* fas fuiſſe monet Arrianus in Epicteto. Imò neque in theatro hiſtriones id audebant, ſic nimirum locum illum colebant & reuerebantur. Itaque Nero legi obſecundans, cùm in Achaia ſtudio inuſitato cantaret, nunquam excreare eſt auſus. Quod ſi mucus in Oratore abundaret, cenſerem illi dicendum, quod Cyclopi apud Euripidem qui vini ſuauitate rapiebatur,

Arrian. l. 4. c. 11.

Sueton in Neron. c. 24.

Euripid. in Cyclop.

Ἀπομυκτέον δὲ σοί γ' ὅπως λήψῃ πιεῖν.
Emungas te prius neceſſe eſt, tum bibe.

Ita ſi ambroſiam in dicendo tuam propinare vis, ô Pithus amaſie, ô Suadæ medulla, nares purga, ſordes omnes eiice, tum in ſuggeſtum, in eloquentiæ theatrum, in fori & eruditorum hominum lucem prodi. Heſiodus caliginem Poëtica venuſtate pingens ita cecinit, Τῆς δὲ ἐκ μὲν ῥινῶν μύξαι ῥέον, *huius è naribus mucus fluebat.* Quibus verbis μισητὸν εἴδωλον *odioſam quandam & fœdam imaginem* fuiſſe deſcriptam

Heſiod. in Scut.

ait Dionyſius Longinus vir acerrimo ingenio & præſtanti cognitione. Hinc mucoſæ naris homines, hoc eſt, inepti, bardi, ruſticani vugò nominati. Hinc Marcus Imperator ſapiens per contemptum hominem appellabat μυξάριον, eadem prope notione atque ſenſu, quo in Gallia vulgò nominamus *muccoſulum, petit morueux*. Quæ eò ſpectant omnia, vt intelligamus, viros eloquentes famæ ſtudioſos honoriſque ſui, parcos in ea re eſſe oportere, neque in amplo ſapientum conuentu id eſſe tentandum, niſi grauis & quæ tegi diſſimularíque nequeat, & vt more Platonico loquar Diomedæa prope neceſſitas incumbat. Dionyſ. π. ὕψους.

Neque minus curandum eſt, vt ſi craſſus aliquis humor fauces occupauit, is tempeſtiuè eiiciatur, ne deinde nauſeam Orator erect, animóſque auertat ſæpè & immoderatè excreando. Ei rei profuerit antea inambulatione vti, corporíſque iactatione: Seneca doctus & experiens audiendus, qui ſapienter ita præit: *Mihi neceſſarium erat concutere corpus, vt ſiue bilis inſideret faucibus diſcuteretur, ſiue ipſe ex aliqua cauſa ſpiritus denſior erat, extenuaret illum iactatio, quam profuiſſe mihi ſenſi.* Sunt & alia benè multa, quæ in eadem ipſa cunctatione dedeceant, vt perfricare faciem & quaſi improbam facere: tendere confidentia vultum, aut quo ſit magis toruus ſuperciliis adſtringere: crebrò digitorum labiorúmque motu commentari: ſtare diductum, vel rigidum, vel ſupinum, vel incuruum, vel humeris vt luctaturi ſolent, ad occipitium ductis. Sed hæc & ſimilia, quæ vel legendo, vel experientia ipſa dicentium notare potuiſtis, bona veſtra cum venia prætermittam. Senec. ep. 55. Quint. l. 11.

Digitized by Google

EXORDIORVM ACTIO.

CAPVT XXXIII.

SECTIO I.

Splendor Actionis initio. vox ſedata, quæ deinde prudentia veluti vento prouehatur.

NVLLA eſt fortè pars totius orationis, quæ maioris ſit momenti quàm Exordium. Omnia enim quæ initio dicuntur atque fiunt, hærent penitus atque inſident in animis eorum qui audiunt: & ſi modò grata ſunt & iucunda, mirificam vim habent ad conciliandum. Itaque Theodorus Tragœdiarum actor neminem volebat, ne quidem è mediocribus ante ſe agere, οἰκειουμένων τῶν θεατῶν ταῖς πρώταις ἀκοαῖς, *quod magis faueant auditores illis, quos primò audierint*, vt ſcribit Ariſtoteles. Et ſanè in illo primo veluti actu vis Oratoris modeſtiáque dignoſcitur, & de reliqua oratione ferri iudicium ſolet, eſt proinde diligentiſſimè prouidendum, ne dum oram ſoluit naufragium patiatur, & à viri conſiderati officio primo in limine aberret. Totus ſit ad honeſtatem & moderationem compoſitus, vt quo in loco ſit, quid faciat, apud quos agat, quæ futura ſit hominum ſapientum & literatorum de illo exiſtimatio, iam præcipere animo & ſentire videatur.

Ariſt. l. 7. Polit.

Splendor Actionis in Exordio.

Ariſt. l. 1. Ethic.

Et quoniam prooemia vulgò ἠθικὰ ſunt, ad delectationem elaborata, vel ad hominum beneuolentiam emerendam exquiſito artificio contexta: hoc ſit primùm in monitis meis, ſplendorem actionis in exordio eſſe quærendum, & imitandos Megarenſes, qui ad chori ingreſſum exornandum purpuram conferebant: ita cauſæ introitum illuminatum eſſe oportere, & Actionis ornamentis decorum, ſine vlla tamen iuuenilis audaciæ ſuſpicione. Iubet enim, meo iudicio, ſapienter M. Tullius, exordia vt veſtibula eſſe ornata & ſplendida, elegantiſſimus Homerus, εἰώπια παμφανόωντα nuncupauit. Eadem mente & politiſſimo ingenio Pindarus ὡς ἀρ-

Digitized by Google

χρμὴ ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγὲς, operis initio primordium in fronte ponendum latè collucens : & nobilium fuiſſe olim conſuetudinem eas domus ſuæ partes quæ maximè ingredientibus eſſent in conſpectu, διακοσμεῖν ἕνεκα τῶν παριόντων, Euſtathius in Poëtam magnum animaduertit. Id ſolenne putem eſſe retinendum Oratori, vt in eo veluti propylæo, & introitu in cauſam, & commendationem ſui, ſplendorem quantum fieri poteſt in omnibus adhibeat, ſic vt nihil in voce atque geſtu, nihil in fronte, nihil in curſu orationis humile & abiectum, & odioſum reperiatur.

Quod ad vocis contentionem attinet, clamare initio, inficetum & agreſte pronunciant Rhetores, quod non ſine graui dicentis incommodo fieri poteſt, dum vel nimia & diuturna contentione, vox frangitur, vel neceſſariò deprimitur. Et vidiſtis fortè non neminem aliquando, qui cùm elato & vehementiori tono inchoauiſſet, fœdè poſteà velut alium quendem Oratorem commutata ratione dicendi exhiberet, Pegaſo Euripideo ſimillimus, qui *Vox qualis initio eſſe debeat.*

Ἔπτηξ' ὑπείκων μᾶλλον ἢ μᾶλλον θέλοι

Mage quàm volebat ſe ſubmiſit territus.

Sit igitur vox in principio lenis & ſedata, & plena humanitatis, & quod de viro forti & generoſo Lycei dominus aſſeruit, id in Oratore bono & prudente locum habeat, οἱ δ' ἀνδρεῖοι, inquit, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι, *Viri fortes in factis ipſis acres ſunt & celeres, ante facta ſedati & quieti.* Sic Orator initio placidus & voce moderata, ſe deinde cùm re ipſa attollet ſublimius, & hoc etiam bono & commodo perfruetur, quòd facilius pro varietate cauſæ & partium orationis, commutare vocem poſſit, & dicendo inflammari. Id decus artificioſæ eloquentiæ & conſideratæ mentis Automedon in Niceta Oratore commendat eleganti epigrammate, venuſta allegoria, propriis illuminata pulcherrimè. Ait enim illum primùm exiguo flamine placido curſu in declamationem ingredi, ſed deinde cùm vehementius inflauerit, paſſiſque velis Euros exceperit, mox nauem quaſi coronatam ad orationis portum appellere. Si vultis canentem Poëtam exaudire, numeros memini, quos repræſentabo, lib. 3. Ethic.

Νικήτης ὀλίγος μὲν ἐπὶ προτόνοισιν ἀήτης
Οἷά τε πρηεῖης ἄρχεται ἐκ μελέτης.
Ἀλλ' ὅταν ἐμπνεύσῃ κατὰ δ' ἱστία πάντα φέρηται
Λαίφεα πακτώσας, μέσσα θέει πελάγη,
Ναῦς ἅτε μυριόφορτος, ἕως ἐπὶ πέρματα μύθων
Ἔλθῃ ἀκυμάντοις ἔμπορος εἰς λιμένας.

Sed maximè ſedatam initio vocem, iis hominibus opportunam, & propè neceſſariam putat Ariſtoteles, qui timidiores ſunt à natura, trepidántque in dicendo. Quare, inquit, οἱ τεχνικοὶ τῶν συνειδότων ὅτι ἀγωνιῶσι, μικρὸν διαλέγονται ἐξ ἀρχῆς, &c. *Liberalium artium profeſſores & ſophiſtæ qui ſe ſolitos trepidare nouerunt, principio agunt voce ſubmiſſa, dum reſideant & ſtabiliantur.* Neque tamen ſic depreſſa tenuiſque eſſe debet, vt audiri percipíque à corona non poſſit, eſt tenenda illa mediocritas quam definit magni Baſilij monitio, vbi de hominis moderati pronunciatione diſputat, τόνος δὲ φωνῆς ὁ μέσος περιποιητέος, ὡς μήτε διαφεύγειν τὴν ἀκοήν, &c. hoc eſt, *Intentio autem vocis ita mediocritate moderanda eſt, vt nec aures tenuitate fugiat, nec ſit magnitudine odioſa.*

Sect. 11. problem.

S. Baſil ep. ad Greg.

SECTIO II.

In Exordiis ſignificatio timoris veri aut ſimulati prodeſt. Inepti & inſcientes vulgò audaces: principes Oratores timuerunt.

ADDAM huc aliud ornamentum actionis in exordio, videlicet timoris ſignificationem ſeu veri ſeu ſimulati, quem eloquentiæ principes & coryphæi ſumma omnium voluntatum conſenſione probauerunt. Illa Fabij Quintiliani ſunt in hanc rem illuſtria: *Volo eum qui ſit dicturus, & ſollicitum ſurgere, & colore mutari, & periculum intelligere, quæ ſi non accident etiam ſimulanda erunt.* Plinius item Orator clariſſimus ita ſcribit ad Celerem, *Nonne cùm ſurgis ad agendum, tum maximè ibi ipſe diffidis? tum commutata non dico plurima ſed omnia cupis? Vtique ſi latior ſcena & corona diffuſior: nam illos quoque ſordidos pullatóſque reueremur.* Et alio quodam in loco timorem ſtudioſorum hominum decus, & magnũ ornamentũ dicentiũ appellat.

Quintil. l. 12. c. 5.

Plin. l. 7. ep. 17.

appellat. Nam de Calphurnio Piſone lib. 5. *Multum*, inquit, *ſanguinis, multum ſollicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis: Etenim neſcio quo pacto magis in ſtudiis homines timor quàm fiducia decet.* Et lib. 6. de alio quodam Oratore, *Habebat ſtudiis honorem, timebat, pallebat.* Itaque maculari ſtudia humanitatis, & dedecore quodammodo affici eloquentiam ab illis opinabatur, qui timoris ſignificationem nullam in dicendo præ ſe ferrent. Craſſus autem & Antonius qui eruditis ſuis diſputationibus eximium Oratorem inſtruunt, hunc metum ad dicentis verecundiam, modeſtiámque pertinere, & bonorum eſſe oratorum proprium aiunt, exemplóque ſuo comprobant, vt qui ſoleant exalbeſcere in principiis dicendi, & tota mente atque omnibus artubus contremiſcere. Neque vir ſummus & experientiſſimus in dicendo Craſſus dubitauit eos damnare impudentiæ, qui optimè quidem dicunt, quique id facillimè atque ornatiſſimè facere poſſunt, tamen timidè ad dicendum non accedunt, neque in exordienda oratione perturbantur. Quod naturæ ſit conſentaneum atque prudentiæ, vt quo magis quis eloquentia & ingenij gloria, nomiríſque exiſtimatione præcellit, eò magis timeat cauſarum euentus, ne non poſſit audientium expectationi reſpondere. Cic. l. 1. de Orat.

Et ſanè eſt inſcientis, & minùs de re tota, déque auditorum ſapientia & grauitate cogitantis, non commoueri, & ne tantillum quidem metuere. Sic Ariſtoteles libris de moribus, ait ἀνδρείους φαίνεσθαι τοὺς ἀγνοοῦντας, *fortes videri qui periculum ignorant*, neque ab iis longè abeſſe, qui bona ſpe ad audendum prouehuntur, eſſe tamen longè illis deteriores, quod nihil ſplendoris, nihílque dignitatis in iis eluceat: nam ſpe ſua atque opinione decepti, ſtatim vt aliud eſſe, quam putauerint, cognouerunt, animo demittuntur. Fuit verò iam ſæculorum omnium continuatione animaduerſum, non alios eſſe in dicendo audaciores, quàm qui inepti & inconſiderati excellentium rerum ignoratione teneantur. Sapienter enim atque verè Olympius aiebat olim Pericles in funebri concione, ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, *Inſcitia quidem audaciam, conſideratio autem periculorum & difficultatum, cunctationem & metum adfert.* Hoc ipſum viri docti bene multi & acerrimo iudicio pollentes viderunt, & ſuis monumentis conſignarunt. *Significatio audaciæ in Exordio damnatur.* Ariſt. l. 3. Ethic. Thucyd. l. 2.

Syneſ. ep. 155. Doctus Præſul & virtute clarus Syneſius τὴν ἀμαθίαν vocat ἡγουμένην τοῦ θράσους, *ducem quæ præit audaciæ.* Euagr. l. 5. hiſt. Euagrius de Mauricio Imperatore loquens, *Inſcitiam*, inquit, *matrem audaciæ quæ ei vicina & finitima eſt abs ſe depulit.* θράσος, ait Greg. Naz. or. 26. Gregorius Nazianzenus, ἀμαθίας ἔκγονον, *eſt audacia fœtus ignorationis.* Huc ſpectans niſi mea me opinio fallit Ticinenſis Antiſtes, Ennod. l. 4. ep. 8. *inanem fiduciam matrem* eſſe dixit, *audaciæ*. Hæc igitur plena temeritatis & inconſideratæ mentis inſcitia quoſdam prouehit metu vacuos & honeſta verecundia, vt in dicendo nihil timendum eſſe putent. Cuius rei apud minorem Plinium elegantem politúmque ſcriptorem exemplum eſt, in M. Regulo Oratore non bono nec ſapienti, qui cùm eſſet à magnarum artium cognitione imparatus, nullius elegantiæ, tenuis memoriæ, putidæ actionis & inuenuſtæ, ſuum tamen os ſumma confidentia, ſine metu & ſollicitudine, multitudini oſtentabat. Tanti viri locum proferam eo lubentius, quod illam Periclis ſententiam ſuis quoque verbis illuminauit, ſic verò habet, Plin. l. 4. ep 7. *Sicut* ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, *ita recta ingenia debilitat verecundia, peruerſa confirmat audacia. Exemplo eſt Regulus, imbecillum latus, os confuſum, hæſitans lingua, tardiſſima inuentio, memoria nulla, nihil denique præter ingenium inſanum: & tamen eo impudentia ipſoque illo furore peruenit, vt à pluribus Orator habeatur.* Hæc ille.

Cur docti viri in Exordiis timeant. Sed aliam ſanè viam eloquentiæ principes inierunt, in quorum actione videmus ſingularem animi pudorem, ingenui timoris non expertem. Sic enim apud ſe reputant, complurium adeſſe aures & oculos qui ſpeculentur, & diligentiſſimè explorent omnia, quæ fiunt, quæque dicuntur; eſſe nimium quantum operoſum facere omnibus ſatis, & æquare amicorum expectationem aut etiam ſuperare, agi honorem & exiſtimationem ſui nominis, nihil eſſe facilius, quàm vt quidpiam minùs cogitanti excidat, quod inimico ab auditoribus animo & infeſto capiatur: nihil denique humaniſſimo in cœtu rectiſſimis ſtudiis erudito, cenſeri putidius, nihil odioſius, quàm dicentis confidentiam arrogantiámque. Hæc & ſimilia curam & ſollicitudinē in ſummis viris atque metum ingenerāt, quem Diuinat. in Verrem. ſe Tullius non exiguum habuiſſe in dicendo grauiſſimè hoc modo teſtatur, *Ita Deos mihi velim propitios, vt cùm illius dici*

mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolùm commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco, &c. Quæ verè potius, quàm rhetoricè & amplificandi cauſa dicta fuiſſe, Plutarchus ſignificat: Ciceronem enim ait timidum in agendo fuiſſe, & tremere ſolitum, atque etiam vix à metu recreari potuiſſe, ἐπὶ πολλῶν ἀγώνων ἀκμὴν τοῦ λόγου καὶ στάσιν λαβόντος, *oratione iam ad ipſum contentionis ardorem progreſſa*. Aeſchines à theatro & mimo audacior, hunc eundem metum Demoſtheni obiecit, quanto viro! quàm in omni artificio inſigni! quàm perfecto! hæc eius verba ſunt, cum de obita legatione meminit, φθέγγεται τὸ θηρίον τοῦτο προοίμιον σκοτεινόν τι καὶ τεθνηκὸς δειλίᾳ, *Mugit bellua iſta & effutit exordium tenebricoſum, & præ metu exanime*. Idem quoque fuiſſe ab aliis obiectum vt obſoletum inimicorum conuicium, ipſe Demoſthenes in oratione ſua poſuit, τινὰ δ᾽ οὗτοι μὲν ἄτολμον καὶ δειλὸν πρὸς τοὺς ὄχλους φασίν, ἐγὼ δὲ εὐλαβῆ; ἐμέ. *Quem iſti carere audacia & timidum eſſe ad turbas dicunt, ego autem verecundum? Me.* Neque verò cogitandum eſt magnum virum, quod abiecto eſſet animo atque humili, vana formidine perculſum obticuiſſe: nam idem ipſe mordens & inſultans Aeſchines, qui auream illi coronam inuidebat, alio in loco nominat eundem πρὸς τὴν ἐν τοῖς λόγοις τόλμαν θαυμασιώτατον, *ad orationis confidentiam, inſignémque audaciam maximè admirandum*. E quibus liquidò intelligitur, à Demoſthene illum metum & ſuſceptum certo iudicio fuiſſe, & ratione prudentiáque moderatum. Hos in dicendo coryphæos ſecuti ſunt, plerique omnes in Græcia, in Italia, apud exteras nationes, qui orationis copia & artificio præſtiterunt, qui non niſi timidè & verecundè ad ſubſellia, & cauſarum grauiorum dictionem accedebant. De quibus veriſſimum eſt quod eleganter pronunciauit Ennodius, *Conſummati roboris viros, principia viderunt timentes.*

Plutarch. in Ciceron.

Aeſchin. περ. παραπρ.

Demoſt. de fal. leg.

Or. contra Cteſiph.

Ennod. paræn didaſc.

SECTIO III.

Qualis ille Oratoris in Exordio timor eſſe debeat, diſtinctiùs luculentiúſque exponitur.

SED hic mihi eſt adhibenda neceſſaria monitio, ne forte illis quæ ſuperius de timore minuendo poſuimus, hæc repugnare videantur. Non enim eiuſmodi metum intelligo exordiorum ornamentum, qui animum penitus abiiciat, adigátque oratorem in omni oratione τρέμειν καὶ πάλλεσθαι, quod eueniſſe M. Tullio ait Plutarchus, qualis vberem & elegantiæ parentem Iſocratem à ciuium luce & gloria concionum deterruit. Oratorius igitur metus quis & quantus eſſe debeat, vt rem totam breuiſſimè definiam, eloquentiæ magiſtri variis nominibus ſolent exponere. Quidam enim curam & ſollicitudinē nominant, quam ferè ſemper in exordienda cauſa adhibendam doctiſſimi viri ſentiunt, aut ſi re ipſa haberi nequeat ſimulandam. *Mirè enim auditurum dicturi cura delectat*, inquit Fabius. Alij modeſtiam aut reuerentiam animi cœtum honorantis, & intelligentis rei magnitudinem, quam magnum eloquentium ornamentum & maximè quidem initio opinantur. Alij denique dubitationem, timorem, metum, horrorem vocant. Sed hic timor atque metus duobus maximè modis intelligi poteſt, cùm de oratore diſputamus, ſignificat enim aliquando nihil aliud, quàm quæ paulò antè ponebamus, modeſtiam, curam, ſollicitudinem hominis iudicia verentis eorum qui audiunt, & à confidentia tumidóque faſtidio plurimum alieni. Qua ratione Demoſthenes ſe negabat ἄτολμον καὶ δειλόν, quod æmuli obiiciebant, ſed potius εὐλαβῆ, ſe inquam verecundum, ſe Iudicum & ciuium ſuorum maieſtatem reuerentem, ſe de ſui muneris dignitate ſollicitum, in ipſo introitu orationis profitebatur. Hæc modeſti animi cautio multùm valet ad beneuolentiam auditorum conciliandam, vt quæ ſit index ingenui animi & humanitate perpoliti & decori vim intuentis, commodis etiam moribus ornati, quæ omnia ſolent eſſe in dicente amabilia. Valet item ad vitandas offen-

Fabius l. 11.

ſiones, quæ tametſi per ſe exiguæ, quoniam tamen clariſſima in luce fiunt, ſemper diſplicent. *Timor*, inquit eleganter Plinius, *eſt emendator acerrimus*. Quare Cleanthi Philoſopho qui ſui maximo cum probro aliquando verteretur, quod eſſet timidior, διὰ τοῦτο, εἶπεν, ὀλίγα ἁμαρτάνω, *at ideo*, inquit, *parum pecco*. Plin. l. 7. ep. 17. Laert. l. 7.

Alio quodam modo metus in Oratore conſideratur, quatenus eſt vehementior quædam affectio quæ pluribus indiciis foras emineat, palloris comes & trepidationis, quæque horrorem veluti quendam adiiciat. Quod genus non in omnibus cauſis, ſed tantùm in grauioribus locum habet, in quibus agitur vita, ſalúſque alicuius & clariſſimorum hominum exiſtimatio, aliáque ſimilia. Cuius rei exemplum in M. Antonio videre licet ingenioſiſſimo & acutiſſimo oratore, cùm Norbanum iam prope omnium opinione damnatum in iudicio defenderet. Illum autem ad dicendum aggredientem, ita Sulpitius apud M. Tullium deſcribit, *Quod tuum principium Dÿ immortales fuit? qui timor? quæ dubitatio? quanta hæſitatio tractúſque verborum? vt tu illud initio quod tibi vnum ad ignoſcendum homines dabant tenuiſti, te pro homine pernecesſario Quæstore tuo dicere? quam tibi primùm muniuiſti ad te audiendum viam?* Cic. 2. de orat. Cicero morem ſuum expoſuit in exordio Orationis, qua tuetur Regem Deiotarum, his verbis, *Cùm in omnibus cauſis grauioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoueri ſoleam vehementius*, &c. Fit item illud in παραδόξῳ genere cauſæ, hoc eſt malæ opinionis themate, vbi & perſona & dignitas pariter laborabit, tum enim vt eruditiſſimus Auguſtinus monet, opus eſt *ſubmiſſiore toto corpore conformato ad verecundiam, ſubmiſſo vultu, oculis terram intuentibus, neque illa acriter, ſed ſi poſſumus etiam timore ſimulato*. D. Aug. in Princip. Rhet.

Digitized by Google

MONITA QVAEDAM PRO varietate Exordiorum, ad conformandam Actionem.

CAPVT XXXIV.

I. *Habendam eſſe rationem Auditorum.*

MONITA hîc ſubiiciam dicturo non inutilia, vt prudenter & ſine reprehenſione ſe cauſarum varietati accommodet. Imprimis conſiderare neceſſe eſt, apud quos, & quibus pręſentibus ſit acturus. Nam in Senatu aut Principe audiente alia quædam requiritur actio, quam in concione populari, aut leuiorum adoleſcentium conuentu. Apud Reges & Dynaſtas, & Curiæ Patres, habenda eſt ratio dignitatis eorum qui audiunt, ſummiſſiúſque agendum, vt deferri ſibi honorem intelligant. Remoueatur oportet nimia pompa exquiſiti ſplendoris, & ſui magnifica oſtentatio, & geſtiens animi iuuenilis alacritas, quæ omnia ſigna videantur eſſe imprudentis & liberioris audaciæ, à qua tum maximè eſt cauendum. Oculi non elati, nec confidentiæ nuncij, nec temerè emiſſi, ſed decora modeſtia compoſiti circunferantur: in Curiæ luce vbi Senatus princeps ſplendore omnes ſuo anteit, aut cùm adeſt in cœtu quiſpiam, qui cæteros clara & illuſtri poteſtate & auctoritate præcellit, ratio monet, ſæpius in eum eſſe contuendum, quod maximè ſermo ad eum dirigatur. In quo tamen eſt cauendum, ne metiri corpus omne videare, atque oculis nimium intentis & eminentibus hominem aſpicere, amatoribus ſimilis, qui vt canit Poëta, *oculos in virgine figunt*, & à Theocrito χυλοιδιόωντες nominantur. Apud imperitam multitudinem liberior ſolet eſſe actio, ſi præſertim Oratori parta ſit ante quædam autoritas & exiſtimatio, vel genere & nobili proſapia, vel ſplendore ſingularis eloquentiæ, vel vitæ meritis, aut alia quapiam ratione. Sed in eo tamen ipſo modus retinendus, ne Orator licentia

elatus non ferenda, contemnere omnes, atque vt homines fœneos intueri videatur. Vidi ſanè concionatores quoſdam ſacros, qui veluti concionum Domini & nimia libertate abutentes, in doctorum hominum inuidiam incurrerunt: quorum hi quidem illos audaciores, alij verò grauiori etiam nomine impudentes & inconſideratos eſſe aiebant.

2. *Conſiderandum eſſe genus Cauſæ.*

PRÆTEREA videndum in quo genere cauſæ exponendo verſemur, quod è rerum diuerſitate, non Principiorum modò, verùm etiam totius actionis varietas oriatur. Interdum enim principium eſt abruptum & efferueſcens, cùm in magna rei atrocitate, ad ſcelus & periculum opprimendum, tanquam ad excetram ferro & flamma conficiendam, Oratoris vocatur induſtria. Tum vt accedit paratus ad inuehendum, & intimi ardoris flamma in oratione ſcintillat, neceſſe quoque eſt vocem & vultum & totius corporis motum, ad grauem illam contentionem accommodari. Talem fuiſſe puto magnum Oratorē 1. in Catilinam Oratione cùm incenſa illa diceret, *Quouſque tandem,* &c. nam ardebant oculi, toto ex ore Conſularis dignitas, ſeueritáſque emicabat, manus & brachium, quaſi pilum acuto ferro apto ad lacerandum iactabantur: quot interrogationes, tot fuerunt petitiones atque vulnera, quibus animus ipſo periculo commotior, reum audacem & impio latrocinio exultantem debilitaret. Ita neceſſarium tum viſum, quod alioqui is qui ferrum atque faces, & tela hoſtium nunquam extimuerat, imparati Conſulis vim atque vocem non exhorruiſſet. Sed hoc genus rarius euenire iam quidem poteſt, proprium enim eorum hominum eſt, qui armati autoritate atque potentia ſuo iure & pro animi ſui arbitrio loquuntur. Vſurpant etiam aliquando & Duces prælíorum contentionibus aſſueti, qui Martio quodammodo impetu ſolent dicere, ſi quando iuſta iracundia exarſerint. Itaque Poëta prudens Aiaci inclyto bellatori accommodatam orationem tribuit, cùm in cœtu Græcorum principum ſic exorditur.

—Agimus proh Iuppiter inquit
Ante rates cauſam & mecum confertur Vlyſſes?

3. *De triſtibus & luctuoſis Principiis.*

EST cum decorè quaſi pullata veniat oratio, & iam inde à primo limine ſit ad mœſtitiam comparata, vt in ἐπιταφίοις λόγοις, cùm nimirum clariſſimis viris, qui præſertim ſunt de nobis, déque patria vniuerſa bene meriti, iuſta & συνήθη ſoluuntur. Nam cùm agat hoc Orator calamitoſiſſimi fati commemoratione, quo fato ciuitas omnis vel plurimi certe homines magno præſidio ſpoliantur, vt in animis eorum qui audiunt, lacrymarum imbres cieat, non erit credo à ratione alienum, opacam veluti nubem obtendi exordio, & in aditu mœrorem ſignificari. Cuius rei documentum non verius, neque luculentius ex vltima antiquitate, quàm è ſuperiorum annorum caſu peti poteſt, cum Gallia extremo pæne funere elata fuit, & cum Henrico ter maximo, parente optimo & diuino ſepulta. Huius Regis bello inuicti, in pace moderati, vbique mirabilis exequias multi oratores longè omnium in dicendo præſtantiſſimi celebrarunt. Habentur in manibus Gallicæ conciones in delubris & religioſiſſimis templis ciuitatum habitæ, in quibus formam quandam eloquentiæ mirificam & cœleſtem habemus. Quod igitur aut quale tandem exordium illarum eſt? Vt oratio quaſi ſordidata & mærore ſuffuſa procedit? vt hæret? vt obſtupefacta langueſcit? vt ſuſpiriis interrupta frangitur? hic dubitem humentes fuiſſe oculos, vbi verba in ore & luctu natantia videam? Geſtum autem mihi pono ante oculos lentum & diſſipatum, oculos humi depreſſos, vultum rigidum & pallore deformem, qualis in reis eſſe conſueuit, quos Aeſchines ἀργαλέους τὴν ὄψιν appellabat: manus pectinatim coëuntes, vel ſublimè cum querela ſublatas. Hoc opinor cultu & veſtitu ſapientiſſimi viri prooemia ſua induerunt, vt animis ſenio & dolore mollitis reliqua facilius hæreret oratio. Similem in re ſimili video fuiſſe diuinum Ambroſium, dum mortem illuſtrium Imperatorum, qui veri Numinis religionem ſuo patrocinio defendiſſent, luctu æger mœrénſque deplorat.

4 De

4. *De Exordiis lætis & iucundis.*

EST & aliud principiorum genus huic contrarium, in quo præfertur lætitia quædam exultans oriſque hilaritas, ſic vt oratio à cantu veluti quodam, liberiori certè geſtu & voce inchoetur. Hoc duntaxat euenire tum ſolet, cùm res nouitate mirabilis, inuſitatæ plena iucunditatis & plurimùm fructuoſa, latè patens, & omnibus grata proponitur: quæ cùm per ſe liquidum gaudium & redundans in animis audientium creare poſſit, non dedecet Oratorem ipſius nũcium & præconem, illo quaſi lætitiæ colore perfuſum ad dicendum accedere. Nam & attolli vox poteſt, & canali pleniore fluere, manus moueri liberiùs, & quodammodo geſtire corpus vniuerſum. Huiuſmodi alacritate inſtructus, hoc vultu, ea geſtus gratia prodiit opinor in concionem Marcus Tullius, cùm eiecto Catilina, cuius ardens & ignitus furor ad inflammandam ciuitatem malleolos comparauerat, ciues alloqueretur. Videte, igitur vt in re læta, & omnibus ordinibus iucunda, & quaſi domeſtico in triumpho glorioſè parto, primo in limine, primis verbis pænè exultet & triumphet oratio, *Tandem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic vrbi ferrum flammámque minitantem, ex vrbe vel eiecimus*, &c. *exceſſit, euaſit*, &c. In his paucis, tanquam per nebulam ſpectare potuiſtis Ciceronis explicatam faciem, ſerenam vocem, oris hilaritatem, geſtum ab oratione non abhorrentem. Ea quoque ratio teneri ſolet in publicis gratulationibus, parta victoria, deletis hoſtibus, periculo ſublato, pace in diuturnum tempus conſtituta. Quomodo ſuperiori ſæculo diſertiſſimi Oratores, fuſo ad Naupactum ſuperbiſſimo Catholicæ religionis hoſte, naualíque prælio deleto, Chriſtianum exercitum lætum & victorem ſingulari orationis copia celebrarunt. Eandem ſæpè viam ſacri in templis Oratores ineunt, cùm Sanctorum qui ſempiterna iam gloria potiuntur, lætiſſimos triumphos referunt, cùm noſtri Seruatoris effuſam in homines liberalitatem, aut immenſam & magnificentiſſimam gloriam, quo poſſunt dictionis ſplendore præ-

Digitized by Google

dicant, eo maximè die, qui redeunti ab inferis communi pietate conſecratus eſt. Nam eiecta omni ex animo ſuperiorum dierum mœſtitia, reſpirat quaſi liberius dictio, & lauream veluti manu quaſſans & acclamans, pompam & triumphum parentis omnium Dei comitatur. Id præſtitit eximiè D. Bernardus cœleſti quadã eloquentia in ea concione cuius initium eſt, *Vicit leo de tribu Iuda*, & doctiſſimus Gregorius Nazianzenus iam in dicendo perfectus Christi mirabilia beneficia exornans ita incipit: *Non poſſum cohibere lætitiæ voluptatem, ſed mente extollor & afficior*, &c. qui non æquaſſe modò Ciceronem, ſed pæne dicam ſuperaſſe hoc ipſo in artificio videantur. Sunt alia exordiorum genera quæ varietatem actionis requirunt, quæ quoniam ex iis quæ diximus ſatis intelligi poſſunt, minimè opus eſt vt exponamus.

S. Gregor. Nazianz. orat. in ſanct. lumi.

5. *De geſtu & voce ad inciſa, membra, & periodos accommodanda.*

PERGO iam monita quædam adiungere omnibus generibus communia de geſtu & pronunciatione, quæ à Rhetoribus animaduerti ſolent. Imprimis cauendum eſt, ne actio ſermonem vel antecedat vel ſubſequatur. Et in ſplendidis quidem principiis, vbi abſunt grauiores contentiones affectionéſque nimiæ atque geſtientes, & placidus eſt orationis curſus ad conciliandum & delectandum comparatus, manus à ſiniſtra auditorij parte, in dexteram, honeſto & pleniſſimo dignitatis motu circumfertur, & decorè in periodorum fine deponitur. Quod vt bene & venuſtè fiat, animaduertendæ ſunt & notandæ quæ dicuntur in oratione percuſſiones, quas in Gallia *cadentias* vulgus nominat, ad quas motus eſt accommodandus. Sunt enim in ſermone inciſa & commata, quæ maiores noſtri rectis lineolis ſeu virgulis definiebant, nos nimium credo properantes fecimus inflexas, & pro virgulis vncinos quoſdam exiguos maluimus. Porrò inciſa quoniam certam animi noſtri voluntatem enunciant, geſtum etiam manuum deſiderant & corporis aſſeuerationem, quibus abditæ animi cogitationes faciliùs intelliguntur. Inde fit ſæpè, vt cum inciſorum va-

Digitized by Google

rietate, ſit motuum quoque diuerſitas, ſi præſertim varias animi ſententias contineant. Qua in re eloquentiæ præceptores inter ſe diſſentiunt, dum quidam frangunt geſtus numeróque multiplicant, alij volunt pauciores. Reperti ſunt enim olim qui iuſtum motus interuallum *tria verba* eſſe dicerent, quod meritò à doctis reiicitur: *ſingula inciſa* quidam maluerunt, vt in periodo illa Ciceroniana, ſit vnus motus, *Nouum crimen*: alter, *C. Cæſar*: tertius, *& ante hanc diem*: quartus, *inauditum*, &c. Quintiliani mihi probatur opinio, qui cùm ſint breuia quædam membra in ſermone ad quæ ſpiritum liceat recipere, ad ea motum accommodandum eſſe putat. Vt in exemplo ſuperiore, *Nouum crimen C. Cæſar*, habet per ſe finem quendam ſuum, deinde, *& ante hanc diem inauditum*, ſatis circumſcriptum eſt, & legitimam actionis menſuram habet. Sed hoc intelligendum eſt maximè in principiis, cùm ſedata eſt, & veluti ad numeros fertur oratio: nam deinde cùm incaluerit Orator, réſque ipſa poſtulabit, etiam geſtus cum orationis celeritate crebreſcet.

ACTIO IN RELIQVIS ORATIONIS PARTIBVS, NARRATIONE, Confirmatione, Epilogo.

CAPVT XXXV.

De *Narratione*.

PRINCEPS virtus Narrationis & exquiſitum artificium in eo poſitum eſt, vt quæ dicuntur ab Oratore, aut vera, aut ſanè veri ſimilia videantur. Huc igitur ſpectet omnis actio & pronunciatio in narrando, vt quantùm fieri poteſt rei naturam communi quadam ratione dicendi imitetur. Hoc geſtus omninò conficiet, non fucatus artificio delicato, ſed è re ipſa natus, & ſermoni quotidiano proprius & familiaris, qui neſcio qua vi tacita in animos audientium influit, & cum aliqua voluptate inſidet. Itaque meritò Quintilia-

Quintil. l. 4. c. 2. nus reprehendit leuiculos quoſdam Oratores minus conſideratos, qui ſe laudem conſequi poſſe non putabant, niſi vbique magnificentius dicerent, & vel narrando à communi loquendi conſuetudine recederent. *Tum*, inquit, *optimè dicit Orator cùm videtur verà dicere. At nunc velut campum nacti expoſitionis, hic potiſſimum & vocem flectunt, & ceruicem reponunt, & brachium in latus iactant*, &c. Atque vt aliquid disertè præci- Senec. de breuit. vit. piamus, ſit *in ſtatu ſuo* vultus, vt Seneca loquitur, hoc eſt naturalem conformationem retineat, niſi materiæ varietas commutationem poſtulet. Leui dexteræ motu vtemur, & corporis aſſeueratione, ſic vt in motu plus ſit candoris & ingenuitatis, quàm ſplendoris & dignitatis. Vox ſit lenis & moderata, & qualis eſt Philoſophorum ſcholas ſuas exponentium, quos negat Romanus Sophus, *attollere vo-* Senec. ep. 75. *cem* conſueuiſſe, quod in grauioribus cauſis animiſque perturbandis Oratores faciunt. *Si*, inquit, *diſputarem, nec ſupploderem pedem, nec manum iactarem, nec attollerem vocem, ſed iſta Oratoribus reliquiſſem*. Talis fuit laudatiſſimus Fabianus, qui dicendi facultatem, qua iam inde à prima adoleſcentia fuerat imbutus, cum Philoſophia copulauit. De Senec. præf l. 1. Contr. quo disertè parens Seneca, *Vocis*, inquit, *nulla contentio*, &c. Huic moratæ placidæque diſſertationi ſit conſimilis in narrando pronunciatio. Neque tamen vno modo dicentur omnia, ſed vocum varietate opus eſt, vt quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari videatur. Incidunt enim aliquando interpoſitiones perſonarum, & geſtionum multitudo, & affectuum etiam varietas, quæ plurimùm valere monent eloquentiæ Doctores ad conciliandam ſuauitatem. Si qua Auctor ad Heren. l. 3. igitur fuerint in narratione dicta, rogata, reſponſa, ſi quæ admirationes, de quibus nos narrabimus, diligenter animaduertemus, vt omnium perſonarum ſenſus atque animos voce exprimamus. Obiurgantem aliquem referimus perfidioſi animi fraudem, aut ſceleſtum aliquod facinus grauiſſimo dicto notantem, id molliter leniterque dicere, tum profectò eſſet vitioſum, & tolleretur ea quam paulò antè ſtudioſè quærendam monebamus, veri ſimilitudo. Sunt etiam narrationes quædam totæ flebiles, aut acerbæ, quibus atrox alicuius maleficium naturæque immanitas,

aut innocentium pœna exponitur; quales in Verrinis multæ, vt illa imprimis nobilis, *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum toti Aſiæ.* Quo tempore non eſt dubium, quin vox & geſtus accommodari ſic debeant, vt triſtia flebiliter exequamur, atrocia grauiter, indigna contumelioſe.

De Confirmatione.

CONFIRMATIO verò longè maiorem etiam varietatem actionis recipit, vt quæ omne genus probationum contineat, quæ diſſimillima ratione proponuntur. Aliquando enim inſtandum eſt acriúſque vrgendum, interrogandum, minandum, blandiendum: iocus nonnunquam & facetiæ captandæ; egreſſiones adhibendæ molliores, in quibus vt eſt dulcitudo orationis & elegans copia, ſic actionis quoque ſuauitas geſtúſque mollior, tamen intra modum, adhiberi debet. Nonnunquam propoſitis rationibus in amplificationem exardeſcit Orator, quo tempore vocem quoque adaugere oportebit, & torquere ſonum, & celeriter cum clamore verba conficere, vt vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſſit. Sæpè lenta grauitate pondus adiungendum iis quæ dicuntur: ſed quoniam grauioris affectus proprium eſt non modò animum, verùm etiam corpus commouere, in contentionibus réque augenda vehementiùs, celeri brachij motu, pedis ſupploſione, acri & defixo aſpectu, aliiſque ſimilibus vtemur. In quibus explicandis, non eſt opus vt diutius hîc hæream, quod de voce & geſtu in omni genere amplificandi ſit à nobis dictum vberius.

De Epilogo.

SEQVITVR pars vltima orationis, Epilogus: vbi lucente pæne dicam ferro, atque omnibus armis eloquentiæ eſt pugnandum. Itaque Imperator Caligula, quem Ioſephus Rhetorum artificio excultum & ſummum fuiſſe Oratorem ſcribit, ſi quando venturus eſſet ad Epilogum, *ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur,* inquit Suetonius. Ibi laxandæ habenæ affectibus, commouenda omnia, ſpiritu magno agendum, vbi quid eſt grauioris momenti. Veteres Oratores & flebant, Sueton in Calig c. 53.

& excitabant reos, pueróſque infantes producebant in mediū, & tupicas diloricabant, aliáque exhibebant, quæ M. Tullius *tragica* vocat. Id Græcis æquè ac Latinis commune, morémq; pingit Libanius in hæc verba, *νὴ Δία δακρύσει, καὶ δείξει τοὺς παῖδας, καὶ δεήσεται μὴ τοὺς ὀρφανοὺς καταστῆσαι*, *lacrymas nimirum ille profundet, oſtentabit liberos ſuos, obſecrabítque ne illos orbos & afflictos tam acerba ſolitudine premi velitis*. Hoc modo Craterum videmus eloquentiſſimum virum, vt Poëta Græcus meminit, *κινήσαντα γόῳ δάκρυον ἀπαλοῖς*. Sic princeps in agendo Cicero iudicium fletu & plangore complebat. Oratores etiamnum ſacri mirum eſt hoc artificio quantos nonnunquam fletus & clamores, quantam vim lacrymarum excitent, cùm de morte acerbiſſima Seruatoris piè diſputant. Capiunt enim in manus Chriſti in cruce pendentis effigiem, per omnium ora circunducunt, interrogant, alloquuntur, alia quædam *τραγικώτερα* faciunt, præſertim in Italia, & in quibuſdam aliis regionibus, vbi flagrantium eſt oratorum copia & flumine orationis abundantium. Atque hæc videlicet plurimùm proſunt, cùm verè, cum ſtudio incenſo pietatis, cum ſpiritu magno & ardore, cùm denique opportunè in templis geruntur. Alioqui ſi iuuenili & inani quadam ſimulatione doloris adhibeantur, ſi frigidè, aut ſine modo & conſiderati animi iudicio, non tam pietatem in animis, quàm nauſeam, & qui ſolet ineptos oratores conſequi, riſum & contemptum parient.

Liban. loc. con. in par.

Antholog. l. 3.

Atque hîc mihi venit in mentem vnius Concionatoris hominis pij, ſed qui non ſemper ea ſcena commodè vteretur. Is cùm vellet auditores ſalutari metu percellere, ne ad immanes inferorum cruciatus flagitio ſuo ducerentur, hominem in abdito & ſecreto loco poſuit, probè inſtructum & ſubornatum, vt cùm ad certum concionis locum eſſet peruentum, vbi dæmonum horribilem effigiem, odiū in homines & crudele imperium eſſet explicaturus, ipſe ferri crepitu, & tractu catenarū, & horrifico boatu perſonaret, ſic vt à tota concione audiretur. Factum vt inſperarat. Auditores re inſolita, quę præter expectationem eueniebat, ita fuere ſubitò exterriti, vt omnes propè lymphati è templo aufugerent. Itaque vir bonus coactus fuit, eos vt retineret, totam rem pandere, hominum illum eſſe quē audiuiſſent, atque à ſe collocatū, nihil eſſe periculi, ſalua om-

Digitized by Google

nia. Res igitur verſa eſt in riſum, & non modò illo die, ſed cõ pluribus aliis pietas impedita. Nam cùm fortè ad ſimilia quædam explicanda deinde accederet, homines eueſtigio inter ſe colloqui, nutu ſignificare, memoria quæ tum euenifſent repetere, etiam illudere incipiebant. Apud Ciceronem, Fabium, alióſq;, haud diſſimilia ſunt exempla oratorum, qui cùm hæc operoſa & inuſitata ſine iudicio aggreſſi fuiſſent, totius coronæ ludibrium & offenſionem meruerunt. Et ſanè in his rectè & cum laude verſari, omnino veterani eſt oratoris, conſummati iudicij, exquiſitæ induſtriæ, prudentiæ non vulgaris, artificij iam perfecti. Quare ſapientum hîc ponenda mihi videtur eſſe monitio, vt vires quiſque ſuas geniúmque exploret diligenter, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, atque vt olim non licuit omnibus ire Corinthum, ſic intelligat non eſſe omnium ad hæc tragica, & diuina penetrare.

Præterea videndum, vt in contentione illa animi in amplificatione exardeſcentis, modus aliquis ſtatuatur. Sunt enim quidam qui deſinere non poſſunt, cùm præſertim incenſo animo rapiuntur in affectus. Sed præclarè dixit olim Scaurus, *non minus magnam virtutem eſſe ſcire deſinere, quàm ſcire dicere.* Et eo nomine Cæſar Auguſtus Q. Haterium venuſtè aiebat ſufflaminandum: de quo loquens ſanctus Hieronymus, *Quintus*, inquit, *Haterius, qui ingenium in numerato habebat, vt ſine monitore tacere non poſſet.* In aliis orationis partibus, non fortè nimium reprehenderetur vberior in dicendo copia, & flumen extra ripas diffluens abundantia quadam ſingulari, Aſiaticos enim oratores non vſquequaque repudiandos ſic egiſſe videmus; ſed in Epilogo, vbi fontes affectionum aperiuntur, verendum eſt, ne ſi orator diutius in motu hæreat, pro lacrymis, tenuis ariditas; próque ardore, frigus conſequatur. *Cito areſcit lacryma præſertim in alienis malis*, ait præclarè M. Tullius: quod ab eo ſumens Cornificius, *Commiſerationem*, inquit, *breuem eſſe oportet, nihil enim lacryma citius areſcit.* Et Quintilianus, *Nunquam debet eſſe longa miſeratio: nec ſine cauſa dictum eſt nihil facilius quàm lacrymas inareſcere.* Nam cùm etiam veros dolores mitiget tempus, citius euaneſcat neceſſe eſt illa quam dicendo effinximus imago: in qua ſi moramur la-

S Hieron. ep. ad Pamach.

Cic. in Partit.

Auctor ad Heren l. 3. Quintil. l. 6 c. 1.

lacrymis fatigatur auditor & requieſcit,& ab illo quem cœperat impetu, ad rationem redit.

Addo ridiculos & inconſideratos eſſe Oratores qui in graui & flebibili oratione iocos adhibent: qualis fuit Iulius Sabinus bonus alioquin orator, ſed qui minus moderari ingenio poſſet. Hic eductus è carcere, cùm in Senatu cauſam ageret ſuam, hominéſque flebili & diſerta oratione mouiſſet, rediit ad ſales: rogauit vt in Lautumias transferretur, *Non eſt*, inquit, *quod quenquam veſtrum decipiat nomen ipſum lautumiæ, illa animo meo lauta res eſt*. Huc pertinet quod à moderatis & intelligentibus hominibus Eccleſiaſtas vidi quoſdam reprehendi, qui cùm in fine permouere animos debeant ad pietatem, iocoſa narratione & ſæpè è profanis autoribus deſumpta terminant orationem.

Cæterùm quod ad geſtum attinet, in grauiori Epilogo cùm dicentis calor efferueſcit, concedi multa poſſunt, quæ alioqui in placido genere dicendi minus decuiſſent. Tum enim animus vt in motu eſt maximo atque rapido, vi tacita fertur, nec magnoperè cogitat *numeroſos ponere geſtus*, vt Ouidius loqui-
Fab.l.11.c.3 tur, hoc eſt accuratos & ſubtili iudicio concinnos. De qua re ſic monet Quintilianus, *Cùm magna pars eſt exhauſta orationis, vtique afflante fortuna, pæne omnia decent, ſudor ipſe, & fatigatio, & negligentior amictus, & ſoluta ac velut labens vndique toga*. Quanquam ego non tam decere illud dixerim, quàm mi-
Longin. περ. ὕψους. nus animaduerti ab auditore, qui eodem affectu rapitur. Vehementiores affectus, ait Dionyſius Longinus, οὐκ ἐᾷ τὸν ἀκροατὴν χολάζειν περὶ τὸν τοῦ πλήθους ἔλεγχον, ἀλλὰ τὸ συνενθουσιᾶν τῷ λέγοντι, *auditorem immorari non ſinunt in pluribus illis examinandis & reprehendendis, quippe qui cùm ipſo oratore communi furoris rapiatur affectu*. Sunt interdum leniores Epilogi, in quibus, dulces tantùm affectus mouentur, pietas, miſeratio, beneuolentia, & alij huiuſmodi, quos πραεῖα πάθη vocant Rhetores; quomodo verò ſit in illis agendum, Porcius Latro vnus omnium in declamando celeberrimus, ita breuiter in oratione quadam ſua ponebat, *In Epilogis nos quoque vocem de induſtria infringere, & vultum deiicere oportet, & dare operam ne diſſimilis ſit orationi orator.*

CORONIS

Digitized by Google

CORONIS TOTIVS *Diſputationis.*

DE ADIVMENTIS AD EXPOLIENDAM ACTIONEM.

ET PRIMVM,

DE IMITATIONE.

DVo mihi videntur eſſe maxima & præſtantiſſima adiumenta ad perficiendam Actionem, Imitatio & Exercitatio. Prodeſt enim, vt de Imitatione prius dicam, non mediocriter, doctos homines diu atque multùm exercitatos, atque omnibus & naturæ & doctrinæ præſidiis affluentes, ſtudioſè audiiſſe, eorum notaſſe vultum & conſtantiam, iis de palma & triumpho, omni conatu bellantibus adfuiſſe. Hoc certè adiumentum eloquentiæ cupidè olim & incredibili ſtudio adhibitum ab adoleſcentibus, is qui de cauſis vaneſcentis eloquentiæ pulcherrimum & vtiliſſimum commentarium edidit, fuiſſe monet. Nam qui foro & ingenij gloriæ parabatur, honeſtiſſimis ſtudiis eruditus atque optima diſciplina, ducebatur à parente ad eum Oratorem, qui principem in vrbe locum teneret, quem aſſiduiſſimè audiebat, ſic vt illius altercationes quoque exciperet, & iurgiis intereſſet, vtque ſic dixerim pugnare in prælio diſceret. Ille autem rei vtilitatem his verbis diuinè proſequitur, *Magnus ex hoc vſus, multum conſtantiæ, plurimum iudicij iuuenibus ſtatim contingebat, in media luce ſtudentibus, atque inter ipſa diſcrimina, vbi nemo impunè ſtultè aliquid aut contrariè dicit*, &c. Glorioſum hoc inuentum conſuetudinémque præclaram multos annos viguiſſe, alij quoque eruditi ſcriptores aiunt. Nam ad Plinium quidem Secundum, actorem cauſarum præſtantem, atque vnum omnium in dicendo ſuauiſſimum, plurimi ſe

Mos veterũ in præſtantiſſimis imitandis.

Tacit. de Orat.

applicabant, in ipſo ætatis flore iuuenes; quos ille non tam præceptis, quàm exemplo & ciuilibus tropæis, ad ſimilem in agendo laudem imbuebat. Itaque in Epiſtola quadam ſua Fuſcum Salinatorem & Numidium Quadratum, ſummæ ſpei, ſummæ indolis iuuenes duos, literis ipſis ornamento futuros, qui eximiè in foro dixiſſent, ſuos fuiſſe imitatores gloriatur, & ſingulari delibutus gaudio bonis verbis prædicat. Vbi inter

Plin. l 6. ep. ad Maxim. alia, *Illud*, inquit, *mihi voluptati fuit, quod ipſi me vt rectorem, vt magiſtrum intuebantur, & iis qui audiebant, me æmulari, meis inſtare veſtigiis videbantur*. Et paulò pòſt, *Quid enim aut publicè lætius quàm clariſſimos iuuenes nomen & famam ex ſtudiis petere? aut mihi optatius, quàm me ad recta tendentibus quaſi exemplar eſſe propoſitum?* Iunium quoque Auitum ſtudio eloquentiæ commendatum, idem ipſe Plinius formauerat, quem iam prope albis quadrigis in purpureæ facundiæ arcem gloriámque vehentem, tranſuerſa incurrens inopina mors ſuſtulit. De illo ſcribens ad Marcellinum, eúmque laudibus ad cœlum tollēs, non dubitat inuehi aſperius in quoſdam adoleſcentes, qui neminem ſtudiorum haberent ducem, neminem imitarentur,

Idē l 8. ep. *Statim*, inquit, *ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt. Sed non Auitus, cuius hæc præcipua prudentia*, &c. Ab hac imitatione videmus Oratorum gregem atque nationem, principis alicuius in dicendo viri, qui omnium commendatione floruiſſet nomen tuliſſe. Sidonius quidem Apollinaris *Frontonianos* appellat oratores, qui nimirum clariſſimum in agendo Frōtonem τὰ πρῶτα, vt cum Dione loquar, τῶν τότε ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενον, pro virili imitatione exprimerent. Sic Poſthumij Feſti nobilis quoque in orando facundię ſectatores vt eruditiſſimi animaduertunt, dicti *Poſthumiani*, cóque vt magni genitoris filij proſapia illa muſea digni gloriabantur. Atque vt longiùs in antiquitatem oculos intendamus, conſtat Sulpitium in choro hominum elegantium non poſtremum, imitatum fuiſſe Craſſum illum fori luſciniam, Curiæ decus, & vt ait M. Tullius propè in dicendo Deum, in quo felix ita fuit atque in agendo induſtrius, vt tanto viro ſimillimus haberetur.

An plures legendi ſint quos imitemur.

NEQVE verò imitationem adhibendam cùm dico, vt fru-ctuoſiſſimum adiumentum eloquentiæ, & perfectæ actio-nis, me vnius duntaxat alicuius, aut etiam non optimorum contemplationem, atque æmulationem commendare pute-tis. Nam vnus quidem reperiri vix poteſt, ſic omnibus ingenij & naturæ donis opulentus, iis diſciplinis excultus, ad vnguem factus, & politus omnigena exercitatione, nihil vt ipſi deeſſe videatur: Huiuſmodi enim hominem ſi diuinitus è cœlo di-mitteretur, ſi inuſitata & inaudita partione in hominum cœtu progigneretur, cœlitum propè honoribus colendum & con-ſecrandum exiſtimarem. Intuendi igitur audiendíque ſunt multi, iique delecti ex omnibus: & maturo iudicio diiudican-dum, quis in quo præſtet & excellat, quidque ſit præcipuè quod vnumquémque in orando eximium, omnium opinione præſtabilem, & inter ſummos Coryphæum, in alto & illuſtri gloriæ loco reponat. Oculi imprimis de re tota aduocari in conſilium poſſunt, qui venuſtatis excellentiæque ſunt iudices, & ne fortè praui ſimilitudine decipiantur, aliorum quoque hominum exquirenda iudicia & exiſtimatio, & cùm excerpta fuerint inſignia ad imitandum, quæ omnibus videantur eſſe probanda, in iis deinde perficiundis immorandũ inſiſtendúm-que diutius, donec exiſtat maturitas quædam atque perfectio. Nam qui modò inchoatam imitationem interturbant noua quadam varietate, propter dicentium in agendo diuerſitatem, ad quos audiendos ſubinde accedunt; euenire vix poteſt, vt quid pariant ſuis numeris abſolutum & perfectum; & animi leuitas haud obſcuris indiciis prodetur, quæ in diuerſas pu-gnantéſque vias quotidiana propè commutatione inſiliat. Hoc vitio nobilitatus fuit Titianus iunior, qui vt ait Capitoli-nus dictus eſt *ſimia ſui temporis*, quod cuncta imitatus eſſet. Eandem quoque ſeu leuitatem ſeu facilitatem in imitando ha-buit Sophiſta Liban. quem illius æui homines aiebant πίνακά τινα καὶ ἐκμαγεῖον εἶναι παντοδαπῶν ἠθῶν καὶ ποικίλων, vt pictoris ta-bulã, aut expreſsũ ſimulacrum, naturas hominũ & mores om-nigenos repræſentare. Eſt porro minimè ſapiẽti cõgruẽs & de-corũ, vt quoties in ſubſellia venerit, & plenũ dignitatis pulpitũ,

quam nouus è proſcenio Comœdus exire videatur, ad perſonarum varietatem exhibendam.

Inconſideratus quorundam delectus, & præpoſtera imitatio.

NEQVE verò diſſimulare hîc poſſum quorundam hominum vanitatem, qui vulgi opinione adducti, aut iuuenili quodam impetu & inconſiderati animi temeritate, aut denique familiari commercio illecti, ad vnum aliquem in agendo vaſtum & inſulſum, atque oris pronunciatione deterrimum imitatione adhæreſcunt: & quod ego miſerrimum exiſtimo, in eo ipſo quem æmulandum ſuſceperunt, vitia potius quàm virtutes imitantur. *Eſt procliuis malorum imitatio*, à S. Hieronymo dictum veriſſimè, ſiue naturæ & quotidiana hominum imbecillitas, ſiue mentis ignoratio, ſiue genius à teneris annis vitioſitate imbutus eo deducat. Multi, inquit eleganter Polybius, minimè conantur æmulari felicium hominum τὰ ἔργα, τὰ δὲ πάρεργα ζηλοῦντες ἐκθεατρίζουσι τὴν ἑαυτῶν ἀκρισίαν, *repudiatis iis quæ maximè glorianda & laudabilia videbantur, & in vilium rerum imitatione laborantes, vt in theatro, domeſtico præconio teſtes aduocant præpoſteri ſui iudicij & temeritatis.* Neque verò ea duntaxat vulgi tantum eſt hallucinatio, verùm etiam & eorum, qui Muſarum alumni, & ab ipſo Phœbo docti, & imbuti ſunt, quorum aures excellentium hominum vocibus circunſonuerunt. Porcius Latro declamator fuit inclytus, omnibus iis artibus quæ ſunt libero homine dignæ inſtructus, quo fiebat vt auditores haberet multos, & ſplendidiſſimo ingenio adoleſcentes, qui ad ſpem ſummæ dignitatis & eloquentiæ alebantur. Atque vt eam, de qua modò aiebam, mentis imbecillitatem conſiliique inopiam recognoſcatis, illi ipſi candidati humanitatis & facundiæ, nihil magis imitari in eo ſtuduerunt, quàm pallorem, ad quem etiam corporibus conciliandum, ſylueſtris cumini vſum adhibebant. Incidi nuper in Commentarios doctiſſimi Hieronymi in æmulum ſanctimoniæ ſuæ atque fidei ſpecioſiſſimè elucubratos, vbi quendam irridet ineptum, qui præceptorem Romæ habuiſſet Afrũ doctiſſimum in explicando & intelligendo maximum, qui in

S. Hieron. ep. 7. ad Læt.

eo ſe magiſtri æmulam eſſe gloriabatur, cùm *ſtridorem linguæ eius* & vitia tantum oris exprimeret. Neque minus mihi omnium irriſione ludendi videantur Arceſilai diſcipuli: nam cùm eſſet ille quidem in philoſophia probatus & nobilis, ſed non ſatis in agendo politus, cúmque identidem crebris ſermonibus vſurparet φημ' ἐγώ, qui ad eius ludum accedebãt iuuenes, & magni viri imitatione geſtirent, tum ſe pulchros & beatos opinabantur, cùm geſtus hominis vitioſos, & φημ' ἐγώ in omni periodo adhibuiſſent. Sed quid facias iis etiam hominibus, qui virtuti & religioni velificantur, quos ſæpè videmus, vt in fabulis heroem neſcio quem pro Iunone ſpectrum, ſic pro rebus ad imitandum clariſſimis, humilium rerum abiectionem complecti? An non vobis lectum & auditum eſt de Magno Baſilio? quantus ille fuit Deus immortalis! quàm in dicendo grauis & perfectus! quàm ornatus omni genere humanitatis! qui linguam omni melle ſuauiorem muſarúmque delitias, pietate & abundanti ſapientia condiebat. Is virtutis cùm veluti quoddam ſignum & veræ gloriæ ſuſtuliſſet, non eſt mirum, ſi non modò admiratores habuit plurimos, verùm etiam & imitatores. Quid igitur quidam æmulabantur? σωματικὰ ἐλαττώματα, *næuos quoſdam corporis & defectus, pallorem, inceſſum, tarditatem in loquendo.* Cúmque etiam σιώποις καὶ εἴσω συννενευκὼς *intimo in animo collectus & cogitabundus* foret, id quidam imitari cupientes in σκυθρωπότητα inciderunt, inamœnam quandam & odioſam multis compoſitionem. Itaque Nazianz. Greg. acerrimo vir iudicio non dubitat eos appellare ἐν ταῖς σκιαῖς ἀνδριάντας, *ſtatuas in vmbris*, laruas quaſdam & tenebriones, qui nihil minus quàm ſplendorem dignitatis æmulentur. Sed prouehor in hac diſputatione longius quàm par eſt: dicam paucis duo quædam eſſe in imitatione animaduertenda, vt nimirum optimos & excellentiſſimos deligamus quos ſequamur, in iiſque non omnia, ſed quæ elegantium hominum iudicio probantur amemus. Egregiè Dæmonius Ariſtoteles in morali diſciplina, *Par eſt*, inquit, *in omni re optimum quenque imitari*: rem intelligit nõ abiectam & vitioſam, ſed quæ laudi & prædicationi ſeruiat. Peccauit hac in parte Fuſius, de quo M. Tullius in hunc modum, *Fuſius neruos in dicendo C. Fimbriæ, quos habuit ille, non aſſequitur, oris prauitatem & verborum latitudinem imitatur, ſed ta-*

S Greg. Naz. Orat. 20.

Ariſt. in Ethic. lib. 9

Cic. l. 2. de orat.

men ille nec diligere ſciuit, cuius potiſſimum ſimilis eſſet, & in eo ipſo quem delegerat, imitari etiam vitia voluit.

Cautio adhibenda in imitatione.

VNVM reſtat quod de ſtudio imitandi commoneam, falli eos, qui omnia quæ in ſummis viris decere animaduertunt, ea quoque à ſe decorè admitti poſſe opinantur. At non æqua eſt omnium ratio atque auctoritas, non par ætas, non ſimilis hominum exiſtimatio: à moribus ſæpe latum eſt diſcrimen in dicentibus, à natura, à conſuetudine: nonnunquam multis mirandiſque cauſis genitus amor & beneuolentia populi, quorundam næuos in agendo comprobauit. Noui quendam ætate maturum, concionando veteranum, incredibili varietate & copia, & abundanti magnarum artium cognitione præditum, quî vrbes Galliæ principes clara nominis ſui opinione commouiſſet, ſed qui tamen non eſſet in omni corporis motione perfectus. Nam ſolebat identidem caput agitare in anteriorem partem, vt annuendo, & probando ea quæ dixiſſet, quod in omnibus propè clauſulis ſolenne illi fuit. Id magis diſſimulabant in eo auditores, quàm probabant: grauior enim ætas, auctoritatis apex, religioſus animi ardor, eloquentia, dictio ad perſuadendum accommodata, aliáque in eo ornamenta, id quod in motu vitioſum eſſe videbatur obtegebant. Et tamen nouum deinde vidi Eccleſiaſten, qui eum capitis motum præcipuè ſibi imitandum ſumeret, quòd emeritum illum ſenem & triumphalem decere videretur. Non defuerunt qui hominem iudicio ſuo falſum ſimiam ridiculum nominarent, hoc eſt ſine conſilio imitatorem, quales Horatius *ſeruum pecus* indigitauit. Eſt igitur accuratè videndum quid quémque deceat, quid repugnet, ne quod vetat commune dictum Herculis cothurnos puſioni accommodemus.

ALTERVM ADIVMENTVM POliendæ Actionis

EXERCITATIO.

Cuius quanta ſit vis, quæque tenenda ratio oſtenditur.

DELECTIS iis quos imitemur, & quæ à quoque ſumenda videantur, ſeria & diligens adhiberi debet exercitatio, quod Antonius præclarè docuit 2. de Oratore. Hoc enim eſt eloquentiæ cum aliis omnibus artificiis commune, vt ſine vſu diligentique ſtudio tueri ſe nequeat, & omnem abſolutionem pulchritudinémque ſuam conſequi. Quid enim eſt in humana vita & diſciplinarum varietate tam procliue, tam facile ad comparandum, quod non breui temporis intercapedine intereat, ſi deſit exercitatio? quid non eiuſdem ope & præſidio excitetur & mirabilius effloreſcat? πᾶν μὲν ἔργον λάμπει μελέτῃ θεραπευθὲν, ait eleganter Iſidorus Peluſiota, *Omne opus ſtudio & meditatione excultum multò ſit illuſtrius.* Et ille in hiſtoria ſapiens, & in ſapientia omni politus humanitate Polybius, *Aſſidua*, inquit, *exercitatione* πάντα τὰ καλὰ γίγνεται θηρατὰ τοῖς ἀνθρώποις *pulchra omnia mortalibus ſunt parabilia.* Itaque Philo cùm de paranda eruditione ſuauiſſimè diſputat, hunc bonorum omnium fontem adoleſcentibus aperuit, & dum ætas floret, viuidique animi induſtria, ad eum hauriendum inuitat, τὰ γὰρ πλεῖστα, inquit, καὶ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἀσκητικαῖς ἀθλήσεσι, καὶ ἡβῶσι πόνοις εἴωθε περιγίνεσθαι, *plurima maximáque bona meditationibus parantur & laboribus iuuenilibus.* Quid apud vos reputetis ego neſcio, quidve in ſcholis acceperitis aliquando à doctiſſimis viris, qui viam ad omnem elegantiam nobis præiuerunt, quidve præcipuè vobis ſequendum eſſe duxeritis ad progreſſum faciendum: hoc ſcio, dictum ab Ariſtotele excellenti iudicio fuiſſe, tria quædam eſſe pueris ſtudio omni quærenda adiumenta, quibus ad decus & literarũ

Iſidor. l. 2. ep. vlt.

Polyb. l. 10.

Philo l de congr. q. erud. grat.

Laërt. l. 5.

Philo l. de. Ioſeph.

cognitionem proueherentur, φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν. Et ab eo ſumens opinor Hebræorum doctiſſimus, *Tres*, inquit, *ſunt ἰδέαι, per quas ad optimum finem tendimus*, μάθησις, φύσις, ἄσκησις. Et qui deinde conſecuti ſunt Rhetores, illud in ore ſemper habuerunt: *Naturam*, *Artem*, *Exercitationem*, ad comparandam eloquentiam valere. Quæ animi ornamenta cùm pulcherrima ſint & neceſſaria, ſi quis me roget, quod maximè anteferendum eſſe putem, hæream fortè ſapientum vocem auſcultaturus & ſuper ea re ſententiam, ſed vt dicam ingenuè quod ſentio, illam quæ poſtremo loco ponitur ἄσκησιν, haud verebor longè aliis omnibus anteponere. Nam indoles ad omnem honeſtatem eximia, & ſplendidiſſimum ingenium, & verò etiam parta laboribus intelligentia, ſi deſideretur exercitatio defloreſcit: ſed illa eadem medicina aut etiam infra mediocritatem, cùm ſtudium, vſus, agitatio commentatióque acceſſit, mirum quantum exiguo tempore cumulentur, & quantos quámque vberes literarum & gloriæ fructus ferant.

Plin. l. 6. ep. ad Pont.

Nec me præterit, ait Orator Plinius, *vſum & eſſe & haberi optimum dicendi magiſtrum. Video etiam multos paruo ingenio, literis nullis, vt benè agerent, agendo conſecutos.* Quod ille de ſua tempeſtate memorat, omnium ſæculorum ætatibus, omnibúſque oris terrarum probatum fuit, vbi doctrina humanitáſque viguerunt. Vidi ego ſanè quoſdam, quis verò illud videre non potuit? Neque enim vnus æuo ſuo Demoſthenes exercitationis vim & mirabilia commoda expertus eſt, ſed vidi, inquam, fortunatos aliquos adoleſcentes & honoribus cumulatos, qui cum tenui & obtuſo ingenio eſſe viderentur, & in eodem cum luculentiſſimis ingeniis curriculo ſudarent, hoc aſſidua meditatione & labore conſecuti ſunt, vt ingenioſos illos alioqui & naturæ muneribus opulentos, ſed in ſtudiis lentiores & deſidioſos, longè hominum exiſtimatione & dignitate ſuperarint.

Thucydid. l. 1.

Neque mihi non veriſſimè dixiſſe videtur Corinthiorum Orator, qui cùm bellum in Conuentu ſociorum ſuadere vellet aduerſus Athenienſes, non dubitat ſibi atque ſuis polliceri victoriam, ſi modò adſit exercitatio, quantumuis ipſi Athenienſes in rei militaris ſcientia præſtarent, ὃ δὲ ἐκεῖνοι, inquit, ἐπιστήμῃ προύχουσι, καθαιρετέον ἡμῖν ἐστὶ μελέτῃ. Ac nimirum fatendum eſt, quod apud Græcos ſapientis oraculum

lum eſt, *μελέτη τὸ πᾶν*, *omnia ſita eſſe in exercitatione*, ab ea peti omnium artium abſolutionem, ab illa eloquentiam, ab eadem Actionem perfici. In ea qui non videt magnum eſſe præſidium & momentum ad decoram pronunciationem, nihil videt. Stobæus ſer. 3. Auſon. in Lud. Sapiẽ.

Quibus maximè neceſſaria exercitatio.

SED præſertim iis omninò eſt neceſſaria, qui naturæ conditione, aut propter puerilem inſtitutionem, ferè nullos habent geſtus, aut eos certè non venuſtos atque laudabiles: quibus id reliquum eſt, ſi modò velint in ciuium ſuorum luce habitare, vt quæ deſunt, vſu & diligentia, & quotidiana prope exercitatione ſuppleant. Sunt enim quidam à natura timidiores, qui vix eam animi habent conſtantiam & firmitudinem, vt coronæ eruditæ ſplendorem ſuſtinere poſſint: itaque verecundantes agunt & loquuntur, ſemper timent ne quid excidat minus gratum & iucundum, ne inſcita prolapſione labantur, ne quid denique videatur auditoribus, quod meritò offenſionem procreet: quaſi plumbeas habeant manus, ſic non niſi ſpiſſo eas motu & cum aliqua trepidatione commouent. In quo illud eſt etiam haud dubium & defugiendum incommodum, quod mens ad geſtum intenta vehementius & defixa, non ſatis queat ad alia multa maiora, ad momenta rationum, ad elegantiam, ad dignitatem victoriámque attendere. Eorum hominum dictiones languent, nec vitali pronunciatione animantur: & qui adſunt, vel nouitios Oratores iudicant & deſpiciendos, vel in eorum tarditate, & inſolenti ac timido motu indignantur. Illi igitur quibus natura fuit in dotibus communicandis parcior, qui & rigidum habent corpus, ceruices minimè ad arbitrium flexibiles, & ponderoſas illas manus, quas non niſi ægrè & operoſè moliuntur, opinor fructuoſè imitarentur P. Scipionis Africani inuentum plenum conſilij & exquiſitæ prudentiæ. Is cùm in bello & prœliorum contentionibus animaduertiſſet, plurimum eſſe momenti ad ſe tuendum, vel ad hoſtes fortiter & generoſè conficiendos, ſi promptè miles & expeditè in omnem partem moueretur:

Polyb.l.10. inter alias perutiles exercitationes Romano duce compluríum nationum victore digniſſimas, imperauit κλίσεις, ἃς ἔδει συνεθίζεσθαι τοὺς ἱππεῖς, vt fidus ſcriptor hiſtoriarum ac diligens memoriæ prodidit, *certas videlicet motiones quibus vtile foret equites in ocio aſſueſcere*, κλίσεις ἐφ' ἡνίαν, καὶ πάλιν ἐπὶ δόρυ, πρὸς τούτοις μεταβολήν, *declinationem ad ſiniſtram, rurſus ad dexteram, ad hæc mutationem retrorſum.* Qua diuturna meditatione ſepti &.muniti, è militari conopæo in aciem pænè victores ouantéſque prodibant. Sic noſter ille non ſatis cultus & ornatus ad dicendum, in vmbra, & domeſticos inter parietes, conſimiles ſibi motiones deligat, in quibus ſumma animi voluntate & ſtudioſè exerceatur. Corporis truncum ita moderetur, vt ad omnem motionem obedientem habeat, brachia & manus in dextram, in ſiniſtram, in omnem partem flectat & torqueat, ita elaboret, vt ſubitò & minimâ ſignificatione voluntatis, & ſplendidiſſimos cœlorum orbes poſſit oſtendere, & terræ hiatum, modò in digitis ponat argumenta, modò ſublata manu minas intentet, vel reiecta abominetur, mòdò vt telum orationis eandem vibret. Sic ad omnem orationis varietatem paratus, non vt quidam de Velitum numero grĕgarius, ſed velut è Scipionis Africani tabernaculo glorioſus eruditúſque bellator in fori aciem pugnámque deſcendet. Sic Charmi-

Xenoph in Conui. des apud Xenophontem ſpecioſiſſimus adoleſcens, cùm geſtum ad elegantiam omnem vellet componere, domi ſolus ἐχειρονόμει, *manuum geſticulationem adhibebat.* Sic puer Themiſtocles mirabili ingenio præditus, dum alij conſuetis lu-

Plutarc. in Themiſt. ſionibus recrearent ſe, λόγους τινὰς μελετῶν, ait Plutarchus, *in meditandis orationibus, & diligentiſſimè inſtruendis operam ſuam ponebat.* Qui hunc laborem magno animo ſuſcipient, rudem videbunt inertémque naturam ſenſim erudiri, ſubruſticum pudorem minui, debilitari metum, atque manus quas plumbeas antè nominabam, fieri aureas, certè honeſta motione decoras, facilitatem denique generari ad geſtum & pronunciationem varietati rerum venuſtè accommodandam. Aiebat Diogenes, μελέτην in opificibus ingenerare, οὐ τὴν τυχοῦσαν ὀξυχειρίαν, *haud vulgarem in agendo celeritatem*, & in manuum motione dexteritatem. Eandem

Digitized by Google

verè dicam exercitationem, non modò Oratori diligenti & ſtudioſo allaturam εὐχέρειαν, & in agendo facilitatem, ſed decoram etiam venuſtatem parituram. Sunt verò quidam, qui non ita ſunt tardi à natura atque hebetes, neque ita verecundi, vt liberiori motu ſpolientur, ſanguine ſpiritúque redundant, in dicendo commouentur: ſed fortaſsè caruerunt illa puerili inſtitutione & doctorum hominum diligentia, quæ temerè geſtientem, & ſua ſponte ſeſe efferentem naturam, è præceptis ſapientum, & honeſta moderatione ſolet componere. Hi meditatione quoque indigent & exercitatione, quæ quod defuit teneræ inſtitutioni & ſcholarum documentis adiungat, næuos tollat, ſplendore quodam dignitatis illuminet.

Quantum ſit bonum honeſtæ iuuentutis frequens exercitatio.

ATQVE hîc non poſſum non veſtram felicitatem magnam dicere, quid veſtram dico? imò noſtram, ab eodem enim genere præceptorum imbuti ſumus: non poſſum, inquam, non bonum hoc noſtrum vehementer ſuauiari & præ me ferre, qui in eorum hominum ſinu & diſciplina ſumus eruditi, qui vita probi, ſtudio incredibili & diligentia, & bonarum omnium artium magnitudine circumfluentes, à pueris nos ad dicendum aſſuefaciunt; iubent enim modò è plano, modò è ſuperiore loco pronunciare, declamationes habere priuatas & publicas, quas lumina ciuitatis præſentia ſua cohoneſtent: nonnunquam grauium more Senatorum, de multis magníſque rebus cenſere, prodire nonnunquam honeſtiſſimum in theatrum, vt nullum ſit dictionis genus, in quo non cerea, & flexibilis adoleſcentium ætas, ad omnem decori ſpeciem, & pulcherrimæ dignitatis rationem effingatur. Huic curæ illuſtrium doctorum & prouidentiæ, quæ in me ſunt omnia, ſi qua laudem aliquam mereantur, planè debeo referóque. Illi bonarum literarum cuſtodes & magiſtri imitati mihi videntur Ageſilaum inter Reges Ducem, in Ducibus Regem, vnum omnium facilè præſtantiſſimum, qui bellum initurus aduerſus

magnum Aſiæ Regem & innumerabiles Perſarum copias, ſuos prius in omni armorum & prælıandi genere probè exercitatos voluit, & non paratos modò, ſed etiam peritos & commeditatos. Epheſi tum morabatur clara & nobili vrbe in Ionia, vbi præmiis in omnium luce propoſitis, qui optimè atque eximiè ſe in omni exercitatione gererent, ſuorum militum induſtriam & ardorem euocauit: nam videre tum erat Gymnaſia referta, Xyſtos, Platanonas, hippodromum plenum Græcis bellatoribus, qui corpus ad laureas & triumphos mirabili ſtudio & induſtria erudiebant. Itaque

Xenoph l. 3. rer. Græc. Xenophon rem memorans, Epheſum non tam ſua Diana magnificam & ornatam, quàm tropæis atque adorea militari effloreſcentem, ſcitè nominat, τοῦ πολέμου ἐργαστήριον, *belli officinam*: audétque velut è tripode pronunciare, vbi adſit cum numinis veneratione, obſequendi ſtudium & exercitatio, ibi eſſe πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν. Neque tamen Ageſilaus tum primùm vim exercitationis percepit, cùm eſſet in ea vrbe natus, quæ ſemper habita eſt princeps conſtantiæ & fortitudinis, vbi teſte magno Scriptore, qui de Laconum politia Commentarium longè elegantiſſimum edidit,

Xenoph. in Laced. rep. γυμνάζεσθαι δὲ προαγορεύεται ὑπὸ τοῦ νόμου ἅπασι Λακεδαιμονίοις, *lege mandatur omnibus Lacedæmoniis, qui expeditionibus interſunt, vt exercitiis vtantur.* Cuius rei fructus eximius adiungitur, quod hoc modo inter ſe fiant μεγαλοπρεπέστεροι, *magis magnanimi & præſtantes*, ſupra cæteros autem ἐλευθεριώτεροι, *indole magis liberali* videantur. Quæ cùm ad ludum literarum & muſea clariſſima refero eorum hominum, qui nobis duces ad eloquentiam, & veluti Mercurij quidam ἐνόδιοι Vialéſque fuerunt, non poſſum non eorum ſcholas nominare, τῆς παιδείας ἐργαστήρια, humanitatis officinas: è quibus tam multi heroes prodierunt facundia nobilitati, pronunciando venuſti, in agendo perfecti: in quibus facilè ego numerari potuiſſem, niſi me ſocors leuiſque natura, ſtudiique impatiens & exercitationis, à dicendo retardaſſet. Iam verò experientia doctus, & vſu diuturno, cùm plurima excogitari poſſent actionis honeſtandæ poliendæque ſubſidia, potentiſſimum vnum eſſe putaui adiumentum, quod hîc proponerem, & etiam atque etiam commendarem,

Exercitationem. Eius enim propè vnius cauſa & præſidio qui apud doctam antiquitatem eloquentia floruerunt, magni excellentéſque fuerunt, & vt Lacones, inter omnes dicendi artifices, μεγαλοπρεπέστεροι. M. Tullius candidè & ingenuè de via atque ratione ſtudiorum ſuorum loquens, *Huic ego*, inquit, *doctori* (Moloni) *& eius artibus variis atque multis, ita eram tamen deditus, vt ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet.* Cic. in Brut. *Commentabar declamitans ſæpè cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie.* Hinc nimirum illa in geſtu & motione omni dignitas, & pronunciationis fulmina, quorum ſplendor ita vibrabat, & in omnium animis dominabatur, vt ab inuitis propè ſententiæ extorquerentur. Contra verò diſertiſſimus Hortenſius cùm deſiit adhibere hoc ſtudium & exercitationem, tum eius oratio, & ſingularis in dicendo lepos, vt pictura vetuſtate ſubitò euanuit, iucundúmque illum colorem amiſit. Nec mirum. Nam cùm artes vſu & exercitatione confirmentur, atque incrementa capiant, ceſſatione autem atque deſidia intereant, tum præcipuè ἡ τῶν λόγων δύναμις, *dicendi facultas*, vt doctus ille ab Ægypto Iſidorus monuit, θεραπευομένη γὰρ καὶ ἀρδευομένη, μεγίστη γίνεται, ἀμελουμένη δὲ ῥαδίως ἀποφοιτᾷ καὶ ἀφίπταται, *Cùm enim ſtudio excolitur & irrigatur, maximè creſcit, cùm autem negligitur, facilè abſcedit & auolat.* Pulcherrimum & veriſſimum eſt effatum Anacleti ſummi Antiſtitis, qui totius religionis clauum moderatus eſt, *Sicut artium in ſuo quoque opere inuenitur mater inſtantia, ita nouerca eruditionis eſt negligentia.* Itaque Hortenſius cùm eruditas illas ſuas meditationes omiſit, nouercæ huius maleuolentiam & inhumanitatem eſt expertus, ſic è foro domum redibat, vt nec corona illum vt prius iudiciorum dominum agnoſceret, nec qui ſolus cum eo de victoria potuit contendere M. Tullius vereretur. Ille geſtus qui ſingulari elegantiæ venuſtate, reficere omnium oculos animóſque olim conſueuit, abolita illa honeſta meditatione defloreſcebat. Cuius rei cauſam diligentiùs anquirenti, duæ maximè occurrunt; nam quantum coniectura poſſum aſſequi, tanti viri mens ſatura honorum & ampliſſimæ gloriæ, quam dicendo & glorioſiſſima contentione ſibi comparauerat, ab illo æſtu ambitionis, in quietis & delitiarum portum cupidius enauigabat, in quo dulciſſimè & otioſiſ-

Cic. ibid.

Iſidor. Peluſ. l. 3 ep.

Anaclet. ep. 1. Diſt. 38 Can. Nihil.

ſimè conſeneſceret: vel nimium ingenio fidens ſuo, & præſtanti cognitioni, id ſtudium & laudabilem exercitationem minus neceſſariam, & potiùs ad tyrones & candidatos eloquentiæ, quàm ad ſe veteranum & triumphantem oratorem pertinere opinabatur. Sed prius illud non probarent ſapientes, hoc autem perſpicuam habet falſæ opinionis fraudem & aberrationem.

Neceßitas continuæ exercitationis oſtenditur. Non ſufficere præſtantem naturam aut mediocrem vſum Oratoris.

NEQVE enim ingenij magnitudo ſufficit aut complurium rerum intelligentia ad tuendam alendámque eam gloriam, quam labore quiſque ſuo pepererit, niſi quoque vſus & meditatio, & diligentis animi curriculum accedat. Itaque Nazianzenus Gregorius eximiis laudibus ornans magnum Baſilium, illum Atticæ florem, facundiæ illum Antiſtitem, ſapientiæ columen, quem Nyſſenus propter mirificam in dicendo ſuauitatem auream luſciniam indigitauit, σπουδὴ γὰρ,

S. Greg. Naz. or. 20 inquit, εὐφυΐᾳ συνέδραμεν, ἐξ ὧν ἐπιστήμη τε καὶ τέχναι τὸ κράτος ἔχουσιν, *ad ingenij excellentem bonitatem ſtudium accedebat, ex quibus vis artibus & imperium ſcientiis comparatur.* Quæ tu Honorate, voſque Victor & Iuuenti, qui ingenio abundatis atque ſolertia, ſi me auditis in memoria preſſa & inuſta retinete, ne propter animorum incredibiles motus celeritatémque ingeniorum, curam, diligentiam & exercitationem, vt minimè vobis neceſſariam vtilémque repudietis. Iſcomachus vir omni laude & honore digniſſimus, qui ad tuendam ſalutem innocentium, & coërcendam impiorum hominum libidinem, ſæpè in agendis cauſis operam ſuam poneret, à Socrate de ratio-

Xenop. l. 5. ἀπομνημ. ne vitæ ſuæ aliquando interrogatus, ſanctè reſpondit, οὐδὲν μὲν ὦ Σώκρατες παύομαι λέγειν μελετῶν, *Nullum diem*, inquit, *O Socrates vacuum eſſe patior, in quo, non me volens in dicendo exerceam.* Non dico quem induſtriæ ſuæ fructum vir ille tantus conſecutus ſit, quem vt exemplum ſummæ prudentiæ, clariſſimi memorabilium rerum ſcriptores in bono lumine colloca-

Digitized by Google

tum eſſe voluerunt. Sanè vberem ſuſpicari licet amplúmque fuiſſe, cùm ſemper nouus ad agendum, & motu omni politior accederet. Sed vt de noſtra potius vtilitate cogitemus, quam veteribus prædicandis, hoc dico, tum præcipuè hanc adhibendam eſſe meditationem oratori, cùm grauem & difficilem cauſam eſt acturus: grauem nomino, vel propter amplificationum varietatem, quæ vários quoq; motus eóſque viuos agentéſque deſiderant, vel propter genus auditorum, quorum oculi ſubtilius eruditi & delicatiſſimæ aures, quæ fiunt, quæque dicuntur, curioſiſſimè notare ſolent. Quibus quantò eſt difficilius operoſiúſque facere ſatis, tantò erit ſtudioſius laborandum, vt ipſæ res quæ exponuntur, voce & vultu, & totius actionis ſplendore commendentur. De eo loquor oratore, qui nondum vel artificio diuturno, vel natura quadam eximia ornatus, idoneam & propriam in dicendo perfectionem eſt adeptus, ſed qui modo poſitus in carceribus, magna ſpe atque animo, in curriculum laudis & amplitudinis imminet. Qui huiuſmodi eſt, niſi multò antè prouideat, hærebit omnino, cùm ventum erit ad tragica illa atque diuina, cùm in pectoribus flammæ erunt excitandæ, aut reſtinguendum incendium, cùm erunt ſubito commutandi motus & ad diuerſos, aut etiam penitus aliquando contrarios, omnia dictionis & pronuntiationis ornamenta transferentur; cùm à lenitate orationis & miſericordia, quam ad tuendam ornandámque innocentiam adhibemus, erit migrandum ad ſæuitiam Iudicum & atrocitatem, & omni contentione perficiendum, ne conſceleratorum hominum perfidiam atque ſcelus impunitum eſſe velint. Hîc videre mihi videor, quantus animi æſtus ſit futurus nouo illi noſtro in agendo tyroni, cùm poſt dulcem & liquidam vocis flexionem miſerationis effectricem, ſubitò in acerba ſcelerum commemoratione vociferabitur. Quo ſpiritu pugnatorium mucronem ſtringet? quis erit, aut vbi tandem ille brachij iactus, quem eruditi ſanguinantis eloquentiæ telum eſſe aiunt? Conſideratè meo iudicio Caſſiodorus, *Ars bellandi, ſi non præluditur, cùm neceſſaria fuerit, non habetur.* Quod docti hominis acroama non verius iudico in militum acie, quàm in Rhetorum campo, vbi diſerti omnibus eloquentiæ copiis & ſpecioſiſſimo apparatu confligunt. Itaque mi-

Tacit. de orat. Caſſiod. l. 1. Var.

hi fructuoſè æmulaturi videantur Romanos, in toga ſapientes, in paludamento fortes & inuictæ conſtantiæ: qui cùm eſſent nauali prælio cum Pœnis dimicaturi, videlicet eo populo, qui victor maxima & ornatiſſima claſſe toto pœne oceano volitaret, non ſunt auſi id moliri, quin prius ſe diu atque mul- Polyb.l.1. tum exercuiſſent. Nam Conſul firmiſſimas legiones ſuperbiſſimo delectu quæſitas cùm in littus euocauiſſet, ſolum variis ſedilibus conſterni iubet, in quibus vt in tranſtris nautæ ſederent, tum inuehi remos, adeſſe in medio Celeuſten & Pauſarium, ad cuius ſonum brachia omnes alterno motu numeroſè ducerent aut reducerent, & in arena, tanquam in Oceani fluctibus, remos agitarent. Vix poſſem oratione conſequi, quantum ex ea meditatione commodi vtilitatíſque retulerint. Nam qui prius erant inſolentes rei nauticæ, curſúſque moderandi in æquore nullam penitus aut perexiguam haberent cognitionem; ij ſtrenua contentione eruditi, Carthaginienſes maris antea dominos, & cataplo eximiè inſtructo atque victore in omnes ſinus oráſque vehentes, ſumma gloria & felicitate ſuperarunt. Habeant igitur eloquentes Muſea & bibliothecas ſuas, pro arena atque littore, vbi manus non ad celeuſtæ vocem, ſed ad prudentiæ rationem artificioſè ducant & redùcant, & omne corpus ad actionem honeſtiſſimam accõmodent; tum cùm erunt danda vela aut in fori gurgites, aut in concionum tempeſtatem, nihil erit tam inſolens & operoſum, quod non ea docti exercitatione feliciſſimè conficiant, nulla Charybdis tam metuenda & immanis, neque Scylla tot canibus circunſepta, nullæ aduerſariorum machinæ, quæ victricem & coronatam orationem impediant aut retardent. Sic Ariſtides vir omnino facundia nobilis, & in ſophiſtis clariſſimus agebat, quem aiunt, quod ad ſubitam dictionem minus Philoſt.l.2. de vit. ſoph. eſſet à natura comparatus, ἰδίᾳ ἐκπονεῖν αὐτὸ, ἐν τῷ δωματίῳ αὑτὸν καθειργνυόντα, *domi in Muſeo incluſum, in ea priuatim elaboraniſſe.*

Prudens

Prudens aliquis priuatæ exercitationis moderator multùm prodeſt.

ATQVE vt hoc etiam in monitis meis ponam, vtile puto, ſi commodè fieri poſſit, vt qui priuatos inter parietes, hac diligentia vocem atque geſtum excolit ſuum, & decorè componit, amicum habeat fidum, & politum humanitate, qui de næuis & prolapſione moneat, ſi quæ fortè in agendo eueniret. Sumus enim ferè omnes in propriis lippi, innatiſque à puero vitiis blando lenocinio obſequimur, quæ niſi moniti nec certo nouimus, nec ſeriò & generosè deponimus. Nihil proinde optabilius videri debet, quàm vt doctus quiſpiam & intelligens facem præferat, decorique ſpeciem illuminet quam ſequamur. Demonax in philoſophia magnus & acutus Rhetori cuidam vitioſiſſimè declamanti conſuluit, vt frequenti exercitio incumberet, cùm autem ille diceret, Nunquam non apud meipſum declamo: Ergo iure optimo, inquit, tam ineptè dicis, qui ſemper ſtulto auditore vti ſoleas. Hoc quidem bellè in ſciolos quadrat & ſuperbæ arrogãtiæ iuuenes, aut cœco ſui amore fatuos, qui neminem ducem volunt, aut in docenda χειρονομία præceptorem, quos nihil ſapere doctiſſimi viri patiuntur. Sed qui probè in luce Academiarum imbuti fuerunt clariſſimorum hominum inſtitutis & præceptis, & in ſcholis elegantium Magiſtrorum, operam ſuam & laborem aſſiduiſſimè poſuerunt: nil obſtat quo minus vtiles & præclaras monitiones ad actionem ipſi ſuam accommodent, & quod tu quadam præſtabili ratione conficis Honorate, ſpeculum admoueant: vt iiſdem quibus Demoſthenes è fontibus & artificio, ad communem rem tuendam & ornandam, eorum manet induſtria. Sed quoúſque hæc ἀδολεσχία mea prouehetur? nam Exercitationem quidem, in cuius vi & virtute ſubtilius exponenda iamdiu mea conſumitur oratio, nullius hominis beatiſſima vbertas gemmeáque facundia ſatis pro dignitate celebrarit. Claudam igitur hanc ieiunam & fluctuantem meã diſputationem aureo illo elogio, quod ex Amphionis hymnis petitum, in ore fuit & doctiſſimis clarorum hominum monu-

Lucian. in Dæmon.

Philoſtrat. de vit. ſophiſt.

mentis, ἡ μελέτη κρεῖττον ὄλβου κτῆμα, *Exercitatio peculium eſt omni opulentia melius.*

Tandem aliquando in portum appulimus, aſpirante veſtræ benignitatis aura, & humanitate, & ſi mihi apud ignotos habita fuiſſet oratio, in hoc variæ diſputationis gurgite, ſine dubio, naufragium honoris fuiſſem paſſus. Rudem enim audiiſtis, & pæne dicam è iactatione ipſa nauſeantem, & infelicius quàm Vlyſſem in littus eiectum, non veſte quidem & ornamentis, ſed elegantia ſpoliatum. Hæc cùm dixiſſet Theodorus, ſurrexit, & continuò quoque cæteri, vt quemadmodum inter eos paulò antè conuenerat, feſſum animum diuturna illa commentatione, dum reliquus dies pateretur, inambulatione recrearent.

FINIS.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

ACCENTVM in dicẽdo mutare. 533
Acer aſpectus quãdo adhibendus, 145. 178.
Acie figere, 188
Acres Oratores Promethei, 408. in dicendo potentes, 606
Ἀκροποδητὶ ἐπεγείρεσθαι, 393
Actio externa prodit intimum animum, 96. eſt vox quædã animi, 97. in ea pellucẽt mores, 131
Actio feruidior & petulantior, 396
Actio fortis & contenta quando probata, 400. 401. 402
Actio in dicendo vna dominatur, 91. eius vis, 92. eſt corporis eloquentia, ibid.
Actio Orat. tota φύσεως ex Ariſtot. 90
Actio non debet præcedere ſermonem, 682
Actio ſingularum partium orationis, 670. in Exord. ibid. in Narratione, 683. in Confirmatione, 685. in Epilogo, 686
Actio varianda pro diuerſitate rerum & perſonarum, 410. 411
Actio vehemens multum poteſt, 605. vehementioris incommoda, 398
Acutæ nares quid ſignificent, 200
Adiumenta expoliendæ actionis, 689
Adiuncta locorum ſuppeditant argumenta, 20
Admiratione frontem ferire, 156
Ἀέρος διάθεσις ſiue κρᾶσις, 25
Æſtiuæ ſtudioſorum, 12
Affectus animi picti in fronte, 151. in oculis expreſſi, 162
Affectus contrarij interdum aſſumendi, 634
Affectus quo geſtu & pronunciatione excitentur, fusè explicatur, à pag. 584. multis capitibus.
Affectuum induendorum facilitas, 635
Ἄγαλμα ἀγορᾶς de indocto, 146
Ageſilaus deformis, 150
Ἀγέλαστος petra, 231
Agitatio capitis, 120. 121
Alexander M. numeroſos oculorum motus habuit, 170
Alti nominati ſuperbi. 104

Digitized by Google

Amaſidis recreatio legitima, 3
Ambulare in dicendo, 382
Ambulatio vocem iuuat, 522. ea olim à magiſtro dimenſa, ibid.
Ἀμειδῶντες Lemures, 234
Amor qua generetur actione & pronunt. 594
Amorum hortus dicta bibliotheca, 49
Ἀμφώτιδες, 199
Analectides, 373
Ἀναπαῦλαι τῶν πόνων apud Athenienſ. 3
Ανατείνειν τὸν αὐχένα, 104
Αναφωνήσεις vtiles, 527
Anaxagoras pueris vacationem petiit, 3
Ἀνδρεικὸν ὁρᾶν, 172
Anguſtos efficere humeros, 274
Animantium varietas ex locis, 25. 26
Animus motu corporis excitatur, 19
Annuere capite, 120
Annuli Oratorum, 648. reprehenſi, 68
Annulis vtebatur Ariſtoteles, 69
Antiquariorum cacozelia, 578
Aqua confert ſanitatem 440. iuuat mentis acumen, ibid.
Aquam bibebāt Philoſophi, 437. item Oratores, 442
Aquam bibebant acturi cauſas, 444. in aquam dictum, 432
Aquilinus naſus regius, 201
Ardentes oculi quantum poſſint, 176
Arguta manus, 360
Argutiæ digitorum, 360
Ariſtoteles pharmacopola primùm & medicus, 63. varias ſcholas habuit, 64. patrimonium ſuū decoxit, 66. eius ambitio in cultu corporis, 68. 69
Armorici πίμωι, 29
Arrigere ſe in vngues in dicendo, 393
Arteria læditur clamore, 496
Articulos infringere, 358
Aruerniæ antiquiſſima ſtudia, 34
Aſionis auis motus, 118
Aſpectum defigere vnum in locum vitioſum, 187
Aſperitas ſtyli reprehenſa, 560
Athenienſes propter aërem tenuem ingenioſi, 21. 24
Attica ſterilis, ſed ingeniorum ferax, 24
Attollere humeros, 373
Αϖράχηλοι breui collo, 115
Ἄγριοι ὄμματα, 172
Αθρόνιον Muſarum locus, 5
Atypi, 534
Audacia vulgo ex inſcitia, 673
Audaciæ ſignificatio in exordio indecora, 673
Auguſtus ludebat cum puerulis, 15
Auium carnes leuiores, 416
Aures ex omnibus animant. vni homini immobiles, 198
Aures perforatæ, 200. quibuſdam mobiles, 198. 199
Aurum Tullianum, de eloquent. 83. Platonicum, 573

B.

Balbuties in dicendo vitanda, 534. balbutiunt delicati, 535.
Bambalones, 534
Βαμβαλον, 225
Barbam habere prolixam inanis gloriatio, 258
Rex barbæ, 258
Barbam mulcere in dicendo, 256. 257

Barbariſmus in geſtu & moribus, 347
S. Baſilij cohortatio ad adoleſcētes, 186
Batali vocem mollientes, 475
Bauardi Gallis qui, 243
Βαυκοπανοῦργοι Lacones, 653
Bellaria, ſcitamenta, 447
Bellica diſciplina propria nobilium, 44
Beneuolentiæ conciliatio geſtu& voce, 584. & deinceps.
Bibliothecæ deſcriptio, 48
Bibliothecas ornatas habere proprium virorum clariſſimorum, 51
Blęſitas poteſt emendari, 536
Βλέμμα ῥεμβῶδες, 189
Βλέμματα πολεμικά, 177
Βλεμμαίνειν, 177
Βλέψαι ἰωνικῶς, 168
Bœotius εὐήθης, 27. ob craſſum aërem hebes, 21
Bœotia auris, 21
Bonaſus homo fœdus irriſus, 148
Βόστρυχοι μυοσβροχεῖς in oratione, 568
Brachium telum orationis, 366
Brachij iactatio quando adhibenda, 367
Brachio molli agere, 366
Brachia recta, 365. vegetanda, 337. concutere minus decorum, 369
Buccas inflare in dicendo, 217
Βυσαύχενες, 115

C

CAlceis altiuſculis vſus Auguſtus, 648
Calliope eſt Rhetorica, 467. cur comes Regum dicatur, 468
Campanum ſupercilium, 194
Cantus in dicendo, 486. 488. 489. aliquando conceſſus, 490
Cantus in recitatione verſuum, 487
Capella cur dictus Iulianus Apoſt. 259
Capillos delicatè comere num deceat, 640. 642
Caput in homine principale & τὸ ἡγεμονικὸν, 101. in eo totus homo. ibid. ſacrum & diuinum. ibid. ἱερώτατος τόπος. 102
Caput inſideat collo ἑρείσματι ἀξιολόγῳ, 102. laxum & ſolutum, 111. 112. 113
Caput depreſſum & obſtipum, 106. quando eius demiſſio laudabilis, 109
Caput quando attolli debeat, 108
Caput immotum in dicendo, 119
Caput identidem attollere & deprimere, 110. quatere, 120. 121. iactare. 121. 122. perfricare aut mulcere. 122. ſcalpere digito, 123. rotare, 117
Caput non reflectendum in tergum, 118
Capitis inclinatio in latus reprehenſa, 112. quandonam commendetur, 114
Capite annuere, 120
Capita Imperatorum adorata, 101
Χαριτοβλέφαροι, 195
Carnes anium leuiores, 416
Carolus M. breuiori collo, 115
Caraini tres oculos dabant mundo, 31
Κατήφεια vitanda Oratori, 186
Catonis exercitationes oratoriæ, 88.
Κεκλασμένον in voce, 477
Κεκλασμένοι oculi, 169
Celeritas in pronunciando, 552. quando incommoda. 553. alt-

quando laudata, 555
Celſi dicti ſuperbi, vt etiam alti & ſublimes, 104
Cerber⁹ ſymbolũ Philoſophię, 64
Κερατοποιεῖν τὰ βλέφαρα, 166
Ceruix elata ſuperborum, 102. 616 rigida & obſtipa, 106. eneruis delicatorum, 112. fracta & mollis, 113
Ceruix ſeptem modis continetur, & proinde facilis ad mouendum, 119
Ceruix contrahi quas ob cauſas ſoleat, 116. inclinari in mœrore ſolet, 629
Ceruicis contractio inter humeros, 115. quando honeſta, ibidem
Χειρονομία, 337. vide fusè in Præluſ.
Cicero riſus affectator, 78. dictus Scurra Conſularis, ibid. eius laureæ triumphales, 78. 79. lux doctrinarum, ibid. eius lingua diuina, 80. ingenium extra omnem aleam, 81. laus illius eloquentiæ, 82. 83. fuit ſtudioſus Philoſophiæ, 83. ſuauitas in dicendo, 571. qualis in Epilogis, 630
Cyclobori nominati rauci Oratores, 507
Κυνοκλώπης, 183
Circumſpicere curioſè in dicendo, 189
Circumſpicere ſe ante initium pronunciationis, 666
Clamare in dicendo indecorum, 494. 495
Clamator opponitur Oratori, 493
Clamatores habiti cauſſidici, 493
Claram vocem quæ efficiant, 519
Claua Herculis ſymbolum Virtutis, 45
Κλωσμὸς quid, 495
Cnidius Aſinus de inſulſo, 271
Cœli dotes, mores, ingenium, 25
Cœli plaga valet quoque ad ingenium, 20
è Cœli regionibus morum temperatio, 22
Colliſio dẽtiũ quorũ propriũ, 119
Colli breuioris homines lupini generis, 116
Comarum horror & erectio in Oratore, 125
Comas excutere fanaticũ, 118. 129
Comis gloriantes, 640. 642. 653
Comes exterior & interior quis, 308. 309
Commutatio geſtus in eadem parte orationis, 635
Compectinatio manuum, 316. 317
Complodere manus, 315. 316
Comploſio manuum varia, 316
Conciliatio beneuolẽtiæ qui fiat, 584. & deinceps multis.
Conſolatio quem geſtum & vocem requirat, 589
Conſpuere alios in dicendo turpe, 242
Conuiuia antiquorum qualia fuerint, 420. in iis Dij adeſſe putabãtur, ibid. in iiſdẽ hymni, muſica, ſanniones, recitationes, griphi, &c. 421. & deinceps.
Conuiuia Philoſophorum, 425
Conuiuia μουσικὰ erudita, 428. 429
Corpus fractum & ſolutum, 277
Corporis aſſeueratio, 276. agitatio animum excitat, 19
Corpus iactare, vaſtè proiicere, 279
Corpora Gallorum ſimilia ſuis niuibus, 23
Crucis ſignum initio dicendi faciendum, 664
Cubitum more Cerdonum ventilare, 368.
Culcitæ inuentum Gallorum, 38

Cultus corporis & veſtitus qualis eſſe debeat, 638. & deinceps fusè.
Cuneibarbi, 257
Curiæ vacationes Romæ, 12

D

DEFORMIS in agendo dictus Charon, 148
Deformes minus apti ad oratoriam, 148. 589. illuſi & contempti, 148. 149
Deformitas nocet eloquentiæ, 147. auertit animos, 589. quãdo tolerari ſoleat in dicente, 149
Demiſſi oculi modeſtorum, 184
Demiſſio oculorum pueris olim commendata, 184. 186
Demoſthenes ſtudioſus ornamẽtorum, 71. eius ſtatua, 72. Αὐγ-δοκίας inſumulatus, ibid. Mercurij τύπος. 73. eius in dicendo mirifica vis expreſſa variè, 74. 75. eum enixa eſt mater induſtria, 91. excitatus ad dicendum à Satyro Comœdo, 93. malam actionem exercitatione expoliuit, 91. illuſus ob malam actionem, 94. fuit τραυλὸς, 536. eius fulmina in dicendo, 606. quãtus in miſerationibus, 630. 631. lacrymæ in dicendo, 180
Δινδίλλειν, 188
Dentes candidi nota glorioſi oſtentatoris, 219
Dentes inter ſe arietati, 219. colliduntur in timore, 220
Dentes nudare, 218
Dentes ablue, præceptum philoſophicum, 219
Dentes luridi, ſcabri rubigine, 218
Dentibus ſtridere an deceat, 219. quorum id fit proprium, ibid. in bellatoribus contingit, ibid.
Deuerra, 48
Dextera fortior ſiniſtra, 300. principium motionis, ibid.
Dexteræ vſus, 298. exercitatio in ſcholis, 298
Dexteræ ſolius proprium eſt geſtum agere, 297
Dexteræ maieſtas, 303. pondus, autoritas, potentia, eidem attributa, 304
Dextera manu cibum capere docebantur olim pueri, 298
Dice Regum πάρεδρος, 53
Digitus medius infamis, 362
Digitus intentus, inſtantior geſtus, 352
Digitus ſupra humerũ elatus, 352
Digito ſudorem abſtergere indecorum, 160
Digito vno caput ſcalpere, 123
Digiti loquuntur, 351
Digiti in numerando, 352. triplex eius rei vſus, 353
Digitorum argutiæ, 360
Digitorũ crepitus & percuſſio, 355
Digitorum motu cõmmẽtari, 358
Digitorum ſonus in carminibus recitandis, 357
Digitos tollere ad numerum ſignificandum, 354. 355. in licitationibus. 361
Digitis micare, 360
in Digitis partes cauſæ, vel argumenta ponere, 311. 312
Dij veterum palpebras non claudebant, 165
Dilatare literas in pronunciando, 544
Diogenes vſus ſpeculo, 87
Diſcurſantes olim in dicẽdo, 383
Diſtorquere oculos, 188
Diuinatio ex metu ſuperciliorum reprehenſa, 193
Δώματα ἠχέεντα, 47

Domus magnifica nota viri honorati, 41
Ductus labiorum, 222

E

EBRIETAS permiſſa nonnunquam ab antiquis ſapientibus, 434
Ebrietas quædam pulcherrima, 417
Ebrij oculi, μεθύοντες, 169
Eliquare vocem, 474
Eloquentes multi ſine arte, 462. 463
Eloquentia deformes ornat & honeſtat, 149
Eloquentiam videri naturalem, 461
Emiſſitij oculi, 189
Εντρεχομαντεία, 86
Εγκαλύπτεσθαι, 325
Equo Heroico comparatus Orator, 612
Equi Iberici generoſi, 25
Equorum ſuperbia, 619
Erigere ſe in vngues in dicendo, 393
Eruditus ſermo an in conuiuiis opportunus, 417. & deinceps.
Εθνικαὶ διαςάσεις, 22
Εὔφαντα σωτὸς, 129
Euſebius anachoreta vultu horrifico, 141
Εὐτραπελία à ſapientibus agnoſcitur, 16
Excutere comas in dicendo, 117. 118
Exercipedes, 384
Exercitatio vocis, 523
Exercitatio muta vocis. 524
Exercitationis magna vis, 695. 696. ea neceſſaria omninò quibuſdam, 697. modus quidam exercit, 698. adoleſcentium propria, 699. abſque exercitatione defloreſcit eloquentia, 701. continuari debet, 702
Exerere linguam in illudendo, 221
Exilire in dicendo, 384
Exilitas vocis irriſa, 483
Exordiorum actio, 670. habendam eſſe rationem auditorum, 678. conſiderandum genus cauſæ, 679
Exordia læta, 681
Exordia triſtia, 680
Explodere quid ſit, 379

F

FABARII dicti olim cantores, & cur, 519
Fabulæ literatæ, 416
Faceti pedes, 385
Facies recta dicentis, 113
Facies improba, 214
Femur icere in dicendo, 333
Feriæ vindemiales, 10. 13
Ferire frontem, 155. ſubſellia, aut pulpitum, 334
Fibula ferrea dictus incuruus Orator, 265
Ficus nocent voci, 517
Filum corporis, 260
Fiſtula Gracchi, 499
Fixis oculis intueri aliquem in dicendo, 188
Flamma index famæ & honoris, 79
Flere quatenus Orator debeat, 182
Fletus ſummorum Oratorum in dicendo, 180. 181. 630. 631. 687.
Flores in auribus ferre an deceat, 199
Flores ſole nutricantur, 493

Focalia

Focalia Oratorum, 199
Fontis artificioſi deſcriptio, 456. 457
Fori vacationes, 12
Formæ elegantia commendata, etiam in milite, 133
Formoſa ſpecies quantum poſſit in Oratore, 147
Formoſi Oratores facilè conciliant auditorem, 587
Foruli cedrini in Bibliotheca Ptolemæi, aurei in Palatina, 49
Fracti oculi impudicorum, 169
Fracti motus corporis, 277
Frangere vocem muliebriter, 477
Frons ſpeculum animi, 151. affectionum index. ibid.
Frons Genio conſecrata, 151
Frons pura, 152. mollis, ibid. proſtituta & meretricia, ibid.
Frontis aſſeueratio, 610
Frontis autoritas, 152
Frontis contractio quando permiſſa, 154
Frontem cõſulcare an deceat, 153
Frontem ferire in dicendo, 155. tres ob cauſas id olim fiebat, ib.
Fronte ſudante quid agendum Oratori, 158
Fullonios ſaltus edere in dicendo, 386. 387
Fulmina ſymbola ardentis eloquentiæ, 75. fulminantes Oratores, 606. 607. 614
Furioſi Oratores, 610
Furtifica ſiniſtra manus, 306

G

GALATÆ num olim indociles & væcordes, 31
Galli αἰνιγματίαι, 32. ſtudioſi facundiæ, 33. ingenio acuti, ibid. φιλέλληνες, ibid.
Galli in omni ſcientia olim præſtantes, 36. illorum inuenta, 38
Galli inuicti delitiis Aſiaticis fracti, 21
Galli imperterriti, 30. iidem φιλοκινδυνότατοι ἀνθρώπων, 31
Galli luminum toruitate terribiles, 175
Galli olim ſimpliciores, 30. cur habiti olim ſtolidi, 4. cauſæ adferuntur, 29
Galli olim linguam exerebant in illudendo, 221
Galli τραχύφωνοι, 507
Galli crinem rotantes, 117
Gallorum corpora ſimilia ſuis niuibus, 23
Gallorum ſapientes, 32
Gallos ſtolidos & pigrioris ingenij qui dixerint, 27
Gallia fertilis Oratorum, 39. diſciplinarum parens, ibid. fontes habuit felicitatis, quibus irrigauit orbem, ibid.
in Galliam doctorum peregrinationes olim ſtudiorum cauſa, 34. 35
in Gallia olim emporia doctrinarum, 34
Gallicana auditoria, 35
Gallici ſermonis vbertas & nitor, 35
in Gaudio quomodo agendum Oratori, 621
Gemmati vultu, 149
Geſtus à ſiniſtra incipit, deponitur in dextera, 345
Geſtus non verba exprimit, 340. 341
Geſtus ſatur, 338
Geſtus menſura in periodis, 682
Geſtu carere vitioſum in dicendo, 335
Geſtus indicant animum, 96. 97

Geſtuū diligens habenda ratio, 97
Geſtuoſæ manus, 340
Geſticularia Dionyſia vocatus Hortenſius, 340
Geſtientes gaudio Oratores, 622
Gibboſus Galba Orator irriſus, 274. 275
Gibboſi minus apti ad oratoria munera, 274
Γνῶθι σεαυτόν. 42
Gradarij Oratores, 403
Gradarius Cicero, 548
Γραμματοκύφων Æſchines, 264
Grandio dictus Senecio, 393
Grauiter pronunciare, 540
Griphi in conuiuiis, 424

H

HÆSITANTIA linguæ vnde oriatur, 537
Haſta Mineruæ quid ſignificet, 470
Hectoris formidandi oculi, 177
Hercules ludebat cum pueris, 15
Heroes μεγαλόφθαλμοι, 167
Heſychus Deus, 14
Τψηλοὶ, ὑψαύχενες, ὑπτιάζοντες, 103
Ἥρωες vnde nominati, 64
Hirquitalli vocem habent inſuauem, 507
Ἡσυχία δικαία, 3
Ἡσυχία καλόν, 4
Homunciones in dicendo illuſi, 273. dicti olim σιλαγμοί, ſtillæ, ib.
Honeſta Oratoris compoſitio quantū valeat, 658. & deinceps.
Honeſtas in vultu expreſſa multùm prodeſt, 135
Horologia hominibus commoda, 49
Horror pilorum in dicendo, 125
Horror vultus & ſeueritas vnde oriatur, 141
Hortēſius nimium geſtuoſus, 340
Hortēſij vox eliſa in clamore, 496
Hortus Amorum dicta bibliotheca, 49
Horti pulcherrimi deſcriptio, 454. 455
Horti regij ptope Hieroſolymam, 456
Hortenſia gaudent humore, 454
Humeri ſubſultantes, 372
Humeros attollere tumidos, 372
Humeros contrahere, 374
Humeros glorioſè rotare & circumferre, 372
in Humeris ἀγχενδής, 371

I

IANITOR à Villa ne abſit ex Ariſt. 40
Ιδιώματα regionum, 25
Ignis in oculis, 176
Ignis ſymbolum diuinitatis, 80
Igneus oculorum ardor, 175
Imitandi præſtantiſſimi, 689. plures deligendi, 691. in iis laudabilia tantùm notanda & æmulanda, 692. imitari praua eſt ſtultorum, 693. in imitatione cautio adhibenda, 694
Immotus in dicendo, 336
Imperatores ſacerdotes iuſtitiæ, 53
Imperatorum olim vacationes, 13
Imperatorum villa ſuburbana ad vacationes, 13
Impudentia in fronte, 153
Impudentia in oculis, 183
Inclinatio capitis in latus, ſeruile, 112
Incurui oratores reprehenſi, 264
Indi explorabant philoſophaturos, 97
Indicem vtrumque intentare in

dicendo, 361
Infamis digitus & impudicus, 362
Inflare nares, 207
Inflexio corporis in dicendo cur indecora, 265
Infringere articulos, 358. 666
Ingenia hominum formata à locis, 23
Ingenia hominum varia ex aëris diſpoſitione, 21. Iuriſconſultorum ea de re opinio, 21
Ingenij vigor declaratus in oculis, 170
Ingreſſus oratoris in lucem publicam qualis eſſe debeat, 458
Intentus manuum, 322
Interior comes, 308. 309
Interior ratione loci quis dicitur, 307
Interiora dicuntur ſiniſtra, 306
Interius idem quod breuius, 307
Intueri mercantium more, 187
Iocus & quies in humana vita neceſſaria, 4
Ionici motus Oratorum, 277
Ira quam actionem & vocem requirat, 603
Ira declarata naſo, 201
Iram cadere in Oratorem contra Senecam, 407
Iraſci in grauioribus cauſis commodum, 406
Irati quidam melius dicunt, 409
Ἰσχνόφωνος Demoſthenes, 482
Ἰσχνοφωνία vnde oriatur, 537
Iuris interpretes antiquiſſimi, 53
Iuriſprudentia propria nobiliū, 44
Ius ciuile quis primus profeſſus, 54. qui fundarunt, 61
Ius ignorare in nobili turpe, 44
Ius triplex, 55

L

LABOR docentium, 10
Labor eſt morbus ex Hippocrate, 15. eius medicina ἀπονία, 16
Labor ſtudiorum magnus, ex Ariſt. 9
Laboris commendatio, 8
Laborum relaxatio prodeſt, 14
Labra propriè Aſinorum, 223
Labra mordere, 226
Labra tremere in timore, 225
Labrorum diſtorſio, 222. 223
Labrorum temperantum, 224
Lacryma citò areſcit, 179. 687
Lacrymæ num tantùm molliorum, 182
Lacrymæ propriè muliercularum, 179
Lacrymę ſummorum Oratorum, 179. 181. 629
Lacunar ſpectare, 667
Lætitia quos geſtus & vocem requirat, 622. 623
Lambda in pedum ſtatu, 391
Λαμβδακίζουσι. 484
Λαμβδακισμὸν quomodo aſſecutus Demoſthenes, 482
Laſciuia in dicendo cauenda, 624
Lata pronunciatio, 543
Latrare de oratoribus dictū, 493
Latus claudere, tegere, 309
Leges cōuiuiorū apud Philoſ. 425
Lemures ἀμείδητοι, 234
Leniēdis animis quæ actio opportuna, 600
Lenta nimis pronunciatio, 548
Lenta pronunciatio quando adhibenda, 549. 550
Λευκὴ φωνή, 485
Lex Citharœdorum de tergendo ſudore, 158
Libelli olim vulgò geſtati à Sophis, 65
Ληκύθιον Sophiſtarum, 504
Limi oculi, 174. limaces, ibidem.
Linguæ fulmina, 666

Linguam exertare in illudẽdo, 221
Linguam obtorquere, 221
Lingua hæſitantes, 537
Lingua circumlingere labra in dicendo, 222
Linguoſi digiti, 290
Litare Gratiis, 143
Literas tranſponere in dicendo, 529. commutare, ibid. aſpirare grauius, 531. geminare, ibid.
Loca mollia generant molles, 21
Locorum adiuncta viui Oratoribus, 20
Locorum temperies animum afficit, 22
Loqui labiis, 222
Λογόδοι. 259
Lucernæ mechanicæ, 49
Ludus æſtiuarũ & vacationes, 12
Ludus Heroum. 15
Ludi Muſis & Apollini in dedicat. bibliothecæ, 50
Lugduni bibliopolę antiquiſſimi, 34
Luna patritia, 43
Luna ſymbolum inconſtantiæ, 43
Luſciniæ dicti Oratores ſuaues, 503
Luſere Philoſophi, 15

M

Magni & vaſti Oratores illuſi, 269
Magnitudo in Oratore conſpicua probatur, 268
Maieſtas in ſuperciliis, 196
Μαλθακόφωνοι, 477
Manus organum organorum, 288. rationis & ſapientiæ miniſtra, 287. facit articulatam orationem, 288
Manus pōderoſa & ſuſpenſa, 337
Manus ſermonem ſignificabat apud Ægyptios, 288. & apud Onirocritas, 289
Manus conformatio in gaendo, 341. & deinceps.
Manum exerere, attollere, protendere, 321. 322
Manum intra pallium vel togam continere in dicendo, 319
Manum referre ad pectus, 330
Manu percutere pectus, 331
Manu vultum inumbrare, 325
Manus ambæ quando ſimul adhibendæ in geſtu, 313
Manus ſupinæ quæ, 317
Manuum exercitatio valde commendata antiquis, 292
Manuum geſtus qualis in precibus, 317
Manuum inepta protenſio, 318
Manuum comploſio, 315. compectinatio, 316. ſubiectio. 314
Manus iactare, 338
Manus eſſe præcipua adiumenta pronunciationis, 289
Maſſilienſis vetus Academia, 34. eam Romani anteponebant Athenis, ibid.
Mattici ſiue Orici, ore vaſto, 216
Medicus nemo niſi Philoſophus, 63
Medicus primùm fuit Ariſtot. 63
Medium conſequi difficile, 102
Medio digito facere geſtum, 362
Μέγα φθέγγεσθαι reprehenſum, 48
Μεγαλόφθαλμοι heroes, 167
Mercurio dicati pedes, 375
Μετωπεῖον τῆ χειρί. 321
Μετέωροι oratores reprehenſi, 103. 104
Μέτωπον τείνειν & διασυνάζειν, 153
Metus incommoda, 656
Metum eſſe dicturo moderandũ, 654. qui fieri id poſſit, 655

Metu olim debilitati oratores obticuerunt, 657
Micare digitis, 360
Micare pedibus & tripudiare in dicendo, 384
Μινυρίσματα, 476
Miſeratio excitata, 630
Mobilitas oculorum in vitio, 169
Mobilitas oculorum index agitationis mentis, 170
Modeſtia oculorum admirationi, 186
Mœror & luctus quam actionem poſtulent, 625
Mollire vocem quando incommodum, 602
Monotonia vitanda, 510
Mora in pronunciando, 545
Mora ante pronunciationem, 665. quid in ea agendum, ibid.
Mores in actione pellucent, 131
Mortui è contentione vocis, 496
Motus fracti oratorum, 277
Motus ſuperciliorum ominoſus, 193
Motuum exquiſita mollities depicta, 278
Mucoſus Orator, 207. 668. 669
Mulcere barbam an decorum, 256. 257
Mungere ſe validè, 668
Muſica in conuiuiis, 421
Muſica imperfecta ſine manibus, 291
Muſica muta χειρόσοφον, 290
Μυκτὴρ, naſus, ſales, 203
Μύζειν, μυγμὸς, narium ſonus, 207
Μυξάριον, petit morueux, 669
Μυστάκιον de longa barba, 258

N.

NARES acutæ vel obeſæ, 200
Nares follicantes, 207. vncæ, 204.
Nares contrahere, vel contorquere, 203. criſpare, 204
Naribus loqui fœmineum, 205
Naribus obſcœnè reſonare, 205. 206.
è Naribus ſpiritum eiicere, 206. 207.
Naſus Atticus, 203
Naſus irriſioni dicatus, 203. mores prodit, 201
Naſus pro ira apud Hebræos, 202.
Naſo ſuſpendere, 203
Nationes ad Septentrionem minus ingenioſæ, 29
Nationum variarum propria ſtudia, 27
Neſtor in dicendo pulcher & hilaris, 139
Νεῦμα τῆς χειρός, 321
Nictare ſæpè arguit pauidos, 165
Nobiliſſimus qui optimus, 46
Nobilitas adumbrata in emblemate, 43
Nobilitas geſtu expreſſa, 591. in vultu picta, 592
Nobilitas ſine virtute manca & irridenda, 45
Nuces voci nocent, 517
Nudo vt dicitur capite agere, 153.

O.

OBMVTVERE ſummi oratores ſubito metu, 657
Obſoletis verbis quatenus vtendum, 581
Oculus caninus, impudens, 183. ridens, 173. 178. Saturnius, truculentus, 172. emiſſitius, 187
Oculi animi ianuæ, 162. ſpecu-

lum, 163
Oculi mores indicant, 170
Oculi cuius rei ſymbolum, 164
Oculi & manus præcipua adiumenta pronunciationis, 163
Oculi laſciui, patrantes, putres, trementes, natantes, ebrij, pæti, prona libidine marcidi, &c. 169. 614. ſtupentes, 166. vegeti, 171
Oculi ardentes multùm poſſunt, 176
Oculi recti & leonini in Oratore, 610
Oculi errantes in ſceleratis, 171
Oculi hominibus tantum deprauantur, 174
Oculi Phauorini in dicendo placebant, 165
Oculorum flexus indicat impudicitiam, 169
Oculorum mobilitas quædam commendata, 170
Oculorum motus numeroſus, 170. volubilitas acris animi index, ibid.
Oculorũ pupillas inuertere quorum proprium, 175
Oculorum ſplendor in pulchris, 170
Oculos in legenda ſponſa conſiderandos, 164
Oculos demittere eſt modeſtiæ, 184
Oculos figere in aliquo vitioſum, 187
Oculis clauſis dicere vitioſum, 167
Oculis deuorare, 187
Oculis loqui, 176
Oculis multùm efficit Orator, 165
in Oculis pictæ affectiones, 162
Odium quem geſtum requirat, 603
Odores geſtare an debeat orator, 653
Οἰώνισμα πολεμικόν, 193
Omen ex ſternutatione, 208
Ὄμμα ἀναπεπταμένον, 189
Ὄμμα στυγνόν, 179
Ὄμματα μειδιῶντα, 178
Ὄμματα πῆξαι, 166
Ὄμμασι φθεγγόμενος, 175
Ὀφρυανασπάσαι, 195
Ὀφρῦς χαλιστάλαντοι, 195
Ὀφρῦς αἴρειν, ὀφρυάζειν, 194
Orator bonus rerum potitur, 92
Orator an natura, 461
Oratoris ingreſſus in ſuggeſtum qualis eſſe debeat, 658. ornatus corporis, 638. & deinceps. mora ante locutionem, 664. actio in Exordiis, &c. 670
Ὄργια vnde dicta, 317
Orici ore vaſto, 216
Ornatu corporis ſuperbire eſt muliebre vitium, 641
Orpheus vnde nominatus, 467
Os Oratoris νικητικώτερον τῶν χειρῶν, 212
Os animi veſtibulum, 212
Os immaniter diducere, 216
Os probum, 213. 661
Os pudoris ſedes, 136
Os torquere, διέλκειν, 214
Oſcitatio, 253
Oſtrea Lucrina præcipua, 25
Otium eſt finis negotij, 4
Otium inuiſum apud Romanos, 6
Otium iuſtum, 3
Otium non eſt proprium ſeruorum, 9
Otium omni animanti neceſſarium, 4. omnium poſſeſſionum optima, ibid.
Otium ſine literis mors, 2
Otio gloriari iners ambitio, 43

ex Otio mala, 7
Otioſis non adeſt Deus, 7
Ὀξυκινησία in oculis, 170

P.

Πλαχυστομία, 543
Παιωνίζειν, exercitatio vocis, 528
Palatinum ſupercilium, 194
Pallium in dicendo quis primus aperuit, 320
Palma olim pro ſcopis, 48
Παλαμικὸν οἰώνισμα in ſuperciliis, 193
Palpebræ corneæ in attonitis, 166
Palpebras non claudebant Dij veterum, 165
Pandectæ vnde nomen habeãt, 57
Pandectarum inuentio, 55
Papiniani mors, 54
Παφλάζοντες, 537
Parui Oratores ſæpè irriſi, 272
Parui dicti *ſtillæ*, 273
Παρεγχώπτωσις, 408
Patrantes oculi, 169.
Parriæ parendum ex iure, 24
Pauoni comparati ſuperbi, 104
Pauſus Deus vacationum, 14
Pes vnde dictus, 382
Pes ſiniſter minimo momento poteſt procedere, 391
Pedis ſupploſio qualis & quando eſſe debeat, 375 376.377.378
Pedem olim attollebant Chriſtiani in orando, 388
Pedes ἀστυπῶντες, 381
Pedes dicati Mercurio, 375
Pedum percuſſio in recitandis verſibus, 389
Pedum ſtatus in dicente, 390
Pedibus argutari, 386
Perfricare caput an deceat, 122
Pericles deformi capite, 150
Περιφρονεῖν de ſuperbis, 103
Περιχάσκοντες, 216
Φιλογέλωτες repudiati à Platone, 227
Philoſophi cudunt verba, 463
Philoſophi exquiſitius veſtiti, 69. 639
Philoſophorum conuiuia, 425. & de inceps.
Philoſophantes verè, pecuniam contemnunt, 68
Phonaſci, 504. eorum artificium an vtile oratori, 527
Phyſiognomones, 95. illorum artificium olim probatum, 96. id ſecuti ſunt Pythagoras, Zopyrus, alij, ibid.
Φυσιγνάθοι, 217
Pigritia veternum parit, 18
Pingues oratores illuduntur. 282. 283
Pinguium oratorum duo genera, 284
Piſces à locis habent varietatem, 25
Plato perforatas aures habuit, 200
Plaſma de voce, 475. plaſma potio, 520
Πλατειασμὸς & πλατυστομία, 543
Πλάττειν φωνὴν, 475
Πλατὺς γέλως, 253
Πλατὺ χέμψασθαι, 240
Plotinus ſolebat ſudare in dicendo, 159
Pluuia ſymbolum eloquentiæ, 82
Πολεμικὸν βλέμμα, 175
Pollio primus tabulis ornauit bibliothecam, 50
Poma eloquentiæ ſymbola, 448
Poma vnde dicta, 451
Poma & pyra nocent voci, 517

Poma præmia ſacrorum certaminum, 450
Poma triumphorum, 450
Pomis delectati Imperatores, 449. Philoſophi, 451
Pompeius habuit oculorum numeroſum motum, 170
Pompei imago ex gemmis, 101
Poſcere lineam, 384
Proceri corpore & graciles vſi tabellis tiliaceis, 267
Proceri & vaſti oratores illuſi, 269. 270. 271.
Περγάσιος Socrates, 281
Pronunciatio quondam Sophiſtarum mollior, 473
Pronunciatio literarum aut ſyllabarum inepta, 529
Pronunciation. quanta vis, 93
Πρόσωπον συνεσπασμένον, 215
Πτερυγίζειν, 370
Pudor in oculis, 185
Pudor perſuadet Iudicibus, 137
Pudor in vultu neceſſarius oratori, 136
Pudoris ſignificatio in oratore, 325. 326. 327
Pugnatorius mucro, 409
Pulchritudo oratoris conciliat, 585
Pulchritudo corporis fugax, 146. diuinum bonum, ibid. magnā vim habet ad conciliandum, 147. ornat eloquentiam, ibid. minus queritur in philoſophis, 150
Pupillas oculorū inuertere, quorum proprium, 175
Putres oculi, 169
Pythia caput furenter torquebat, 117

Q.

QVies Dea, 14
Quies iucunda, 15
Quies omni animanti neceſſaria, 4
Quintilianus inuocat numen Domitiani ad ſcrib. 464

R.

RANCIDVLO ore loqui, 205
Rauci oratores minus grati, 508
Regia maieſtas lucet in vultu, 132
Religioſi viri in dicendo triſtiores, 141
Remigum geſtus in dicente, 266.
Remiſſi humeri, 17[illegible]
Renidentes oculi in hilaritate, 178
Reſupini dicti ſuperbi, 103
Rex oratorum M. Tullius, 78
Rhetorica vim ignis ſpirans, 76
Ridere olim nefas in Academia, 227
Ridere non poterant qui in Trophonij antro fuiſſent, 230
Ridere craſſum, 236.
Ridere catuli ore Gallicani, 236
Ridiculus veterum Deus, 14
Ridiculus Conſul Cicero, 230
Rigens ceruix ſuperborum, 616
Ῥινανλεῖν τὰ αἰσχρά, 206
Riſus oratoris qualis eſſe debeat, 238
Riſus oratori opportunus, 2[illegible]
Riſus affectator Cicero, 78
Riſus latiſſimus, 235. meretricius, 237. philoſophicus, 232. quatiens, 236. Syncruſius, ibid. Sanctorum virorum, 239
Riſus è væcordia vel impudicitia,

tia, 233
Riſus inimicus Pericles, 229
Riſum amantes arcebantur ab Indorum philoſophia, 228
Riſum compeſcere fructus philoſophiæ, 228
Rubor vultus commendat Oratorem, 661. 662. &c.
Rubor virtutis color, flos amabilis, &c. 661
Ructus an cadat in oratorem, 254
Ructus duobus modis contingit, 255
Ructus cauſæ, 254
in Ructu quid faciendum Oratori, 256
Rugoſa ſanna, 201

S.

SANNA rugoſa, 201
Σαρκάζειν, 222
Sardanapali mollities, 168
Satagere dicti diſcurſantes in dicendo, 383
Σαυλοῦται, 385
Scarus dictus cerebrum Iouis, 25. vbi optimus reperiatur, ibid.
Σκαρδαμυκτικοὶ qui, 165
Scena corporis, 260
Σχῆμα & νόημα in oratione, 464
Schola vnde nominata, 2
Σχολὴ εἰκαία, 7. Σχολὴ χολή, 18
Σκῶψ & σκώπτειν, 329
Σεμνῶς dicere, 532
Σεμνοπροσωπεῖν, 184
Senatorum vacationes, 12
Σιάλοχοι qui deſpuunt alios, 243
Silere in arte bellica commendatum, 131
Similitudo geſtus vitanda, 295
Singultus Oratoris, 252
Siniſtra manus ſola geſtum non facit, 297
Siniſtra in quibus inſeruiat dexteræ in agendo, 311
Siniſtra nũ oneranda chirothecis, libellis, &c. 346
Siniſtra apta ad furta, 306
Siniſtra frigida, 305. mouetur difficilius, ibid. eius genuina pigritia, ibid. quibuſdam agilior dextera, 301
Siniſtra dicta interiora, 306
Siniſtra dextris infirmiora, 302
Σοβαρογλώσσαρες Sophiſtæ, 195
Socrates deformis, 150. habuit diſtortos oculos, 174. iratus bellua ſæuior, 617
Solœciſmus in geſtu, 347. 348. &c.
Sonus naribus expreſſus obſcœnitatis vel iracũdiæ index, 205. 206
Sophiſtarum in dicendo arrogantia, 104
Sophiſtarum λυκύθιον & tragacantha, 504
Sordidi & inuenuſti oratores, 640
Speculum oratorum, 88. Philoſophorum, 87
Speculum delicatiorum, 86
Speculum mutus magiſter, 88
Speculi vſus olim in ſacris, 86
Σφαιρία miſſilia, 67
Σφαῖραν ποιεῖν τὴν ὑπόαν, 67
Spiritus dicentis, 613
Spiritum è naribus eiicere, 207
Splendor in voce, 435
Splendor oculorum in laude, 170
Spuere in dicendo, 240. ſpargere auditores ſputo, 243
Spuere in Herculeo morbo, 241
Spuere ſeruis non licuit, 241
Spuere in ſinum cur ſolerent antiqui, 244
Spuere in templis nefas, 242
Spuma iratorum, 248. delicatorum, ibid.

Spumas in ore agere an deceat, 247
Squalor corporis in miſerationibus, 631
Stare ſuris apertis, 391
Statarij oratores, 403
Status pedum in dicente, 391. an ſtatum ſæpe commutare deceat, ibi.
Status dicentis erectus & celſus, 260
Status baſilicus quis, 259
Στερνοτυπλόμενοι, 331
Sternuere in concione ominoſum, 210
Sternutatio ſalutis augurium, 208. ſymbolum veritatis, ibid.
Σημεῖον ἱερὸν, 209
Sternutatio arguit cinædum, 210
Sternutationis ſuperſtitioſa obſeruatio, 209
in Sternutando quid agendum oratori, 211
Stillare verba, 546
Stirpium varietas ex locis, 25
Strabones oratores, 174
Στρεβλόχειλοι, 222
Strictipella, 204
Stridere dentibus quorum proprium, 219
Struthiocamelus de oratore dictus, 270
Studia plena voluptatis, 5
Studia ſunt laborioſa, 9
in Studiis relaxatio iuſta & honeſta, 4
Stylus comptior & pictior reprehenſus, 568
Styli aſperioris reprehenſio, 560. commendatio, 563. & deinceps, ſerio damnatur, 574. 575
Styli ſuauitas comprobatur, 571
Suauitas oris in Attico, 213
Suauitas pronunciationis commendata veteribus, 558. 559
Suauiloquentes oratores, 502. 503
Sublimes & ſupini dicti ſuperbi, 103
Sudor in fronte vnde exiſtat in dicendo, 157. 158
Sudor etiam in audiendo, 159
Sudor quando deceat, 160
Sudorem abſtergere digito, brachio, manica, 160
Sudare, ἀγωνιᾶν, 158
Suggeſtum verbare, 334
Supercilium ſedes arrogantiæ, 194
Supercilium arduum, Campadum, Palatinum, rubrum, 194. tragicum, 395. Cenſorium, 196. Catonianum, 197
Supercilium vnum attollere, alterum deprimere, 193
Supercilia loquuntur, 194. animum indicant, 191. fronti imperant, ibid. produnt affectus, ibid.
Supercilia ſeuera & plena dignitatis, 195. immota, nimiũ mobilia, diffidentia, in vitio, 192
Superciliorum alleuatio & contractio quando adhibenda, 197.
Superciliorum motus ominoſus, 193.
Supinus orator reprehenſus, 103. 104
Supplantare verba. 474
Supploſio pedis, 376. 377
Suſpirium morbus, aut affectionum indicium, 249
Suſpirium quando deceat, 250. 251
Suſpirare ex mollitie, 250
Sympoſia μουσικὰ & μεσπούδασμα, 419
Sympoſia ſcripta à multis, 425

T

TABVLIS tiliaceis vſi olim incurui, 267
Tardè pronunciare quando ſit ère, 549
Tarditas nimia in pronuntiando, 546. 547
Ταυρηδὸν βλέπειν, 172
Tegere latus, 309
Telum dictionis ſtringere, 409
Tenor vocis, 500
Ternarius cõcordiæ ſymbolum, 56. Iuſtitiæ dedicatus, 58
Terror in vultu quando exprimendus, 144
Τετράγωνον, tentipellium, 204
Themis Regum πάρεδρος, 53
Theophraſtus obmutuit in Senatu, 88
Thyrſus oratoribus tributus, 613
Timor excellentium oratorum initio vnde, 974. timor Ciceronis & Demoſthen. 675
Timor oratoris initio qualis eſſe debeat, 676
Timor generat ſudorem, 158
Timoris incommoda in dicendo, 656
Timorem eſſe dicturo moderandum, 654. eius minuendi modus quidam, 655
Timorem ſimulare initio dicendi, 672
Timore olim ſummi oratores obmuruerunt, 657
Titanicum tueri, 173
Τονάριον fiſtula Gracchi, 492
Torquere os in dicendo, 215
Toruè intueri an conueniat, 173
Traballi orat. ardor oculorum, 176
Tractim dicere, 546
Traga cantha vſi ſophiſtæ, 504
Tragica in Epilogis, 686
Τραχύζειν, 507
Tres partes docilitatis, 59
Tres toni commendati, 528
Τρία Στησιχόρου, 55
Tria στοιχεῖα cognitionis, 59
Τὰ τρία ſignificant omnia, 57. perfectionem, ibid.
Tria olim damnatis propoſita, 56. tria quæ vellent dicere conceſſa, 56
Tria munera boni ſenatoris, 58
Τριὰς ἑκάστου ἀρετῆς, 59
Τριττὺς quid, 57
Τρίτης dictus Apollo, 56
Tritonia cur dicta Minerua, 58
Tripertita Sex. Ælij, 68
Tripudium in lætitia, 389
Tripudiare in dicendo & exilire, 384. 386. 387
Triſtitia dicentis quando probata, 141
Triſtitia in iudice laudata, 140. non autem in Orat. ibid.
Τρίποι ἐπιχώειοι ſiue ἐπιπολάζοντες, 24
Truces oculi, 172
Truncare verba in dicendo, 532
Trutinari verba, 547
Tumor pronunciationis, 541
Tunica ferrea inuentum Gallorum, 38
Turpia qua ratione debeat attingere orat. 326. 327
Tuſſis oratoris, 245. eius medicina, 246
Tuſſis index hæſitantiæ, 247
Tuſſiebat in dicendo Demoſthenes, 245
Tuſſientes ſerui olim caſtigati, 246

Digitized by Google

V.

VAcationes ſchol. à Iulio ad Octob. 11
Vacationum antiquitas, 10
Vacationes Apoſtolorum, 16
Vacationes à ſacris concionibus, 16. 17
Vacationes Curiæ, 12. fori, ibid.
Vacillare in dicendo, 280
Vacuna dea vacationum, 14. eadem dicta Victoria, ibid.
Valgia labellorum obtortiones, 222
Varia climata mutant naturam, 24
Varietas naturarum è locorum varietate, 23
Varietas in voce neceſſaria, 510. dicenti vtilis, 516
Vaſtè pronuntiare, 543
Vegeti oculi, 171
Velites inuentum Gallorum, 58
Vena rupta dicentium, 496
Venter non nimium in dicendo proiiciendus, 280
Verecundia commendat oratorem, 137. 662. & deinceps.
Verſuum recitatio olim cum cantu, 487
Veſtis pulchra ornat corpus, 647
Veſtitus oratoris qualis eſſe debeat, 638. & deinceps multis.
Veſtem componere ante initium dictionis, 666
Veſtium laſciuia indicat impudicitiam, 644
Viatica pulcherrima, 62
Vindemia pueris olim adamata, 13
Vindemiales feriæ, 10. 13
Vindemiales Imperatorum recreationes, 13
Vinum eloquentiæ nocet, 443
Vinum efficit ingenium viuidum, 433. reddit homines φιλολόγους, 436. triſtitiam diluit, 434
Virtus corpus ſuum conſecrat, 150
Vngues rodere feritatis, 365
Vox acuta, 512. aſpera, 507. vnde fiat aſp. ibid. canora commendata, 484. exilis irriſa, 483. minus apta mouendis affectibus, ibid. magna, 478. diis attributa, ibid. index conſtantiæ, 611. placida & moderata, 492. rauca inſuauis, 508. poteſt leniri, ibid. ſuauis commendata, 502. virilis, 472. ea tenenda oratori, ibi.
Vox eliditur & obtunditur, 496
Vox magna neceſſaria in magiſtratu, 468
Vox natura flexibilis, 509. flebilis in mœrore, 627. ſoluta in canticum reiicitur, 628
Vox in exordio qualis, 671
Vocis aurea menſura, 498
Vocis contentio quando adhibenda, 500
Vocis commutatio quæ laudabilis, 514. 515
Vocis claritatem quæ faciant, 519. 521
Vocis differentiæ, 471
Vocis humanæ decem modulamina, 467
Vocis oratoriæ vis illuſtrata, 467. Vocis dignitas, 469
Vocis plenæ grandiorísque dignitas, 478. 479. eius commoda in dicente, 481
Voci quæ noceant, 516. 517
Vocem claram quomodo aſſecutus Demoſthenes, 482

Digitized by Google

Vocem criſpare & eliquare, 474
Vocem frangere, 477
Vocem mollire quando commodum, 602
Vocem perdidit Hortenſius, 496
Vultus ſpeculum animi, 131. vultus loquax, ibid. virtutis character, 132. plurimùm in dicendo poteſt, 131. 132. in eo maieſtas regia, 132. per ſe tantùm magna conficit, 135
Vultus ſtupens quando deceat, 142
Vultus aptus ad conciliandum qualis, 586. 587
Vultus ſuperborum, 619
Vultus variè commutandus, 138. hilaritas in eo probatur, 139. ſeueritas quando decora, 143
Vultus nitentis, 214
Vultus honeſtas plurimùm in dicente poteſt, 135
Vultus inclinatio reprehenſa, 107. laudata, 109
Vultus pondus terribile, 145
Vultum manu inumbrare, 325
Vultum ſibi quilibet poteſt fingere, 134
Vultu torquere homines, 144. terrere, 145

X

XENOCRATES vultu Polemonis petulantiam coërcet, 135. 199
Xenocratis aſpectus quàm potens, 262
Xenophon in dicendo gratiſſimus, 135

Z

ZENO ob deformitatem reiectus ab Imperio, 148
Zeno vſus ſpeculo, 87
Zenodorus Aruernus Coloſſum Neroni effecit, 38
Ζεῦ σῶσον dictum in ſternutatione, 208

Digitized by Google

ERRATA EMENDANDA.

PAGINA 5, lin. 1. lege oleam. p. 19. l. 2. leg. hominum. p. 48. l. 4. leg. πολυτεχνεῖ. p. 53. l. 35. leg. patritius. p. 58. l. 29. leg. conſpectus. p. 72. l. 9. leg. poſuiſſe. p. 79. l. 21. leg. oras. p. 109. l. 18. leg. idem. p. 120. l. 37. leg. ſumma. p. 122. l. 11. leg. quodam. p. 128. l. 1. leg & tot. p. 129. l. 37. leg. motantem. p. 163. l. 13. leg. ὡραιότατον. p. 174. l. 26. leg. Roſcius. p. 179. l. 4. leg. πανηγυρικός. p. 198. l. vltim. leg. aures. p. 213. l 12. leg. ſuſpicari. ibid. l. 26. leg. lineamentis. pag. 218. l. 36. leg. gingiuulæ. p. 229. l. 24. leg. amandandum & reiiciendum. p. 232. l. 5. leg. dignum. p. 259. l. 35. eſt apud nos. p. 261. l. 24. leg. ὁ ἄνθρωπ. p. 308. l. 32. leg. ſit vnus tant. p. 327. l. 9. leg. κέχηνται. p. 328. l. 32. poſt *decori*, adde ſtudioſo. p. 342. l. 24. leg. explicitis. p. 349. l. 6. leg. gnauitérque. p. 372. l. 16. leg. παλλομένους. p. 399. l. 27. leg. hominem. p. 410. l. 36. leg. animi. p. 419. l. 30. leg. humaniſſimis. p. 468. l. 11. leg. acerrima. p. 472. l. 11. leg. exquiſitius. p. 533. l. vlt. leg. Caſſius. p. 536. l. 13. leg. trepidus. ibid. l. 36. leg. τραυλὸς. p. 538. l. 19. leg. ἐπίτεινον. p. 540. l. 28. leg. ei tribuit. p. 546. l. 6. leg. ſapientum. p. 553. l. 30. leg. animum. p. 564. l. 18. leg. auidi. p. 568. l. 27. leg. germana. p. 595. l. 4. leg. ille. p. 619. l. 19. leg. ἱπποτεία. p. 611. l. 14. leg. Tacitus. p. 625. l. penult. leg. riſum. p. 627. l. 35. leg. quo nihil. p. 628. l. 37. leg. ſinguli. p. 634. l. 1. dele im. p. 686. l. 37. leg. hominem. p. 691. l. 9. leg. demitteretur. p. 692. l. 1. leg. tanquam. p. 693. l. 1. leg. æmulum. p. 696. l. 14. leg. mediocria.

Digitized by Google

PANEGYRICVS LVDOVICO XIII. GALLIÆ ET NAVARRÆ CHRISTIANISSIMO Regi Votus

IN GRATIARVM ACTIONEM

PRO SCHOLIS RESTITVTIS Collegij Claromontani Societatis IESV in Academia Pariſienſi.

Item aliæ aliis gratiarum Actiones.

Auctore LVDOVICO CRESOLLIO *Armorico è Societate* IESV.

Digitized by Google

LECTORI CANDIDO.

CVM primùm apertum Collegium noſtrũ fuit, Regis Optimi ſingulare beneficium, et clariſſimorum hominum beneuolentia, hæc à me Schediaſmata expreſſerant, quæ non tanti eſſe videbantur, vt lucem viderent. Nunc quoniam exeunt Vacationes noſtræ, hos habere comites poſſe quidam exiſtimauerunt, quorum iudicium minimè aſpernari poſſum aut debeo, quòd in perennibus beneficiis atque illuſtribus, quorum fructus longè et latè pertinet, nunquam intempeſtiua ſit grati animi ſignificatio. Qua de re te Lector optime volui admonitum, vt omnia æqui et boni conſulas. Illuſtriora verò atque ornatiora ab iis expecta, qui maiori ſunt eloquentia et eruditione, et quod de magnis ſcriptoribus dixit Gregorius Nazianzenus, τὰς τυῤῥηνικὰς ὑπερφωνεῖν σάλπιγγας, *Tyrrhenicas tubas oratione ſuperare poſſunt.*

PANEGYRICVS

LVDOVICO XIII. CHRISTIANISSIMO REGI VOTVS in gratiarum actionem.

QVOD indictis regni Comitiis à pollenti rerum omnium molitore Deo precatus ſum, vt conſilia omnia & lectiſſimorum hominum cogitationes ad Galliæ fœlicitatem & bonum conuerteret, idem mihi hodierna die euenire oro quæſóque, vt menti lumen & diuinum ſplendorem iniiciat, quo virtutem Regis mei omnium gentium literis atque linguis prædicandam, quantum infantia mea patietur, dicendo exornem. Erunt opinor qui ſummam eius ſapientiam & moderationem in componendis placandiſque iis fluctibus, qui nonnullorum animos commouerant, in gloria & laude ponent: alij ſumma orationis copia in cœlum ferent prouidentiam, & bono Rege dignam caritatem, in communibus populi ærumnis ſubleuandis: non nemo in conſeruanda religione pietatem celebrabit. Ego verò incredibilem eius humanitatem in Academia honeſtanda, & vnius ſcholæ adiunctione amplificanda, tacitus præterire nullo modo poſſum. Nam cùm Ordo clariſſimus Antiſtitum, & inclytæ Nobilitatis, hoc eſt flos vniuerſæ Galliæ ſuperiorum annorum Comitiis propoſuiſſet, non alienum eſſe à regia dignitate & prouidentia Claromontani Collegij aditus iuuentuti clauſos & tandiu

Digitized by Google

obſeptos ſua veluti manu & autoritate aperire; atque adeo popoſciſſet, vt Societatis homines ſummis religionibus obſtrictos ad diuinam gloriam augendam proſeminandámque pietatem, ſuam in fidem & clientelam ſuſciperet: Rex optimus in commune bonum intentus rem honeſtam vtilémque iudicauit, & de Principum Conſiſtorianorum ſententia, quod erat à ſapientiſſimis viris petitum, ſtudio prope incredibili, inuſitata beneuolentia, & commemorabili in omnes annos voluntate perfecit. Quare idem mihi faciendum putaui, quod feciſſe Dominum Hebræorum eundémque Vatem vnum omnium ſanctiſſimum aiunt: qui cùm animo prouideret, fore vt Deus parta pace, Babylonióque dominatu compreſſo, eiectam olim eruditionem luménque literarum principi ciuitati reſtitueret, cantu & lætitia tanti beneficij magnitudinem proſecutus eſt, & ſummi Dei beneuolentiam prædicauit, qui Solymeum illud Muſeum, quod ἀγλάϊσμα τῆς γῆς vniuerſæ terræ ſplendorem magnifico genere orationis nominat, iam fundatum bonis radicibus in Sionis Monte poſuiſſet. Erat enim, vt aureæ fons eloquentiæ Chryſoſtomus animaduertit, Hieroſolymis vrbe copioſa & beata διδασκαλεῖον τῆς γῆς, doctrinæ officina, & communis veluti ſchola omnium nationum, vnde etiam propter morum ſanctimoniam & adiunctionem pietatis, manare dicit πηγὰς τῆς φιλοσοφίας ſanctæ & liquidæ ſapientiæ fontem ad hominum mentes imbuendas: & qui volebant cultum & ornamentum ingeniorum capere, inde bonam & laudabilem inſtitutionem, & beatæ vitæ rationes modóſque diſcebant. Non poſſum Collegium hoc noſtrum orbis terræ lucem nominare, aut dicere fontes ab eo reconditæ ſapientiæ & diuinæ oriri ad omnium gentium ſitim & honeſtam appetitionem reſtinguendam: hoc tantùm mecum ipſe reputo, excellentium hominum iudicio, qui frequentes ad imperij Gallicani ſenatum conuenerant, fuiſſe declaratum, id ad decus auitæ religionis, & tuendam laudem literarum, nonnihil opis atque adiumenti adferre poſſe. Hoc igitur dulcium olim Camœnarum Semneum, hoc diſciplinæ religioſæ domicilium, quod non quidem Babylonius furor impiáque hominum bella diſiecerant, ſed cuius florem dignitatis communium tem-

porum iniuria & taciti caſus obtriuerant, cùm videam tua prouidentia atque munere, Rex Chriſtianiſſime LVDOVICE, iam denuò conſtabilitum, & vt Dauidis verbo vtar, ὡραϊζόμενον, quis iure me reprehendat, ſi hoc tantum támque illuſtre beneficium ponere in oratione mea velim, & pro mea tenuitate gloria & prædicatione celebrare? Quod ſi vllum mihi fuit aliquando cum literis & humanitate commercium, an non modò euocandæ Muſæ fuerunt & inuitandæ, vt tibi tanquam Ioui ſoſpitatori grates haberent, cuius voce atque imperio in priſtinum ſuum domicilium inſignibus equis, & aureo velut pilento reuehuntur? Pono mihi ante oculos huius Collegij ſolitudinem, triſtem illam obſcurámque faciem & conditionem, quod tanta temporum intercapedine, quam obſtupefacti multi homines & mirabantur & mœrebant, non ſplendorem modò ſuum & dignitatem, ſed ne quidem nomen ſuum retinere potuiſſet. Neque enim tum Gymnaſium dici potuit, ſublatis iis tot atque tantis literarum exercitationibus, quibus animi erudiri ſolent adoleſcentium: & quod haberet à Claro Monte cognomen, non ſine blandiente quodam omine honoris, & ſplendidi nominis tacito veluti ſenſu & voluptate, in ſilentio atque tenebris multos annos iacuerat. In iis ſedibus eruditionis & honeſtiſſimæ gloriæ, vbi doctiſſimorum hominum vox & elegantia perſonuerat, propolæ iam atque opifices, & indocta Zonariorum turba deliteſcebat: pro liberali ſapientiæ communicatione, quam ſine pretio ingenuæ mentes capiebant, pro dulci pugna concertationum, quibus acuebatur antea puerorum animus atque induſtria ad concipiendam doctrinã, vilium nonnũquam tabernariorum lites & tumultus, qui Collegij partẽ occupauerant, exaudiebãtur. Mercurius qui λόγιος antea parens quidam humanitatis atque ſcientiæ nominabatur, auream virgam ſymbolo eruditionis claram & inſignem pæne dicam abiecerat, & Cerdous hic haberi & dici cupiebat. Apollo verecundus & religioſus qui iis locis ſumma gloria præſediſſet, vbi liquidos olim clariſſimarum virtutum fontes aperuiſſet, vix habebat pedem vbi poneret ſuum, vt in ſuo. Nunc verò in hac luce, in hoc tanto ſapientiſſimi Regis beneficio, in hac Ordinum totius Galliæ mirifica

beneuolentia, & commemoranda ad omnem poſteri temporis memoriam, in ſummorum virorum gratulatione, in Academiæ ſuauitate & gratia, ſcholæ ipſæ, tecta, parietes, lætantur quodammodo & geſtiunt, & inſolita quadam iucundiſſimi reditus titillatione commouentur. Muſæ feſta lætitia tripudiantes, & mixtæ Gratiis, ſuauiſſimos in numerum choros agentes, omnium votis & gaudio exceptæ, beneuolentiſſimè inuitatæ, ad domicilia ſua adlabuntur & appellunt, itáque ſunt Regis ſui gratia & ornamentis inſtructæ, vt quæ olim dictæ fuerunt à Pindaro Vatum omnium grauiſſimo *argenteæ*, mihi penitus hic aureæ videantur aliquando futuræ. Atque vtinam non aureæ modò ſint, verùm etiam ex omnium ſplendore vnionum conglutinatæ, & rubri maris opulentia compoſitæ, vnde fieret pactilis quædam & eximia corona, grandibus gemmis & pyropis collucens, atque ſumma omnium lapidum varietate, nouo quodam & inſolito artificio diſtincta, quæ Regi meo omni honoris ſignificatione conſecretur. Montem eſſe ferunt in Mœſia, quem incolæ olim *Aureum* indigitabant, in quem Probus Imperator cùm veniſſet aliquando, ab illa barbaria conteptum, ita illius aſpectu recreatus fuit & delinitus, ita putauit ab eo glorioſo nomine minimè alienum, vt ſubitò regia magnificentia conſerendum vitibus, & inſigni fructuum copia ornandum exiſtimaret. Illæ vites non tam aureæ montis ingenio atque ſolo, quàm Herois illius animi excellentia, & rebus geſtis clariſſimi beneficio, etiamnum aureæ, ſuum ſplendorem & incredibilem ſuauitatem retinent, & quandiu honos erit literis & humanitati, illud facinus hominis eximium, de omni poſteritate mereri cupientis, hiſtoriarum monumenta concinent & prædicabunt. Sed quidquid illud tandem eſt laudis & gloriæ, tua LVDOVICE clara & inuſitata prouidentia, tuum hoc recens & luculentum beneficium longè omnium opinione anteiuit. Nam cùm tuæ beneuolentiæ oculos ad Clarum Montem adieciſſes, quaſi in aureum Muſarum montem incidiſſes ab omni cultu & elegantia nudum & deſertum, omni ornatu & priſtina copia ſpoliatum, conſerendum exiſtimauiſti, & ad fructuum vbertatem excitandum. Eſt ille poſitus non in frigidis oris, &

inamœni ſoli aſperitate, ſed in ſinu regiæ tuæ Lutetiæ, quaſi in Edeneo quodam horto, inter illuſtria Muſarum domicilia, quæ eruditiſſimorum hominum vocibus quotidie perſonant: vbi vites tuo ſole fœcundæ atque vberes, copia denſæ, religione aureæ, tui ornandi & cohoneſtandi voluntate purpuraſcentes, creſcent in dies, meo iudicio felicius, & fructuum abundantia efflореſcent. Probi Imperatoris illæ vites, tametſi in Aureo Monte conſitæ, incolis tamen finitimiſque populis tribuerunt, vt ſe vino ſæpè ad perniciem & dedecus ingurgitarent: tuæ autem illæ nobiles, LVDOVICE maxime, hoc eſt tenera adoleſcentium ingenia, quæ in aliis doctæ Academiæ Collegiis, atque hoc ipſo Claramontano inſtituentur, modeſtiam atque animi moderationem ingenerabunt. Nam in omnem conſequentis æui memoriam doctorum hominum & piorum diligentia exculti, eruditi ad omnem honeſtatem, rectiſſimis ſtudiis exaturati, ſpargent deinde ſe in imperium Gallicanum mirabili abundantia & virtutum copia redundantes, atque ad omnes qui tua dominatione continentur, prudentiæ ſuæ fructum ingeniique deriuabunt. Atque hîc mihi venit in mentem cogitare, non temerè, & ſine prope diuina mentis prouiſione, tantum opus à te ſuſceptum & perfectum fuiſſe. Oculos profecto animúmque retuliſti, ad claros illos ſapientéſque Reges cogitandos, quorum fuit in propaganda ſapientia, diſſeminandíſque literis nobilitata virtus atque magnificentia. Eumenius Rhetor Menianas ſcholas ſeu Muſea ad iuuentutis eruditionem conſtructa, vocat *Templa Imperatoriarum gloriarum*, quod opinor in iis conſtituendis & ornandis, Regum & Dynaſtarum ſumma laus & gloria omnium gentium opinione conſecretur. Ita verò ſe res habet. Nihil eſt tam regium, quàm amare literas, quàm rerum optimarum ſcientiam latè ſpargere, quàm fouere ſapientiam, atque homines in erudito puluere glorioſa animi contentione laborantes, quàm perficere, vt iiſdem cum humanitate & doctrina finibus & regionibus, nomen terminetur ſuum. Itaque in Maiorum tuorum veſtigia, ſapientiæ notis inuſta feliciter ingreſſus, non putaſti latum vnguem ab eorum laude diſcedendum, nihíſque fieri à te poſſe, vel

vtilius tuis, qui optimæ dominationi tuæ imperióque ſeruiunt, vel nomini tuo glorioſius, & ad conciliandam omnium beneuolentiam accommodatius, quàm vt Muſas iam florentes, & in ſuo curſu volitantes exornes, vel diſtractas diſſipatáſque reuoces, vel in certis imperij tui ſedibus conſtabilias. Et ni mea me coniectura decipit, ſanctiſſimus LVDOVICVS Galliæ Rex ſæpe tibi obuerſatur ante oculos, cuius non modò nomen diuinitus conſecutus es, ſed pietatem, religionem, ſummas eximiáſque virtutes, & regiam in omnes partes humanitatem imitaris. Illius diuini hominis ſplendor te exſuſcitat, inflammat etiam vehementius atque mouet inclyta laus & ſapientia, quam in regni adminiſtratione oſtendit, ad conſimilem animi excellentiam tuendam & præ te ferendam. Cuius ego in ſtudia doctrinarum amorem non vulgarem & vſitatum, ſed mirabilem & hiſtoriarum monumentis notatum prædicare poſſum, verùm vno ero facto contentus, ſed inſigni glorioſóque facto, omnes vt intelligant, te in illius pulcherrimis veſtigiis hærere voluiſſe. Orta eſt aliquando Ciues inter Pariſienſes & iuuentutem, quæ in Academiæ ſinu informabatur, grauis & odioſa diſſenſio: res vt fit, primùm è tenuibus principiis, in complurium hominum perniciem exitiúmque manauit: ad vim, ferrum, & pernicioſiſſimam contentionem venitur, & vt Poëtæ valdè boni verbis & elegantia vtar, *Tollitur è medio ſapientia* illa domina rerum mentiúmque regina, *vi geritur res*, ſpernitur non Orator modò vnus de multis, ſed Philoſophi, & totius literaturæ politioris candidati. Cúmque audacium quorumdam furor licentius efferueſceret, nobiles quidam adoleſcentes atque ingenui vulneribus debilitati, impio ferro conciderunt. In Muſarum delubris atque tectis, motus factus eſt magnus ea re & calamitate: ſtudioſi artium & doctrinæ, cùm turbari quietem viderent ſuam, & indigniſſimum iudicarent, vt Martis ſæui & crudelis manubiæ ſanguine humanitatis inficerentur, ne Mineruam amicam otij & placabilitatis probris & contumeliæ obiicerent, cedere maluerunt alióque migrare. Subitò ingens conſecuta eſt in Academia ſolitudo, nulli

nulli prope adoleſcentium greges, cùm in alias vrbes ſe contuliſſent, in Collegiis, in dicendi officinis, in diuerſoriis bonarum artium videbantur. Illæ ſcholarum luſciniæ, quæ paulò antè incredibili ſuauitate, & quodam veluti cantu Orationis omnium animos capiebant, mutæ ſine voce & conſueta frequentia ſilebant. Ea pars Ciuitatis quæ ſuperioribus annis ſpecioſa, nobilis, glorioſa, & concurſu plurimarum nationum illuſtris fuerat, tum vaſtitatem triſtem & inhumanam denuntiabat. Indoluit Rex ſapiens Ludouicus, cùm videret florem demeti adoleſcentiæ, collabi artes & inopinato fato concidere, Academiæ lucem ſplendorémque minui, quo mirificè lætabatur. Obuiam eundum malo ratus, & iuuentutis perſpicuo incommodo, quæ in medio curſu, illo vento ciuilis diſcordiæ atque fluctibus, à portu præmiſſque ſtudiorum miſerandum in modum reiiciebatur, curam & prouidentiam adhibuit, dignam Rege, dignam bono parente patriæ, dignam ea religione & grauitate, quæ mirabilem illum inter homines efficiebant. Scribit literas, mittit certos homines prudentia ornatos, & negotiorum experientes in varias prouincias, vbi ſparſi diſſipatíque fuerant adoleſcentes: perficit tandem ea qua plurimùm apud omnes autoritate valebat, vt Lutetiam omnes ad hanc arcem doctrinarum, ad communem gentium aram, ad emporium humanitatis redirent. Quo tempore diuinus ille Princeps oraculum protulit, dignum profectò quod publicis in locis & priuatis, in foro, Curia, palatio, in Muſeorum propylæis, ad conſequentium omnium ætatum documentum, aureis literis vncialibúſque ſcribatur. Nam veluti curæ ſuæ glorioſique facti rationem reddens, dixit grauiter & conſideratè, *Sapientiam theſaurum eſſe quendam imperij, ſine quo, nec diues, nec beatum eſſe queat.* Vix dici poteſt quantam ex eo gloriam nomini ſuo conciliarit, quantam gratiam inierit ab Academia, quam abiectam afflictámque recreauiſſet, quantam ſit omnium Ordinum beneuolentiam conſecutus. Ego certè id facinus longè vtilius atque illuſtrius puto, quàm ſi pomœrium Lutetiæ protuliſſet, aut præliorum contentione barbaram aliquam nationem domuiſſet. Nam barbari quidem vi & ferro ad imperium adiuncti, deficere deinde poſſunt à iuſtiſſimo dominatu, & victores damno & detri-

mento afficere: ſed tot millia nobilium adoleſcentum in Academia rectiſſimis ſtudiis informata, cùm ſeſe ad varias reipubl. partes appulerint, poſſunt nationes in officio continere ſuo, & in pace bellorúmque tumultu, regni vulneribus ſapientia ſua mederi. Pari in laude præſtabilem tuam ſapientiam pono Rex LVDOVICE, qui ſemper Academiam hanc tuam quam ornatiſſimam eſſe voluiſti, & omnium bonorum laude circumfluentem. In quam nuper à Comitiis monitus cùm beneuolentiæ tuæ oculos conuertiſſes, eámque vidiſſes non deſertam quidem & ſqualentem, ſed non ea certè frequentia celebratam, quam maiorum ætas vidiſſet, non exiguam laudis & gloriæ acceſſionem fore communi bono literarum putauiſti, ſi Claromontano Collegio reſtituto, ad excellentium hominum chorum, qui ſumma laude atque ingenij gloria variis in Lyceis docendo occupantur, Societatis quoque noſtræ homines accederent, vſu & exercitatione politi, & non tenui ſtudiorum humanitate imbuti, vnde fiat, vt numero Doctorum hominum amplificato, & recluſis nouis ſtudioſum fontibus, maior etiam copia auditorum atque vberior ſperari poſſe videatur. Neque vero id effatum ſanctiſſimi LVDOVICI, quod in ipſa quaſi ara æternitatis conſecrandam aiebam, aut illius vnius proprium fuit, aut minùs à præſtantiſſimis viris cognitum, qui ſumma imperia adminiſtrarunt, aut ignotum tibi, qui ex doctorum virorum commentationibus præclara omnia didiciſti. M. Antonius qui imperij Romani habenas prouidentiſſimè multos annos tenuit, in mente ſemper, identidem in ore & communi ſermone habuiſſe dicitur Platonis acroama, hominis docti & Philoſophorum omnium coryphæi, tum nimirum reſpubl. beatas fore, cùm præſtantes ſapientia viri & à Philoſophia prodeuntes, dominationem obtinerent, aut rerum domini Reges & Dynaſtæ philoſopharentur. Itaque Principum & clariſſimorum Imperatorum ſtudium illud ſemper fuit eximium & iuſtus labor, vtilis ſtudioſis & reipubl. vniuerſæ, vt magnificentiæ ſuæ partem atque opulentiæ in fundandis Academiis, in Gymnaſiis inſtruendis, in doctorum hominum cœtu alendo & ſuſtentando conſumerent. Alexandriæ quę ciuitas fuit non Ægypti modò lumen, ſed totius

orbis terrarum, fortunatiſſimi Reges domum inſtituerant, Muſarum palatium, quod Μȣσεῖον nominabatur: in quo fuit hominum Collegium ingenuas artes docentium, & abditarum rerum cognitionem, qui Sacerdotes fuiſſe dicuntur, multis & magnis religionibus conſecrati. Eos Cæſar cùm vidiſſet incredibili vitæ honeſtate gloriáque florentes, id decus ſtudioſiſſimè ambiuit, vt cùm Reges victi eſſent Ægyptij, & aliarum gentium potentia ſublati, ipſe Muſei reſtaurator & parens quidam exiſtimaretur. Talis fuit etiam in Oriente ſplendiſſima illa Phœbi domus Byzantij poſita, bonorum Imperatorum ſtudio nobilitata, doctiſſimorum hominum, numero duodecim, ſocietate illuſtris, qui ſtudiis communibus præerant, qui lucem mentibus animiſque medicinam, ſplendorem ciuibus, reipubl. præſidium, finitimis gentibus ſingularem animi voluptatem laborioſa vitæ ratione adferebant. Noſter Carolus omni ratione Magnus, qui Gallorum nomen & gloriam non terræ, ſed cœli regionibus terminauit, cùm ab vltimis & furioſiſſimis gentibus nobiles victorias retuliſſet, cùm in beato otio poſſet, & omnium rerum abundantia quieſcere, non plenam tamen ſuam dignitatem & omnibus ſuis partibus cumulatam eſſe putauit, niſi Pariſiis Academiam inſtitueret, nobilem hanc, omniúmque prope nationum magiſtram, & conquiſitis eruditorum hominum ſtudiis ornaret: quod beneficium docti æquè ac magnanimi Regis ipſa æternitas alet, ſcholæ prædicabunt, hominum fama ſæculorum omnium continuatione celebrabit. Quo in genere contendiſſe videri poteſt cum Conſtantino item Magno, domi, foris, pacis artibus & bellica diſciplina clariſſimo, quem *nutritorem bonarum artium* Victor Aurelius, & *fouiſſe literarum ſtudia* verè prodit. Hic cùm impios aduerſariorum conatus vi victoriáque domuiſſet, atque ædificaſſet imperij ſedem & gloriæ; eam minùs dignam exiſtimauit, cui nomen impertiret ſuum, niſi duobus maximè ornamentis, *pietate* nimirum atque *literis* honeſtatam illuminatámque videret. Quare poſtquam in Placoto loco illuſtri & celeberrimo ciuitatis, Porphyreticam illam columnam, quam olim dicatam Apollini fuiſſe volunt, & in ea crucis trophæum regali ſplendore

poſuiſſet, ad intuentium mentes religione imbuendas, ſcholas item excitauit elegantiſſima deſcriptione, picturatis amplisque porticibus, ſpecioſiſſimo ordine exedrarum. Opus erat plane viſendum atque nobile, muſeis æqua dimenſione partitis, amœniſſimoque proſpectu, quod S. Gregorius Nazianzenus præſtantiſſimis oratoribus & Philoſophiæ magiſtris plenum & refertum aliquando fuiſſe meminit, & à Magno Baſilio ingenij principe in adoleſcentiæ primis annis celebratum. In eodem bibliothecam poſuit eximio inſtructu; veterum monimentis, & eorum hominum qui ingenio vnquam præſtitiſſent commentationibus, aureiſque voluminibus diſtinctam, & magnificentiſſimè locupletatam. In cuius diti propylæo atque introitu id meritò collocauiſſes, quod politiſſimus Ægypti Rex & omnium elegantiſſimus Oſimanduas in bibliotheca ſua poni curauerat ψυχῆς ἰατρεῖον. Neque mirum homines doctos ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij præditos, ex omni Græcia atque Italia illuc aduolauiſſe, magnis induſtriæ præmiis illectos & inuitatos, quod edicta ferebantur multa & grauiſſima, quæ etiamnum in Codice Theodoſiano leguntur, quibus omnium artium profeſſores iuſtis priuilegiis & conquiſitis honoribus cohoneſtantur. Hæc & ſimilia facta Regum & Imperatorum, hanc clariſſimis monumentis teſtatam & conſignatam antiquitatem, ſi negem tibi Rex præſtantiſſime LVDOVICE dulces aculeos ſubiecisse ad diligendam Academiam, & Collegium hoc noſtrum tua gratia & fauore proſequendum, amens ſim, & rerum omnium ignarus inſciénſque tuarum: quem conſtat in ea ſpecimina intuentem, iuſtitiæ, ſapientiæ, omniúmque virtutum vias & modos colligere conſueuiſſe, huius tui regni quàm pulcherrimè & feliciſſimè moderandi. Sed ego idem aio & confirmo, nullius te exemplo vehementius ad hoc tantum, & tam laudabile facinus impulſum, quàm HENRICI MAGNI parentis tui ſummi Herois atque Indigetis, quem μακαρίτην pia & perenni beneficiorum gratulatione & memori mente proſequimur. Ille vnus re declarauit, quid non modò in præliorum contentionibus, ſed multò magis pace & otio faciendum eſſet magno Principi clari dominatus rectori, ad gloriam quam à maioribus accepiſſet, auctam poſteris amplificatámq;

tranſmittendam. Qui cùm mentem prouidentiæque ſuæ partem collocauiſſet in excitandis bonis artibus doctrinîſque illuminandis, quas bellorum ciuilium nubes tenebris oppleuerant: cùm Lutetiæ profeſſores inſtituiſſent in Theologia nouos, & Academiam multis & magnificis rebus decorauiſſet, ſuam quoque regiam beneuolentiam, atque ſtudium pleniſſimum humanitatis, ad Ordinem noſtrum ornandum & cohoneſtandum adiecit. Etenim Fixæ Andegauorum ædes habuit, quas auratis palatiis anteponebat, non quidem pretio & elegantia, non magnitudine & varietate conclauium, neque ornamentorum copia, vbi ars cum opere ipſo certaret, ſed naturæ quodam blandimento atque genio, quod cùm eas multos annos puer coluiſſet, haud exiguam & minimè reprehendendam ex iiſdem voluptatem capiebat. Hanc domum, ſed quibus verbis rei tantæ ſplendorem, quaue oratione proſequar? hoc, inquam, palatinum domicilium, regij patrimonij ocellum, gentilitium hunc hortum primulæ vitæ ſuaue delitium, hanc dulcem honoris ſedem doctoribus ſapientiæ conceſſit, Societatis IESV nexu & mancipio eſſe decreuit: hanc palæſtram generoſæ pueritiæ vbi toties luſitauit, vbi tyrocinia poſuit inuictæ mentis, hoc veſtibulum lauro inſigne & trophæis, hoc maieſtatis grande veluti conopeum, ludum eſſe voluit literarum, phrontiſterium iuuentutis, Tabernaculum religionis, innocentiæ arcem, Camœnarum aſylum, beneuolentiæ pignus ſuæ & ſempiternum monumentum. Itaque in regiis penatibus extructa ſubitò eſt dicendi officina, priuatus ille ſplendor migrat in theatrum Henricianæ magnificentiæ ita reſonans, vt in vltimas regni prouincias gloriæ voces laudíſque referantur. Eritne tempus aliquando cùm tantæ rei memoria ſepeliatur? an futuræ olim ſunt tam ingratæ literæ, vt regiæ mentis tam exquiſitam prudentiam, beneuolentiam inuſitatam, religioſiſſimum ſtudium, caritatem, breui dicam heroici animi virtutem ſilentio prætereant, obliuione conterant, non ſtudio omni celebrandam putent? Quid? an vllum eſſe hominem exiſtimem, qui ſæpius atque lubentius, quàm tu Rex fortunatiſſime LVDOVICE, decora parentis tui cogitatione replicet, animo tractet atque memoria, quàm tu, inquam, qui non modò eius coronam virtutum

omnium gemmis collucentem, ſed naturam, ſed intimam humanitatem bonus hæres excepiſti? Nihilne credam hoc te exemplo commonitum, domeſtica hac gloria impulſum, his tacitis animi aculeis incitatum fuiſſe, vt Academiam diligas, Claromontanum Collegium inſtaures, Societatis religioſos gratia præſidióque tuo & beneuolentia tuearis? Id quidem nulla ratione fieri poteſt. Sic enim à Phyſicis accepimus, ſic tenemus experientia, illuſtrium parentum vim atque mores in ſobolem legitimam infundi. Sed tamen hoc addo, Gallos omnes qui feliciſſimo tuo dominatu reguntur, qui de tua indole iam ab ipſis quod aiunt crepundiis, vel aliquid inaudierunt, vel per ſe ipſi cognouerunt, ſic exiſtimare, tametſi te exempla omnia defeciſſent, tum domeſtica, tum vltimæ antiquitatis, nihilo ſecius te facturum id fuiſſe quod feciſti, & eximium in literas amorem declaraturum. Non enim ita educatus es, vt Principum filij vulgò ſolent, in ſumma ætatis teneritudine, in luxu, in mollitie diffluente, in aureis nugis, in ſplendidis mendaciis atque fabulis, in grauium & excellentium rerum ignoratione: ſed cum egregium animum diuinitus conſecutus fuiſſes, ad eum præterea ornandum & inſtruendum, Galliæ felicitas, cœlum, tellus, hominum induſtria mirabili conſenſione, & quaſi fato coierunt. Imperatorum Orientis ſapiens illa mihi videtur efferendáque deſcriptio, qui ad regiorum puerorum inſtitutionem tria in palatio domicilia eſſe voluerunt. Prima quædam fuit ſedes, multis ornamentis auguſta & ſpecioſiſſimæ elegantiæ, cui Πορφύρα nomen fuit, ſiue *Purpura*, vbi ad ſpem imperij concepti in lucem emittebantur, vnde etiam Porphyrogennetæ, hoc eſt nati in purpura dicebantur. Aliæ deinde fuerunt exedræ, ad educationem pueritiæ comparatæ, vbi ſenſim ætate proficerent, & omnem regiam & imperatoriam diſciplinam ſub Pædagogis & Magiſtris caperent. Cùm autem ad perfectionem ætatis & diſciplinæ perueniſſent, in ipſum regium & auguſti honoris thalamum admittebantur, cum parente acturi vitam, & eius bonorum communionem adepturi. Sed qui curſum beatæ pueritiæ tam glorioſum, tam directum ad laudem, tam im-

peratorium & cœleſtem, quàm Rex meus LVDOVICVS habuerit, ne quidem in Conſtantinopoleos ea luce & præſtabili dignitate, quæ olim viguit, ſcio neminem. Nam cùm natus cœli beneficio atque dono fuiſſes, non tam in purpura, quàm in media nobilium parentum virtute aureóque ſæculo, quod opinor Galli omnes à natalitiis tuis numerabunt, non multis annis interiectis, tanquam in alias ſedes, in Camœnarum ſacrarium ductus fuiſti, vt in ſinu Pædagogorum & ſapientum informareris. Hic verò quæ curricula fuere mentis? quæ pueritiæ feſtiuitas & elegantia? quantum igniculi ſeſe efferebant ad omnem honeſtatem? vt euolabat animus, atque in ſumma varietate ſcientiarum & inſatiabili pulchritudine habitabat? vt peregrinabatur? vt amœniſſimis illis in delitiis & iucunda Muſarum chorea tripudiabat? Mihi quidem exemplo tuo comprobauiſſe iam inde videris Dionis Pruſæi eloquentiſſimi viri pronunciatum, qui dicere ſolebat, eum Regem, qui bonum foret Genium diuinæ Mentis beneficio nactus, παιδείας μεταλαβεῖν, ſe facilè ad doctrinam capiendam accommodaturum. Deinde cùm fortior paulò ætas acceſſit, haberéſque viros clariſſimos & eruditiſſimos, qui tibi fontes aperirent, viáſque omnes atque regiones demonſtrarent ſapientiæ, quæ dicebas? quæ ponebas in percontando? quæ audiebas, cùm docticanæ Sirenes, cùm Neſtores illi Galliæ, te attentiſſimè omnia excipiente, grauiſſimè & ornatiſſimè diſſerebant, quæ muſea mele, quos cantus Gratiarum, quæ acroamata propyleo Delphico non indigna, quæ dicendi lumina ſplendidè vndique vibrantia, quos lepores & venuſtates, quam pompam non auro & purpura inſtructam, ſed exotico & mirabili choragio gemmeóque nitore, quam texturam ex omnigena hiſtoria vt Phrygio opere Babylonióve confectam ſitienter & cupide arripiebas? Inde igitur veluti celeriter admiſſo Pegaſo, à quo fontes poëticæ venuſtatis & doctæ elegantiæ manarunt, per omnium artium campum volitare cœpiſti, & æſtu quodam heroïcæ mentis elatus humum deſerere, mediocria omnia prætergredi, ſublimia capere animo,

& purpureum cœli decus liquido hauſtu excipere: fieri denique veriſſimus Perſeus, at qualem ſapientiæ Doctor Iamblichus diuino orationis genere delineat, quem regalem & mirificum adoleſcentem, ingenuæ humanitatis plenum, natum ad omnem honeſtatem & gloriam, ſingulari animi induſtria, ſtudio inuſitato, generoſiſſima conſtantia Meduſam obtruncauiſſe ait, hoc eſt voluptatem & mollium rerum appetitiones. Apollonius Tyaneus cùm Veſpaſianum audiret ſummo mane dare operam negotiis, eáque ſtudioſiſſimè conficere, tanquam ex oraculo id pronunciauit, O *ἀνὴρ ἄρξει*, *Vir*, inquit, *imperabit*: te cùm tam citò & à primis adoleſcentiæ annis dare operam ſapientiæ videamus, eáque agitare animo, quæ Philoſophi ipſi mirentur, qualem te futurum in conſequentes omnes annos putemus? Neque verò in homines literatos amor tuus aut obſcurus deinde fuit aut tacitus, ſed multis & clariſſimis notis inſignis; & præſertim cùm anno ſuperiore Fixam iniiſti, vbi omnium votis & honore tuum nomen ad æternam memoriam conſecratur. Ibi vidiſti ædes quondam Genitoris tui, nunc mentium commune ſtadium, religionis Collegium, diuerſoriúmque humanitatis: vbi gnaui & induſtrij præceptores omnes beneuolentiæ tuæ voti, omnes ſecundum Deum honori tuo velificantes iuuentutem inſtituunt, ad regiam tuam Maieſtatem omnibus ſtudiis officiíſque demerendam. Totum diem inter Collegij alumnos, inter ſtudioſos literarum fuiſti: qui cùm proditum monumentis è Græcorum fide meminiſſent, Iouem quondam veniſſe ad Æthiopas Diuum corona circunſeptum, cúmque hominibus ſingulari comitate celebrauiſſe conuiuium, ea prope ſe felicitate perfrui gloriabantur, cùm demiſſum de cœlo iuuenem viderent totum Iunonium, totum regium, totum Iouium & cœleſtem, qui vel mediocribus etiam hominibus mirificam ſuam humanitatem impertiretur. Societatis IESV religioſos quæ tua eſt incredibilis beneuolentia, prope dicam regia perſona depoſita, ſalutaſti vt Patres, vt Rex bonus patriæque parens in tuam fidem & clientelam cepiſti, æterno beneficio obſtrinxiſti. Neque diuturna fuit vſura illius gaudij, liquidæque lætitiæ, quam è tui omnes conſpectu ceperunt:

ita es

Digitized by Google

ita es digreſſus, vt magnum omnibus ordinibus, minimis, maximis, & vehemens tui deſiderium relinqueres, ipſe viciſſim perſpicuè ſignificares, amiciſſimo te ſtudio deſiderióque teneri Societatem ornandi atque illuſtrandi. Quíque in eo te itinere comitabantur, geſtienti quadam animi voluptate commemorare ſolent, vix te vllam adiiſſe deinde Ciuitatem, in qua non imprimis ſtudioſè quæreres, num quod inibi eſſet Collegium Societatis, quod poſſes pro animi tui beneuolentia gratioſiſſimè & conſueta illa comitate inuiſere. Itaque vt Pompeius qui à magnitudine facinorum glorioſum nomen inuenit, cùm Mitylenen aliquando veniſſet, & pro more auditorium Poëtarum humaniſſimè adiiſſet, illóque mentium elegantiæque Theatro incredibiliter fuiſſet lætatus, eius formam & expreſſam effigiem ſibi delineari curauit, vt Romæ ſimile excitaret, ſed longè maius atque illuſtrius: ita videris iucundam illam paterni operis atque muneris elegantiam, & Flexiani domicilij theatrum deſcriptum animo tuliſſe, vt Pariſiis, vbi Regum clara magnificentia ſe totam explicuit & profudit, ſimile quidpiam, aut etiam nobilius velles aliquando futurum. Quid quod nuper etiam Rothomagi cùm te Galliæ tuæ negotia vrgerent, Collegium tamen noſtrum adire voluiſti, & audire adoleſcentes noſtro in ſinu bonis artibus expolitos? quibus ſanè tua humanitas mirificum aculeum ſubdidit ad omne genus humanitatis perſequendum, facile vt appareat, te religioſam hanc familiam ſtudio beneuolentiæ complecti propè immenſo, atque ingenuæ mentis eruditione lætari. Pro quibus rebus omnibus tam diuinis, tam inſolitis, támque expectationem omnem ſuperantibus, grates habemus omnes, atque habebimus in omni vita, quantas animus capere maximas queat, ſed ita vt clara voce profiteamur, nullum tantum eſſe flumen orationis & copiam, nullum tam cœleſte genus dicendi, núllius ingenium tam excultum & politum, quod non dicam exornare beneficia tua poſſit, ſed vel etiam percenſere numerando. Tibi verò quantum hominibus fas eſt, communi vocum & mentium conſenſione gratulamur, quod tuam coronam, auream quidem antea, ſuo videlicet ſplendore & dignitate, multorum aliorum Regum lucem præſtinguentem, nunc adiecta erudi-

tione verè gemmeam redidiſti. Eſt enim vt verum, ita pulcherrimum id effatum, quod Iulius Pontifex Maximus ſæpè in ore habuiſſe dicitur, *Literarum ſcientiam in plebeis argentum eſſe, in nobilibus aurum, in Principibus verò gemmas.* Hæ te gemmæ tiara Perſica & Liberi Patris diademate formoſiores, florentem maximè & beatum efficient, & vt tuis amabilem, ſic diſſitis longè nationibus & imperiis colendum, ad quæ tuæ gloriæ fama & inuſitatum ſapientiæ lumen accedet. Tuum verò illud ſceptrum, quo populum Gallicanum feliciſſimè moderaris, quis melius quàm Heſiodus Poëta magnus expreſſerit? qui Minoa laudans Regem vnum omnium iuſtiſſimum, nec tam humanis quàm diuinis præceptionibus inſtitutum, & doctum ad imperandum, ait illum *ſceptro Iouis* ditionem ſuam optima & præſtantiſſima quadam ratione adminiſtraſſe. Dictum illud ſapiens boni Vatis & ſummo ingenio præditi, ſic diuinus Plato expoſuit, vt ſceptrum Iouis nihil aliud fuiſſe putet quàm παιδείαν, *Eruditionem.* Quanquam in tuo ſceptro effingendo, iam prouideo animo, quam varia & multiplex ſit futura ingenioſorum hominum opinio, qui ad illud celebrandum, atque in omnium luce ponẽdum, animi contentionem adiungent. Quidam in eo alituum reginam ponent *Aquilam*, quam Pindarus in potentiſſimo Iouis ſceptro collocauit, vt te inter omnes Reges ſummum & inclytum, & facilè omnium Principum & Dynaſtarum clariſſimum oſtendant. Alij fortè imitandam Ægyptiorum ſapientiam eſſe putabant, qui *Ciconiam* ſceptris regiis ſolebant adiungere, vt ſignificarent iuſtitiam, cuius hieroglyphicum eſt Ciconia, ſummam in Regibus Dominiſque aliorum eſſe oportere. Ego verò cùm mirabilem tuam video in inſpiciundis rebus prouidentiam, & ingenij illud acumen, quod nihil præterit, nihil latet: cúmque meam cogitationem intendo in eam animi maturitatem in adoleſcentia, de qua dici id meritò queat, quod de Rege clariſſimo Dauide ſanctus Chryſoſtomus, νέος μὲν τῇ ἡλικίᾳ, πεπολιωμένος δὲ τῇ διανοίᾳ, quod iunior eſſe ætate videretur, canus autem idémque veluti ſenex inuſitata prudentia: aliam quandam eorundem Ægyptiorum picturam nobilem atque regiam tibi lubens accommodarem. Nam vt autor eſt Cyrillus

vir ſanctiſſimus, atque artium prope omnium ſupellectili opulentus, *Oculus* apud illos luce & ſplendore collucens, adiecto ſceptro, Principis nota & imago fuit: cùm mentem ſignificarent animi oculum, in iis hominibus, quos Deus ſuæ dignitatis & potentiæ vicarios eſſe vellet, ſapientia & multiplici honeſtiſſimarum rerum perceptione colluſtrari oportere. Hunc oculum, hanc ſplendidæ mentis aciem, vt miranda rei magnitudine obſtupefacti meritò omnes ſuſpiciunt, qui diuinitus hoc conſecuti ſunt, vt tè loquentem & operoſa negotia conficientem aſpectent, & illa conſilij animíque tui luce perfruantur. Vbi longa iam ætate & ſapientia prouecti ſenes id iure exclament, quod Galliæ Rex Carolus apud Aimoinum de filio ſuo Ludouico, *O ſocij victos nos gratulemur ab iuuenis huius ſenili ſagacitate.* Sic enim conſtat, ſic Arcani Conſilij proceres longè omnium in iudicando grauiſſimi teſtantur, in magnis & ſpiſſiſſimis Galliæ negotiis definiendis, vbi rei euentus eſſet dubius, & obſcuram mentibus caliginem induceret, animíque fluctuationem, te rogatum ſententiam, ita rem quod aiunt acu tetigiſſe, vt quemadmodum fingit Homerus, ſapientiſſimam Deam Mineruam in omnibus aggrediundis Telemacho iuueni adfuiſſe, ſic à beato & præſtãti numine ſuggeri dicta, & conſilia tibi omnia viderentur. Iam mirabilis tua purpura aliud inſigne regium omnium intuẽtium oculos in ſe conuertit, quam ego longè pulcritudine anteire puto Indicam illam purpuram, igneo ſplendore micantem, quam Aurelianus Imperator dignum Ioue munus in Capitolio conſecrauit. Non pallium dico tuum purpureum atque regium, liliis aureis & ſtellulis pictum, & exquiſito opificio clarum & variegatum: ſed eam purpuram, quam Nyſſenus Gregorius Antiſtes, homo eloquentiſſimus & vitæ ſanctimonia nobilis, eleganti oratione, & quo præditus fuit maximo & ſplendidiſſimo ingenio pertexuit. Qui cùm hominem ad imperandum factum eſſe diceret, & à ſummo rerum omnium ædificatore Deo ſubornatum, & inſtructum ad tuendam regiam maieſtatem fuiſſe, pro purpura Laconica vel Tyria, quam ſtudio homines ſummo, & incredibili ambitione proſequuntur, *Virtutem* ipſi adiungit, omni panno aut Sarrano fuco illuſtriorem. Nec pronũciare dubitauit, hunc ornatum & è cœlo

textum amiculum, eſſe πάντων βασιλικώτατον, & regias omnes catacliſtas, & paludamenta auro illuſa atque gemmis, ſuo pretio & venuſtate ſuperare. Deus immortalis! quàm pulcher in ea ſtola, quàm ſpecioſus ingrederis! quàm lætum & iucundum ſpectaculum purpuratis tuis exhibes! quantam omnium ordinum hominibus liquidæ lætitiæ materiam & voluptatis, qui nihil eſſe formoſum ducis, quàm Virtutem, qui non leuium more Principum luxu & libidine fluentium, exotica & magnifica ſupellectili inſoleſcis, non Attalica veſte, non belluatis Babylonicis, non Phrygionum opere picto & mirando, non copia vnionum & gemmarum ſtudio magno caperis, quam in tanta fortunæ abundantia maiores tui ampliſſimam reliquerunt: ſed aſcititio omni decore abiecto & repudiato vna Virtute gloriaris. Cùm virtutem nomino, non vnam quampiam ſolitariam intelligi velim, aut priuatæ vitæ propriam, aut quæ in magnis quoque Principibus Imperatoribúſque emineat, ſed omnium maximarum & amabilium virtutum complexũ, quæ cùm in aliis vulgò Regibus atque Dynaſtis eſſe diſperſæ diſſeminatæque ſoleant, in te omnes mirifico & diuino concentu & ſocietate coierunt. Ait Poëta è Græcia maximus regium quendam adoleſcentem in Concilium ire ſolitum duobus canibus comitatum, tu quocunque veluti pium & beneficum numen acceſſeris, ſepit te chorus inſignium admirabiliúmque virtutum, nec perfici à te regium munus & expleri putas, niſi omnia vitæ humanæ decora ſis omni animi cõtentione & labore conſecutus. De quibus accuratius cogitanti, euenire idem ſolet, quod iis hominibus, qui illuſtri & claro die oculorum aciem in ſolem intendunt. Nam illi quidem igneo ſplendore circumfuſi, vident atque ſentiunt, eſſe immenſam & clariſſimam lucem illius ſyderis, quod eſt princeps omnium reliquorum, & vt vocant diuinæ literæ, *Vas admirabile* confitentur, ſed quanta ſit eius magnitudo atque ſpecies, hebeſcentibus nimia claritate luminibus, neque vident, neque ſentiunt. Sic illi quos regio tuo conſpectu & alloquio dignaris, vident quiddam in te mirificum, ex omnium virtutum excellentia cõpoſitum & extructum, & auguſtiori veluti ſemine effloreſcens, ſed earum multitudine & magnitudine obruuntur. Itaque mihi videtur illa optatiſſimi & feliciſſimi temporis maturitas

non appetere modò, ſed diuina quod aiunt virgula iam veniſſe Galliæ, quam Themiſtius animo & cogitatione prouidit: qui fretus ſapientum veterũ iudicio, ait tunc optimã & beatiſſimã hominum vitam fore, cùm Iuuenis Rex fuerit temperantia ornatus, magnæ & fidelis memoriæ, forti animo præditus, magnificus, docilis qui facilè rerum intelligentiam percipiat, atque vt verbis eius vtar quo plus dignitatis & autoritatis habeat oratio, ὅταν γένηται βασιλεὺς νέος, σώφρων, μνήμων, ἀνδρεῖος, μεγαλοπρεπὴς, εὐμαθής. Hæc quidem magna & præclara ſunt regij animi ornamenta quæ recenſet, ſed neque ipſe tantus in dicendo Themiſtius, quantum magni Imperatores ſummis honoribus affecerunt, nec ipſe Plato à quo elegantiam & ſapientiæ vim mutuatur, tuas omnes virtutes Rex Optime LVDOVICE, non dicam ornare copia, & ſplendidiùs amplificare, ſed ne quidem numerare potuiſſet. Quem videmus imprimis ſupra viros adoleſcentem, in domeſtica ratione temperantem atque modeſtum, inter duces belli ſtrenuiſſimos veluti ſigniferum, ad præteritorum recordationem memorem, eximia & inexplicabili magnificentia, tam ingenio promptum, tam inſtructu reliquarum omnium virtutum ſeptum & illuſtrem. In quo etiam hoc accidit mirabile, quod non aliorum more Principum atque Regum in quapiam vna virtute excellere putas oportere. Multos enim in veterum monumentis videmus Reges fortuna clariſſimos, qui cùm eſſent bellis aſſueti, & triumphos appeterent nobiles, magnificentiſſimáſque victorias, nil magnoperè gloriandum putabant, & perenni hominum præconio dignum, niſi quod obſtrepi clamore militum videretur aut tubarum ſono. Volitabant illi quidem cum delectis legionibus acres & animoſi, & timebantur ab hoſtibus, ſed erga ſuos minus humani, vel potius continua armorum tractatione ferocientes, etiam inimico ſæpè animo in benè meritos, & omni laude ornatos viros, contumelioſiſſimè irruebant. Quare illi qui ſe nominari cupiebant Poliorcetas vrbiúmque vaſtatores, vt Demetrius, fulmina vt Ptolemæus, Hildrin, hoc eſt procellam, vt Baiazetes, Temir ferrum aut pugionem, vt Tãberlanes, flagellum vt Attila, Dei gladium vt Chalebus Arabs: quique ſe fingi & pingi curabant cum manubiis Iouis, aut tridente, ad terrorem hominibus denuntiandum, quos Plutar-

chus & alij ſapientes illudunt, adoreas militares, & decus è bellica diſciplina quæſitum, inhumanitate, ſuperbia, contumacia, & multis aliis maximiſque vitiis obtriuerunt. Tu verò ſic arma tractas, & ſic obis ſpecimina militiæ, facile vt appareat, te Iulium Cæſarem, Alexandrum Magnum, atque alios, quorum fuit nobilitata in prælijs virtus, & in periculis ſubeundis conſtantia, animi celſi & inuicti magnitudine ſuperaturum. Sed idem ita comis, & omni humanitate perpolitus, tamque ſingulari facilitate erga omnes eſſe conſueuiſti, ea lenitate, manſuetudine, clementia, quæ vt aiunt viri ſapientes eſt *prima dos Imperatorum*, vt miremur, te diſſimillima ſtudia conglutinare potuiſſe, inque omnibus admirabili quadam ratione præſtare. Hinc fit vt viri principes, qui te ſpectant vel audiunt, habeant ſemper aliquid magnum & excellens quod æmulentur, cùm omnes vitæ tuæ partes, cùm motus omnis & inceſſus, frons, oculi, vultus, cùm dicta omnia & quotidianæ actiones, tuum regium animum & imperio digniſſimum pronuncient. Sanctiſſimus Ioannes Chryſoſtomus memoriæ prodidit, filios Heth, quorum in diuinis monumentis eſt memoria, cognouiſſe Abrahamum magnum quendam fuiſſe Regem, ex bellis, è victoriis & triumphis. Hoc idem facilè mihi perſuadeo euenire omnibus, qui te vident belli imitamenta obeuntem, dum caſtella oppugnas aut defendis, dum explodis ferreas fiſtulas, & tormenta etiam maiora fumo & ſono horrentia, dum rotas gladium, vibras haſtam, dum equo inuolitas, dum venationi indulges, quam *veriſſimam bellicæ rei meditationem* antiqui æui lumina dixerunt. Ex his enim atque ſimilibus, regij animi atque generoſæ mentis indoles, & dignitas quædam elucet, digna imperio & ampliſſimo dominatu, quæ Abrahami vim & incredibilem animum prætteritura videatur. Sed profectò ſunt alia in te multò maiora & præclariora, quæ niſi tibi iura omnia Galliæ principatum adiudicauiſſent, facilè poſſent ſceptrum & coronam gentium omnium conſenſione deferre. Sunt enim pacis comites tibi longè cariores Themis & Eunomia, quæ regalis tui ſecreti limen cuſtodiunt: Eſt in Deum cœliteſque pietas & inuſitata religio, eſt in maximo dominatu regendo ſapientia, modus in ſumma rerum omnium poteſtate mirabilis, ſingularis animi innocentia, ſic vt iure eum orna-

cum Imperatorum orientis ferre poſſis, quem nominabant *Ἀγαθίαν*. Cúmque à Xenophonte didiciſſes, *honeſtius eſſe Regi beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem relinquere*, ad beneficia collocanda, ad tribuendam omnibus benignitatem, ad merendum, ad benefaciendum, ſummo ſtudio & beneficentiſſima animi tui voluntate incubuiſti. In quo facilè qui ſunt aut fuerunt, priſcos anteis Reges Euergetas, Bonos, Optimos, Agathoergos, etiam ipſum Antoninum Pium Imperatorem, qui eximia hac virtute cùm mirificè caperetur, Templum ingens & auguſtum *Beneficentiæ* conſecrauit. Quanquam tu quidem non tam à veterum monumentis, aut exemplis hominum illuſtrium, quàm à natura & præſtanti inſtitutione, & honeſti ipſius vi & pulchritudine, hoc grati animi decus & excellentem benefaciendi conſuetudinem hauſiſti. *Tecum* enim *ab infantia*, quod de Iobo diuiniſſimæ literæ produnt, *creuit miſeratio*, & benigniſſimæ mentis bonitas, quæ vel in prima pueritia luceret, quam excolis in dies magis, & mirabiliter exornas: & omnem diem fluere tibi inutilem putas, in quo beneficium apud neminem poſueris. Hæc te virtus in cœlo quodammodo locat, & Dei ſolio finitimum, ſuper homines certè, & communem conditionem euectum, quem meritò omnes ſingulari demiſſione venerentur. Nihil enim eſt melius aut præſtantius bonitate & beneficentia, nihil regalius, nihil diuinius: & cùm ingenioſi vellent homines rerum omnium parentem Iouem nomine auguſto, & inclyto quopiam inſignire titulo, ad teſtandam eius numinis excellentiam, nil inuenire potuere magnificentius, quàm vt eum nominarent *Optimum*, hoc eſt vt ait M. Tullius *beneficentiſſimum*. Hic munifici animi ornatus mirum quantum tibi omnium tuorum voluntates & beneuolentiam conciliat, & amorem adiungit, dignum parente patriæ communique paſtore, cui ſe omnes caros ſentiunt & experiuntur. Vident enim non plus ſibi tuam regiam, ſplendidúmque Lupáræ domicilium, quàm tuum pectus, & beneuolentiſſimam caritatem patere, vnde non tenues & anguſti quidam riuuli beneficiorum & gratiæ, ſed maximi quidam fontes, aut vt verius dicam Oceanus vaſtus erumpit, qui magnitudine ſua intuentium omnium mentes obruit. Hinc clariſſimum illud tuum beneficium manauit, & perpetua ſæculorum om-

nium commemoratione digniſſimum in religioſam familiam, quã in antiqua muti Collegij poſſeſſione collocauiſti. Quo vno munere tã inſolito & diuino, tã ad hominum famam & tui nominis dignitatem pręſtabili, vix dici poteſt, quàm multos ſimul obligaueris. Nam & ipſa princeps Academia, quam vt teneram filiolam parens ſuauiaris, quam florentem & affluentem ſingularibus ornamentis eſſe cupis, tuam beneuolentiam agnoſcit. Ciues tui Pariſienſes qui peregrè filios ſuos, atque in alias ciuitates ſtudiorum cauſa mittebant, quod tibi cordi eſſe vident Academiam, & numero Collegiorum amplificatam, geſtienti quadam animi lætitia grates habent. Noſtræ verò Societatis homines quos gratia dignaris tua, & muneribus exornas, nullum genus orationis inuenire poſſunt tam vber, támque opulentum atque magnificum, quo benefacta hæc tua ſatis prædicent, atque in omnem conſequentis æui memoriam tranſmittant. Imitari cupiunt ſanctiſſimos viros, Eccleſiæ ſanctæ lumina, qui Regum & Dynaſtarum beneficia remetiri, non ſe alia ratione poſſe putabant, niſi in templis, niſi in mediis religionibus ceremoniiſque altarium, niſi eo deferendo ſacrificio, quo mundi ædificator dominúſque omnium Deus placatur. *Ibi de Rege benè mereor, vbi Patri filius immolatur*, aiebat olim Cænomanenſium Antiſtes, eloquentia & ſanctimonia vitæ notiſſimus Hildebertus. Claromontanum autem hoc Collegium vix rediuiuum imperio tuo atque voce, vix caput attollens, in naſcentis veluti imbecillitate, tuum præſidium, tuam opem & beneuolentiam intuetur. Ardet incredibili quodam deſiderio inſeruiendi communi patriæ, & Gallicanæ iuuentuti, quantum Numinis ſancta prouidentia, & amor tuus prouehet, & quod forte audacius multis & inſolentius videbitur, te patrono, & ſuorum ſtudiorum tutore gloriatur. Iam deiectis feliciſſimè repagulis, carceribúſque adapertis, non tam mappa in curriculum iniecta, quàm iuſſi tui machinatione, ita flos adoleſcentium decurret, vt mirificè tuo exemplo incitentur omnes, atque ad metas glorioſo puluere oppleti contendant. Nam vt cùm olim victor in Indiam penetraſſet Macedo Princeps, & communi fama increbuiſſet, illum nimium quantum literarum voluptate affici, tractare non cupidè magis fariſſam & gladium, quàm Poëtas, & vt
ſcriptores

ſcriptores illuſtrium rerum eum nominant, eſſe φιλομαθῆ, cœpit iuuentus Gedroſiorum omnis atque Suſorum, magni Ducis imitatione, conterere dies atque noctes in Poëtis, & doctiſſimorum hominum commentationibus peruolutandis. Ita iuuentus Gallicana quæ in patriæ ſpem commodúmque efflo-reſcit, cùm intelliget, ſuum Regem doctis & eruditioni impensè fauere, neſcio quem ardorem nouum & inuſitatum concipiet ad ea mentis bona conſequenda. Nos verò tuis imperiis obſecundantes, communibus vtilitatibus addictos, religioni tuendæ votos, tanti huius támque immortalis beneficij tui nullus dies malè immemores & ingratos videbit. Omnes tibi vna mente atque voce de ſtudiis noſtris dicemus, quod Ennodius vir ſapiens & vita clariſſimus Theodorico Regi laudans aiebat, *Debent tibi veneranda ſtudia quod loquuntur.* Omnes intimi & beneuolentiſſimi animi ſenſu dicemus cum ſanctiſſimo Ambroſio ad Theodoſium Imperatorem ſcribente, *Diligat te Dominus, quia tu Domini ſeruos diligis.*

GRATIARVM ACTIO

VV. ILLVSTRISSIMIS ET CLARISSIMIS REGII CONSISTORII COMItibus, & Conſiliariis, cuius Decreto Collegium Pariſienſe Societatis IESV *inſtauratum fuit.*

POSTQVAM à Regis Chriſtianiſſimi laude beneficióque diſceſſi, non video quibus maiorem debeat gratiam Claromontanum hoc Collegium, quàm vobis Illuſtriſſimi & nobiliſſimi Viri, regij Conſiſtorij Comites, quod veſtra prouidentia, & ſapientiſſimo conſilio rediuiuum, iam dulci & iucunda luce humanitatis Academiæque perfruitur. Debet quidem vobis Gallia, quàm longè & latè patet, diuturni iam otij vſuram & tranquillitatis, quam ſui Regis diuino conſilio atque mirabili conſequuta eſt, quod illam fœdam horribilémque noctem & tempeſtatem, quæ ex bellorum ciuilium motu in imperium omne Gallicanum imminebat, prudētiæ veſtræ lumine diſcuſſiſtis. Sed profectò quæ ad tuendam & propagandam ſapientiam illuſtria facinora conficiuntur, vt propria ad vos quodammodo pertinent, quorum nutu & ſapientibus conſiliis adminiſtrantur. Non ego is ſum, qui ea tam multa, & in omnem partē eximia, quæ geruntur à vobis quotidie, laude proſequi & oratione velim, quæ nullius hominis copia, & eloquentiæ magnitudo conſequi poteſt: hoc recenti vno beneficio ero contentus, quod eſt eiuſmodi, vt non infantiæ meæ tenuitatem, ſed Apollinis ipſius cantum, & ſingulare dicendi genus deſideret. Nā cùm Rex optimus LVDOVICVS incredibili ac diuina quadam mente & virtute conſtituiſſet, hoc Muſeum Claromontanum, tot iam annos mutum & abiectum, in integrum reſtituere, vos vt Neſtoras Agamemnon adhibere voluit cōſiliorum ſocios & adminiſtros, qui tantæ rei

magnitudinem, ingenij veſtri luce, & animi æquitate ſuſtineretis. Itaque idem prope mihi feciſſe videtur, quod Iouem Romanæ ciuitatis cuſtodem aiebat olim feciſſe Catulus, homo ſapiens, & in omni reipub. parte clariſſimus: qui cùm multa iam imminere viderentur, quæ propè abeſſent ab inſigni calamitate, ſibi dixit viſum per quietem fuiſſe Iouem in Capitolio, nobilium puerorum cœtu comitatum, eúmque Romam in adoleſcentis Octauij ſinum conieciſſe, quem vnum ad tuendam imperij gloriam delegerat. Sic Galliæ moderator inuictus & pollens, cuius animus propius ad cœleſtium numen accedit, cùm familiam ornare noſtram & ſtudia literarum cuperet, ad commune bonum iuuentutis, Claromontanum hoc Collegium veſtrum in ſinum & prouidentiam iniecit, quod ſumma beneuolentia à vobis exceptum & cohoneſtatum videmus. Et eum quidem illa ætate Principem, & maturi iam animi prouiſione ornatum laudant omnes efferendúmque ſentiunt, quem vident iam inclytis facinoribus commeritum, vt populi Pater nominetur, tam magnificum & regium, vt Lutetiam in dies ornet mirabiliùs & amplificet, ſic amantem æquitatis & iuſtitiæ, vt indè ſibi gloriæ titulum & auguſti nominis inuenerit: ſed in ea re maximè ſingulare eius animi lumen, & exquiſitam prudentiam animaduertunt, quod vos tantos, & ea ſapientia præditos elegerit, quos ad regij muneris gubernationem adhiberet. Pulchrum eſt, aiebat olim meo iudicio ſapienter Apollonius Tyaneus, ciuitatem porticibus & picturis, atque auri copia condecorari, ſed longè inquit pulchrius ἀνδράσι ἐστεφανῶσθαι, magnis viris coronatam eſſe. Ita omnino eſt, nihil videri debet aut Principi magnificentius, aut populo ſalutarius, aut ad ſplendorem literarum propagandum opportunius, quàm eos viros conſilia moderari, qui ſint non tantùm vna in vrbe, ſed imperio omni Gallicano, vt roſarum ſic virtutum omnium coronamenta & liliorum ornamenta. Nos ſanè diuinæ prouidentiæ vim & numen agnoſcimus, quæ vos hac ætate naſci voluit, in qua regiæ beneficentiæ obſecundantes, ad nos tuendos, & doctrinas amplificandas, prouidentiæ veſtræ partem adiungeretis, vt ij fontes iamdiu clauſi & obſtructi, vnde olim ſcientiarum copiam abundantiámque manare videbatis, veſtra gratia

Digitized by Google

& conſilio recluſi aquas funderent, non tam vt Poëtæ vocant argenteas, quàm religione aureas & vtilitate fructuoſas. Pro quo tanto tamque immortali veſtro in nos beneficio, quæ eſſe poteſt non dico mea, qui nullam mihi facundiam, & vel tenuem in dicendo exercitationem tribuo, ſed vllius Oratoris copia & diuinum genus orationis, quod pro eo ac meretur, grates habere queat, & tantæ rei magnitudinem celebrare? Hoc eductum è tenebris ſilentióque Gymnaſium, hoc ſententiis veſtris apertum, & veluti ad vitam renouatum, id meritò exclamet, quod qui olim ſacris ceremoniis initiabantur, χαῖρε νέον φῶς, & claro lumine circumfuſum vobis ducibus & autoribus ſapientiæ, benè merendi de multis nouam ſibi oblatam eſſe materiam occaſionémque lætatur. Quare de vobis cogitanti venit in mentem, quod de M. Tullio monumentis hiſtoriarum eſt proditum, qui cùm Mineruam pulcherrimè affabrefactam, clariſſimo in loco ciuitatis, ad ſapientiæ commendationem dedicauiſſet, & poſt multos deinde annos vis ventorum & vehementiſſimus turbo quidam illam euertiſſet; Senatus ſapiens rem conſilio ſuo dignam exiſtimauit, Decretóque ſuo cenſuit, vt iucunda populi frequentia atque pompa & ſolenni religione, ſuum in locum reſtitueretur. Hic mihi adeſſe velim Tullianam illam vim & vberrimam copiam, vt vos publici conſilij Principes Comitéſque ſacri Conſiſtorij merita prædicatione exornem, qui Mineruam Claromontanam ſolo afflictam, quam temporum communium nimbus & turbo diſiecerat, ſuum in locum & antiquam religionem vna omnium ſententia reſtituendam putauiſtis. Illa certè ipſa Minerua quandiu loqui poterit, & ſtudiorum vti præſidio & doctrinæ varietate, ad præſtabiles animi dotes, & illuſtriſſimorum hominum facta celebranda, non omittet commemorabilem in nos benignitatem veſtram eximiúmque promeritum, nec committet vnquam, vt ingrati animi labes illi inuratur. Cúmque olim pro veteri ſuperſtitione in Mineruæ templo Ara Obliuionis collocata, & arcanis hominum ceremoniis conſecrata fuerit, vt doctiſſimi viri ſuis monumentis reliquerunt; nos contrà in hoc domicilio pietatis & religionis, Aram extruemus Memoriæ ſacram & Beneficentiæ, vt

Digitized by Google

omni mentium & ingeniorum contentione, & perenni commemoratione virtutum inſignium, quæ in vobis hominum fama & opinione conſecrantur, veſtro nomini honoríque litemus. Atque eo maius mihi beneficium veſtrum eſſe videtur, & præſtabilius, quod nos in ea Academia eſſe voluiſtis, quæ propè eſt princeps in orbe terrarum, quámque omnes incredibili ſtudio & voluntate ſuauiamur: in Academia, inquam, illa, quam Reges noſtri proſeminauerunt, ſumma nominis ſui gloria, & totius gentis Gallicanæ celebritate. De qua dici meritò id poteſt, quod de vrbe Athenienſi Pericles, vir in dicendo & ſentiendo grauiſſimus aiebat, quam cum bonis omnibus affluentem videret, inſtitutis & mirabili ciuium politia facilè inter omnes alias nationes præſtantem, non dubitauit τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν, *Græciæ magiſterium* nominare. Illam dico Pariſienſem Academiam, cuius fama laúſque ſingularis iiſdem quibus humanitas & literarum cognitio finibus & regionibus terminatur: in qua lucet eminétque Sorbonæ Collegium atque Nauarræ, Theologiæ flos, & ſublimium ſcientiarum emporium, in qua tam multa etiam alia florent Lycea eruditionis omnigenæ diuerſoria, quæ quotidianis doctiſſimorum hominum vocibus & elegantia perſonant. In quos intuentes pulcherrimarum ſcientiarum copia ornatiſſimos, liberalium artium choragio inſtructos, atque omni politos humanitate incredibilíque modeſtia, tametſi noſtri homines forent ἄμουσοι, & communium literarum expertes, tamen ad curſum honeſtiſſimorum ſtudiorum, & ſimilem animi contentionem incitarentur. Ad hos autem eloquentiæ coryphæos, doctrinarum omnium magiſtros, & perfectos ſuis numeris, atque officiorum omnium abſolutione profeſſores ſi accederemus, quæ veſtra eſt animi ſapientia vidiſtis, quám dulcis & iucundus inde concentus oriri poſſet, è mutua tum animorum, tum ſtudiorum coniunctione, quam equidem ſpero aliquando futuram ſummo iuuentutis bono & vtilitate. Theſpienſes in Helicone, non modò Muſis, verùm etiam Amori feſtos agebant dies, quos Ἐρωτικά dixerunt ſanè magnificè & ſplendidè: & à magnis Scriptoribus antiquitatis memoriæ commendatum video, Amorem à

Digitized by Google

Platone & Solone in Academiam ductum ex Helicone, coronatum geminis roſiſque pompa mirabili, & ſpecioſiſſimo curru inuectum πολλαῖς συνωρίσι φιλίας καὶ κοινωνίας, qui currus dulciſſimis ſocietatis & amicitiæ bigis traheretur, vt opinor ſignificarent, ſtudiorum & doctrinarum communionem valere plurimùm ad humaniſſimorum hominum animos inter ſe copulandos. Vnde etiam Muſæ nomen habere ſuum Græciæ lumina ſapientéſque voluerunt, quod ſimul inexplicabili omnium mentium concordia & coniunctione verſentur. Ad hunc igitur hominum ſapientium chorum veſtro iudicio adlecti ad nobilitanda ſtudia literarum, bonúmque iuuentutis pro virili parte curandum, ad heroum iſtam claſſem adiuncti, qui in tuendis propagandíſque ſcientiis clara & inuicta mente & diligentia elaborant: illi Academiæ reſtituti, in cuius aditu longè digniùs quàm in Græcæ olim Academiæ introitu, ſimulacra τῆς Ἀρίστης καὶ Καλλίστης, *Optimæ* & *Pulcherrimæ* collocarentur, quantum veſtræ beuolentiæ obnoxij ſumus & beneficio, pro quo ſinguli, & in commune omnes vobis gratias, quantas animi capere poſſunt, agere debeamus? An me putatis aut alium quempiam vnum exiſtere tam diſertum, tam ingenio ad excogitandum acuto, tam prompto, tam ad explicandum vberi & copioſo, vt conſiliorum veſtrorum excellentiſſimam dignitatem & beneuolentiæ veſtræ magnitudinem conſequi poſſit? Erunt tamen non modò è noſtro Ordine atque familia, ſed ex medio Academiæ ſinu & elegantia meo iudicio plurimi, qui nacti, vt cum Euripide dicam, λόγων καλὰς ἀφορμὰς, & eloquentiæ ſuæ campum longè & latè patentem, ſapientiæ veſtræ gloriam & æternum mentium decus omni orationis copia celebrabunt. Dicent vos vno glorioſiſſimo facto, quo multa mihi complexa videntur, & ingenij magni luce tot & tanta feliciſſimè obeuntis, Academiam, vrbem, religionem ornare voluiſſe, atque id vnum ſpectaſſe, quod eorum dignitatem & eximium ſplendorem augere poſſet. Veſter imprimis in Academiam animus & conſilium intendebatur, quam ſemper ego cœli inſtar eſſe putaui vario vndíque lumine rutilantis, vbi tot luceant eloquentiæ præſides Mercurij cum ſpecioſis clariſſimíſque Ve-

neribus coniuncti, tot Soles omni ex parte mirabilius fulgeant, tot emicent elegantium hominum radij, è quibus ea inexplicabilis pulchritudo exiſtit, & in ſumma atque incredibili varietate concinnitas. Verùm vt in cœlo non tantùm gratiam & ornatum ferunt illæ ſtellæ, quas principes Aſtrologiæ docendæ viri magnitudinis primæ aut ſecundæ nominant, nec Helice modò & Cynoſura delectat, aut Bootes, vel auratus qui mucrone lato renidet Orion: ſed illam ipſam elegantiſſimam varietatē minuti quoque ignium globi nebuloſæque ſtellę diſtinguunt, & cum aliqua intuentium voluptate amplificant: peritiſſimique aiunt Mathematici purpureo in cœlo candidam eſſe faſciam lacteúmque orbem, exiguis è ſyderibus conſtantem, quorum nitor cùm non ſit tantus, vt reliquorum aſtrorum magnitudinem & luminis copiam adæquare poſſe videatur, ipſam tamen pulcherrimi cœli faciem, vt regij oris effigiem alba illa tænia & diademate coronet. Sic cùm Academiam eſſe videretis ornatiſſimam, in eáque vt in cœlo Eridanum, ſic eloquentiæ torrentes manare, atque omnia plena eſſe Coronis quæ Ariadneam longè exuperent, fulgere denique ea quæ videmus in omni genere doctrinarum illuſtria vberrimáque lumina: ſi ad ea è Societate noſtra doctiſſimi homines accederent, & quintæ veluti magnitudinis ſtellæ minutíque in Academia ignes, rem totam longè ornatiorem, atque ad artium præſtantiſſimam dignitatem atque ſpeciem aliquanto etiam vtiliorem fore putauiſtis. Deinde cùm noſtros ſcientiarum profeſſores aliis in oppidis & regionibus Galliæ, non ſine aliqua ingenij fama docere, & communi hominum exiſtimatione conſtaret, alta mente & acuti animi prouiſione vidiſtis, ſi Lutetiæ labor idem noſter & diligentis animi contentio inſumeretur, ſubitò greges ingenuæ adoleſcentiæ, qui aliis in locis diſciplina noſtra continentur, regiam in vrbem aduolaturos, quod ad principis Academiæ celebritatem, vt multi non ſine cauſa opinantur, valere poteſt, & Pariſiorum frequentiam muſico illo apparatu cohoneſtandam. Quid quod illud momentum haud exiguum habere videatur ad religionis Catholicæ decus & conſtabiliendam dignitatem, parumne declarat veſtrum animum, vt arcum in commune

bonum intentum, ea vidiſſe, quæ mediocres homines ſuſpicari non potuiſſent? Nam cùm multi à Romana fide alieni in eo triumpharent, glorioſiúſque efferrentur, quod dicerent noſtros homines à Sorboneo Muſeo opinionibus eſſe diſtinctos, & de ſummis Eccleſiæ capitibus ſententiarum eſſe magna diuortia, quò fieret vt Catholica res inuidioſis hominum ſermonibus odióque impio iactaretur, & in ea diſſidentium hominum labe atque diſcordia, facilè ſe de religione tropæa collocaturos, ad æternam Capitolij ſancti contumeliam & perniciem confiderent: vos palam & publicæ mentis præconio declarauiſtis, nullam eſſe abalienationem animorum & opinionum diſcrimen, non fidei vllam eſſe varietatem, ſentire idem omnes, atque adeò vnius Academiæ ſocietate conglutinatos in tuenda Catholica religione coire, atque ſancta animorum conſpiratione & conſenſione fœderari. Neque verò prætereundum & illud mihi videtur, quod ad prodendam veſtræ quoque ſapientiæ vim & explicandam diuini animi intelligentiam plurimùm facit, in eo ipſo conſtituendo, veſtras mentes & prudentiæ conſilia cum ampliſſimis Curiæ Supremæ luminibus & purpuratorum Patrum iudicio mirabiliter conſenſiſſe. Qui cùm multos ante annos auſpiciis HENRICI Magni ſempiterna memoria digniſſimi noſtram in Galliam reditionem, autoritate qua fieri potuit maxima, & vnis omnium ſententiis comprobauiſſent, neque minus Pariſienſes nobis ſcholas, quàm aliorum Collegiorum exedras ſuo decreto patere voluiſſent: vos eam beatiſſimi temporis maturitatem aperiendi Muſei huius, & iuuentuti patefaciendi, iam adeſſe monuiſtis, vt patriæ parens LVDOVICVS, (quod vnum fuit neceſſarium) placere id ſibi declararet, quod Heros ille ſoſpitator Galliæ HENRICVS, ſi vita ſupeditauiſſet, iam facturus videbatur. Itaque his tantis grauiſſimorum hominum iudiciis, quos lubens cum Ariſtotele principe nominarem ὀβελισκολύχνια, faces in ampliſſima dignitate vt in obeliſcis poſitas, ad ingenij ſui lucem hominibus impertiendam, Claromontanum hoc Collegium mirifica lætitia delibutum geſtit vehementius & exultat, & hanc ianuam honeſtiſſimi laboris, & de multis benè merendi, ſibi apertam eſſe lætatur, & propemodum

pemodum id accinit, quod de Smyrna olim Ariſtides. Smyrnam eam intelligo caput & ornamentum Ioniæ elegantiæque theatrum, vbi toties diuini homines in dicendo triumphos in eloquentia magnificos hominum fama ſtudióque proſequente duxerunt. Eam vrbem vnus dies & vna grauior terræ commotio, iis tot atque tantis quibus antea ſuperbiebat ſingularibus ornamentis & magnificis operibus ſpoliauit, atque in ea tam inſigni calamitate conſepulta in ruinis ſuis aliquandiu iacuit, donec Romani Imperatoris munificentia & commemorando beneficio, in antiquum ſuum ſplendorem gloriámque reſtitueretur. Tum Ariſtides facundia nobilis, quem meritò Poëta Græcus eloquentiæ ſydus nominauit, patriæ ſuæ bono lætus & nouatæ vrbis elegantia, Panegyricum habuiſſe dicitur, expolito artificio comptum, & viſenda pompa eximium, vbi inter alia bracteatæ mentis purpurea dicta, inſolitò hæc animi impetu pronunciauit, *Nunc veris æſtatiſque portæ cum coronis aperiuntur, nunc Nympharum ac Muſarum chori in ipſa & circum ipſam choreas ducunt*. Hoc, inquam, propemodum lubet dicere, Vos clariſſimi viri portas veris huic Collegio aperuiſtis, iámque Muſæ adludunt atque tripudiant, & pactiles vobis coronas ſutiléſque moliuntur. Si quid mea vox haberet dignitatis & commendationis, qui in docta familia ſum minimus, agerem vobis gratias, monumentíſque meis contenderem, vt nomen veſtrum & beneficij huius decus atque laudis cum ipſa æternitate perpetua hominum memoria conſecraretur. Sed cùm multi habeant grates & habebunt dum anima ſpirabunt ſua, tum id facit longè felicius Guillelmus à Prato vir laude immortali digniſſimus & Claromontanus Antiſtes μακαρείτης, qui cùm nobis hoc Collegium ſuis opibus & inuſitata illa munificentia & incredibili voluntate ſua fundaret, prouidebat animo ad diuinam imprimis gloriam & iuuentutis inſtitutionem id multum opis vtilitatíſque allaturum, nec dubitabat ſi vis quædam aliquando acerbúſque in illud caſus incubuiſſet, ad eam quam ſibi ipſe animo propoſuerat dignitatem violandam, cœptíque operis minuendam elegantiam & labefactandam, fore etiam quamplurimos eximia virtute viros & publici boni amantes, qui

prudentia, conſilio & auctoritate illud ſua defenderent, & in luctu & temporum commutatione tuerentur. Qui profectò ſi quid animus diuinare meus poteſt rerũ cœleſtium, & opinione conſequi, è ſublimi & ſtellifero magni Dei palatio vos deſpectat, & noui gaudij acceſſione hilaratus æternæ Menti beatiſſimæque ſupplex accidit, & ſtudio omni precatur, vt vos ſancti Numinis afflatu & beneficio inſtructi, regia beneuolentia ornati, hominum exiſtimatione florentes, in eo curſu præſtabiliſſimæ veſtræ ſapientiæ & gloriæ perpetuò inhæreatis. Et ni fallor in ea ſolitudine Collegij ſui tanquam orbi & parente ſpoliati, vos ſecundum Regem Optimum Max. LVDOVICVM, tanquam in ima cera nominatos à ſe monet eſſe tutores, quorum ſtudio & procuratione ſuſtentetur. Excipite igitur hoc cœlitum & beatorum monitum illuſtriſſimi ampliſſimíque Senatores, & parentes bonos ſuauiſſimóſque imitamini, qui eos quos humo ſuſtulerunt, alunt & veſtiunt, & neceſſariis quoque rebus commodiſque exornant: ſic eadem animi beneuolentia, qua beneficium apud nos poſuiſtis, vobis perſuadete, hoc modo natum atque adhuc trepidum Muſarum domicilium, ad veſtram curam, & nonnullam quoque prouidentiam & tutelam pertinere.

GRATIARVM ACTIO

ILLVSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS ECCLESIÆ GALlicanæ Patribus,

Qui in magnis Galliæ Comitiis inſtaurationem Collegij Claromontani Societatis IESV *à Chriſtianiſſimo Rege poſtularunt.*

CYNEAS Pyrrhi quondam fortiſſimi Regis Legatus, cùm veniſſet Romam, atque in Curiam ſedem æquitatis & communis imperij domicilium eſſet ingreſſus, dicere poſt ſolebat, eum Senatum ſibi viſum excellentium Regum eſſe conſeſſum, qui victoris populi dominatum moderaretur. Ego mecum animo reputans ſacrorum hominum eum cœtum qui Galliæ Comitia celebrauit, cùm intueor illas purpuras clariſſimorum Antiſtitum, non tam ſua luce quàm animi ſapientia collucentes, cum aliorum Eccleſiæ Principum ampliſſimis ſacerdotiis præditorum dignitatem, cogor dicere, non homines fuiſſe quoſdam regio ore atque maieſtate illuſtres ſed Heroas propè diuinos & è ſede beatorum demiſſos. Siue enim præſtabilitatem ingenij contemplor & conſilij, ſiue amorem in communem patriam exaggeratum, ſiue tuendæ concordiæ ſtudium, ſiue in exornanda religione conſtantiam, ſiue denique eorum facinorum magnitudinem, quæ glorioſè dicta meditatáque ſunt, & ſumma tandem felicitate perfecta, nihil mihi videtur dici poſſe illuſtrius, nihil diuinius. Non is ſum, qui in vberem hunc gloriæ campum ingredi velim, nec tam inconſideratus támque inops conſilij & rationis, vt ea diuina ornare coner, quæ non modò eloquentiam meam, quæ

nulla eſt aut perexigua ſanè atque tenuis, verùm etiam omnium Oratorum vim copiámque exuperent. Scio dictum fuiſſe à Pythagora claro illo doctore ſapientiæ, Non abſque lumine de rebus diuinis eſſe loquendum, hoc eſt ſine ſapientia, quam eadem mente Peripatetici λαμπτῆρα ἔχειν τὴν τάξιν aiebant. Quonam igitur modo fieri poſſet, vt nulla ſapientia inſtructus, imparatus ab elegantia doctrinarum, nec dicendi luminibus abundans nec grata illa varietate humanitatis, ea me putem pro dignitate poſſe attingere? Enimuero illam in Societatem noſtram beneuolentiam multis & clariſſimis notis inſignem, illam curam & prouidentiam ſingularem propagandæ ſapientiæ, commemorandum id ſtudium ornandi Collegij Claromontani ad complurium adoleſcentium vtilitatem, ſilere nullo modo poſſum. Atque id quidem ſingulare beneficium veſtrum, Illuſtriſſimi Cardinales, Vigilantiſſimi Antiſtites, atque alij religionis Præfecti, poſteritas omnis prædicabit, neque eius ſummam amplitudinem, vlla inobſcuratura eſt obliuio: quin & illi qui modò ſunt, quíque id pulcherrimè atque optimè poſſunt, facient opinor honeſtiſſima contentione, ſed cùm ſit commune meritum támque latè ad omnes pateat, & gratam ab vnoquoque memoriam repetat, ego vnus de multis non tam eximiè quàm cæteri, ſed eodem certè animo dicam, qui nimirum veſtræ ampliſſimæ dignitati & gratiæ velificetur. Verùm eo breuior ſum futurus in dicendo, quàm illi ipſi, qui ad laudem veſtri nominis illuſtrandam operam ſuam adiicient, quod propter anguſtias pectoris mei illa tanta beneficiorum veſtrorum magnitudo non orationem modò meam, ſed etiam animi cogitationem abſorbeat. Nam vnde factum fuiſſe putem, vt cùm multa ſint domicilia literarum, præcipuè tamen hoc in Collegium beneuolentiæ veſtræ oculos inieceritis? Lubet enim ex hóc quaſi introitu ad præſtantiam veſtri muneris & beneficentiæ cognoſcendam ingredi. Excitantur homines vulgò ad benemerendum excellenti quadam virtute innocentium & præſtabili vitę dignitate quæ plurimùm inter alios emineat: ſunt qui mirificè capiuntur vt benignè aliis velint incredibili illorũ ſapientia & religione, quæ vix parem habere videatur: ſpe ducuntur alij cõplurium vtilitatum, quę labores aliorum cauſa ſuſceptos dulci

quadam ſuauitudine voluptatis compenſare queant: ſunt quorum aciem luminum diuitum potentia opulentiáque præſtinguat: familiæ dignitas atque nataliuni ſplendor trahit plurimos, quòd communis omnium ſit opinio, in iis hominibus nec inane nec irritum fore beneficium, qui per ſe gratioſiſſimi ſint apud omnes, & tot & tantis ſeu fortunæ ſiue animi ornamentis præditi, vt diuinitus commendari putentur. Alios quoſdam inuenire eſt alta mente & egregia natura inſtructos, rariores quidem illos, ſed qui propter mirabilem bonitatem notari facile poſſunt, qui non gratia, non ſpe commodorum & expectatione, non externo vllo apparatu ſplendoris & gloriæ, ad alios ſubleuandos & iuuandos commoueantur, quorum διπλᾶ τὰ τῆς εὐεργεσίας, beneficia ſemper eſſe duplicia, certè inuſitata & maxima S. Chryſoſtomus aurea dicendi copia exuberans contendit. Quid igitur fuiſſe dicam, quod beneficam veſtram mentem inflammauerit ad ſuſcipiendas eas cogitationes, quas memori animo veneramur, ad eam exhibendam humanitatem Societatis noſtræ hominibus, quos neque eximia quædam & ſuſpicienda hominum generi ſapientia, nec mirabilis vitæ ſplendor, non ſpes vlla præmiorum ampliſſimorum, non gloria illuſtris, non beatæ fortunæ choragium apud vos commendare potuerunt? Neceſſe omnino fuit, vos humanorum commodorum poſita & repudiata ratione; quo veſtrum eſſet vt ſingularis ille doctor aiebat διπλῆ εὐεργεσία, non vnum atque ſimplex, ſed luculentum & exaggeratum beneficium, atque ex omni genere humanitatis conglutinatum: oportuit, inquam, vos quiddam altius intueri, ſpectare ſummum orbis terræ dominatorem Deum, cui curæ vigiliæque noſtræ omnes inſeruiunt: deinde in veſtrum animum inducere, nihil gratius vos diuinæ menti facturos, nihil magis communi pietati conſentaneum, nihil tutoribus Eccleſiæ congruentius, quàm ſi eos præſidio veſtro prudentiáque defenderetis, quorum vita diuinæ gloriæ amplificandæ vota eſt, & multis grauibúſque religionibus conſecrata. Videbatis pios religioſorum conatus, neſcio qua temporum iniquitate fuiſſe, & fatali mora & impeditione excluſos & tardatos, veſtra cura & autoritate fieri poſſe, vt Camœnarum illa reditio atque via tot dumis & virgultis obſtructa iuuentuti aliquando pateret,

Digitized by Google

ad pietatem ſimul cum doctrina & elegantia literarum exci-piendam. Si nihil aliud à me diceretur, quàm quod iam om-nes poſſunt animo & intelligentia conſequi, vos Dei cauſa prædicandum id facinus ſuſcepiſſe, veſtras mentes conſenſiſſe dulci & iucunda ſymphonia, vt in aurea teſtudine fidium va-rietatem, ad diuini Numinis laudem augendam, an non tanta videretur prædicatio, qua pæne maior cogitari nulla poteſt? Sed non vna atque ſimplex, vt aiebam, eſt iſtius beneficentiæ & prouidentiæ veſtræ ratio. Nec enim mihi dubium vllum eſt, quin pro ea ſapientis animi prouiſione, quam in totius Galliæ luce poſuiſtis, veſtra conſilia ſeſe ad omnem reipub. partem il-luſtrandam & ornandam intenderint. Cùm ad bonum & ſplẽ-dorem religionis, & diuinæ mentis cultum, in quo vno pro-mouendo veſter imprimis Comitiorum labor inſumptus eſt, & ſanctiſſimæ cogitationes euigilauerunt, curam etiam erudi-tionis atque literarum adiungendam eſſe putauiſtis, publicum fuit & commune veluti præconium, & clariſſimi veſtri ordi-nis teſtificatio, nihil vos malle poſt ſacrorum pietatem, nihil appetere vehementius, nullius rei æquè teneri deſiderio & cu-piditate, quàm vt iuuentus quæ ad Eccleſiæ dignitates & ho-nores animum adiicient, quàm vt cæteri etiam omnes qui rei-pub. partem vllam moderandam attingent, doctrinarum vtili cognitione & ſapientia conentur excellere. Quare quæ libris & Commentariis Sanctorum Patrum, quæ oraculis Vatum, quæ præceptis ſapientum continentur de ſcientiæ amore cõ-mendando, & eius appetitione exſuſcitanda in eorum animis, qui auguſtis altaribus addicti cerimonias procurarent, ea per vos quodammodo renouata mihi videntur, & in omnium conſpectu locata. Tantùm non maxima pleniſſimáque voce ita vt omnis Gallia exaudiat pronunciare voluiſtis, nihil fieri ab iis hominibus præſtantius qui ampliſſimis ſacerdotiis præ-diti ſunt, nihil officio quod in hac magna Dei domo ſuſtinent conuenientius fieri poſſe, quàm ſi cupidè literarum domicilia excolant, doctrinis pectus oppleant ſuum, & ſtudia cum reli-gione Maiorum & pietatis flore coniungant. Eſt enim id effa-tum diuini hominis Malachiæ Numinis teſtimonio firmum atque ratum, labia Sacerdotis cuſtodire ſcientiam, ſacros ho-mines qui Eccleſiæ præficiuntur, in altiſſimo gradu poſitos, &

ad Deum propius accedentes, ex illa Numinis communione mirifica luce & cognitione circunfluere, quam deinde cæteris hominibus quaſi humi ſtratis & obſcuris communicent. Philo quidem certè Iudæorum doctiſſimus eleganter ſummum omnium rerum opificem Deum in ſapientia tanquam in domicilio collocat, è diſciplina Magni Moſis, cœleſti arcanorum intelligentia præſtantis, ad quod opinor eximium domicilium euocantur illi omnes Eccleſiæ principes, & quaſi æditimi religionis, myſteriorum adminiſtri, vbi ſaturi admirabilium rerum notione diuini fiant, & longè veriùs quàm vetus Minos Διὸς ὀαριςαὶ magni Iouis auditores. Ab illa rerum pulcherrimarum cognitione atque amplitudine doctrinarum, Sacerdotes cæteríque pietatis myſtagogi Deorum nomen in diuinis litteris conſequuti ſunt, cùm ad eam ingenij copiam vitæ innocentia & probitas ſingularis acceſſit. Hinc Clemens Romanæ Eccleſiæ lumen cùm mirabilem Apoſtolorum politiam & Conſtitutiones literarum monumentis commendat, Epiſcopum quem omnis ſacræ ſcientiæ cuſtodem eſſe ait, θεὸν ἐπίγειον nominat, terreſtrem nimirum Deum. Ex vltima antiquitate repetitum & promptum illud è monumentis Hebræorum per mihi mirum ſemper viſum fuit, quod de Seth dicitur, cum primùm inter homines nominatum Deum, cuius item poſteros videmus Dei filios in diuinis ſcripturis celebrari: rationem magni viri doctiſſimíque attulerunt, illúmque aiunt glorioſum illud nomen conſecutum, tum propter Hebraicarum literarum inuentionem & nomina ſtellis impoſita, cùm eſſet eximiè doctus & exquiſita rerum cognitione ornatus, tum maximè ob excellentem pietatem & religionem in Deũ: adeò nimirum in iis quondam eſfloreſcentis Mundi hominibus, in quibus ingenij vis conſiliíque maturitas eluxit, inſitum fuit atque perſuaſum, ſcientiam religionis bono decoratam eſſe quiddam ſtelliferis orbibus dignum & diuina nomenclatura, & communi hominum imbecillitate præſtantius. Et miremur ſi Galliæ Pontifices in eo velut theatro refertiſſimo celebritate maximéque ſonanti, monere adoleſcentiam voluerint cupidam honoris & dignitatis, vt amet literas, liberali atque ingenua humanitate delectetur, ea ſibi animi ornamenta comparet, ſine quibus nemo vnquam Deus aut diuinus, ſed

Digitized by Google

ne quidem inter homines homo commendatus fuit? Quod ſi tantùm præſtantium virorum exemplo iuuentus imbui poſſet, atque ad omnem humanitatem informari, non opus vllo Collegio fuiſſet, Sapientiſſimi Antiſtites, cũ excellentia veſtra ſit in oculis & hominum prædicatione vigeat. Vos illa eximia ſanctitate vberrimis doctrinis cumulata, vos humanitate, grauitate, illuſtrium virtutum choro, concionibus, admonitis, libris ſcriptis & ingeniorũm monumentis luce palam declarauiſtis, nihil magnopere deeſſe vobis, quo minus ſacras illas teletas quibus fuiſtis inaugurati reipſa expleatis. Fuit enim id ſolenne in conſecratione Epiſcoporum, vt fieret ἡ τῶν λογίων ἐπὶ κεφαλῆς ἐπίθεσις, ſacrorum voluminum ſuper caput & humerum eius qui ſanctiſſimis religionibus initiabatur impoſitio, quod vt noſter ait Dionyſius Theologorum maximus & eruditiſſimus, non modò ipſe diuina ſcientia illuſtrari debeat, verùm & aliis eam tradere. Non eſt negandum quin ſumma illa dignitas & ſapientia quæ veſtræ vitæ comitatur, ſingularem vim habeat atque momentum ad intuentium animos inflammandos ad imitationem: ſed profectò ea mente quam nihil fugit, hoc quoque vidiſtis, iuuentuti opus eſſe diligenti & accurata inſtitutione priuſquam ad illa magna & glorianda veniatur. His enim in pueritia iactis fundamentis illius gloriæ & dignitatis, quam in vobis rei magnitudine obſtupefacti miramur, ſpes eſt vti aliquando fideles ſint diſpenſatores myſteriorum diuinorum, & ſponſæ Eccleſiæ tutores boni & ſtudioſi. Ita ſanè diuinus Paulus Timotheũ meritis laudibus in cœlum effert & ſuauiatur, quod ab infantia non modò ſcholas Philoſophorum atque orbem humanitatis, verùm etiam ſacras literas didiciſſet, ex quo futurum ait, vt illius fides parentum clariſſimis virtutibus illuminata nunquam interitura videatur. Hinc nimirum effloruit illa plena humanitatis & beneuolentiæ petitio de Claromontano Collegio reſtituendo, pro qua non modò nos, quos maximè id beneficium attingit, ſed ne quidem Galliæ omnis iuuentus, quæ ad ſpem Chriſtianæ reipub. & patriæ vtilitatem imbuitur, meritas gratias vnquam retulerit. Quod ſi veſtræ honeſtiſſimæ cupiditati & claræ iſti prouidentiæ, ſtudioſorum labor diligentiáque reſponderet, non dubitarem liquidò aſſerere, futuram

turam ſemper eam gloriam literarum in Gallia, & dignitatem ſapientiæ, quam gentium omnium literis atque linguis celebratam videmus, atque in altiſſimo faſtigio honoris collocatam. Iterum in florentiſſimo hoc imperio Hilarij, Martini, Dionyſij reuiuiſcerent columina religionis, decora pietatis, expolita omnium virtutum doctrinarúmque ſpecimina. Semper inter nos habitarent Irenæi, Paulini, Sulpitij, Remigij, qui velut orbium cœleſtium varietatem ſtellæ pellucidæ, atque aureæ, ſic Galliam eruditionis ſuæ ſplendore ſanctimoniáque decorarunt. Iterum viui & ſpirantes in ſuggeſtum atque in hominum cœtum introirent Proſperi, Vincentij, Gennadij, Saluiani, innumerabiles alij coryphæi, qui mirificam ſpeciem religionis & pulchritudinem, totius naturæ ſcientia & diuinarum rerum cognitione auxerunt. Exundarent illa eloquentiæ flumina, quæ D. olim Hieronymus vir ſummo iudicio præditus nimium quantum ſuſpexit: Laus doctorum hominum & exiſtimatio Gallicano cothurno ad ſplẽdidum cœli palatium attolleretur. Iterum ad nos ex vltimis gentibus & remotiſſimus oris terrarum in dubiis rebus conſulendos, ad enodandas grauium rerum quæſtiones, ad capiendam lucem ingenij & conſilij, tanquam ad Pythium Apollinem non mediocri autoritate homines, potius ſummi quod ſæpè olim cõtigit accederent. Quid quod etiam Clariſſimi Antiſtites, hoc Collegium arcem quandam fore optauiſtis omnibus telis atque omnium armorum generibus inſtructam ad impias molitiones refutandas, parumne iſtam quam laude & prædicatione afficio prouidentiam veſtram, fidem, religionem, in communem patriam caritatem oſtendit? Bellum enim periculoſiſſimum & maximum vos Eccleſiæ primipili & piarum legionum duces ſuſtinetis: bellum, inquam, prope iam inde ab huius mundi molitione incœptum, quod perenni omnium ſæculorum varietate & continuatione geritur. Volitat enim exercitus inſolens ſuperbiſſimo delectu atq; audacia ex diſſimillimo hominum genere conflatus, vobis iuxta boniſque omnibus inimicus, quorum omnium hæc vna mens conſiliúmque ſemper fuit, vrbẽ religionis & ſapientiæ caſtellum omni machinatione quatere, ignorantiæ monſtrũ (quod pecudes ipſæ r deãt) vt pudenda Ægyptiorũ numina in fanis atque tẽplis, in foro

Digitized by Google

& Curia, atque in media reipub. luce collocare. Et ne fortè batuere Samnites & de ludo Myrmillones quiſquam putet, illius formidoloſi exercitus cornua ſemper tenuerunt hinc potentes quidã opibus atque potentia Dynaſtæ religionis inimici omni imbuti odio & crudelitate, hinc Epicurei atq; hæretici nouarũ opinionum architecti, quorum ardor impius & furioſus neſcio an minus eruditionẽ quàm religionem violet. Princeps inueſtigandæ veritatis Ariſtoteles, & quaſi maiorũ gentium philoſophus, cùm de optima politia diſputat, ait propriũ eſſe Principũ qui pro animi ſui libidine potentia abutãtur ſua, viros ſapientes de medio tollere, μήτε χολὰς, μήτε ἄλλους συλλόγους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι χολαστικοὺς, neque ſcholas, nec conuentus aliquos ſcholaſticos fieri concedere. Illius tanti támque egregij hominis dictũ complurium ætatum experientia cõprobauit. Nam vt vetuſtiſſimos ſilentio prætereã, Licinius homo ferox & ambitioſiſſimæ inanitatis qui Galliam noſtrã morte ſua funeſtauit, non minus pietatis fuit quã doctrinarum hoſtis, qui vt ſcriptores longè clariſſimi reliquerunt, literas virus ac peſtem publicã nominare ſolitus fuit. De barbara illius mente & conatu, cruce inſignis & religione Cõſtantinus trophæũ ſtatuit, & in principe Orientis vrbe Collegium ædificauit opere maximo, & Muſarum domicilium, doctiſſimis hominibus abundans, bibliotheca illuſtre, infinitis prope voluminibus referta. Difficile dictu eſt, quanta molitus ſit Leo Iſauricus in illa ipſa animi ornamenta, quanta excogitarit, quanta perfecerit; cùm non modò pias imagines è tẽplis, ſed è doctorum hominũ animis pulcherrimas notiones atque omnem elegantiã eraſam & eiectam vellet. Sed nil propè mihi videtur funeſtius quã quod vrbis Conſtantinopolitanæ commune Muſeum atque ſedem humanitatis, quam propter iucũdiſſimum literarum inſtructũ & amœnitatem, Amorum hortum Manaſſes Conſtantinus appellat, vna cum duodecim hominibus, qui eas ſcholas ſapientiſſimè adminiſtrabant, ſæuo incendio crudelis abſtulerit. Neque enim poſſe videbat ſe perficere, vti hæreſim qua imperij coronam indignè polluerat, per imperitæ multitudinis animos longè & latè ſpargeret & diſſeminaret, niſi prius ſapientiæ illã arcem, atque ipſius præfectos euerteret, qui religioſiſſimi fuiſſe dicuntur & liberali omni doctrina circunfluentes. Sed Iulianus

Digitized by Google

Chriſtianæ religionis deſertor in eo genere omnes perfidioſæ mētis inhumanitate ſuperauit, qui quo magis pietati incōmodaret, quam latè patuit imperiū nouis & inauditis edictis propoſita omnium ſuppliciorum acerbitate vetuit, ne vllus Chriſtianorum profanas ſcientias & dulcium Muſarū fœtus attingeret. In eum & ſimiles copias furentium glorioſè inuecti eximij bellatores Vulcaniis armis tecti, pontificiis inſignibus ornati, Baſilij, Gregorij, Chryſ. alij, cataphracti omnes & diuini, tum delecta cohors hominū intelligentium, quorū laureæ illuſtrium triumphorū indices non areſcentibus foliis, ſed æterna viriditate effloreſcentes à vobis excipiuntur. Qui ſi tum ſiluiſſent, quod minimè quidem potuerunt ea religione & præſtantia eruditionis exculti, vos certè beatiori hac tempeſtate, quid de illis humani generis prodigiis ſentiretis, communi omnium teſtimonio declarauiſſetis: Illi religionis perduelles bonarum artium ſtudium peſtem atque labem indigitabant, vos præſidium magnum in eo poſitum & ornamentum exiſtimatis: illi Doctores in quibus ſcientiarū magnitudo cum incredibili pietate certabat, è naturæ humanæ finibus exterminandos putabant, vos tuendos & complectendos omniū beneuolentia: illi ædes Camœnarum atque palatia magnificè extructa ad communicandam ſapientiam flammis delebant, vos aut noua ædificanda Collegia aut vetera reſtituenda cēſetis. Quid Epicurei quos in eodem exercitu fuiſſe dixi? quam etiam bacchati ſunt furioſè aduerſus literas vt religionis adiumenta, cùm impiè & nefariè contenderent Numinis cultum & prouidentiam ex hominum mentibus atque artium omnium induſtriam tollere, vitam autem inducere otioſam & confertā voluptate: Nā cùm mentum atque mentem in poculis deponerent, in popinis tantum hortuliſque diſerti, & ad nomen voluptatis adhinnientes, non eſt mirandū, ſi vt Zethus ille Pacuuianus non Philoſophiæ modò atque Muſicæ, ſed omni parti humanitatis bellum indixerint. Quare dux & autor opinionis Epicurus auſus illa eſt velut regio Edicto ſuis pronūciare, *παιδείαν δὲ πᾶσαν μακάριοι φεύγετε*, quaſi omnibus qui beatam vitā appeterent, decus literarum atque inſtitutio fugienda videatur. Hinc Plutarchus vir ſapientiſſimus, atque haud ſcio an omnium æui ſui præſtantiſſimus, *Ἀκάτιον Ἐπικούρειον*, *Nauiculā Epicuri* ſcitè & eleganter

Digitized by Google

ſecurum omnium artium contemptum appellat: quo myoparone nimium multi Ionio in pelago, id eſt ſumma vitæ mollitie atque luxu volitarunt. Fuit illa impudentium hominũ manus philoſophiæ armis fuſa, domita, diſſipata, neque iamdiu vexillum vllum fuit Epicuri nomine inſcriptum atque notatũ: ſed neſcio quomodo certi homines nominis inuidiam fugientes, reliquias tamen fœdiſſimæ illius opinionis animo retinuerint, & nonnunquam in hominum luce poſuerint. Cùm Baſilius omni ratione maximus, & cæteri qui ſumma fuerũt & grauitatis & ingenij gloria, tum exemplo ſuo atq; vita, tum egregiis monitis omnium animos incenderent ad ſtudia literarum, in quibus ætatem pænè omnem ſuam fructuoſiſſimè collocauiſſent, non deerant multi ieiuni maleuolentia, & pulcherrimis facinoribus inuidentes, qui indignum homine Chriſtiano dicerent in profanis ſcientiis addiſcendis elaborare. Quos aureo flumine orationis D. Greg. Nazianz. arguit malis conſiliis præcipites ac deuios & inconſideratiſſimæ temeritatis, nec veretur grauiſſimo eos nomine appellare σκαιοὺς καὶ ἀνοήτους ſtultos & imperitos qui omnes ſui ſimiles cupiant, & quo ipſi peruenire non poſſint, eo quenquam aſpirare vix animo æquo ferant. His ſuccenturiantur Hæretici tum veteres illi fumoſique qui iam terram, vt cum Poëta loquar, ore momorderũt omnium dirarum obnuntiatione ſepulti, tum noui atque de ludo & laniſta prodeuntes pinnirapi, Secutores, criſtas in galeis horribilius quatientes, qui in campum audacter ingrediuntur ad Eccleſiæ fidem & autoritatem labefactandam. Eſt enim hæreticorum hoc proprium odio proſequi doctrinarum cognitionem, & ingenij lumen ſplendorémque literarum auerſari, quemadmodũ Apharantum gens & Atlantes quondam ſolem Deum lucis orientem execrabantur. Vident enim nõ ab aliis potentius atque melius, quàm à doctis & literatis hominibus hæreſim coargui, errores impios clara in luce poni, callidorum hominum argutias, & inexpiabiles in religionem fraudes confutari. Eſt enim vt grauiſſimè aiebat Philo, φῶς ψυχῆς ἡ παιδεία, eſt, inquã, lumen animi eruditio, quo imbuta mens & feliciter circunfuſa magnis Philoſophis νοερὸν ὄμμα dicitur. Hunc oculũ tam acutum & illuſtrem, & vt verbo aurei Chryſoſtomi vtar ὀξυδερκῆ, tam intentum ad omnia, tam à corporis contagione

ſeuocatum nihil effugit: in hoc ſplendore non poteſt mendacium fallax & tortuoſum, inuolutum malitiæ integumentis atq; vmbris deliteſcere. In rectiſſimis illis ſtudiis & diſciplinarũ præſtantia Pharos collocata eſt ſublimis, & nimium quantum ſalutaris, vnde Syrtes, & fluctus in religionem excitati, vnde arrogantium hominum contaminati ſpiritus & luctuoſa naufragia aperiuntur. Vidit hoc Mahometes homo planus, doctus arte ſimulationis & veterator, qui vt gladium ſic mentem acuerat ſuam, ad perniciem infinitis hominibus inferendam. Hic cùm futilia commenta proponeret, & fabellas vix dignas anicularum commentatione, quas mediocriter eruditus poſſet agnoſcere, optimarum artium cognitionem depreſſit & repudiauit, & quantum imperio potuit & autoritate contendere, perfecit, ne Chriſti religione ornati literas attingerent. Hoc quidem illi commune fuit cum Iudæis, quibus neſcio an quidquam ſit Catholicæ pietatis infeſtius: eſt enim diſertè in Talmud poſitum, ſeuerè denuntiandum & prohibendum eſſe Chriſtianis, ne ſcholas habeant, neve apud ipſos vlla ſtudia celebrentur. Quare qui Mahometis inſanitionem impurámque ſectam exceperunt, cùm in Perſidem iniuſtis armis & efferueſcentibus copiis introiiſſent, victores palmarium propè trophæum de ſapientiæ ſtudio & humanitate fixerunt. Libros enim incenderunt omnes, & doctorum hominum Commentarios, & barbaro quodam immaníque terrore verborum prohibuerunt, ne quis deinceps in ſublimium rerum inuentis, in naturæ obſcuritate perſpicienda, in ſcientiarum cognitione operam ſuam & induſtriam collocaret. Idipſum factum ab illis fuit in Ægypto atque Libya, quæ in magna vaſtitate regionum, nunquam fuit tam deſerta & vacua, quàm communium literarum expers, cùm in earum furiarum poteſtatem dominationémque venit. Vetera commemoro, & pænè obſoleta, ſed quæ tamen videantur in ſuperioris ſæculi tempeſtate renouata. Nam vt primùm hæreſcos labes è frigidis oris Septentrionis inuecta, in finitimis regionibus pullulauit, eadem pugna ſumma contentione pugnata eſt, & pugiones dira ſuperſtitione imbuti Muſarum veluti cruore ſtillarunt. Ioannes Vvicleffus homo arrogans & opinionibus inflatus, ſcribere non dubitauit, *Vniuerſitates,*

ſtudia, *Collegia*, vana gentilitate fuiſſe introducta, neque magis quàm malum Dæmonem Eccleſiæ Dei prodeſſe. Vidit Anglia, quod Sanderus omni virtute & humanitate politus Scriptor ſuis monumentis prodidit, funeſtos de ſapientia triumphos agi, cùm nouæ religionis magiſtri ſepti corona inſolentiſſimæ iuuentutis, in ampliſſimæ vrbis ſinu, in ciuium omnium frequentia, pompa inſaniſſima, Canonici iuris commentarios omnes & eruditiſſima monumenta diligenti conquiſitione collecta in medio foro incenderunt. Quid de Germania dicam? quanta ſecuris iniecta fuit liberalium artium ſtudio, cùm Eccleſiæ nauem in alto fluitantem Stygius prædo humani generis inimicus hæreſon fluctibus & turbulentiſſima commotione iactauit? Reperti ſunt muſteæ factionis duo anteſignani, & veluti par gladiatorum lemniſcata palma, quorum diu pugnatorius mucro diſputando commentandóque ſæuierat, Carloſtadius & Melanchthon, qui primùm ſpargere in circulis atque in cœtu adoleſcentium cœperunt, doctrinarum cognitionem plus obeſſe, quàm commodi & vtilitatis adferre ad veriſſimam religionem excipiendam & tuendam, & tantùm non illud Heracliti ingenuis mentibus obtrudere, πολυμαθίη νόον ὐ διδάσκει, complurium rerum ſcientiam mentem non docere, interiores literas atque eruditionem, & quæ laude prophanorum hominum & prædicatione in cœlum extollitur Philoſophiam, eſſe nugas loquacium diſputatorum. Et vt exemplum potentius foret ad perſuadendum quàm oratio, derepente tanquam Circeo poculo ebibito, alter factus eſt colonus, induſtrius ſanè experiénſque agricola, alter piſtor, vt eiuſdem eſſe farinæ cognoſceretur. Difficile dictu eſt quanta ſolitudo in pleriſque Academiis conſecuta ſit, quanta ſtudiorum pernicies, quantus pueritiæ ſtupor & ignauia: quo tempore ſcholæ pænè omnes textu aranearum oppletæ & vacuæ ſiluerunt. Hoc aiebam ſapientiæ bellum & religioni tam infeſtum, tam diuturnum & perenne, bonis omnibus eſſe opere nimio extimeſcendum. Sed vos intueor fortiſſimi Centuriones, lectiſſimi Duces, ſapientiſſimi Antiſtites, qui prælia Domini geritis, non belli offenſionibus & calamitate ad rei militaris ſcientiam, ſed rebus geſtis ac victoriis eru-

diti. Vos aduerſus hoc inimicorum genus ſanè varium & mixtum & turbulentum, veſtra præſidia generosè oppoſuiſtis, vos cohortes omnes prætorias & inſtructiſſimas è lectiſſimo hominum genere compoſitas, diu atque multùm in præliando exercitatas ad dubia reipublicæ tempora eduxiſtis: veſtras pugnas inſignibus coronis & triumphis illuſtres monumenta annalium prædicabunt, poſteri ſuſpicient, pollens omnium rerum gubernator Deus, cuius ductu atque auſpiciis res à vobis geritur, decoro puluere ſordidatos & victores, præmiis ampliſſimis, quæque nulla mens aut cogitatio capere poteſt munerabitur. Vos aliquid opis & adiumenti Societatis noſtræ homines adferre poſſe iudicauiſtis ad defendendam ornandámque religionem, ad ſapientiæ decus propagandum, ad vindicanda ſtudia literarum. Arcẽm, inquam, hoc Claromontanum Collegium eſſe voluiſtis, & honorariam palæſtram, vbi lecti & periti Campiductores iuuentutem Gallicanam ad omnem animi excellentiam, ad dignitatem, ad honeſtiſſimum vitæ genus exerceant. Sunt quidem Lutetiæ Pariſiorum alia propugnacula bene multa eruditionis, omnibus ornamentis munita, ſunt Collegia plena & conferta doctiſſimis hominibus, qui ad labores ſtudiorum impigri, ad vſum ac diſciplinam periti omni hactenus gloriæ exiſtimatione floruerunt: ſed tam felix & beata non eſt, nec futura eſt Academia, qui pro veſtra in patriam caritate eam ſemper inſtructiorem & ornatiorem eſſe velitis. Id bonum communium literarum vnde ad omnem vitam firmiſſima præſidia comparantur, vnde effloreſcit Chriſtianæ reipublicæ otium, & diuinæ mentis honos, quantum fieri poſſet amplificandum his temporibus augendúmque videbatur. Quare quemadmodum Hierophantæ & Ægyptiorum ſapientes, qui ſacrum & religioſum cubitum cuſtodia ſua tenebant, Nilum quàm maximè atque vberrimè optabant exundare, atque in patentes regiones camporum è ripis alueóque influere: quod quantò latiùs funderetur, eò maior fructuum copia atque ſeges oboritura eſſet: ſic in hac tanta Collegiorum abundantia, vbi adoleſcentium ætas bonis artibus ſtudiiſque excolitur, è re futurum exiſtimaſtis, ſi ad quamplurimos illa ingeniorum ornamenta

manarent. Nunc igitur ſperandum eſt clariſſimi Pontifices, hoc ſeminario doctæ religionis & religioſæ doctrinæ conſtituto, hac Muſarum domo patefacta ad communem vtilitatem, & Academiæ omnium florentiſſimæ atque eruditiſſimæ adiuncta, ſemper in Gallia futuros, qui veſtram animi magnitudinem, prudentiam, ſcientiam illam præſtantem eximiáſque virtutes imitentur, & vt quondam in feliciſſimo nemore poëtarum, aureo vno ramo diffracto, plurimos ortum habituros, qui ſpecioſiſſimæ vitæ ſplendore colluceant. Bonifacius olim martyr & religioſiſſimus Antiſtes, cùm de ſui temporis labe & ſacrorum hominum inſcitia loqueretur, aureos quondam ſacerdotes aiebat ligneis calicibus fuiſſe vſos, nunc è contrario ligneos aureis vti. Vos quantum prouidere humanitas poteſt, ſapientia veſtra, cura & conſilio effeciſtis, ne deinceps in fortunatiſſimo hoc regno grauis illa reprehenſio locum habitura videatur. Veſtra, inquam, longè in poſterum prouidens induſtria atque prudentia ſpectauit, vt ſacerdotes planè ſint aurei, rectiſſimis à pueritia diſciplinis religioſiſſimè imbuti, omnes denique qui ad literas & humanitatem animum ſuum appellent, tales ſint moribus atque vita, quales fuiſſe beatiſſimo in ſæculo Poëta canit Heſiodus, χρύσειοι ἄνδρες. Quas igitur gratiarum actiones vobis Gallia cuius gloriæ atque dignitati conſultum eſſe voluiſtis perſoluet? quam laudem & prædicationem feret Academia, quam ſedibus Camœnarum multis & variis, vt margaritis pretioſiſſimis coronatam, ſplendida hac etiam gemma ornaſtis? Quam columnam ſtatuet noſtra Societas, quæ amorem in nos veſtrum ſingularem & eximium poſteris loquatur? quod diuinum genus honoris prouinciæ omnes Galliæ ad cohoneſtanda veſtra merita excogitabunt, quæ Pariſiis euocare Apollinem ſolent, & è principis Academiæ fontibus aureas venas Caſtaliæ vndæ petere? Nam ſi verè Gregorius Nazianzenus ſublimis apex Theologorum & columen, quem diuina quadam celeritate ingenij & dicendi copia excelluiſſe ferunt, dixit, παίδευσιν τῶν παρ' ἡμῶν ἀγαθῶν εἶναι τὸ πρῶτον, inter humana bona quæ diuinitus nobis euenerint, primum obtinere locum Eruditionem, hanc qui illuſtrem quantum in ipſis fuit voluerunt, & ab

hoc

hoc capite in alias Galliæ oras fuſam & deriuatam, an non omnes æterno beneficio diuinóque munere affecerint? Nos certè tantum promeritum in nos veſtrum eſſe confitemur, vt ne quidem ſi eloquentia illa nobis adeſſet doctiſſimi Neocæſareæ Antiſtitis Gregorij, qui Origeni πανηγυρικὸν εὐχαριστίας ſingulari facundia piíque animi commendatione perſoluit, ad id pro dignitate ornandum ſatis parati & inſtructi videamur. Id præ nobis feremus ſemper tanta veſtra beneuolentia læti & erecti, & ad labores graues & quotidianos ſuſtinendos, tum in docenda iuuentute, tum in religione pro virili parte illuſtranda atque tuenda incenſi. Quibus in rebus vobis ducibus atque autoribus non immorari modò, verùm & immori pulchrum & glorioſum exiſtimamus. Athenienſes corona aurea & eximiis honoribus multis decorauerunt Zenonem Cittiæum virtutis honeſtatíſque doctorem, quod ingenuæ florem adoleſcentiæ in rebus optimis & præſtabiliſſimis erudiret: nos à vobis ad docendam iuuentutem delecti, Chriſtianiſſimi Regis tutelæ commiſſi, omnibus Galliæ Ordinibus commendati, perhonorificum hoc veſtrum & commune iudicium pro corona atque omni ornatu feremus, ſanctiſſimo in tholo conſecrabimus, & in omnem coſequentis æui memoriam religioſiſſima mente, pia obſeruantia, debito & iucundo honore proſequemur.

G

GRATIARVM ACTIO

NOBILISSIMIS MARCHIONIBVS, COMITIBVS, BARONIBVS, cæteriſque Ordinis Nobilium Legatis,

Qui in publicis regni Comitiis Pariſienſis Collegij Societatis IESV *inſtaurationem à Chriſtianiſſimo Rege communibus votis petierunt.*

QVOD his annis multi à præpotente rerum omnium dominatore Deo petebant, vt aliquando illuceret ille dies, quo generoſa Galliæ nobilitas ad ſtudia ſe magnarum artium, & humanitatis cognitionem traduceret, id ſummo Numinis beneficio atque dono fuiſſe conceſſum videmus. Nam cùm in ea ciuilium bellorum varietate, quæ Galliam diutiſſimè vehementiſſiméque exercuit, nobilium familiarum iuuentus Martis potiùs ſequeretur manubias, quàm ſtudia literarum coleret, & ipſi duces aliorum atque rectores quotidiana prope dimicatione conficerentur: non iniuria Galli omnes optabamus, vt pace parta, & communi otio conſtabilito, facinoribus iam inclyti, & præliis nobilitati, ad ornandam eruditionem ſe conferrent. Neque verò dubij animi obſcuríque fuerunt, & tacitæ nobilium hominum cogitationes, cùm qui priùs à ciuilium munerum adminiſtratione & honoribus auocabantur, aureo illo aditu patefacto atque recluſo, mentem ſuam ferè omnes atque ingenium, difficillimis artibus & ſapientiæ capiendæ idoneum, ad Muſarum ſuauitatem adiungerent. Sed profectò nunquam illud

animi ingenui ſtudium, & honeſta cupido excellentiáque patuit, quàm in veſtro grauiſſimo cœtu & corona, illuſtriſſimi atque ornatiſſimi Viri, qui his annis Galliæ Comitia celebrauiſtis. In quibus cùm multa ſint à vobis diuinitus excogitata ad totius regni adminiſtrationem, ad tuendam & propagandam veri Numinis religionem, ad tranquillitatem populorum, ad prouinciarum decus & ornamentum, ad liliorum præſtabiliſſimam dignitatem, non ſuis crocis ſed trophæis illuminandam: tum publica teſtificatione declaratum eſt, quid de Muſis atque eruditione ſentiretis. Claromontanum Collegium nudum hactenus & priſtinis ornamentis ſpoliatum, ea mente qua communibus rebus prouidiſtis, omniúmque Ordinum ſaluti atque bono, reſtituendum putauiſtis. Id facinus Chriſtianiſſimo Rege digniſſimum, in hac Galliæ felicitate, vbi tanta eſt bonorum ingeniorum copia, & vtilium doctrinarum exiſtimatio, fieri ab eodem illo poſtulauiſtis, qui principali autoritate comprobaturus videbatur veſtra omnium conſilia & honeſtas petitiones. Difficile nimium eſt atque operoſum, tot res ac tantas ſapienter à vobis & ſingulari animi lumine prouiſas, aut ingenio ſuſtinere, aut oratione conſequi, quas æternitas alet, & perennis hominum memoria, qui de vobis ſcripta monumenta & illuſtrium hominum annales videbunt. Mihi ſanè in eas intuenti infinita prope laudis præconiorum ſeges materiáque obiicitur, euenítque metus, ne ſi dicere aggrediar, inſolentiſſimæ temeritatis, ſi diſſimulem penitus atque taceam, ingrati animi ſubeunda reprehenſio infamiáque videatur. Nam quæ tanta videri poſſet infantiſſimi hominis & ab eloquentia imparati ſtudiíque minimi temeritas, vt cùm multa ſint tota Gallia ſplendidiſſima noſtrorum hominum ingenia, quorum poſitus iam in multis clariſſimíſque rebus prædicandis conſumptúſque ſit labor atque induſtria, ego vnus id audeam, quod propter inexplicabilem rerum præſtantiam, omnium vires conatúſque refugiſſent? Enimuerò ſit tanti vt inconſideratus videar, & nullius quoque, ſi ita neceſſe eſt, ingenij & facundiæ, dummodo hoc conſtet, me veſtram inuſitatam beneuolentiam huius tanti beneficij magnitudine obſtupefactum om-

nibus ingenij neruis & contentione ornare voluiſſe. Parum ſum elocutus cùm beneficium dixi, quod in eo vno facto, vt in equo Durateo principes, multa & magna benefici animi merita incluſa contineantur. Quæ amens ſim plumbeóque penitus iudicio deuiúſque à ratione, niſi tanta eſſe putem, quanta vix vllius hominis oratio æquare poſſit, & denique eiuſmodi, vt ſi nobis diuinitus optio conceſſa fuiſſet, vix optare maiora potuiſſemus. Nihil enim expectari potuit magnificentius, nihil glorioſius ad Ordinis noſtri commendationem, quàm Galliæ florem inclytum, in publico illo theatro ſapientiæ, virtutis, grauitatis, communi iudicio declarauiſſe, noſtræ familiæ religioſos videri eſſe vtiles reipublicæ Chriſtianæ, inſtituendæque iuuentuti, & Academiam Pariſienſem noſtrorum Regum munificentia locupletatam & ornatam, tametſi per ſe ſatis illuſtrem, poſſe tamen ornari in dies magis & florere, ſi ad doctiſſimos omnium artium interpretes, qui iampridem in ea celebrantur, è Societate noſtra lecti homines accederent. Itaque tantùm à vobis beneficium accepimus, quantùm ab amiciſſimis tribui potuit, atque ab iis viris quorum dicta & effata teſtimoniorum ſanctitatem & religionem obtinent. Atque in nobis ornandis & Collegio noſtro cohoneſtando, neſcio an magis veſtrum in nos, aut in gloriam literarum amorem, an eximij veſtri animi prudentiam, vt tabellam bono in lumine collocaueritis. Mihi ſanè merito veſtro videmini, non indoctæ modò multitudinis quæ nunc eſt opinionem, quæ à vobis alia omnia quàm literarum præſidium & ſapientiæ amorem expectabat, ſed veterum quoque ſenſum & conſilium ſuperauiſſe. Sic enim accepimus Catones, Craſſos, Antonios qui lumina quædam videbantur eſſe reipub. principéſque nobilitatis, Romæ ſcholas vetuiſſe, atque in ea fuiſſe opinione, non leuem impendere toti imperio calamitatem, ſi è Græcia Philoſophi in vrbem influerent, & ſcientiæ fontes iuuentuti aperirentur. Vos aliis inſtituti legibus, & humanitate politiores, cùm alta mente cognouiſſetis idem quod aiebat apud Thucydidem Pericles, οὐ τοὺς λόγους τοῖς ἔργοις βλάβην ἡγεῖσθαι, neque eruditionem fortiſſimis animis incommodare, non modò non extinguenda Collegia puta-

uiſtis, ſed potius numero & dignitate amplificanda. Sed illi fumoſis imaginibus glorioſi Patritij qui lunulas ferebant in ſoleis, nobilitatis inſignia, verebantur ne Minerua neruos elideret conſtantiæ bellicæque laudis: vos qui ſoles & clariſſima ſapientiæ lumina non in ſoleis, ſed in capite & conſilio circunfertis, vt antiquæ proſapiæ & nobilitatis veræ indicia, ſemper cenſuiſtis, à præſtantiſſima eorum adoleſcentium indole, qui in ſummis familiis nati ſunt, honeſta ſtudia literarum nunquam abhorruiſſe, quin potius nobiliſſimo in genere ſcientiam, vt in aurea pala beryllum mirabilius collucere. Et ſi verum dixit Euripides nobilitatem inter homines eſſe δεινὸν χαρακτῆρα, eximiámque veluti notam, qua ſummo & honeſtiſſimo loco generati dignoſcantur ab aliis, atque omnium beneuolentiam ſibi concilient: laudem eam non minus in eruditionem conuenire vidiſtis, quæ ſi ad familiæ vetuſtatē amplitudinémque accedat, vim habet mirificam & ſingularem ad voluntates aliorum capiendas. Itaque veſtrum commemorabile hoc facinus omnium gentium literis atque linguis prædicandum, Viri nobiliſſimi, ſapientiſſimíque proceres, ſic interpretor, eſſe publicam & grauiſſimam cohortationem ad iuuentutem ſtirpe genEroſa profectam, nihil ab ea fieri melius honeſtiúſque poſſe, quàm ſi exedras atque vmbracula Gymnaſiorum adeat, in iis mores, & virtutem, & religionem hauriat cum pulcherrimis ingenuíſque diſciplinis, quæ parentibus ornamentum, præſidium patriæ, ipſis autem lucem & ſplendorem & humaniſſimam animi voluptatem ferant. Qua de re pluribus mihi dicendum eſſe video. Nam quoniam veſtri beneficij magnitudo imbecillitatem animi mei quodammodo obruit, nec vllum genus orationis inueniri à me poteſt tanta volubilitate circunfluens, tam elaboratum & perfectum, quod agendis gratiis queat ſufficere: Iubet ſapientiam veſtram explicare copioſius, & ſi quid habet virium mea vox atque oratio dicendo perficere, vt nobiles adoleſcētes intelligant, quod à vobis haud obſcurè ſignificatur, doctrinam eſſe glorioſæ nobilitatis ornamentum, eius innumerabilia eſſe commoda, quæ antiquas & illuſtres familias condecorent magis & magnificentius nobilitent: ita cenſuiſſe maiores noſtros omni genere laudis & excellentia mirandos, id vidiſſe aliarum nationum

viros primarios, qui ingenio cæteris atque animi intelligentia præſtiterunt. Hæc quæ à me texetur oratio, non meis floſculis, ſed veſtris ſententiis, pro corona mihi futura eſt, quam veſtris capitibus iniiciam, hoc iaculum floris ſerti & ſoluti veſtro honori comparatum, hoc nouum genus ἐπιθυμίδων quod è collo pendeat, hic ſuffitus & vt feſta in lætitia laurus & lucernæ, quæ vobis vireant, vobis luceant: hic denique χαριστήριος λόγος, quo nullum diuinius eſſe munus atque præſtantius Gregorius Nazianzenus vir ſanctiſſimus idemque in dicendo coryphæus aiebat. AVDI ergo nobilis iuuentus, quam parentes in ſpem claræ dominationis inſtituunt; audi, inquam, illuſtrium Dynaſtarum ſapientiam, qui vt lecti ab Erythreo ponto vniones, in Comitiis Galliæ ſuarum mentium lucem conſiliique fuderunt. Hi tibi nouas ſcholas & patefacta eſſe muſea voluerunt, atque eruditionis veluti Panegyrim, læta & ſpecioſa omni ſupellectile doctrinarum abundantem: hi domini prouinciarum atque vrbium, hi vſu diuturno periti & in maxima rerum, & temporum varietate contriti, iudicio ſummi atque intelligentia præſtabiles, ore meo tibi ſignificant, ſtudia literarum & humaniſſimam artium cognitionem vſui tibi fore ad omnem dignitatis excellentiam, neque vllos eſſe nobiliores, quàm qui mentes pulcherrimis ſcientiis conuenuſtarint. Nam ſi in amplis familiis cretos & inſignibus nobilium ornatos legit Deus ad cæteros moderandos, iique ſunt vt plurimùm in Gallia, qui præficiuntur oppidis & prouinciis, & nominis ſui autoritate atque potentia commune omnium otium tuentur, quid æquius animo fingi & conuenientius poteſt, quàm vt qui lautis fortunæ muneribus & grandium opum abundantia & dignitate præcellunt, ij quoque reliquis hominibus conſilio & ſcientiæ magnitudine præſtare conentur? Quis melius vt de bono Imperatore Tacito populus Romanus communi acclamatione dicebat; quis, inquam, melius quàm literatus imperet? Soleo ſæpè apud animum meum reputare clariſſimorum hominum effata atque elogia, quibus eruditionem ſolent afficere ad diuini cuiuſdam boni ſignificationem: Philo Iudæus eruditiſſimus Hebræorum φῶς ψυχῆς nominat; Plutarchus autor grauiſſimus μεγάλην ὠφέλειαν: Socrates apud Xenophon-

Digitized by Google

tem *μέγιστον ἀγαθὸν* : Crœſus cùm victorem Cyrum alloqueretur *πηγὰς τῶν καλῶν*, *bonorum fontes* : Dio Pruſæus qui ab aureo flumine orationis nomen inuenit, malorum *ἴαμα καὶ φάρμακον*, *ſalutarem veluti panaceam* : Eloquentiſſimus Gregorius Nazianzenus etiam bonorum, quibus in humana vita perfruimur, ſummum : Syneſius qui cùm vitæ ſanctimonia eam ipſam quam mirabatur, laudabátque *παιδείαν* eximiè copulauit, aiebat eſſe *χώραν πάμφορον vberrimum* veluti *ſolum*, vnde in animum ſapientis honeſtiſſimarum rerum abundantia redundaret. Hæc igitur aliáque propè infinita ad ruſticulos tantum & ieiunæ plebeculæ fæcem, aut mediocres etiam homines ſpectent, nihil pertineant ad nobiles & antiqua ſtirpe glorioſos? Atqui in clara & illuſtri domo nati, ingenio vulgò ſunt nec tardo nec hebeti, ſed viuido & excitato, & maximè ingenuo, ac peropportuno ad humanitatis veluti ſatus capiendos : deinde in fortunæ beatitate locupletes egere non poſſunt, vel in curſu vtiliſſimæ ſcientiæ tardari: ea quoque ſuſtinere debent inter ſuos munera, ad totius populi commodum, & patriæ decus ſuæ, quæ ſine ſapientis animi conſilio, & recondita quadam intelligentia, benè & præclarè fieri non poſſunt : ſæpè dicenda in conſilio Regum & Principum ſententia, obeundæ legationes, mitigandus populi furor, reſtinguendum bellum, pax honeſtis conditionibus ſancienda, obuiam eundum calamitati: in quibus & maturo iudicio prouidendis, & minimo periculo conficiundis, nobilium hominum virtus, & ſapientis animi prudentia ſpectatur. Quæ omnia perſuadent, aut nullius, aut maximè nobilitatis, propriam eſſe doctrinarum poſſeſſionem, quam turpe eſt vt caducam hæreditatem alienis hominibus relinquere. Itaque ſummo ingenio Poëtæ, annaliúmque interpretes, oratores, Philoſophi, & chorus omnis ſapientum, qui animi ſui commentationes poſteris reliquerunt, in hoc maximè dicendo elaborauerunt, vt intelligeremus nobilitatem ſine rerum grauiorum ſcientia & doctrinis, fumantem eſſe lucernam alto in loco ſitam ſine lumine : & contrà principes viros, auis, maioribus inſignes, artium laude & prudentis animi prouiſione conſequi, vt diuini propè videantur. Homerus vnus omnium

Digitized by Google

qui ſunt aut fuerunt ingenioſiſſimus & ſapiens, Iouem Deorum omnium principem & dominatorem eſſe canit, nõ quod magnam vim auri & argenti poſſideat, nec quod ſumma & exquiſita voluptate perfruatur, ſed quod πλείονα ἤδει, quod omnes alios incredibili rerum cognitione ſapientiáque exuperet. Quid Heſiodus ſummus & ipſe Poëta voluit, cùm Calliopen ait eloquentiæ præſidem, non Vatibus modo inflammatione animi diuina quædam pangentibus adeſſe, verùm & Reges magnos comitari, quàm vt poëticè diceret, nobilitate illuſtres viros & Dynaſtas, quique alios dominatu ſuo continent, ingenuis artibus, ſed præſertim eloquentia præſtare oportere? Cuius hominis egregius hypopheta & internuncius Themiſtius, quem Euphradam nominant, eos principes quos Calliope intuita fuerit, dici primùm ab Heſiodo animaduertit διοτρεφεῖς, ſimillimos Deo, vt præſtantis & diuinæ mentis imagine ornatos, tum ſtillare ab eorum lingua ſuauiſſimum quendam rorem, quo inquit vtiles ac fructuoſas orationes deſignat. Et Pruſæus Dion qui Heſiodeos quoque verſus attulit, pronunciare audet, ῥητορικῆς δεῖν τοῖς βασιλεῦσι, *potentiſſimis Regibus eſſe neceſſariam Rhetoricam & dicendi facultatem*. Et ne quis fortè nugacium & leuiorum Principum loquacitatem, ſonitúmque oris futilem & inutilem intelligendum eſſe putet, addit quoque Philoſophiam eſſe clariſſimis nobiliſſimiſque viris addiſcendam, quibus alij ſui regendi poteſtatem quaſi habenas quaſdam conceſſerint. Sapienter quidem ille: nam vt Phraotes beatiſſimus Indiæ Rex idémque iudicio maximus & doctrina prædicare ſolitus eſt, τὸ βασιλικώτερον σοφία ἔχει, nihil regalius eſt ſapientia. Itaque ſolers & acutus Apuleius Philoſophiam nuncupauit *Diſciplinam regalem*, & Themiſtius vnus omnium philoſophorum prope eloquentiſſimus τέχνην βασιλικὴν, ab eaque vberrimos in imperium omne fructus manare. Vidit hoc Plato, & Dionyſio Siciliæ domino perſuadere voluit, ad quem ſcribens eleganti oratione contendit antiquorum fuiſſe opinionem, ſapientiam & potentiam coniungi oportere, cuius rei in monumentis annalium forent plurima & ſplendidiſſima documenta. Sed quod ille totius Græciæ facilè doctiſſimus regi barbaro, & ad crudelitatem imminenti probare non potuit, Veſpaſianus Imperator

tor

tor Tyaneo Apollonio differente in animum ſuum induxit. Cuius cùm orationem excepiſſet illuſtribus ſententiis refertam, de philoſophiæ laude, & mirificis vtilitatibus, cum liquida voluptate coniunctis, tenere ſe non potuit, quin ſublatis in cœlum manibus exclamaret, *O Iuppiter*, inquit, cœlum terram mariáque moderans *σοφῶν μὲν ἐγὼ ἄρχοιμι, σοφοὶ δ' ἐμοῦ*, *Sapientibus ego imperem, & mihi ſapientes*. Erat in oculis & recentiſſima quidem memoria Nero princeps, quem cùm in ſcholam ſapientiæ vellent ducere, ad percipiendam clarorum hominum inſtitutionem, vetuit mater ambitioſa mulier atque potens, & fortunæ dulcitudine ebria, cùm diceret imperaturo contrariam eſſe philoſophiam. Sed mulieris cœcum animum, & honoris cupiditatem illam immenſam & infinitam, quæ poſtea conſequuta ſunt dura & calamitoſa, & immanis filij crudelitas, & effuſa in omnem libidinem intemperantia punierunt: quibus à vitiis abhorrere facilè potuiſſet, ſi in caſto philoſophiæ gremio fuiſſet inſtitutus. Quod ſi exemplis Romanorum vti vellem, deficeret me dies memorantem viros principes, rebus geſtis honoribúſque clariſſimos, qui prodeuntes è philoſophiæ vmbraculis, honeſtiſſimóque ſtudio literarum, & terrori fuere hoſtibus, & ciuibus ſuis admirationi. P. Scipio Africanus nunquam Hannibalem victoria exultantem frangere, quatere Africam metu, atque in Africa omnem orbem terrarum, neque laureas eas lemniſcatas conſequi, & trophæa ſtatuere potuiſſet, niſi doctum habuiſſet Panætium generoſi animi ducem & magiſtrum, cuius dictis præceptionibúſque inſtitutus ea magna & præclara ſuſcepit, & feliciſſimè glorioſiſſiméque confecit. Pompeius ea fuit animi magnitudine & gloria, vt pænè puer de ſuperbiſſimis hoſtibus & longè bellicoſiſſimis triumpharet: Iulius Cæſar eum ipſum toties victorem ſuperauit, & non terræ ſed cœli propè regionibus nomen terminauit ſuum: non mirum, vterque ſummo ingenio & elegantiſſima indole Philoſophos ſui temporis eruditiſſimos, & eloquentia nobiles audierat, ille Cratippum, hic Ariſtonem. Cato Vticenſis cùm Athenodorum philoſophum ad ſe pellexiſſet, plus ea præda gloriabatur, quàm Romani omnes duces clariſſimis adoreis, qui-

bus omnium prouinciarum ornamenta quæſiſſent. Sed vt dicebam iis exemplis plenæ ſunt hiſtoriæ & beatorum Quiritium monumenta. Græcorum autem innumerabilis omnino eſt præſtabilium hominum copia, qui cùm ſtudiis honeſtiſſimarum artium vt gladium, ſic mentem ſuam exacuiſſent ad omne genus dignitatis, domi foriſque atque in omni genere gloriæ mirabiles, non tam ſtirpis & ſanguinis nobilitate, quàm inclytis facinoribus decus ſuum in ſempiterni temporis memoriam propagauerunt. Dion Siciliam funeſtiſſimo & acerbiſſimo ſæui hominis dominatu liberauit, Plato illum philoſophiam docuerat: Epaminondas quem Leuctrica pugna in cœlum extulit omnium gentium prædicatione, Lacedæmonios diuturna potentia ferocientes, quique non minus quàm Iuppiter Homericus ſola terrarum commouere nutu videbantur, fregit penitus & debilitauit, Lyſis Pythagoræus illum inſtituerat: Pericles ab Anaxagora doctus qui annos prope quadraginta patriam ſuam feliciſſimè adminiſtrauit, toties victor, toties triumphator, à ſplendore docti ingenij & cœleſti facundia dictus eſt Olympius. Alexander magnus cùm octo annorum ſpatio Philoſophorum omnium principem audiiſſet, Orientem vniuerſum domuit; plúſque armis & politi ingenij ſolertia præſtitit, quam fabulæ de Dionyſio prædicant: qui rogatus aliquando quonam modo breuiſſimo tempore orbis terræ imperium obtinuiſſet; βουλῇ τε, inquit, ϗ μύθοις, καὶ τέχνῃ στρατηγικῇ, Conſilio, eloquentia, & earum rerum cognitione quæ ad peritum belli ducem pertinent. Eius pater Philippus diu verſatus cum Epaminonda, & iiſdem ſtudiis eruditus, difficile dictu eſt num fortior in bellis an callidior, an felicior glorioſiórque fuerit, qui opinor vt honorem haberet literis atque eruditiſſimis conſiliis ſapientum, cùm milites in expeditionem duceret, coronis laureis redimiri omnes iubebat, & veluti Phœbo duce manus conſerebat. Simile quidpiam feciſſe Troianos accepimus non Phrygia magis opulentia, quàm bellica diſciplina, & prudentis animi conſilio laudatos, apud quos teſſera fuit communis atque ſignum copiarum, φοῖβος. Duos autem feruntur habuiſſe duces à quibus imperij magni fortuna & ciuium incolumitas pendebat, Æneam & Hectorem, illum

Digitized by Google

propter eximiam ſapientiam Νοῦν ſiue Mentem, hunc ab inuicti animi fortitudine & rei militaris ſcientia nominabant Χεῖρα, vtrúmque manu ſtrenuum, atque animi intelligentia nobilem, & Achæis formidoloſum: ſed tamen Rhetor è Græcia pereleganti vir ingenio & ſplendido aiebat, plura in Græcos importauiſſe detrimenta Αἰνείαν σωφρονοῦντα, ἢ μεμηνότα Ἕκτορα, Æneæ ſapientiam, quam Hectoris furibundos impetus & excelſi animi contentionem. Itaque ſapienter mihi feciſſe videntur Athenienſes qui Eleaticum Gymnaſiũ inſtituerunt, vbi nobiles pueri ſumma indole & elegantia præditi, ſimul in armis, ſimul in Muſarum veluti gremio atque ſinu educarentur, Syneſius διδασκαλεῖον λόγων τε ἅμα καὶ τῶν ὅπλων appellat. Memini que à doctiſſimis hiſtoriarum ſcriptoribus Phocionem multiplici laudum varietate coboneſtatum, quòd Palladem coluiſſet πολιτικὴν καὶ πολεμικὴν, quam præſidem vna ciuilium bellicarúmque rerum eſſe opinabantur. Non igitur iam mirum ſi ſapientes, antiquitatis ipſa lumina quæ miramur, induſtriæ ſuæ partem ſtudiique poſuerunt in cohortandis nobiliſſimis adoleſcentibus ad ſapientiam, qui veteri è proſapia & in omnium rerum abundantia generantur. *Faueo ſæculo*, ait orator Plinius eleganter, *ne ſit ſterile & effœtum, miréque cupio ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulchrum, niſi imagines habeant.* Verebatur non fine ratione vir grauiſſimus, ne Iunio Syllano pronepoti Auguſti ſimiles forent multi, quem nobili è ſtirpe natum, ſed imperitum C. Cæſar *pecudem auream* indigitabat, Diogenes πρόβατον χρυσόμαλλον dixiſſet, Iuuenalis trunco ſimillimum Hermæ ſtatuæque mutæ geminum. Et communem illam fuiſſe Principum curam de liberorum inſtitutione cogitantium, Symmachus V C. teſtimonio ſuo pulcherrimo ſignificat, cuius dicto vt emblemate aureo lubet orationem meam diſtinguere & ornare, *Inter præcipua*, inquit, *negotiorum*, *ſæpè curatum eſt, vt erudiendis nobilibus Philoſophi præceptores ex Attica poſcerentur.* Quę ne quis fortè à prophanis modo hominib. dicta putet, viri ſanctiſſimi omni exceptione maiores qui cũ vitæ ſanctimonia ſummíſque virtutibus omnium artium concentũ adiunxerant de nobilium eruditionę atque ſtudiis ſua quoq; nobis oracula prodiderunt. Præclarè diuinus Athanaſius, Decora, inquit, &

Digitized by Google

eximia res eſt in principe mens diſcendi auida. Iuſtinus Martyr è veterum autoritate depromit hanc grauiſsimam ſententiam, & opinione ſua confirmat, *Niſi Principes* & ciues item philoſophentur, fieri non poſſe vt ſint beatæ ciuitates. Accedit aureus Chryſoſtomus cuius ſplendidiſsimum eſt hoc effatum, *Deligendo Principi* nihil tam idoneum atque accommodum, ὡς ψυχὴ φιλόσοφος, quàm anima quæ amore ſapientiæ capitur. *Cunctos proceres*, ait doctiſsimus Caſsiodorus; *nobiliſsima diſertitudo commendat.* Itaque ille ipſe quem ſupra nominaui Iuſtinus, cùm Antoninos Imperatores exquiſito genere laudis commendationiſque afficeret, eoſdémque Iuſtitiæ præſides nuncupauiſſet, nihil addi poſſe magnificentius glorioſiúſque putauit, quàm ſi vocaret ἱερὰς παιδείας, *eruditionis amantes*, quo vno breuíque elogio præſtabilium virtutum omnium dignitas continebatur, & eximiæ vitæ atque morum prædicatio. Nam vt Zonaras ſuis monumentis ad perennem hominum memoriam propagauit, cùm natura & mirifica ad omnem bonitatem indole fuiſſet Antoninus Imperator, πλεῖστα δὲ ὑπὸ παιδείας βελτίων ἐγένετο, tum doctrina longè melior excellentiórque euaſit. Talibus è gemmis texere corollas quamlibet grandes poſſem, atque ſtrophia doctæ nobilitati coronandæ & excitandæ ad ſtudium. Sed ne longiùs vagetur oratio, & ab aliis longè poſitis barbariſque nationibus laudabilium inſtitutorum petat exempla, quis tam hoſpes & peregrinus eſt in gentis Gallicanæ hiſtoria, qui neſciat noſtrum hoc decus ſemper fuiſſe, vti nobiles non bello magis & gladiorum agitatione, quàm ſtudio ſapientiáque florerent? An eſt fortè tam obſcurus Tacitus, tamque in angulis bibliothecarum pluteiſque retruſus, vt nec legi nec audiri poſſit? quem ſcimus memorabile illud protuliſſe veriſsimè, *Nobiliſsimam Galliarum ſubolem* liberalibus ſtudiis Auguſtoduni operatam. Quem ſecutus Eumenius Rhetor qui noſtrorum hominum ingenia deguſtauerat, *Nobiliſsimam indolem Galliarum* appellat. Tacitus idem Agricolam ſummæ nobilitatis virum, cùm ad nominis ſempiternam prædicationem extollit, ait illum ab illecebris blandæ voluptatis &

flagitioſæ vitæ licentia diſiunctum abhorrentémque fuiſſe, *quod ſtatim paruulus*, ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerit locum Græca comitate & prouinciali parſimonia mistum ac bene compoſitum. Sed vnde potius eruditæ nobilitatis Gallicanæ teſtimonia mutuemur, quam à Gallis hominibus, & quidem illis, qui genus hominum ſapientia ſuperarunt? Audiamus Sidonium Apollinarem omnium ſui temporis Antiſtitum eloquentiſſimum, omnium eloquentium ſanctiſſimum, qui cùm ſuam veris laudibus commendaret Aruerniam, vt emporium longè clariſſimum totius humanitatis, *Hic*, inquit, *ſermonis Celtici ſquamam depoſitura nobilitas, nunc oratorio ſtylo, nunc etiam camœnalibus modis imbuebatur.* Itaque in tanta præſtantium hominum ſerie & corona, quam in eius doctis monimentis legimus, vix vllum maximis laudibus ornat eruditionis nomine celebratum, è Galliis ortum, quin idem familiæ vetuſtate atque ſumma nobilitate præſtiterit. B. Remigio tantum commendationis impertitur, quantum homini mirificè docto & eximia ſapientia prædito: Sed quis ille Remigius? an ruſticanus fortè quiſpiam, quem rei familiaris inopia atque tenuitas ad laborem ſtudiorum adegerit? Minimè verò, ſed *alto parentum ſanguine*, ait Flodoardus. Gregorius Turonenſis aliud Galliæ lumen & literatorum hominum gemma, cùm multos ſuis in libris eiuſmodi enumeret qui ad ſtirpis & familiæ claritudinem ſtudia literarum adiunxerint, tum diſertè quodam loco ſignificat, hoc Galliæ proprium inſtitutum atque morem fuiſſe, vt Regùm liberi atque nobilium ſcientia erudirentur. Nam de Gondobaldo memorans qui ſe Regis Clotarij filium eſſe dicebat, *Hic cùm natus*, inquit, *eſſet in Galliis, & diligenti cura enutritus literiſque eruditus, vt Regum iſtorum mos eſt.* Quare cùm Biturigum Epiſcopo vita functo ad eam honoris ſedem multi aſpirarent, Guntchramnus non alium promoueri voluit quàm Sulpitium, ſummæ imprimis nobilitatis virum, eúmque egregiè imbutum diſciplinis, cuius rei teſtimonium illi Rex dabat in frequentiſſima corona Principum atque doctorum. *Erat enim* (vt ingenui fidíque Scriptoris orationem vſurpem) *vir valdè nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum* (proſapiam hîc agnoſco ſanè illu-

ſtrem & antiquam) *in literis benè eruditus rhetoricis, in metricis verò artibus nulli ſecundus*, ornamenta video gentis quibus inde à condito imperio Gallicano noſtrorum hominum laus effloruit. Neque verò eſt quod quis ex imperitorum grege dicat ſcientiam effœminare animos, & conſtantiæ neruos elidere, nec proinde Gallicæ nobilitati videri opportunam, quam gentium omnium opinio ſemper inuictam, & rei bellicæ gloria facilè primam & ſpectatiſſimam eſſe putauit. Quin potiùs apud Thucydidem Pericles ad illam animi excellentiam vel efficiendam vel tuendam, magnarum rerum cognitionem poſſe plurimùm animaduertit, ſine qua vis & robur pleniſſimum eſt temeritatis & furoris, & ſæpè etiam patriæ inutile. Nam vt canit bonus Poëta,

Vis conſili expers mole ruit ſua
Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Et de noſtris illis generoſiſſimis, qui ſexcentis laureis & triumphis familiam ornarunt ſuam, dici idem poſſet quod de Græcis bellatoribus memorat vir ſapiens, Ἀθηναίων Χαβρίαι στρατηγοὶ καὶ φωκίωνες ἐξ Ἀκαδημίας ἀνέβαινον, Chabriæ illi Martis genus & Phociones aliique laudatiſſimi in bello duces, è ſpatiis doctæ Academiæ & è ſinu Philoſophiæ extiterunt. Hinc Homerus qui mirabili iudicio Epopœiam ſuam pertexuit, fingit Mineruam ſapientiæ præſidem & humanitatis è galea Diomedis excitaſſe flammam ingentem aurei & inuſitati ſplendoris, qua fortiſſimos & paratiſſimos hoſtes in fugam agebat, vt intelligeremus præſtantiſſimorum ducum vim & virtutem, qui ſapientiam in pueritiæ primis annis hauſiſſent, & Mineruam coluiſſent, cum ingenti nominis ſui ſplendore & dignitate, poſſe armis omne hoſtium genus ſuperare. Cyneas Theſſalus quem vi dicendi & erudita copia viguiſſe meminimus, cum Rege Pyrrho terram omnem & maria prope omnia vincendo emenſus, πρὶν τῶν μηχανημάτων τοῖς λόγοις τὰς πόλεις ἔκλινεν, non ariete prius & machinis, quàm eloquentia & conſilio ſuo vrbes vincebat, vt apud Photium prodit Himerius. Sed vt vetera illa omittentes propiora videamus, Philippus Comminæus qui noſtrorum Regum potentiam, bella, conſilium, & inſignia ad

omnem memoriam facinora proſecutus eſt, & Monlucius qui ſuperiori ſæculo veteranos omnes Galliæ duces prudentia & felicitate prope vnus anteibat, monumentis ſuis conſignarunt, doctrinas eſſe nimium quantum nobilibus vtiles, eóſque reprehendunt vehementius & oratione caſtigant, qui propter vitæ genus delicatum iners & ſolutum, à muſis abhorrerent, & à diſcendi contentione refugerent. Sed Pauli huius nominis primi ſummi Pontificis celebratum facinus mihi vehementer arridet, qui cùm Principes benè multi ab expeditione Hieroſolymitana redeuntes Romam veniſſent, omnéſque fama & potentia forent nobiles, vnum Arnoldum Principem Egmontanum regio ſumptu & magnificentia excepit, eruditionis nomine atque doctrinæ, qua inter omnes vnus eminebat. Guillelmus frater his ſtimulis motus, cùm primùm domum rediit, filios omnes literis imbuendos dimiſit, neque priùs reuocauit illos in patriam, quàm laurea Philoſophiæ inſignitos, & artium honeſtiſſimarum copia ſaturos accepiſſet. Hæc intuens tot & tanta, Gallicana iuuentus, cui nobilium parentum ſanguis viuidam ingenij vim addidit, ſic exiſtima, tibi magnum gloriæ curriculum eſſe paratum & obiectum, in quo duce Apolline triumphes, nec Principi aut vniuerſæ patriæ tuam operam vtiliorem futuram, non ſplendidius animi decus, non maiorem familiæ dignitatem, quàm ſi literis honeſtiſſimíſque ſtudiis hauriendis vacui temporis partem impertias. Terram, inquit Dircæus Vates, *ἀδαμαντοπέδιλοι κίονες ὑπείχουσι*, adamante ſubnixæ columnæ fulciunt, ſed hoc regnum & opulentiſſimam dominationem tot columnæ aureæ atque adamantinæ ſuſtentabunt, quot fuerint Galli heroes & Dynaſtæ, qui ad generis nobilitatem grauium rerum intelligentiam eruditionémque adiungent. SED redeo ad vos, Clariſſimi Viri & principes nobilitatis, qui Claromontani Collegij reſtitutionem à Chriſtianiſſimo Rege petiiſtis, explicui adoleſcentiæ vt potui veſtram mentem & excelſi animi voluntatem, non vt volui, non vt debui, cùm veſtræ ſapientiæ ac dignitati impar longè mea ſit oratio. Accipite excuſationem meam, & ſingulare veſtrum beneficium tanti à me fieri putatote, vt ſi omnium eloquentium

vis & copia in vnum conſentiat, & ad eius prædicandam magnitudinem elaboret, inferior mihi tamen illa omnis futura videatur. Hærebit ſanè illud in animo, quandiu ipſe animus in hoc corporis domicilio, neque priùs excidet è memoria, quàm memoria ipſa ex animi ſinu euellatur & pereat. Et ſi mihi oratio defuit & in dicendo vbertas ad illuſtrandam beneuolentiam veſtram idonea, erunt opinor è Societate noſtra induſtrij & diſerti, & à doctrina paratiores, qui in promeritis veſtris prædicandis feliciùs omni animi contentione ſudabunt.

GRATIARVM

Digitized by Google

GRATIARVM ACTIO

VIRIS CLARISSIMIS QVI PRO TERTIO GALLIARVM ORDINE Comitiis adfuerunt.

RESTABAT hoc vnum ad cumulatam Galliæ felicitatem, qua iucundè & beatè perfruimur, vt Tertius Ordo in Comitiis ad aliorum ſeſe Ordinum honeſtiſſimam voluntatem, & conſilium pleniſſimum religionis atque mentis, lubens accommodaret: quod in multis grauiſſimiſque rebus eueniſſe meritò boni omnes gratulantur. Id verò ea ratione futurum fuiſſe, qui non eſſet nimium hebes neque tardus in cogitando facilè quiuis aſſequi coniectura potuiſſet. Eos enim ille Ordo lectiſſimos viros Lutetiam miſerat, qui vt plurimùm eſſent in foro iudiciiſque domini, præſides Eunomiæ, iuris atque legum interpretes, aut in vrbibus & municipiis honeſtiſſimi & eximiæ grauitatis, è quorum polito iudicio atque maturo quantus ſplendor extiterit, etiam ij qui rem tantum auditione perceperunt liquidò intelligent. Non eſt mei pudoris & modeſtiæ in ea multa & pulcherrima facinora curioſius inquirere, quæ à vobis, Clariſſimi Viri, cogitata ſunt atque propoſita, nec tam ſum inops conſilij atque mentis, vt ea me putem oratione conſequi, aut veſtræ laudis magnitudinem inuſitatam dicendo augere & amplificare: Sed cùm hominum præſtantiſſimorum beneuolentiam in reſtituendo Collegio Claromontano, ornandáque noſtra Societate, pro tenuitate mea laudarem, non debui ſingulare hoc veſtrum & diuinum beneficium tacendo obtegere, & ingrati animi vitio diſſimulare. Nam cùm Ordo Antiſtitum clariſſimus atque Nobilitatis, curam, conſilium, prouidentiámque ſuam de com-

mendandis ſtudiis literarum & Collegio noſtro exſuſcitando vobis communicauiſſet, vos rectè atque ordine fieri cenſuiſtis, & illorum poſtulationem ſic inſtitutam, ea ſapientia compoſitam & temperatam eſſe putaſtis, nihil vt vobis addendum eſſe videretur. Societatis noſtræ religioſos dici ab illis videbatis, ſi non penitus ad docendam ſapientiæ cognitionem, & in Galliæ iuuentutem diſſeminandam ſpargendámque neceſſarios, vtiles tamen atque fructuoſos: noſtros in tuenda religione labores & graues & quotidianos memorari audiebatis, nos fidei tutelæque Regis Chriſtianiſſimi verbis ampliſſimis & honorificis commendari: quæ tot & tanta cum publico in conſilio proponerentur, vos haud dubia ſignificatione voluntatis & humanitate comprobauiſtis. Agnoſcimus, Viri ornatiſſimi, libet enim è meo ſenſu de aliis omnibus iudicare: agnoſcimus, inquam, beneficium, nec vllum eſſe puto, tam inertem, támque nullius iudicij & rationis, qui non veſtram amiciſſimam beneuolentiam & caritatem præ ſe ferat, & humaniſſimè fateatur. Græci olim *Gratia* Aram extruebant bene de ſe meritis ad piam & perennem memoriam beneficiorum, Χάειτος βωμὸν eloquentiæ Græcæ princeps nominauit: & ab aliis inſtitutum ait Ariſtoteles, vt Εὐχαειςίας Templum in media ciuitate collocaretur, vt ciues omnes intelligerent, eſſe hominum liberalitati & beneficentiæ grates habendas, & excogitandas rationes, quibus ij qui beneficium acceperunt ab aliis, non ingrati fuiſſe videantur. Nos melioribus vitæ inſtitutis ſanctiúſque edocti, nihil ea grati animi religione moueamur? Mihi verò ita perſuadeo fore vt in omnem conſequentium temporum continuationem, cùm de Regis Chriſtianiſſimi laude prædicabitur, cuius ſumma & inaudita prouidentia ſumus & ſingulari beneficio reſtituti, de vobis quoque minimè ſileatur, quorum precibus monitiſque ille excitatus ad tuendam & propagandam ſapientiam cogitationum ſuarum partem adiunxit. Neque opinor veſtri nominis gloria in eo tenuis & contemnenda videbitur, magnum Principem cùm ſtudia iuuentutis componeret, vos habuiſſe vt ſapientes Conſiliarios atque Neſtoras in glorioſis facinoribus conficiundis quæ omnis ætas miretur. Fuit hoc ſemper Regum maximorum &

potentiſſimorum Dynaſtarum proprium, literatos impensè amare, & promouere ſapientiam, & in ſtruendis Muſarum domiciliis magnificentiam animi ſui oſtendere, quos videmus in iis regnis imperiiſque orbis terræ vbi humanitas viguit, à clariſſimis viris monitos in eo genere multa & diuina præſtitiſſe. Theodoſio imperanti adfuere benè multi, veſtri ſimiles, alta mente conſilióque præditi, & ſingulari animi luçe præſtantes: itaque non mirum ſi ille triumphantis imperij dominus çuius pietas cœlo æmula beatarum; mentium communione gaudebat, cuius gladius ſuo ſplendore gentium omnium oculos præſtinguebat, qui denique vniuerſitatis huius globum firmiſſima veluti manu tenebat: non inquam, mirum, ſi Muſas quaſi laureatas inſignibus equis duci voluerit. Conſtat enim in Capitolio grande Muſeum ab illo exædificatum, ſcholis ornatum mirabili & eximia varietate, & profeſſores certo numero fuiſſe collocatos, in quibus & morum excellentiam atque bonitatem, & in dicendo elegantiam, in explicando & diſſerendo facundiam, vbique virtutem & ingenuæ mentis humanitatem poſtulabat. Sic Valentiniani ſummi Imperatoris temporibus, nimium quantùm eruditio effloruit, cùm doctos ille viros modeſtia & religione ornatos, præmiis magnis & inuſitata munificentia locupletaret, quos vt ſcriptores grauiſſimi referunt ducibus in bellica diſciplina clariſſimis dignitate & honoribus æquiparabat. Nimirum audierat ille Themiſtium virum ornatiſſimum & ſapientię nomine commendatum, qui etiam vrbi Conſtantinopolitanæ præfectus conſilij ſui documenta multa & magna dediſſet. Tantùm videlicet intereſt in conſtituendo ſtudio literarum aut reſtituendo, ad præſtabilem maximorum Principum ſapientiam & virtutem, à quibus eruditionis gloria maximè pendet, Conſultorum etiam hominum prudentiam conſiliúmque accedere. Itaque de vobis cogitanti Viri ornatiſſimi, & meam mentem in antiquum æuum referenti ſubit Athenarum cogitatio, quas literarum inuentrices M. Tullius, Athenæus ἑλλάδος μουσεῖον, Pythius Apollo vetuſto in Oraculo ἑστίαν καὶ πρυτανεῖον τῶν ἑλλήνων indigitabat. Hos tamen ſacros veluti Camœnarum focos, & Prytanèum, vis Martis & aduerſæ fortunæ impetus aliquando per-

culit, cùm Sylla duce & Imperatore, ſæui Romonorum pugiones atque furor in id Muſeum penetrauerunt. Capta ciuitas & incenſa fuit, & Lyceum quod Stagiritæ Coryphæi toties voce & diſputationibus eruditis perſonuerat, luctuoſo incendio deflagrauit. Tum longo temporis interuallo celeberrimi illius Muſei gloria in cineribus conſepulta iacuit, & magni viri à dicendo abſtinuere, donec melior quædam fortuna ſtratæ Pædiæ penitúſque afflictæ illuxiſſet. Id tanti támque ſalutaris boni laus ad Imperatores purpureóſque Reges pertinuit, & præcipuè ad Antoninos, qui Athenis eloquentiæ ſuggeſtum magnis ſalariis commodíſque adiunctis inſtituerunt. Nam *μυρίας* ſeu decem millia denariorum annua doctoribus elegantiũ literarum fuiſſe ab iiſdem conceſſa Lucianus, Philoſtratus, alíique periti autores meminere. Eoſdem autem longè etiam maius ſtipendium illis hominibus attribuiſſe, qui in naturæ obſcuritate illuminanda intimóque receſſu pandendo elaborarunt, Aſſyrius monet Tatianus religionis Chriſtianæ lumen, aitque à Rege Quiritium domino fuiſſe definitos *ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους*, qui ſi ad noſtram putandi rationem æſtimandíque reuocentur, centum ſupra mille coronatos noſtros efficient. Fuit illa clariſſimorum Imperatorum eximia liberalitas, & in omnem æternitatem commemoranda munificentia, quam etiam illo honore literarum obſtupefacti hodierna die ſuauiamur, nec tutores habere locupletiores Muſæ potuerunt, quàm qui omnem orbis dominatum nutu & imperio adminiſtrabant. Sed iidem ipſi Imperatores erant, vt Iuſtinus ait martyr, amatores eruditionis, & cum doctis hominibus cupidè verſabantur, & reipublicæ claros viros ornatiſſimóſque audiebant, quorum vitæ dignitate conſiliíſque permoti pulcherrima moliebantur, & quæ cœperant, ingenti nominis ſui commendatione & honore conficiebant. Itaque tum Lycea inſtaurabantur, & mirificè ornabantur multis & inauditis prope dicam ornamentis, quæ reliquis hominum ordinibus commouere inuidiam poſſent: tum Athenæ omninò effectæ vt eas appellat Gregorius Nazianzenus *ἔδαφος λόγων*, eloquentiæ veluti ſolum & Apollinis tabernaculum, in quo lubens Pædia conquieſceret. Et ſi parietes ipſi loqui & moueri potuiſſent, obuiam profecto iſſent

Imperatoribus illis auguſtis, ſoſpitatoribus Sapientiæ, & cùm illorum incredibilem beneuolentiam, tum ſummorum virorum ſtudium, quorum conſilio id eſſent aggreſſi, omni ratione prædicauiſſent. Nil comparandi cauſa dicam Viri ornatiſſimi, ſed video tamen hic Muſeum reſtitutum, quod quamuis non tam ſit à doctrinis comparatum, quàm Lyceum illud vetus Athenienſium, eſt quidem certè religioſius & Numinis cognitione præferendum. Video inſtauratorem magnum Regem qui longè Antoninos omnes & pietate & ſapientia, atque omni animi ornatu exuperat: Video illuſtres viros, quorum ſapienti conſilio Claromontani Collegij ſoſpitator Ludouicus laudabile id facinus ſuſcepit. Quid hic dicam, quàm regiis beneficiis cumulatos, veſtro amori & beneuolentiæ obſtrictos minimè ingratos eſſe oportere? Creſcit verò tanti beneficij magnitudo excellénſque dignitas, quod non Athenis, ſed Lutetiæ Pariſiorum collocatum ſit noſtrum hoc Lyceum Claromontanũ, quo iam fruimur, cuius eruditione lætamur, quódque diutiſſimè ad commune bonum iuuentutis præſidio regio tutum eſſe optamus: Lutetiæ, inquam, vbi regia lucet imprimis eminétque maieſtas, vbi tantus eruditiſſimorum hominum concurſus, vbi Academia longè illa Græciæ illuſtrior, & doctrinis abundantior, & humanitate comior, & potior religione, ad cuius ſinum tanquam ad parentis ſuauiſſimæ gremium admoti & adiuncti, an non diuinum quoddam genus honoris & beneficij conſequuti videamur? Mihi quidem in hanc reſtitutionem Collegij atque inſtaurationem intuenti, optanda etiam videtur fuiſſe calamitas, quò ſic reſtitueremur. Nam niſi prius nudum abiectúmque fuiſſet, atque in ea ſolitudine poſitum quam videbamus, nec regiam munificentiam experiri, nec promeritum illud veſtrum inſigne potuiſſemus, & commune totius Galliæ iudicium, quo publicis in Comitiis, cùm flos ipſe hominum ſapientum adeſſet, familiam noſtram propagandæ religioñ docendiſque literis vtilem eſſe declarauiſtis. Quod laudatorum hominum ſingulare teſtimonium, & commendationem longè honorificentiſſimam, in populorum omnium luce poſitam, auro contra & Erythreo omni mari Indiciſque gemmis fuiſſe nobis emendam multi opinor iudicauiſſent. Quare idem Claromontano Collegio videtur eue-

niſſe, quod olim Rhodo quam *claram* bonus poëta nominat, vt ſoli ſacram & Mineruæ amicam. Rhodum illam dico maris dominam, in qua pluiſſe aurum dicitur natalitiis Mineruæ, in qua deinde ſuauidica Pitho ſuarum rerum domicilium habuit, cùm illam Æſchines in ſcholam induxiſſet Rhetorum bullis & eximiis ornamentis venuſtam. Hanc Rhodum terræ motus fœda & immani calamitate violauit, penitúſque euertit, & illa veluti cadauera magnificentiſſimorum operum, Tēplorum, Arcuum, Theatrorum, atque ſimilium proſtrata iacuerunt. Nihil in vrbe quondam primaria, in qua pleni admiratione hoſpites atque laude obſtupebant, manſit integrum, nihil ad habitationem commodum, ad animi recreationem amœnum, ad viſendum dulce & iucundum; ſed veluti Mercurij aceruus obiiciebatur, quem inſultans & præteriens inimicus impotenti animo illuderet. Cepit Græciā tātæ cladis miſeratio, prouinciæque omnes, Reges, & Dynaſtæ commune conſilium coierunt de ſubleuanda illa ciuitate & ornanda, quam priſtino è ſplendore & florentiſſima gloria, triſtis & acerbus quidam genius miſerandúmque fatum abieciſſet. Inſtaurari cœpta eſt ſtrenuè, & collata plurimorum opulentia: hic æs donat, ille chalybem, alij marmor ſeu de Paro candidum, ſeu nigrum è Tænaro, ſeu variegatum ab Aegypto: ſyluæ ab aliis conuehuntur, & Hymettiæ trabes, & Babylonica cæmenta, aurum, argentum, purpuráq; donantur. Difficile dictu eſt quanto Principum & populorū ſtudio delubra tholos, ædes acroteria, fora ſtatuas, thermæ vndas, ſcholæ pulpita, amphitheatra choragium, vrbs mœnia, & vt breui dicam abſolutiſſimum colophonem & pulcherrimum acceperit. Ciues immenſa lætitia delibuti & ſibi gratulantes, cùm viderent ſuā iam vrbem ſpecioſiorem & ornatiorem multò, quàm olim fuiſſet, eam cladem quæ necopinantibus acciderat, ſibi etiam optandam fuiſſe opinabantur. Hinc ab illis actæ gratiæ diligenter potentiſſimis Principibus & ciuitatibus, quorum ope atque opera, & profuſa támque in omnem partem clara munificentia, ea eſſent præter omnium expectationem conſecuti. Sinite me Viri ornatiſſimi hoc me exemplo & antiqua veluti pictura commonitum dicere, hoc Gymnaſium fuiſſe quidem olim ornatū, & Chriſtianiſſimorum Regum beneuolentia no-

Digitized by Google

bilitatum, multis etiam principibus viris atque ampliſſimis gratum, & multorum opinione hominum florentiſſimum: ſed audeo dicere, poſt illam cladem ſolitudinémque ſuperiorem, quo plures annos mutum iacuit, illuſtriora hominum iudicia, & beneuolentiam illi maiorem affulſiſſe, quàm non modò fuiſſet aliquando conſecutum, ſed vel ſperare etiam potuiſſet. Hinc Regis optimi perhonorifica Decreta, hinc Comitum Conſiſtorianorum ſenatoriæ ſententiæ plenæ dignitatis & commendationis, hinc Ordinum totius Galliæ fauor, & in eodem cohoneſtando Collegio prouidentia, hinc veſtrum Ornatiſſimi Viri ſtudium & beneuolentia, quæ omnia contuens, ferreus omnino atque è ſilice dolatus forem, ſi nihil animo commouerer, ſi nullum haberem ſenſum honeſtiſſimæ voluptatis. Quid igitur reſtat, quàm vt vobis agam gratias, quãtas animus meus capere poteſt maximas & immortales? Quãquam non hoc mihi ſumo, vt ſolus id poſſim pro meriti veſtri dignitate excellentiáque perficere: nam in eo quidem elaborabunt tum è noſtra familia opinor multi, qui longè id vberiùs & ornatiùs facere poſſunt, tum iuuentus ea Gallicana quæ ex hac Muſarum Callirhoe diſciplinas hauriet, & ad mores & pietatem informabitur. Tum poſteritas omnis prædicabit, vos ſcientias & bonarum literarum decus amplificare voluiſſe, quæ vna res valet plurimùm ad totiùs reipubl. bonum & felicitatem. Dicet vos in augendo Collegiorum numero, voluiſſe monere parentes atque ſignificare, nihil ab iis fieri poſſe melius, quàm ſi maturè de liberis ſuis erudiendis cogitent: dicet vos pro animi veſtri ſapientia longè melius quàm Athenienſes veteris oraculi ſenſum cognouiſſe: nam cùm fuiſſet pronunciatum è tripode, ſi bonos viros in ciuitate eſſe vellent, atque in omni genere officij præſtantes, vt quod eſſet optimum puerorum auribus infererent, illi effatum oraculíque vim minimè intelligentes aurum inſeruerunt. Quos illudit Dion Chryſoſtomus eleganter, quod puellas magis aut Lydorum & Phrygum pueros id decuiſſet: nam intelligere, inquit, debuerunt παιδείαν καὶ λόγον, Eruditionem orationíſque facundiam, quæ cùm in aures puerorum inſeruntur, exiſtit ea laudabilis in ciuium grege bonitas, quæ vniuerſæ reipub. otium & felicitatem parit. Vos denique ſtudioſiſſimos religionis atque virtutis

& magiſtratus Chriſtiani lumina dicet religioſæ familiæ adeſ-ſe voluiſſe, eámque autoritate gratiáque veſtra iuuare ad id quod proprium eſt illius inſtituti obeundum. Sic meo iudicio eueniet, vt dum hominum genus erit, veſtra laus & prædicatio nominis per omnium ora volitet, neque hanc tantam ſapientis animi humanitatem vlla ſit in obſcuratura obliuio: certè quidem noſtris in animis perpetua commemoratione hærebit.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google